KENRICK-GLENNON SEMINARY LIBRARY
37050000215162

2203
H

CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

PARS PRIOR

LIBRI INTRODUCTORII

VI

LEXICON BIBLICUM

VOLUMEN III

M-Z

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

LEXICON BIBLICUM

EDITORE

MARTINO HAGEN S. I.

III

VOLUMEN TERTIUM **M-Z**

Cum approbatione Superiorum

WITHDRAWN
KENRICK · SEMINARY · LIBRARY

PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA « CASSETTE », 10
1911

Omnia iura vindicabuntur
13695
R
220.3
H143l
v.3

WITHDR

2203
H143

PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM . SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est : *Lexicon biblicum*, editore Martino Hagen, Sacerdote Soc. Jesu, volumen III (M-Z), aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaten, die 9 mensis Martii, anno 1910.

E. THILL, S. J.
Praepositus Prov. Germ.

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 16ª Martii 1910.

H. ODELIN, Vic. Gen.

DELINEATIONES

(in extremo volumine)

Tabernaculum mosaicum. — Templum Salomonis. — Templum Ezechielis. — Porta atrii exterioris in templo Ezechielis. — Porta atrii interioris in templo Ezechielis. — Sanctuarium in templo Ezechielis. — Templum Herodis.

TABULAE GEOGRAPHICAE

(in extremo volumine)

Mons Moria. — Palaestina tempore Jesu Christi et Apostolorum. — Itineraria S. Pauli in Asia Minore. — Media et Persia. — Syria borealis cum Libano boreali.

TABELLAE ET SCHEMATA

	Columnae.
Genealogia Machabaeorum seu Hasmonaeorum	11-12
Mensium nomina hebraica, assyro-babylonica, graeca	153-154
Mensurae et Pondera	161-172
Mundi creatio (Hexaëmeron)	283-284
Patriarcharum anni et chronologia	525-530
Vitae S. Pauli schema chronologicum	534-537
Scribendi ars (litterarum semiticarum origo et mutationes)	923-926
Genealogia Seleucidarum	945-946
Syriae reges et praesides romani	1105-1107

SUPPLEMENTUM

LANA (vol. II. col. 914). — **MESA,** regis Moab, inscriptio (ad articulum Mesa col. 190-192). — **CHRONOLOGICA** quaedam : **Reges Aegyptiorum. — Reges Assyriorum. — Reges Babyloniorum. — Reges Medorum et Persarum. — Genealogia Ptolemaeorum.**

LEXICON BIBLICUM

M

MAACHA (מַעֲכָה; Μααχά, etiam Μοχά, Μωχά, Μοαχά, Μοωχά).

1. Filius Nachor fratris Abraham ex Roma concubina Nachor genitus (Gen. 22,24). Ab eo descendit ramus Aramaeorum, qui terminos Machati (גְּבוּל הַמַּעֲכָתִי, τὰ ὅρια Μαχαθί seu Μαγατί) incolebant; Gessuri et Machati erant termini septemtrionales regni Og regis Basan (Deut. 3,14; Ios. 12,5); ambae regiones a Iosue Manassitis transiordanicis assignabantur (Ios. 13,11), sed ab his Maachathitae non exstirpati sunt (Deut. 3,14; Ios. 13, 13). Tempore Davidis rex Maacha seu Syriae Maacha cum aliis regnis aramaicis Rohob, Soba, Istob et cum Ammonitis foedus contra Davidem inierat; quos Ioab prope Medabam in tribu Ruben devicit (2 Reg. 10,6. 8; 1 Par. 19,6. 7). Onom. (*ed. Lag.* 278,4; 138,21) urbem Machathi collocat super (περί) Iordanem iuxta montem Hermon. Accedit quod Abel Beth Maacha (*Ābil*) in tribu Nephthali haud multum a Iordane et a radicibus montis Hermon abest (v. ABEL BETH MAACHA). Regio igitur Maacha iuxta montem Hermon ac tribum Nephthali ab oriente Iordanis quaerenda est, immo fortasse in ipsam terram Nephthali ad occidentem Iordanis extendebatur; Gessuri autem a Maacha seu Machati magis orientem versus erat.

De regione Maacha seu Machati vel forte de ipsa urbe Abel Beth Maacha oriundi erant Hepher heros davidicus, cognominatus Mecherathites (1 Par. 11, 36), rectius Maachathites (cf. 2 Reg. 23, 34 et v. AASBAI) et Iezonias (v. IEZONIAS 1).

2. Concubina Caleb filii Hesron (1 Par. 2,48). Ex posteris huius Maacha fortasse erat pater seu possessor urbis Esthamo (1 Par. 4,19).

3. Uxor Machir Manassitae (1 Par. 7, 15. 16).

4. Uxor Iehiel (Abigabaon) principis in tribu Beniamin et possessoris urbis Gabaon (1 Par. 8,29; 9,35).

5. Pater Hanan herois davidici (1 Par. 11,43).

6. Simeonita, pater Saphatiae principis tribus Simeon tempore Davidis (1 Par. 27,16).

7. Filia Tholmai regis Gessur, uxor Davidis, mater Absalomis (2 Reg. 3,3; 1 Par. 3,2).

8. Pater illius Achis regis Geth, ad quem primis regni salomonici annis servi Semei aufugerunt (3 Reg. 2,39). Quodsi hic Achis idem est cum Achis filio Maoch (1 Reg. 27,2 et v. ACHIS), nomen Maacha idem censeri debet ac Maoch (מָעוֹךְ, Ἀμμάχ).

9. Uxor Roboam et mater Abiae regum Iuda, quam Roboam prae ceteris uxoribus et concubinis diligebat (3 Reg. 15,2; 2 Par. 11,20-22); vocatur filia Absalom (loc. cit.) i. e. rectius neptis Absa-

lom, quia 2 Par. 13,2 Michaia (מִיכָיְהוּ, Μααχά) i. e. Maacha scribitur filia Uriel de Gabaa, qui cum Thamar unica filia Absalom (cf. 2 Reg. 14,27) matrimonio iunctus fuisse a plerisque interpretibus supponitur (cf. *Flav. Ios.* Ant. VIII. 10,1). Eadem vocatur mater Asa filii Abiae (3 Reg. 15,10. 13 quibus locis LXX 'Ανά pro Μααχά scribunt; 2 Par. 15,16) i. e. ex dictis ava regis Asa, qui eam utpote fautricem idololatriae ex augusto imperio depositam removit. Vide s. v. ABIA 3 et ASA.

10. Maacha, tertium elementum in nomine urbis Abel Beth Maacha (v. s. v.).

MAACHATHI v. IEZONIAS 1.

MAADDI (מַעֲדַי, Μοδεδειά), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,34).

MAAI (מָעַי; cod. A Μααί), levita et musicus in dedicatione muri Ierusalem (Neh. 12,35[36]).

MAALA (מַחֲלָה, Μαλά, Μααλά), prima ex quinque filiabus Salphaad (Num. 26, 33; 27,1; 36,11; Ios. 17,3).

MAARA Sidoniorum (מְעָרָה אֲשֶׁר לַצִּידֹנִים) recensetur Ios. 13,4 inter regiones, quae post subactam Palaestinam meridionalem adhuc subiiciendae erant. LXX vertunt ἐναντίον Γάζης καὶ οἱ Σιδώνιοι, quae versio omni sensu destituitur, siquidem Gaza urbs Philisthaeorum maxime meridionalis iam Ios. 13,3 nominata erat et ab ora maritima Phoenicum, de qua v. 4 agit, longius abest. Vox מְעָרָה Hebraeis est spelunca. Unde Maara Sidoniorum a multis (*Rosenmüller, Knobel, Keil, Dillmann, Riess,* Bibel-Atlas) agnoscitur *Mugr Djezzīn* i. e. caverna *Djezzīn* circiter 15 km a Sidone orientem versus in Libano. Eadem videtur esse Cruciatorum celeberrima Cavea de Tyron, quam Guilelmus Tyr. 19,11 describit « municipium quoddam nostrum in territorio Sidoniensi situm, speluncam videlicet inexpugnabilem, quae vulgo dicitur Cavea de Tyrum » et quam l. c. a Siracono per proditionem occupatam esse narrat. Cf. *Ritter,* Erdkunde XVII. p. 99 s.

Alium situm pro Maara scil. *Mogheirīye* a Sidone inter aquilonem et orientem praefert *Legendre,* Carte de la Palestine.

Melius tamen cum *F. de Hummelauer* ad Ios. 13,4 dicendum erit textum corruptione laborare et pro Maara legi debere מֵעַזָּה a Gaza; idem interpres voce Sidoniorum transposita legendum esse censet : a Gaza usque Apheca Sidoniorum. Alias coniecturas vide in Mitt. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver. 1895 p. 53-55.

MAASAI (מַעֲשַׂי, Μαασαιά), sacerdos in Ierusalem (1 Par. 9,12). Fortasse idem est ac Amassai filius Azreel (Neh. 11,13).

MAASIA, MAASIAS (מַעֲשִׂיָה, מַעֲשִׂיָהוּ; Μαασία, Μαασίας, Μαασαΐα etc.).

1. Unus ex quattuordecim levitis, cantoribus secundi ordinis a David rege pro translatione arcae electis (1 Par. 15,18. 20).

2. Filius Adaiae, unus ex quinque centurionibus, quos Ioiada pontifex per Iudaeam misit ad convocandos levitas et principes familiarum, ut Athaliam reginam occideret et Ioas filium Ochoziae regem constitueret (2 Par. 23,1; cf. 4 Reg. 11,4).

3. Moderator, qui cum Iehiel scriba numerabat exercitum Oziae regis Iuda (2 Par. 26,11).

4. Filius Achaz regis Iuda interfectus a Zechri Ephraimita in pugna illa, qua bellatores Phacee regis Israel 120000 Iudaeorum occiderunt (2 Par. 28,7); verumtamen non filius Achaz fuisse censendus est, siquidem Achaz tempore illius belli seu primis regni sui annis filium adultum, qui arma ferre poterat, nondum habebat; unde princeps quidam e domo regia Achaz intellegendus est (cf. etiam 2 Par. 18,25; 22,11).

5. Praefectus urbis Ierusalem a Iosia rege iussus templum Domini instaurare una cum Saphan scriba et Ioha, qui erat a commentariis (2 Par. 34,8).

6. Pater Sophoniae sacerdotis tempore Sedeciae regis (Ier. 21,1; 29,25; 37,3).

7. Pater Sedeciae pseudoprophetae tempore Sedeciae regis (Ier. 29,21).

8. Filius Sellum et custos vestibuli

templi in diebus Ioakim regis Iuda (Ier. 35,4).

9. 10. 11. 12. Quattuor viri, qui uxores alienigenas iubente Esdra dimiserunt, e quibus tres erant sacerdotes (Esdr. 10,18. 21. 22), unus laicus (10,13).

13. Filius Ananiae et pater Azariae, qui Azarias Nehemiam adiuvit in muro Ierusalem reaedificando (Neh. 3,23).

14. Unus ex viris (probabiliter sacerdotibus), qui Esdrae librum legis aperienti adsistebant (Neh. 8,4); fortasse idem est ac Maasias 13 (*Bertheau, Keil*).

15. Unus ex levitis, qui Esdrae adsistebant et librum legis interpretabantur (Neh. 8,7).

16. Unus inter capita populi, quorum posteri cum Nehemia inter signatores foederis recensentur (Neh. 10,25).

17. Filius Baruch de filiis Sela, filii tertii Iuda, inter incolas Ierusalem post instaurationem recensetur (Neh. 11,5); legitur quidem h. l. הַשִּׁילֹנִי, Vulgata : Silonites i. e. vir de Silo; sed quia inter posteros Iuda et urbem ephraimiticam Silo nullus nexus est, genuina lectio procul dubio est הַשִּׁלְנִי (descendens de Sela). Eandem textus emendationem indicavimus s. v. ASAIA 4; inde tamen inferri nequit pro Maasia Neh. 11,5 legendum esse Asaia (1 Par. 9,5) vel eundem utrobique intellegendum esse; utrumque nomen frequentius occurrit.

18. Unus ex maioribus Sellum Beniaminitae et incolae Ierusalem post captivitatem (Neh. 11,7; Vulgata Masia).

19. Sacerdos, qui sollemni dedicationi muri Ierusalem intererat (Neh. 12, 40[41]).

20. Levita, qui dedicationi muri Ierusalem intererat (Neh. 12,41[42]).

21. Maasias (מַחְסֵיָה, Μαασαΐας), unus ex maioribus Baruch et Saraiae filiorum Neriae (Ier. 32,12; 51,59; Bar. 1,1).

MAAZIA (מַעַזְיָה, Μαζία) est nomen familiae sacerdotalis, cuius princeps cum Nehemia inter signatores foederis recensetur (Neh. 10,8). Idem erat nomen familiae sacerdotalis vigesimae quartae tempore Davidis (1 Par. 24,18 מַעַזְיָהוּ, Μαασαί, Vulgata Maaziau).

MAAZIAU v. MAAZIA.

MABSAM (מִבְשָׂם, Μασσάμ) recensetur quartus inter filios Ismael (Gen. 25, 13; 1 Par. 1,29). Eius nominis stirps ismaelitica non innotescit. Idem erat nomen stirpis cuiusdam simeoniticae (1 Par. 4,25; Vulg. Mapsam).

MABSAR (מִבְצָר, Μαζάρ, Βαβσάρ) recensetur quartus inter undecim duces Edomitarum, qui Horraeis exstirpatis totam regionem Edom occupaverant (Gen. 36,42; 1 Par. 1,53). Eusebio et S. Hieronymo (Onom. *ed. Lag.* 277,63; 137,11) innotuit vicus grandis Mabsara in regione Gebalena ad urbem Petram pertinens. Cf. *F. Buhl,* Gesch. d. Edomiter 1893 p. 38.

MACCES (מָקֵץ, Μακές), urbs vel regio, quae cum Salebim, Bethsames, Elon, Bethanan ad praefecturam salomonicam a Bendecar administratam pertinebat (3 Reg. 4,9). Est ignota, sed in territorio Dan quaerenda.

MACEDA (מַקֵּדָה, Μακηδά), urbs tribus Iuda in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,41; LXX Μαχηδάν). Celebris eo facta est, quod post pugnam ad Gabaon Iosue quinque reges urbium Ierusalem, Hebron, Ierimoth, Lachis, Eglon, qui in spelunca urbis Maceda refugium quaesierant, inde eduxit et in quinque stipitibus suspendit; eodem quoque die Macedam cepit eiusque regulum chananaeum interfecit (Ios. 10,10-29; 12,16 quo loco LXX Ἠλάδ). Situs cum certitudine determinari nequit. Onom. (*ed. Lag.* 278,90; 138,8) eam collocat 8 mil. pass. ab Eleutheropoli (*Beit Djibrīn*) orientem versus, ergo in regione collium, quibus ex Sephela in montem Iuda ascensus fit. Ab aliis (*Van de Velde,* Memoir p. 332; *Keil* ad Ios. 10,10) praefertur *Summeil* vicus inter septemtrionem et occidentem ab Eleutheropoli, ab aliis (*Riess,* Bibel-Atlas; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 411-413; *Vigouroux,* Dict. de la Bible IV. 473-4) *el-Mughār* paulo infra Accaron et Iamniam. Verum contra hunc situm varia obiici possunt, quae indicat *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 266-7.

MACEDO (ὁ Μακεδών). **1.** Incola

ipsius Macedoniae (cf. CETHIM) 1 Mach. 1,1; 6,2; Act. 16,9; 19,29; 27,2; 2 Cor. 9,2. 4.

2. Civis imperii syro-macedonici 2 Mach. 8,20. Cf. *Strabo* XVI. 1,18; *Flav. Ios.* Ant. XII. 5,4.

3. Esth. 16,10. 14 Macedo (Macedones) videtur significare Medum (Medos).

MACEDONIA (ἡ Μακεδονία), nomen clarissimae illius terrae, quod fuit fundamentum imperii macedonici a Philippo II. et Alexandro M. conditi 1 Mach. 1,1-8; Dan. 2,33. 40 ss.; 7,7. 19 ss.; 8,5 ss.; 11,2 ss. Posteriores reges Philippum IV. et Perseum a Romanis victos esse commemoratur 1 Mach. 8,5. — Anno 168 ab Aemilio Paullo expugnata et a. 140 in provinciae formam redacta est; quam parte Illyrici auctam Octavianus Augustus a. 27 senatui concessit proconsuli administrandam. Huic provinciae omnium Europae terrarum primae S. Paulus religionem christianam attulit. Eo enim divinitus vocatus (Act. 16,9 ss.) Philippis (Act. 16,12), Amphipoli, Thessalonicae (ib. 17,1), Beroeae (ib. 17,13) primas ecclesias constituit pietatis studio et officiis caritatis insignes (2 Cor. 8,1 ss.; 9,2 ss.; Phil. 4,15).

H. WIESMANN.

MACELLOTH (מַקְהֵלוֹת, Μακαλώθ, Μακελλώθ). **1.** Ultimus filius Iehiel (Abigabaon) ex Maacha uxore (1 Par. 8,31. 32; 9,37. 38).

2. Princeps militiae in secunda turma exercitus Davidis (1 Par. 27,4), cuius dux erat Dudia vel potius Eleazar filius Dodo (v. DUDIA).

MACELOTH (מַקְהֵלֹת, Μακηλώθ), statio Israelitarum inter Arada et Thahath (Num. 33,25. 26). Est ignota.

MACENIAS (מַקְנְיָהוּ, Μακελλειά, Μακενιά), levita, ianitor et cantor tempore Davidis (1 Par. 15,18. 21).

MACER (Μάκρων), cognomen Ptolemaei, quem Ptolemaeus Philometor Cypro praefecerat (2 Mach. 10,12); vide s. v. PTOLEMAEUS 3.

MACHABAEI. Machabaeus cognominatus est Iudas, tertius Mathathiae sacerdotis filius, qui Seleucidas populi sui oppressores fortiter ac feliciter debellabat. Moderni plerique nomen *Machabaei* derivant ab hebr. מַקָּבָה (malleus), unde מַקַּבִּי (Μακκαβαῖος) est malleator (cf. Carolus Martellus); secundum alios nomen ad radicem כבה (exstinctus est) refertur et designat exstinctorem; cf. *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 I. p. 204. A Iuda hoc nomen in totam eius familiam transiit, quae populo iudaico praeerat inde a tempore Antiochi IV. Epiphanis, persecutoris crudelissimi, usque ad Herodem I. Magnum. Latiore quodam sensu eodem nomine comprehenduntur omnes, qui cum Iuda et fratribus eius contra Syros armis pugnabant vel fidem in gravissima illa persecutione tormentis et martyrio profitebantur; unde septem fratres, qui cum matre sua gloriosum martyrium subierunt (2 Mach. 7), vulgo fratres Machabaei appellantur, licet ad familiam sacerdotalem, quae principatum gerebat, non pertinuerint. Flavius Iosephus eandem familiam vocat Hasmonaeorum (ἡ Ἀσαμωναίων ἀρχή, ἡ Ἀσαμωναίων γενεά) a nomine proavi Mathathiae vel forte a cognomine avi Mathathiae (Ματταθίας υἱὸς Ἰωάννου τοῦ Σιμεῶνος τοῦ Ἀσαμωναίου. Cf. Ant. XII. 6,1; XIV. 16,4; XVI. 7,1; XX. 8,11; 10,3 etc.). Hasmonaeorum familia pertinebat ad classem Ioarib (1 Mach. 2,1), quae inter viginti quattuor classes seu vices sacerdotales primo loco ponitur (1 Par. 24,7 Ioiarib).

Iudaei ex exsilio babylonico reduces Esdra et Nehemia auctoribus rempublicam suam restituerunt. Erant quidem sub iugo persico satis duro, nihilominus sub magni synedrii summique sacerdotis regimine antiquam religionem conservabant. Externus populi status erat humilior, observantia legis accuratior. Sed res in peius mutata est, cum regnum Persarum ab Alexandro M. destructum inter duces eius divideretur; Palaestina enim media inter aegyptiacum regnum Ptolemaeorum et syriacum Seleucidarum ab utrisque vicissim expugnabatur. Quod autem peius fuit, ex continuo cum duobus istis regnis commercio inter ipsos Iudaeos factio quaedam exorta est,

quae Graecorum mores cultumque exteriorem imitabatur patriamque religionem institutionibus ethnicorum adaptare conabatur; appellantur iniqui, peccatores, impii (1 Mach. 1,12. 36; 2,44; 6, 21; 7,5. 9 etc.). Alii vero iique multo plures ritibus moribusque patriis fideliter inhaerentes a Graecorum consortio abhorrebant atque ex eorum numero aliqui Assidaeorum nomine ab impiis sese distinguebant (1 Mach. 2,42; 7,13; 2 Mach. 14,6; vide s. v. ASSIDAEI).

Ac Ptolemaei quidem, qui priores Palaestinam occupabant (320-202), Iudaeorum religionem persecuti non sunt. Successit aera Seleucidarum (202-142). Antiochus III. Magnus, qui primus Ptolemaeos ex Asia eiecit (202), Iudaeis eorumque templo magna privilegia concessit (*Flav. Ios.* Ant. XII. 3,3). Eius successor Seleucus IV. Philopator tanto favore Iudaeos prosequebatur, ut ex redditibus suis omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes solveret templumque maximis muneribus illustraret (2 Mach. 3,3); verum idem rex ultimo vitae anno templum spoliare misso Heliodoro conatus est, eventu utique infelicissimo (2 Mach. 3). Gravissimam denique persecutionem excitavit Antiochus IV. Epiphanes, frater Seleuci IV. et filius Antiochi III. Magni. Contra eius tyrannidem primus surrexit Mathathias, qui collecto piorum exercitu Dei cultum ab Antiocho abolitum restituit et moriturus Iudaeos fideles hortatus est, ut legem Domini vi armisque defenderent. Mortuus est anno 166 a. Chr. seu aer. Seleuc. anno 146 (v. MATHATHIAS). Ei successit princeps militiae Iudas filius (165-161 a. Chr. seu aer. Seleuc. 148-152), qui non minus feliciter quam gloriose contra Antiochum IV. Epiphanem, Antiochum V. Eupatorem, Demetrium I. Soterem pugnavit, donec in proelio apud Laisam commisso a Bacchide devictus et occisus est (v. IUDAS 1). Loco Iudae Ionathan frater eius se ducem populi professus est (161-143 a. Chr. seu aer. Seleuc. 152-170) isque etiam publice ab Alexandro Bala agnitus est, qui eum summum sacerdotem Iudaeorem declaravit ac paulo post procuratorem rei militaris et civilis in Iudaea constituit (v. IONATHAN 20). Interfecto per Tryphonem Ionathan successit eius frater Simon (142-135 a. Chr. seu aer. Seleuc. 171-178), qui ab universo populo et sacerdotibus publico suffragio statutus est summus sacerdos, dux et princeps gentis Iudaeorum in aeternum, donec surgeret propheta fidelis (1 Mach. 14,41); abhinc dignitas summi sacerdotis ac principis Iudaeorum hereditario iure in familia Hasmonaeorum permansit.

Historia Hasmonaeorum in libro primo Machabaeorum usque ad mortem Simonis enarratur. Ulterior eorum historia usque ad Herodem Magnum hoc loco breviter indicanda est. Succedunt Ioannes Hyrcanus (135-104 a. Chr. seu aer. Seleuc. 177-208), qui erat filius Simonis, dein duo filii Ioannis Hyrcani : Aristobulus I. (104-103 a. Chr. seu aer. Seleuc. 209-210), qui pro se suisque posteris titulum regium assumpsit, Alexander Iannaeus (103-76 a. Chr. seu aer. Seleuc. 210-237); atque hi tres magis favebant Sadducaeis i. e. factioni illi familiarum nobilium sacerdotalium, quae cum gentibus commisceri religionemque placitis ethnicorum philosophorum adaptare non verebatur. Alexandro Iannaeo successit eius uxor Alexandra (76-67 a. Chr. seu aer. Seleuc. 237-246), quae partes Pharisaismi strenue tuebatur. Eius filius vero Aristobulus II. (67-63 a. Chr. seu aer. Seleuc. 246-250) a Pharisaeis sese avertens iterum Sadducaeis favebat; a Pompeio, qui anno 63 a. Chr. Hierosolyma expugnavit, captus et Romam abductus est. Aristobulo eius frater Hyrcanus II. a Pompeio suffectus est, ut sub principatu romano summum sacerdotem et principem Iudaeorum ageret, regio tamen titulo privatus (63-40 a. Chr. seu aer. Seleuc. 250-273); sed hoc tempore iam auctoritate et potentia multum valuerunt Antipater Idumaeus eiusque filii Phasael et Herodes. Cum vero anno 40 a. Chr. Parthi totam Asiam occidentalem inundarent, Antigonus filius Aristobuli II. Parthorum ope regnum arripuit titulo regis et summi sacerdotis assumpto (40-37 a. Chr. seu aer. Seleuc. 273-276). Sed iam primo eius anno (40 a. Chr.) Herodes, postquam

Antipater et Phasael mortui sunt, a Romanis rex declaratus est et Hierosolymis anno 37 a. Chr. expugnatis totam Palaestinam occupavit regnumque Hasmonaeorum delevit. Antigonus iubente Antonio, qui illo tempore in Oriente rerum potitus erat, Antiochiae capite plexus est (v. HERODES 1.).

Genealogia MACHABAEORUM seu **Hasmonaeorum**.



Indicantur typis maioribus nomina biblica (v. g. IUDAS), in parenthesi [ ] coniuges.

MACHATHI (1 Par. 4,19) v. MAACHA 2 et GARMI.

MACHATI (2 Reg. 23,34) v. AASBAI et MAACHA 1.

MACHATI regio v. MAACHA 1.

MACHBANAI (מַכְבַּנַּי, Μελχαβαναί), princeps Gadita, qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12,13).

MACHBENA urbs v. CHEBBON in vol. I. col. 868.

MACHI (מָכִי, Μαχί), pater Guel exploratoris de tribu Gad (Num. 13,16 [15]).

MACHIR (מָכִיר; Μαχίρ, Μαχείρ).

1. Filius Manasse primogenitus (Num. 26,29; 27,1; Deut. 36,1; Ios. 17,1. 3), cuius filii nati sunt in genibus Ioseph (Gen. 50,22). Uti ex genealogia Manasse 1 Par. 7,14-19 colligitur, Machir natus est ex concubina syra Manasse, uxores

habuit tres : Maacham, de qua nati sunt Phares et Sares, concubinam quandam, de qua natus est Galaad, sororem denique Maachae, cui nomen erat Molecheth (הַמֹּלֶכֶת cum articulo, Vulg. regina), de qua nati sunt Ishhod, Abiezer, Mohola; cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 176-181. Ista filia Machir, ad quam ingressus est Hesron sexagenarius et quae ei peperit Segub patrem Iair, ex opinione *F. de Hummelauer* l. c. p. 190-192 est Ephrata uxor Caleb, non origine quidem, sed iure Machiri filia; unde etiam posteri ab Hesron et Ephrata descendentes iure habentur filii Machir (1 Par. 2,21-23). Filiis Machir i. e. Manassaeis Moyses concessit tractum a fluvio Ieboc seu inde a Manaim septemtrionem versus scil. dimidiam fere Galaaditiden et Basan et Argob (Num. 32, 39. 40; Deut. 3,15; Ios. 13,31); erant hi Manassaei transiordanici. De Manassaeis autem cisiordanicis valet laus in cantico Debborae enuntiata : De Machir principes descenderunt (Iud. 5,14) scil. ad pugnam in valle Cison instituendam.

Praeterea vide s. v. ASRIEL. Admissa illa opinione Asrielem fuisse primogenitum Manasse, dicendus erit Machir i. e. eius posteritas in locum primogenituraе successisse, quando posteri Asriel i. e. sacerdotes, praemosaici caede Ex. 32 exstincti sunt.

2. Filius Ammiel habitans in Lodabar Galaaditidis, qui Miphiboseth filium Ionathae filii Saul domum recepit et in obscuro educavit, donec istum David ad aulam suam regiam arcessivit (2 Reg. 9,4. 5). Idem Machir una cum Sobi de Rabbath Ammon et Berzellai de Rogelim maxima cum liberalitate obtulit, quae necessaria erant, Davidi eiusque militibus in Manaim (Mahanaim) ante pugnam, qua Absalom devictus est (17, 27).

MACHMAS (מִכְמָשׁ, מִכְמָשׂ, מִכְמָס; Μαχμάς), urbs tribus Beniamin ad orientem Bethaven sita, ubi Saul cum 2000 virorum castrametatus est, donec a Philisthaeis pulsus per fauces montium usque ad Galgala prope Iericho recessit (1 Reg. 13,2-23); brevi post insignis illa clades accidit, qua Philisthaei a Machmis (Vulg.) usque in Aialon percussi sunt (1 Reg. 14,31), in cuius narratione situs rupium Boses et Sene ita describitur (14,5), ut Machmas et scopulus Boses a septemtrione, Gabaa seu Geba et scopulus Sene a meridie vallis interiectae (*Wādi Suweinīṭ*) collocentur; cum his concordat descriptio itineris Assyriorum a Machmas per vallem de transverso obiectam usque ad Gaba diversorium pernoctando idoneum (Is. 10,28); cf. s. v. GABAA 2 et 4. Duce Zorobabel 122 viri Machmas ex captivitate redierunt (Esdr. 2,27; Neh. 7,31) et urbem patriam denuo incoluerunt (Neh. 11,31; Vulg. Mechmas). Urbem postea quoque non exigui momenti fuisse ex eo colligitur, quod Ionathas Machabaeus per aliquod tempus in Machmas populum iudicavit et vires factionis machabaicae reficiendas curavit (1 Mach. 9, 73). Celebratur ager huius loci in Mishna (Menachoth 8,1) a fertilitate propter optimam farinam. Tempore Eusebii et S. Hieronymi (Onom. *ed. Lag.* 280,47; 140,5) erat vicus grandis 9 mil. pass. a Ierusalem et iuxta Rama. Hodie *Makhmās* 14-15 km a Ierusalem fere septemtrionem versus.

Cf. *Guérin*, Judée III. 63-65; *Sepp*, Jerusalem u. d. hl. Land II. 20; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 12. 149; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 466-469; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 507-511; *R. v. Riess*, Bibl. Geogr. p. 63; *idem*, Bibel-Atlas s. v.

MACHMETHATH (הַמִּכְמְתָת; Ἰακασμών, Δηλανάθ), quae respicit Sichem (Ios. 17,7 hebr. quae ante facies Sichem), medium fere locum occupat in termino aquilonari tribus Ephraim (Ios. 16,6), ita quidem ut ab hoc loco describatur terminus aquilonaris tum orientem versus (16,6. 7), tum occidentem versus (16,8). Quaeritur itaque ad orientem Sichem. *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. p. 388) emendat שכם ענתות i. e. Sichem exauditionum, quam coniicit esse locum sacrum a Iacob emptum et Ioseph donatum, Sichar, *el-ʿAskar* ad orientem Sichem.

MACHTESH v. PILA.

MADABA v. MEDABA.

MADAI (מָדַי, Gen. 10,2 Μαδοί, 1 Par. 1,5 Μαδαί), filius Iapheth; v. MEDIA.

MADAN (מָדָן; Μαδάλ, Μαδάμ) enumeratur tertius inter filios Abraham ex Cetura genitos (Gen. 25,2; 1 Par. 1,32). Gens arabica eius nominis alias non innotescit; sed quia Madan immediate ante Madian nominatur, coniicere licebit Madan gentem Madianitis finitimam fuisse. Coniiciunt aliqui *Wādi Medān* prope ruinas *Dedan* componi posse cum gente Madan (*Wetzstein* apud *Delitzsch,* Comm. in Is. *ed.* 1 p. 665). Praeterea idolum quoddam *Madān* apud Gurhamitas colebatur (Zeitschr. d. D. Morg. Ges. VII. 1853 p. 492), quod ad gentem eius nominis referri posse opinantur. Erat enim *Madān* non solum nomen idoli, quod in *Yemen* colebatur, sed etiam nomen geographicum in Arabia aquilonari (*Yāqūt* et *Al-Bekri*); cf. *D. S. Margoliouth* apud *Hastings,* Dict. of the Bible 1900 III. 309[b].

MADIA (מַעֲדְיָה, cod. א Μααδίας), sacerdos, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,5); v. etiam MOADIAS.

MADIAN (מִדְיָן, Μαδιάμ) recensetur quartus inter filios Abraham ex Cetura genitos (Gen. 25,2; 1 Par. 1,32). Ab eo descendunt Madianitae, inter omnes Arabes Ceturaeos notissimi et usque ad aetatem, qua reges in Israel esse coeperunt, potestate florentes. Ex quinque filiis Madian (Gen. 25,4; 1 Par. 1,33) nullus cum certitudine ad aliquam gentem arabicam alias notam referri potest. Cum ceteris filiis concubinarum Madian ab ipso Abraham in regionem *Qedem* seu Arabiam secedere iussus est (Gen. 25,6), ne cum Isaac de terrae promissae possessione contenderent. Madianitae negotiatores de Galaad per Bethsan, Iezrahel et Dothain in Aegyptum proficiscentes Ioseph a fratribus venditum abduxerunt (Gen. 37,28. 36; מִדְיָנִים in v. 36 sunt utique iidem ac מִדְיָנִים in v. 28); iidem Gen. 37,25. 27. 28; 39,1 vocantur Ismaelitae, ita ut coniicere liceat Ismaelitarum nomen fuisse quibusvis nomadum tribubus commune, istos autem negotiatores procul adspectos a fratribus Ioseph vocari nomine generico Ismaelitas, propius advectos nomine proprio Madianitas (cf. Iud. 8,3. 24 et in h. l. *M.-J.Lagrange*, Le livre des Juges, Paris 1900, p. 150; *F. de Hummelauer,* Comm. in Gen. p. 33). Moysis aetate Madianitae, quorum sacerdos erat Iethro, terram Madian incolebant inter meridiem et orientem paeninsulae Sinai (Ex. 2,15. 16; 3,1; 4,19; 18,1; Num. 10, 29; Act. 7,29 et v. IETHRO). Postmodum in terra transiordanica Madianitae, qui cum Moabitis consociati erant, Israelitas ad fornicationem et idololatriam seduxerunt, pro quo crimine Moyses ultionem Domini a Madianitis armis expetiit et quinque principes eorum praeter Balaam sceleris auctorem interfecit (Num. 22,4 ss.; 25, 6 ss.; 31,1 ss.; Ios. 13,21). Aetate Iudicum Israelitae in idololatriam prolapsi a Madianitis, Amalecitis aliisque nomadibus, qui ipsam terram cisiordanicam devastabant, septem annos gravissime afflicti sunt, donec Gedeon Madianitas in planitie Iezrahel confecit et in terram transiordanicam persecutus est (Iud. 6, 1-8,28); cuius victoriae celeberrimae memoria habetur Iud. 9,17; 10,12 (cf. s. v. MAON 3); Is. 9,4; 10,26; Ps. 82 [83],10. 12. Haud multo post vel saltem antequam Israelitae reges haberent, Adad rex Edom Madianitas in regione Moab clade affecit (Gen. 36,35; 1 Par. 1,46). Quibus cladibus id effectum est, quod Iud. 8,28 legitur : « Humiliatus (confractus) est Madian coram filiis Israel nec potuerunt ultra cervices elevare ». Unde a iunioribus sacris scriptoribus nonnisi obiter commemorantur, nempe 3 Reg. 11,18 Madian regio, Iudith 2,16 (graece 2,26) filii Madian, Is. 60,6 dromedarii Madian negotiatorum, Hab. 3,7 pelles seu tentoria terrae Madian.

Sedes primitivae Madianitarum quaerendae sunt in Arabia inter septemtrionem et occidentem (cf. Gen. 25,6). Apud *Ptolem.* VI. 7,2 nominatur Μοδίανα ἢ Μοδοῦνα in litore orientali sinus Aelanitici et VI. 7,27 Μαδιάμα urbs Arabiae felicis a priore inter septemtrionem et orientem sita. Ad eandem fere regio-

nem ea referre licet, quae Onom. (*ed. Lag.* 276,52; 136,31) habet : « Madian urbs... est autem trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum contra orientem maris rubri, unde vocantur Madianaei et Madianaea regio » (*Euseb.* ἡ νῦν καλουμένη Μαδιανή). Accedit quod etiam geographi arabici locum *Madyan* quinque dierum itinere ab Aila (Aelath) meridiem versus in litore maris noverunt (cf. *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 II. p. 473). Ex istis autem sedibus primitivis latius sese diffuderunt tum in paeninsulam Sinai tum in terram transiordanicam. Adverte denique Madianitarum gentem fortasse non totam ex Abraham ortum duxisse uti etiam Saba et Dadan (*F. de Hummelauer* ad Gen. 25,2).

Cf. *Th. Nöldeke*, Ueber die Amalekiter u. einige andere Nachbarvölker der Israeliten, Göttingen 1864; *Rich. Burton*, The Gold Mines of Midian, London 1828; *idem*, Midian revisited, 1879; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. III. 1880 p. 85 ss.; *Ed. Glaser*, Skizze der Gesch. u. Geogr. Arabiens, Berlin 1890, II. 445 s.; *Meyer*, Gesch. d. Alt. § 185.

MADMEN (מַדְמֵן; Vulg. silens) in oraculo de Moab Ier. 48,2 legitur. Textus hebraicus a multis (*Vatablo, Mariana, Malvenda, Calmet, Trochon, Keil*) vertitur : Etiam tu Madmen conticesces. LXX, Syrus, Vulgata vocem a verbo דָּמַם (silere) explicant, ita ut Moabitis silentium i. e. interitus denuntietur. Urbs moabitica nominis Madmen alibi non nominatur. Etiam id quod additur : post te ibit gladius (hebr.) minus apte de urbe destructa dici videtur, sed potius de gente e sedibus suis pulsa. Aliqui auctores tamen monent forte ad urbem Madmen adesse allusionem in textu hebraico Is. 25,10 : Requiescet manus Domini in monte isto et triturabitur Moab sub eo, sicut stramen trituratur in sterquilinium (מַדְמֵנָה).

MADMENA urbs v. MEDEMENA 1.

MADON (מָדוֹן, Μαρών), urbs Chanaan septemtrionalis, cuius rex Iobab cum Iabin rege Asor foedere iunctus a Iosue percussus est (Ios. 11,1; 12,19). Agnoscitur in *Khirbet Madīn* a Tiberiade occidentem versus.

Cf. *Conder*, Tent Work in Palestine 1878 II. p. 338; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 365. 403; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 662; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI. — Alii vero de hoc situ dubitant et propter lectionem LXX coniiciunt Madon esse *Meirōn* haud procul a *Ṣafed* fere occidentem versus; cf. *Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 536-7.

MAELETH, MAHELETH (מַחֲלַת, μαελέθ). Inscriptio est Ps. 52. 87 (hebr. 53. 88), de cuius tamen significatione nihil certi scitur. Iam graecus interpres vocem non intellexit; quare עַל מָ֝ ὑπὲρ μαελέθ vocem hebraeam retinens transcribit. Alii graeci interpretes chorum saltantium ibi exprimi cernunt : Aquila ἐπὶ χορείᾳ, Symmachus διὰ χοροῦ, Theodotion ὑπὲρ τῆς χορείας, item S. Hieronymus : per chorum (חוּל saltavit). Recentiores in varias sententias abeunt; alii nomen aethiopicum citharae comparantes instrumentum fidibus instructum intellegunt, alii tibias (חָלַל), alii musicorum coetum ab oppido Mekhola (Iud. 7,22 hebr.; Vulgata 7,23 : Abelmehula), alii modos, secundum quos psalmi canendi erant, verbis istis tamquam initio alterius cantici iam noti indicari autumant (cf. *Cornely*, Introd. II. 2, *ed.* 2 p. 95).

MAGALA (הַמִּגְעָלָה, ἡ στρογγύλωσις; Targum Ionathan : munimentum; Syrus : castra) in Vulgata nominatur locus, quo exercitus Saulis contra Philisthaeos in valle terebinthi congregatus erat (1 Reg. 17,20). Sed quia locus pugnae sufficienter 17,1 descriptus est, potius cum aliis versionibus vertendum videtur : castra, vallum, munimentum (fortasse a radice עגל *volvit, rotavit*). Eandem vocem מִעְגָּל 26,5. 7 Vulgata vertit tentorium. LXX autem male λαμπήνη i. e. currus tecto instructus. *Gesenius* (Thesaur. p. 989) vocem ab עֲגָלָה (plaustrum) denominatam esse putat, ita ut sit carrago, arx plaustrorum seu munimentum ex plaustris aliisque impedimentis exercitus

factum; sed obstat quod plaustris in bello non videntur usi esse Hebraei (cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 17,20).

MAGDALA v. MAGEDAN.

MAGDALEL (מִגְדַּל־אֵל i. e. turris Dei, LXX Μεγαλααρίμ per fusionem cum nomine urbis sequentis Horem), urbs tribus Nephthali (Ios. 19,38), enumerata in isto elencho Ios. 19,35-38, quem *F. de Hummelauer* interpretatur arcium Tyriorum per Galilaeam et transiordanicam. Nomen erat satis frequens; Onom. s. v. Magdiel mentionem facit vici 9 mil. pass. (Eus.) vel 5 mil pass. (S. Hieron.) a Dora Ptolemaidem versus (*ed. Lag.* 280,39; 139,26); hic utique a tribu Nephthali longius aberat. Sed in confinibus Aser et Nephthali a Tyro fere orientem versus invenitur vicus *Medjeidel*, qui tum nominis similitudine tum situ antiquae urbi Magdalel correspondere videtur (*Guérin*, Galilée II. 406; *Legendre*, Carte de la Palestine; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 96; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 717-8). — Nonnulli Magdalel eandem esse putarunt cum Magdala seu *Medjdel* in ripa occidentali lacus Tiberiadis; sed complura erant loca nominis מגדל = turris, quibus vox אל addi poterat.

MAGDALENE v. MARIA 4.

MAGDALGAD (מִגְדַּל־גָּד i. e. turris Gad; Μαγαδαλγάδ), urbs in campestribus Iuda, in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,37), in Onom. Magdala, in inscriptionibus cuneiformibus *Magdilu*, hodie *el-Medjdel* prope Ascalon inter septemtrionem et orientem (*Guérin*, *Legendre*, *Riess*, *Buhl*, *Baedeker-Benzinger*, *G. A. Smith*, *Zanecchia*). Contra hunc situm aliqua dubia movet et alias quasdam coniecturas commemorat *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 542-3.

Cf. *Guérin*, Judée II. 130-132; *Legendre* Carte de la Palestine; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 189; *Baedeker-Benzinger*, Pal. u. Syrien *ed.* 5 p. 145; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 303.

MAGDALUM (מִגְדּוֹל, מִגְדָּל i. e. turris; Μάγδωλον).

1. Locus prope Phihahiroth, ubi Israelitae post egressum de Aegypto et ante transitum maris Rubri castra posuerunt (Ex. 14,2; Num. 33,7). In desertum Etham non ultra Etham progressi Israelitae redierunt in Aegyptum scil. in pagum Socoth et ad litus occidentale maris Suph delati sunt. Secundum Vulgatam Ex. 14,2 castra Israelitarum erant « e regione Phihahiroth, quae est inter Magdalum et mare » Suph; sed textus hebr. etiam ita explicari potest, ut castra fuerint inter Magdalum et mare Suph simulque e regione Phihahiroth. Res acta est ad litus lacus *Timsāḥ* vel ad eius lacus meridiem. Cf. *F. de Hummelauer* ad Ex. 14,2 et v. PHIHAHIROTH.

2. Urbs munita in septemtrionalibus finibus Aegypti (Ez. 29,10; 30,6 hebr.), una ex urbibus, in quibus Iudaei tempore Ieremiae Aegyptum ingressi habitabant (Ier. 44,1; 46,14). Distat 12 mil. pass. a Pelusio secundum Itinerarium Antonini Augusti (*ed. Parthey* et *Pinder* p. 76, *ed. Wesseling* 171). In monumentis hieroglyphicis scribitur *pa Makthal* eiusque arcis ruinae hodie appellantur *Tell el-Semūt*.

Cf. *H. Brugsch*, Dict. géogr. de l'ancienne Égypte p. 310. 707; *id.* Geogr. Inschriften I. Geogr. d. alten Aegypten p. 266 et Tab. XLVIII. n° 1266 b; *F. Chabas*, Mélanges égyptol. II. sér. 1864 p. 128-9.

MAGDIEL (מַגְדִּיאֵל, Μαγεδιήλ) enumeratur decimus inter undecim duces Edomitarum, qui Horraeis exstirpatis totam regionem Edom occupaverant (Gen. 36,43; 1 Par. 1,54). Nomen eiusmodi regionis vel tribus non innotescit.

MAGEDAN (Μαγαδάν, Μαγεδάν, Μαγδαλάν, Μαγδαλά) iuxta lacum Tiberiadis quaerenda est (Matth. 15,39). Vocem forte cum *Guérin*, Galilée I. 204 interpretari licet ex prisco et satis frequenti locorum nomine Migdal vel Migdol i. e. turris, unde variae appellationes in textu graeco ortae esse existimantur. Eandem sine dubio regionem designant fines Magedan Matth. 15,39, quam partes

Dalmanutha (Δαλμανουθά) Marc. 8,10; vocem Dalmanutha interpretantur ex aramaico : possessio viduae seu quae ad viduitatem pertinent (*Schegg*, Marcus I. p. 352), alii tamen aliter.

De situ eius regionis opiniones sunt variae. Ne in hoc quidem consentiunt, sitne in litore lacus orientali an occidentali. Pro situ orientali adduci potest, quod habet Eusebius : ἔστι νῦν ἡ Μαγεδανὴ περὶ τὴν Γερασάν itemque S. Hieronymus : nunc autem regio dicitur Magedena circa Gerasam (Onom. *ed. Lag.* 282, 83; 141,22); verum haec solum probant apud Gerasam quoque seu in Palaestina orientali urbem et regionem nominis antiqui Migdal fuisse. Insuper Gerasa, notissima illa urbs Decapoleos, hodie *Djerash* haud procul a laboc aquilonem versus sita, nimium a lacu Tiberiadis abest, quam ut cum regione Magedan seu Dalmanutha componi possit. Attamen iuxta litus austro-orientale lacus Tiberiadis extenditur illa alia regio Gerasenorum, de qua s. v. GERASENI diximus. Poteritne textus Eusebii et S. Hieronymi fortasse de hac regione accipi? Ex contextu apud Matth. 15,39 et Marc. 8,10 utique efficitur post secundam panum multiplicationem in litore orientali factam Iesum transfretasse, sed non indicatur, in quanam directione transfretaverit; idque eo magis attentione dignum est, quia brevi postea (Matth. 16,5; Marc. 8,13) explicite effertur eum εἰς τὸ πέραν navigasse. Quibus perpensis magnam probabilitatem nanciscitur illa coniectura, quam *J. P. van Kasteren* proponit in Revue bibl. VI. 1897 p. 93-99 et apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1209-11 : partes Dalmanutha seu fines Magedan esse regionem transiordanicam ad austrum lacus Tiberiadis, nomen Dalmanutha cerni posse in vico *el-Delhemîye* 8 km austrum versus ab infimo lacu et nomen Magedan in vico *Maʿād* (γ = ע) circiter 7 km austrum versus ab *el-Delhemîye* et 2 vel 3 km a Iordane. Eandem opinionem omnino probabilem esse censet *L. Fonck*, Die Wunder des Herrn im Ev., Innsbruck 1903 I. p. 401-2.

Ex opinione autem antiquiore, quae ab interpretibus plerisque adoptabatur, Magedan seu Magdala eo loco sita erat, quo hodie est *Medjdel* in medio fere litore occidentali lacus Genesareth et in termino australi planitiei Genesareth (*Guérin*, Galilée I. 203-206; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 365. 369). Eadem Magdala existimatur esse patria Mariae Magdalenae i. e. Mariae de Magdala. Dalmanutha autem in hac opinione est regio circa Magedan seu Magdala vel etiam per coniecturas audaciores quaesita est in vicis, quorum nomina aliquam similitudinem cum Dalmanutha prae se ferebant.

MAGEDDO et Zach. 12,11 **MAGEDDON** (מְגִדּוֹ, et Zach. 12,11 מְגִדּוֹן; Μαγεδδώ, Μαγεδώ, Μαγδώ), urbs reguli chananaei a Iosue percussi (Ios. 12,21), in finibus Issachar sita, sed Manassitis attributa (Ios. 17,11; 1 Par. 7,29), cuius incolae chananaei ab Israelitis non exstirpati, sed tributarii facti sunt (Iud. 1,27 s.; cf. Ios. 17,12. 13), in planitie Cison torrentis, cuius aquae appellantur aquae Mageddo insigni victoria Debborae et Barac celeberrimae (Iud. 5,19). Mageddo, Thanach et Bethsan praefecturam salomonicam a Bana administratam constituebant (3 Reg. 4,12). A Salomone Mageddo munimentis firmata est (3 Reg. 9,15). Ibidem Ochozias rex Iuda, postquam in ascensu Gaver a militibus Iehu graviter vulneratus est, alia via fugiens mortem oppetiit (4 Reg. 9,27 et v. GAVER). In campo Mageddo Iosias rex a Nechao Pharaone devictus et ipse vulneratus est, ex quo vulnere brevi post exspiravit (4 Reg. 23,29. 30; 2 Par. 35, 22; Zach. 12,11 et v. ADADREMMON). In inscriptionibus cuneiformibus nomen urbis est *Magiduu* vel *Magaduu* et in documentis in *Tell el-ʿAmarna* repertis *Magidda* vel *Makida*. Communiter agnoscitur eadem, quae Legio (Λεγεών) in Onom. frequenter commemorata ad situm aliarum urbium (Arbela, Bethacad, Gabathon, Thanac, Iezrael, Nazareth, Camon) determinandum, hodie *Khirbet Ledjdjūn* in planitie Esdrelon infra torrentem Cison et a *Zerʿīn* (Iezrael) fere occidentem versus. Quae contra hanc communissimam opinionem *Conder* explorator anglicus pro Megiddo = *Me-*

djedda prope *Beisān* (Bethsan) arguit in *Survey of West. Pal.* Mem. II. 90-99, nullo modo cum textibus biblicis conciliari possunt. — Vide etiam ARMAGEDON.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 412 s.; *idem*, Neuere bibl. Forsch. p. 153; *Guérin*, Samarie II. 232-238; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land 386 ss.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. ad Ios. 17,11; *Delitzsch*, Paradies p. 287; *Max Müller*, Asien u. Europa p. 167; *F. Buhl*, Alt. Pal. p. 209. 210; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina u. Syrien, *ed.* 5 p. 256; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 553-562; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 616-9.

Minus feliciter *Schlatter*, Zur Topographie u. Geschichte Pal. p. 298 coniicit Mageddo esse *Djeida* inter Nazareth et montem Carmelum.

MAGETH (Μαχέθ), urbs munita Galaaditidis, in qua multi Iudaeorum comprehensi tenebantur a Timotheo duce Ammonitarum (1 Mach. 5,26), donec Iudas Mach. eam expugnavit (5,36). Utroque loco Mageth nominatur post Casphor seu Casbon (hodie *Khisfīn* inter lacum Tiberiadis et *Tell ʿAshtara*); sed situs accuratior ignoratur.

MAGI (μάγοι) in diebus Herodis regis venerunt ab oriente Ierosolymam dicentes : ubi est qui natus est rex Iudaeorum (Matth. 2,1 ss.)? Nomine ipso et stellae visae mentione sapientes astrologi declarari videntur, qui de Messia venturo ex commercio cum Iudaeis in oriente dispersis edocti in apparitione stellae illius Deo adiuvante natum regem Messiam agnoverint. Unde venerint, incertum est. Veteres eos vocant Persas, Chaldaeos, Babylonios, Arabes, Aethiopes (vide locos apud *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2 I. p. 84). Modo, quo in antiquissimis imaginibus depinguntur, Persae exhibentur. Quando venerint, vaga quadam ratione colligi potest ex Matth. 2,16, Herodem a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis, occidisse pueros in Bethlehem. Diligenter enim didicit ab eis tempus stellae (Matth. 2,7); inde conclusit aetatem pueri esse vel annorum duorum vel minus. Quare certum est magos non advenisse brevi post nativitatem. Quod veteres iam tradiderunt; ita Tatianus in Diatessaron ponit eorum adventum in ordine narrationis post praesentationem in templo (cf. *Ciasca*, Tatiani evangeliorum harmonia arabice, Romae 1888; Ammonii Alex. evangeliorum harmonia interprete Victore Capuano, *Migne* 68,260); Eusebius : « biennium ergo elapsum fuerat a Iesu nativitate usque ad magorum adventum » (Quaest. evang. ad Steph. qu. 16; *M.* 22,933); eo modo narrationem collocat Iuvencus (1,260; *M.* 19,95); post biennium advenisse etiam ex evangelio colligit Epiphanius (Haer. 51,9; *M.* 41,904), neque alium narrationis ordinem sequitur S. Leo (ep. 16 cap. 2; *M.* 54,697), itemque recentiores : *Patritius*, *J. Grimm*, *Cornely*, *Fillion*, *Knabenbauer* (in Matth. *ed.* 2 I. p. 77-79).

Eos reges fuisse populari quidem opinione tenetur, sed ex narratione evangelica id negandum est. Dicuntur enim magi, dum evangelista titulum regium, quem ipsis negat, Herodi tribuit. Si fuissent reges, certe evangelista id non tacuisset, cum ad Messiae gloriam id permultum contulisset. In priscis monumentis nunquam depinguntur regiis insignibus, neque alia veterum documenta hanc eis dignitatem indubie asserunt; solum quandoque dicitur magos fere reges habitos esse in oriente; unde verba Ps. 71,10 : reges Arabum et Saba dona adducent, illis applicari posse (cf. *Tertull.* adv. Iud. 9; c. Marc. 3,13; *M.* 2,619. 339). S. Ephraem eos dicit principes Persidis (hym. 15. in Epiph.; cf. *Lamy*, S. Ephr. hymni et sermones I. p. 131); in sermone 4. in natalem Domini dicuntur magi a S. Ephraem, solum in versione latina reges; dicuntur reges in aliquibus sermonibus, qui olim falso S. Athanasio, Chrysostomo, Augustino adscribebantur. Censet *Patritius* fortasse Caesarium Arelatensem primo hunc statuisse titulum (cf. *M.* 39,2018).

Pariter incertum est, quot fuerint. Monumenta antiquitatis in catacumbis communiter quidem tres magos exhibent; sed etiam cernuntur vel duo tantum vel quattuor vel sex. Ternarium numerum affirmant Origenes (hom. in

Gen. 14,3), S. Maximus Taur. hom. 17 (*M.* 57,259), S. Leo saepius (serm. 31. 36. 37. 38; *M.* 54,235 etc.). Ternarium numerum saepius repetunt ex muneribus, ex tribus Noe filiis, rationibus aliis mysticis. Ad certam traditionem non provocatur. Apud Syros nominantur duodecim; item apud Arabes (cf. *Assemani*, Bibl. or. III. 1 p. 316).

Nomina quae hodie communiter feruntur : Gaspar, Melchior, Balthasar, primo proferuntur in libro pontificali seu in vitis pontificum ravennatum, parte altera, cap. 2 in vita S. Agnelli (cf. *Muratorius*, Rerum ital. scriptores t. II. p. 114), cuius scriptor a *Muratorio* censetur natus c. annum 805. Nomina ipsa referri videntur ad tres Noe filios : Gaspar ad Iaphetitas, Melchior ad Aethiopes (Cham), Balthasar ad Semitas. Alia quoque feruntur et nomina et explicationes.

De magorum stella v. s. v. STELLAE.

MAGIA. Praeter ea, quae s. v. DIVINATIO iam dicta sunt, aliqua speciatim de magia addere oportet scil. de arte perpetrandi ea, quae hominum vires superant, auxilio non divino, sed alio quodam. Nomen commune magiae, artium magicarum est כְּשָׁף, כְּשָׁפִים et magorum seu maleficorum מְכַשְּׁפִים. In Vetere Testamento magia commemoratur apud Aegyptios, Chaldaeos, Assyrios, Israelitas.

1. Magi aegyptiaci (מְכַשְּׁפִים, φαρμακοί; חַרְטֻמִּים, ἐπαοιδοί) incantationibus suis aliqua miracula Moysis et Aaron imitabantur; mutarunt virgas suas in serpentes (Ex. 7,12), aquas in sanguinem (7,22) eduxeruntque ranas super terram Aegypti (8,7); sed frustra sciniphes educere conabantur (8,18) et in sexta plaga aegyptiaca eo usque confundebantur, ut ulceribus ipsi foedati coram rege et Moyse stare non possent (9,11). Cf. Sap. 17,7. Nomina duorum ex istis praestigiatoribus aegyptiacis 2 Tim. 3,8 leguntur : Iannes et Mambres; v. IANNES.

2. Inter sapientes babylonicos (vide s. v. DIVINATIO) recensentur Dan. 2,2 malefici (מכשפים, φαρμακοί) et 1,20; 2,2. 10 magi (אשפים, μάγοι). Priore nomine designari videntur praestigiatores, qui magicis formulis artibusque mira efficiebant, altero autem nomine incantatores, assyriace *ashiputi*, qui suis incantationibus (assyr. *shiptu*) mala physica et moralia pellere conabantur. Quibus accedunt Dan. 2,2. 4. 10; 4,4 Chaldaei (כַּשְׂדִּים, Χαλδαῖοι), sacerdotes astrologi, qui cum divinatione etiam artificia magica coniungere solebant. Isaias propheta regni babylonici ruinam annuntians simul declarat artium magicarum stultitiam, quibus Babylon neque ruinae futurae notitiam neque remedia malorum hausit, sed insigniter decepta est : Sta cum incantatoribus (חבּרים, ἐπαοιδαί) tuis et cum multitudine maleficiorum (כְּשָׁפִים, φαρμακεία) tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi aut si possis fieri fortior (Is. 47,12; cf. 47,9). Quid voce חבּרים significetur, vide infra n. 4.

3. Apud Assyrios varia magiae genera praevaluisse testatur Nahum propheta (3,4), qui Niniven appellat dominam praestigiarum (בַּעֲלַת כְּשָׁפִים, ἡγουμένη φαρμάκων).

4. Israelitis, qui sicut in Aegypto ita in terra Chanaan (Deut. 18,12) magiam inter idololatras grassari cernebant, lex mosaica praescripsit : Maleficos (φαρμακούς) non patieris vivere (Ex. 22,18[17]); sed textus hebraicus habet מְכַשֵּׁפָה praestigiatricem. Censetur haec lex esse perantiqua, cuius origo refertur ad idololatriae initia; nam ubi plene evoluta est idololatria, non solent maleficiis solae mulieres indulgere, sed item viri (*F. de Hummelauer* ad h. l.). Similiter poena capitis fertur Lev. 20,27 in virum sive mulierem, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus. In lege universali Deut. 18,10 ss. (vide s. v. DIVINATIO), quamquam poenae capitis antea latae mentio non fit, explicite proscribuntur omnes superstitionis ministri, inter quos recensentur maleficus (מְכַשֵּׁף, φαρμακός) et incantator (חֹבֵר חָבֶר, ἐπαείδων ἐπαοιδήν). Hoc ultimum genus magiae praeterea memoratur Ps. 57[58],6 : incantare incantationem, fascinare fascinationem (חֹבֵר חָבֶר), quod dici videtur

de iis, qui serpentes incantationibus domant, magicis quasi nodis ligant. In libro Iob (3,8) commemorantur ii, qui maledicunt diei, incantatores, qui ex opinione populari diem nefastum reddere possunt artibus magicis. Michaeas, qui munere prophetico functus est tempore Ioathan, Achaz et Ezechiae regum Iuda, instaurationem messianicam annuntians vaticinatur : et auferam maleficia (כְּשָׁפִים, τὰ φάρμακα) de manu tua (Mich. 5,11); nihilominus Ezechiae filius Manasses praestigiis sedulo utebatur (2 Par. 33,6). Idem crimen Iezabel uxori Achab exprobratur (4 Reg. 9,22). Praeterea vide Ier. 27,9. Eiusmodi praestigiatores etiam tempore exsilii et post exsilium inter Iudaeos fuisse colligitur ex Mal. 3,5 (cf. Zach. 10,2). Ex tempore Christi et apostolorum noti sunt Simon magus (Act. 8,9. 19), Bariesu Elymas i. e. sapiens, magus (Act. 13,6 ss.). Celeberrimi erant apud Iudaeos libri magici Salomonis, cuius sapientiam (cf. 3 Reg. 5,12) quamplurimis formulis magicis originem dedisse dictitabant theurgi.

5. Magiae inter Graecos et Romanos vigentis indicium habetur Act. 19,18. 19. Cum filii Scevae sacerdotis iudaici pro fraudulenta usurpatione nominis Iesu ab homine daemoniaco male multarentur, multi fideles ephesini confitebantur actus suos (τὰς πράξεις) scil. quae artis magicae professione commiserant et multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati (τὰ περίεργα πραξάντων i. e. qui artes magicas exercuerant) libros magicos combusserunt. In tanta enim magiae et superstitionum abundantia, quae Ephesi grassabatur, mirum non est, quod multi fideles minus sibi conscii, quid criminis esset in magicis artibus, non statim ab illis se expediverint. Notissima erant ac celeberrima Ἐφέσια γράμματα, formulae magicae; cf. *Clem. Alex.* Strom. 5,8 apud *Migne* 9,72.

De magia apud Aegyptios cf. *Chabas*, Papyrus magique Harris, in Mélanges égyptol. III. série, II. 1873 p. 242-78; *Birch*, Egyptian magical text from a papyrus in the British Museum, in Records of the Past VI. 1876 p. 114-26; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 II. 58 s. 114 s.; *Maspero*, Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique I. 145. 212 s.; *E. A. W. Budge*, Egyptian magic, London 1899; *Lenormant*, Histoire ancienne de l'Orient III. 118 ss.; *Erman*, Die ägypt. Beschwörungen des grossen Pariser Zauberpapyrus, in Zeitschr. für ägypt. Sprache 1883 p. 89; *idem*, Zaubersprüche für Mutter u. Kind aus dem Papyrus 3027 des Berliner Museums, Berlin 1901.

De magia apud Babylonios cf. *Lenormant*, La magie chez les Chaldéens et les origines accadiennes, Paris 1874; *idem*, La divination et la science des présages chez les Chaldéens, Paris 1875; *A. Laurent*, La magie et la divination chez les Chaldéo-Assyriens, Paris 1894; *Tallquist*, Die assyr. Beschwörungsserie *Maqlu*, Leipzig 1895; *L. W. King*, Babylonian Magic and Sorcery, London 1896; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. 290-93; *M. Jastrow*, Religion of Babylonia and Assyria, London 1898; *Zimmern*, Beiträge zur Kenntnis der babyl. Religion, in Assyriologische Bibliothek XII.

De magia apud Iudaeos cf. *P. Scholz*, Götzendienst u. Zauberwesen bei den alten Hebräern u. den benachbarten Völkern, Regensburg 1877; *Robertson Smith*, On the forms of divination and magic enumerated Deut. 18,10. 11, in Journal of Philology XIII. 1885 p. 272-87, XIV. 1885 p. 113-128; *Brecher*, Das Transcendentale, Magie u. magische Heilarten im Talmud, Wien 1850; *Weber*, System der altsynagogalen paläst. Theol. 1880 p. 242 ss.; *W. Davies*, Magic, Divination and Demonology among the Hebrews, London 1898; *L. Blau*, Das altjüd. Zauberwesen, Strassburg 1898; *E. Schürer*. Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 III. 294-304; *M. Schwab*, Les coupes magiques et l'Hydromancie dans l'antiquité orientale, in Proc. Soc. Bibl. Arch. XII. 1890 p. 292-342; *idem*, Coupes à inscriptions magiques, in Proc. Soc. Bibl. Arch. XIII. 1891 p. 583-595; *Chwolson*, Corp. inscr. hebr. (1882) col. 103-120; *R. Stübe*, Jüdisch-babyl. Zaubertexte, Halle 1895.

De libris magicis Salomonis cf. *Flav. Ios.* Ant. VIII. 2,5; *Origenes* ad Matth. 26,63 apud *Migne* 13,1757; *Fabricius*, Codex pseudepigr. Vet. Test. I. 1032-63; *Grünbaum*, Neue Beiträge zur semitischen Sagenkunde 1893 p. 198 ss. (de Salomone in litteratura arabica); *Itinerarium Burdigalense* saeculo 4. p. Chr. apud *P. Geyer*, Itin. hieros. 1898 p. 21 : Est ibi (in Hierusalem) et crepta, ubi Salomon daemones torquebat; *Decretum Gelasii* (vide *Preuschen*, Analecta 1893 p. 155) §. 61 : Scriptura, quae appellatur Contradictio Salomonis [al. Solomonis interdictio] apocrypha; *Suren-*

husius, Mischna II. 150 (Comment. Maimonidis ad Pesachim 4,9).

MAGISTER. In Vulgata saepe ponitur magister pro hebr. שַׂר, dux, praepositus; ita magister militiae (Gen. 37, 36), magister pistorum, pincernarum i. e. primus inter eos, seu iis praefectus (Gen. 40,16. 29; 41,9. 16), immo et magistri pecorum (Gen. 47,6 i. e. praepositi pastorum regis); item magistri operum (Ex. 1,11) et 1 Reg. 12,19 magister militiae i. e. dux exercitus; item 2 Reg. 10,16; 19,14. Alias *magister* reddit vocem שֹׁטֵר, qua voce etiam praepositi seu magistratus designantur; ita Num. 11,16; Deut. 16,18; Ios. 23,2; 24, 1; 2 Par. 19,11; 34,13. Notione docentis, doctoris מְלַמֵּד legitur v. g. Prov. 5, 13 : magistris aurem inclinare, sicuti adhibetur 2 Mach. 1,10 (διδάσκαλος). Explicationis gratia 1 Mach. 6,37 vir ille Indus qui regit elephantem dicitur : Indus magister bestiae, graece ὁ Ἰνδὸς αὐτοῦ. Ponitur quoque pro hebr רַב, magister militiae Ier. 39,9. 10. 11; 40,1. 5; 52,14. 19. 24.

In Novo Testamento exprimit titulum illum honorificum rabbi, quo discipuli magistrum salutare solebant : Ioan. 1,38 rabbi, quod dicitur interpretatum διδάσκαλε, magister. Eo modo frequenter compellatur Christus et a discipulis et ab aliis et retinetur quidem rabbi in Vulg. Matth. 26,25. 49; Marc. 9,4; 11,21; 14,45; Ioan. 1,38. 49; 4,31; 9,2; 11,8 et ita compellatur a discipulis; *magister* autem Iesus seipsum vocat Matth. 23,8. 10; vocatur a discipulis Matth. 26,18; Marc. 13,1; 14,14; Luc. 22,11; Ioan. 13,13 — frequentius etiam ab aliis eo nomine designatur. Eodem nomine Ioannes Baptista quoque appellatur; ita rabbi Ioan. 3,26, magister Luc. 3,12; eo nomine Nicodemus non sine quadam reprehensione a Christo compellatur : tu es magister in Israel et haec ignoras (Ioan. 3,10)? Vult Christus a suis discipulis vanam abesse titulorum appetentiam : vos autem nolite vocari rabbi, nec vocemini magistri (Matth. 23,8. 10), ne scil. unus prae altero se ambitioso titulo exornet; ne se iactent tamquam καθηγηταί duces qui aliis viam monstrent; unus est quippe dux καθηγητής noster, unus ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας (cf. Hebr. 12,2; Act. 3,15; 5, 31). Simili modo monet Iacobus : nolite plures magistri fieri (3,1). Iudaei se iactare solebant magistros infantium, i. e. gentium stolidarum (Rom. 2,20). Paulus se merito vocat apostolum et magistrum gentium (2 Tim. 1,11). A magistris mendacibus cavendum esse, apostoli hortantur (2 Tim. 4,3; 2 Petr. 2,1).

MAGISTRATUS. Ponitur in Vulgata frequenter pro hebr. סְגָנִים, qua voce et primores, nobiles, et duces et qui in variis muneribus ac dignitatibus constituti sunt, designantur; ita Esd. 9, 2; Neh. 2,16; 4,14. 19; 5,7. 17; 7,5; 12, 39; 13,11, quibus locis de nobilibus sermo est; de belli ducibus Is. 41, 25; Ier. 57,23. 28. 57; de primoribus Chaldaeorum Ez. 23,6. 12. 23; Dan. 2,48; 3,2; 6,7.

Etiam ponitur pro hebr. שָׂרֵי צָבָא 1 Par. 25,1; et pro רַבְרְבִין Dan. 4,33. Munus et dignitatem exprimit 1 Mach. 8,16 (ἀρχήν) et Luc. 12,11 (ἀρχαί); 23,13 (ἄρχοντες). Saepius ponitur pro στρατηγός, στρατηγοί, qua voce in Novo Testamento praefectus civium, praefectus templi designatur; ita Luc. 22,4. 52; Act. 4,1; 5,24; 16,20. 22. 35. 36. 38.

MAGOG (מָגוֹג, Μαγώγ). Recensetur inter posteros Iapheth (Gen. 10,2). Antiqua traditione intellegebantur eo nomine Scythae (cf. *Flav. Ios.* Ant. I. 6,1); unde S. Hieronymus : « igitur Iudaei et nostri iudaizantes putant gentes esse scythicas, quae trans Caucasum montem et Maeotidem paludem et prope Caspium mare ad Indiam usque tenduntur » (ad Ez. 38, 1 apud *Migne* 25, 356; cf. *Knabenbauer*, Comm. in Ez. p. 386). Nuper *V. Scheil* ex inscriptionibus semiticis Susis repertis protulit nomen principis Susiani et gubernatoris Elam *Kuri-Gugu* (*pasteur de Gog*); unde infert : *Gugu* esse nomen Dei et eius nomine designari regionem *mât Gugu*, Magog; atque hanc esse explicationem reliquis meliorem (cf. Revue biblique X. 1901 p. 68). Apud Ezechielem cap. 38. 39 Gog, princeps terrae Magog, ultimus cernitur hostis populi Dei, qui cum ingentibus turbis irruit in

possessionem populi Dei, at insigni clade prosternitur. Eodem modo tamquam ultimus regni Christi adversarius nominantur Gog et Magog Apoc. 20,7 : Satanas seducet gentes quae sunt super quattuor angulos terrae, Gog et Magog, et congregabit eos in proelium..... et ascenderunt super latitudinem terrae et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam et descendit ignis de caelo et devorabit eos.

MAGRON (מִגְרוֹן). **1.** Locus quidam, apud quem Saul cum exercitu suo morabatur sub malogranato in extrema parte Gabaa (1 Reg. 14,2; LXX Μαγδών). Ex contextu quaerendus est haud procul a Gabaa Beniamin (Gabaa Saulis), sed hucusque ignotus. Flav. Iosephus (Ant. VI. 6,2) loco nominis proprii praebet collem excelsum (ἐπὶ βουνοῦ ὑψηλοῦ), a quo conspectus in terram a Philisthaeis devastatam patebat. *V. Guérin* (Samarie I. p. 185-187) coniicit Magron esse *Khirbet el-Mighram,* quae ruinae a *Sha'fāt* (Maspha?) fere quadrantem horae occidentem versus absunt.

2. Urbs vel oppidum, cuius mentio fit in descriptione itineris Sennacherib inter Aiath (Hai) et Machmas (Is. 10,28; LXX 10,29 Μαγγεδώ). Fortasse antiquum situm indicant ruinae *Makrūn* prope *Makhmūs* (Machmas) inter septemtrionem et occidentem.

Cf. *F. Buhl,* Alt. Pal. p. 176; *Baedeker-Benzinger,* Pal. u. Syrien *ed.* 5, p. 117.

MAHALATH (מָחֲלַת, Μουλάθ), filia Ierimoth filii David (v. IERIMOTH 8), uxor Roboam filii Salomonis eaque prima, ut videtur, inter 18 uxores Roboam (2 Par. 11,18).

MAHALON (מַחְלוֹן, Μαλών), primus maritus Ruth, filius Elimelech et Noemi, frater Chelionis (Ruth 1,2. 5; 4,9. 10). Elimelech eiusque filii erant Ephrathaei de Bethlehem Iuda et mortui sunt in Moabitide, quo propter famem in patria ortam profecti erant et ubi duo filii uxores moabiticas duxerant.

MAHANAIM Gen. 32,2 (מַחֲנַיִם i. e. castra; Παρεμβολαί), aliis locis Vulgata : Manaim, LXX Μαάν, Καμῖν, Μαναέμ, Μαναΐμ, Μααναΐμ. Eo nomine Iacob patriarcha e Mesopotamia redux appellavit locum ad aquilonem Iaboc fluvii situm, in quo angelorum agmine exceptus et de divina protectione certior factus est (Gen. 32,2[3]); nuntiis salutatum Esau praemissis mansit Iacob nocte in iisdem castris (Gen. 32,21[22]; hoc tamen loco nomen proprium Mahanaim non legitur). Manaim erat una ex praecipuis urbibus Galaad, tribui Gad attributa, in confinibus Gad et Manasse (Ios. 13, 26. 30), levitis de stirpe Merari concessa (21,37 [36]; 1 Par. 6,80[65]), sedes regia Isboseth cum Davide de regno concertantis (2 Reg. 2, 8. 12. 29) et postea ipsius Davidis ab Absalome regno pulsi (2 Reg. 17,24. 27; Vulg. 2 Reg. ubique *castra*), praefectura salomonica ab Ahinadab administrata (3 Reg. 4,14). Alias in S. Scriptura non legitur, sed allusio ad eventum Gen. 32,2[3] narratum cernitur Cant. 7,1 : « Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum », quo loco *Gietmann* castra explicat de castris Dei i. e. de militia caelesti sanctorum angelorum.

Praeterea 3 Reg. 14,25 et 2 Par. 12,2 ss. legimus Ierusalem urbesque munitissimas regni Iuda regnante Roboam filio Salomonis a Sesac rege Aegypti expugnatas esse; iamvero, in inscriptione regis Sheshenk I. (Sesac, Sesonchis), quae in pariete templi thebaici exstat et expeditionem illius regis in Palaestinam illustrat, praeter urbes Iuda etiam complures urbes Israel ab Aegyptiis expugnatae esse leguntur, inter quas una est *Mahanma* i. e. Mahanaim (*Brugsch,* Geograph. Inschriften II. p. 58 et 61).

Flavius Iosephus urbem dicit lingua vernacula Manalin (corrupte pro Manahaim) appellatam, graeca vero Παρεμβολάς (Ant. VII. 1,3) eamque describit urbem pulcherrimam ac munitissimam (VII. 9,8).

Sita erat Mahanaim a Iaboc fluvio septemtrionem versus neque valde procul a Iordane (Gen. 32,10[11]); a planitie Iordanis Mahanaim versus ducebat vallis Bithron (vide s. v. BETHORON 1 in vol. I. col. 649) et hac via videtur usus esse Achimaas, cum nuntium de

morte Absalomis Davidi afferens celerior in Mahanaim perveniret, quam Chusi per breviorem, sed difficiliorem viam currens (2 Reg. 18,23 ss. et v. CHUSI). Vestigium nominis antiqui cernitur in *Maḥne;* verum hic locus a Iaboc aquilonem versus nimium distat, quam ut facile cum contextu Gen. 32 conciliari possit. Quae pro *Maḥne* = Mahanaim argui possunt, breviter indicat *I. P. van Kasteren* in Zeitschrift des Deutschen Palaestina-Vereins XIII. 1890 p. 205 ss. simul confitens praeter nominis similitudinem vix quidquam afferri posse, quod rem evincat.

Pro Mahanaim = *Maḥne* cf. *Robinson*, Pal. III. 920; *Buhl*, Alt. Pal. p. 257; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 571-6; *R. v. Riess*, Bibl. Geogr. p. 60 c; *E. Nagl*, Die nachdavidische Königsgeschichte Israels, Wien u. Leipzig 1905 p. 111. 112. — Dubia contra hunc situm exponit *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien zum III. u. IV. Buche d. Kön. p. 78-81.

MAHARAI (מַהֲרַי, Νοερέ, Νεερέ), heros in exercitu Davidis, Netophathites (2 Reg. 23,28; 1 Par. 11,30); erat de stirpe Zarai i. e. Zara filii Iuda et praeerat turmae 24 000 mense decimo (1 Par. 27,13; Vulg. Marai, LXX Μηρά).

MAHATH (מַחַת). **1.** Levita de stirpe Caath inter maiores Heman cantoris (1 Par. 6,35[20]; LXX Μέθ).

2. Levita de stirpe Caath tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12; 31,13; LXX Μάαθ, Μάεθ).

3. Filius (ex posteris) Mathathiae in genealogia Christi (Luc. 3,26).

MAHAZIOTH (מַחֲזִיאוֹת, Μελζώθ, Μαζώθ), unus ex filiis Heman cantoris, princeps vigesimae tertiae classis cantorum tempore Davidis (1 Par. 25,4. 30).

MAHELETH (מַחֲלַת, Μαελέθ), filia Ismael, tertia uxor Esau (Gen. 28,9). Eadem Gen. 36,3. 4 vocatur Basemath.

MAHELETH Ps. 87[88] v. MAELETH.

MAHIDA (מְחִידָא, Μαουδά, Μεειδά), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,52; Neh. 7,54).

MAHIR (מְחִיר, Μαχείρ), filius Caleb fratris Sua ex posteris Iuda (1 Par. 4,11).

MAHOL (מָחוֹל, Μάλ), pater Ethan, Heman, Chalcol, Dorda sapientum ex posteris Zare (3 Reg. 4,31[5,11]).

MAHUMITES v. ELIEL 5.

MAIMAN v. MIAMIN 2.

MALACHIAS (מַלְאָכִי, Μαλαχίας), unus ex duodecim prophetis minoribus. Ex forma graeca nomen hebraeum videtur potius abbreviatum a מלאכיה i. e. nuntius Iahwe (cf. Abi 4 Reg. 18,2 et Abia 2 Par. 29,1, Phalti et Phaltiel 1 Reg. 25,44; 2 Reg. 3,15 etc.). Non defuerunt qui eo nomine Esdram designari putarint. Eorum argumentum potissimum erat quod Esdras in laudibus virorum apud Eccli. non commemoratur; unde putarunt eum, quia non potuisset omitti, comprehendi in mentione duodecim prophetarum. Quae tamen ratio inefficax est, quia Eccli. 49,13-15 ii laudantur qui in aedificatione templi et urbis laborarunt, « qui erexit nobis muros eversos et stare fecit portas et seras, qui erexit domus nostras ». Esdrae autem conatus urbem aedificandi exiguus erat et mox quae ereverant destructa sunt. Cum nullibi in libris Esdrae, Nehemiae, mentio fiat Malachiae, ipsumque hoc nomen etiam alias non reperiatur, nomen esse petitum ex vaticinio 3,1 adeoque ut symbolicum libri praefixum videri posset. Verum id sine ullo exemplo assereretur. Libro prophetico nomen vatis verum, non symbolicum, praefigitur et praefigi debet. Quare assumendum erit cum longe plerisque revera exstitisse prophetam nomine Malachiae. Cum in versione graeca v. 1 appellative vertatur ἐν χειρὶ ἀγγέλου αὐτοῦ (Vulgata : Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiae), apud veteres propheta saepius nomine angeli appellatur; ita non solum apud graecos, sed etiam quandoque apud latinos (*Tertull.* adv. Iud. 5; *Augst.*: Malachias qui et angelus dictus est, Civ. Dei 20,25; *M.* 41,699).

Esse Malachiam ultimum prophetarum inter omnes constat eumque tempore Esdrae et Nehemiae prophetasse longe ple-

rique assumunt. Templo iam aedificato et cultu et sacrificiis institutis eum munere suo esse functum, aperte sequitur ex 1,6 ss. 2,4 ss. 3,1. 10. Et cum multum conqueratur, offerri animalia clauda, languida, idque fieri ex dolo et avaritia, certo deducimur ad tempus sat longum post foedus illud initum : statuemus super nos praecepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, ad panes propositionis et ad sacrificium sempiternum etc. Neh. 10, 32. 33. In libris Esdrae et Nehemiae de tali neglegentia, de qua conqueritur Malachias, non fit reprehensio; ergo probabile est eam irrepsisse, cum Nehemias anno 32 Artaxerxis regis in Babyloniam reversus esset. Ad absentiam Nehemiae refertur quoque illud 1,8 : offer illud duci tuo, si placuerit ei aut si susceperit faciem tuam, id quod ad tempus Nehemiae minime fuisset apta ad hominem argumentatio; Nehemias enim annonas quae ducibus debebantur non accepit (Neh. 5,14. 15). Eo autem absente facile irrepere poterant abusus. Insuper cum Nehemias secunda vice in Ierusalem ab aula regis rediret, abusus reperit fere eosdem, contra quos Malachias loquitur, magnam scil. in cultu divino neglegentiam et connubia cum alienigenis (Neh. 13,7 ss.; Mal. 1,10; 2,11). Unde efficitur probabilissimum Malachiam prophetasse post annum 32 Artaxerxis regis eo tempore quo Nehemias in aula regis procul a Ierusalem versabatur.

Introductione praemissa de populi electi praerogativa reprehenduntur sacerdotes de cultus divini neglectu, poenae denuntiantur, vera sacerdotis species delineatur (1,6-2,9); dein reprehenditur populus ob matrimonia, ob malam cum Deo expostulationem, ob neglegentiam in tributis solvendis, ob impiam accusationem Dei, quasi nulla eius servitio perciperetur utilitas; describitur iudicium messianicum (3,8) et iudicium ultimum (4,1 ss.).

I. KNABENBAUER.

MALAGMA. Vox Sap. 16,12 retenta est in Vulgata ex graeco : « etenim neque herba neque malagma (μάλαγμα) sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia ». Significatur medicamentum emolliens (cf. μαλάσσειν), emplastrum ad partes duriores emolliendas.

MALALAI (מוֹלָלִי, LXX om.), levita et musicus tempore Nehemiae (Neh. 12, 35 [36]).

MALALEEL (מַהֲלַלְאֵל, Μαλελεήλ).

1. Filius Cainan et pater Iared (Gen. 5, 12. 13. 15. 16. 17; 1 Par. 1,2), in genealogia Christi enumeratus (Luc. 3,37).

2. Vir de stirpe Phares in genealogia Iuda (Neh. 11,4; B Μαλελήμ).

MALASAR (הַמְּלַצַּר cum articulo, LXX Ἀβτεσδρί, Theodotion Ἀμελσάδ vel Ἀμερσάρ) non nomen proprium sed officii esse censent recentiores et significare praefectum scil. illum, quem princeps eunuchorum constituit super Danielem, Ananiam, Misaelem, Azariam (Dan. 1,11. 16). Nomen explicatur ab aliis cellarius ex lingua persica (*Haug* apud *Ewald*, Bibl. Iahrbücher 5,159 s.), ab aliis autem maiore cum probabilitate custos seu praefectus ex voce babylonica *maṣṣaru* = custos. Cf. *Frd. Delitzsch*, Assyr. Handwb. 1896 p. 423 a; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. ad Dan. 1,11. « Fortasse מלצר ex מצר dissoluta duplicatione ortum est sicut βάλσαμον ex בָּשָׂם (bassam) », inquit *Frd. Delitzsch* apud *Sel. Baer*, Dan. Praef. p. XI.

MALCHUS (Μάλχος), servus ille, in cuius caput Petrus ictum intendit et cuius auricula dextera percussa est (Ioan. 18,10; cf. Matth. 26,51; Marc. 14,47; Luc. 22,50). Erat servus pontificis (Caiphae) et cognatum quoque inter servos pontificis habebat (Ioan. 18,26). Nomen a radice מלך derivatum in variis formis apud Hebraeos (cf. 1 Par. 6,44 [29]; Esdr. 10,29. 32; Neh. 10,4. 27; 12, 2) aliosque populos finitimos in usu erat. Idem nomen gerebant aliqui reges Nabataeorum; cf. *Euting*, Nabat. Inschr. p. 63. 81 s. 91.

MALEFICIUM vide s. v. MAGIA.

MALLEOLUS (parvus malleus). Ea voce designabatur genus quoddam

sagittarum ardentium, quibus oppugnatores urbis domos urbemque incendere studebant. Legitur vox in Vulgata Dan. 3,46 : non cessabant ministri regis succendere fornacem naphtha et stuppa et pice et malleolis. Apud Theodotionem legitur κληματίδα, item apud LXX; κληματίδες vocantur Hesychio interprete αἱ τῶν κλημάτων δέσμαι fasces palmitum e vite excisorum; similiter potest malleolus intellegi; est enim malleolus etiam novellus palmes innatus prioris anni flagello. Loco Dan. 3,46 designatur materies ad ignem nutriendum i. e. aridi palmites.

MALLEATOR, qui malleum adhibet eoque laborat. Dicitur Gen. 4,22 Tubalcain qui fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri; hebr. לטש malleum tractans. Legitur quoque Iob 41,15 cor eius... stringetur quasi malleatoris incus i. e. ita durum sicut incus ferrea. Sed in hebr. aliter : cor firmum, ut lapis molaris inferior.

MALLOTAE (Μαλλῶται), incolae urbis Malli (Μαλλός), qui una cum Tharsensibus anno 171 vel 170 a. Chr. seditionem moverunt contra Antiochum IV. Epiphanem, quae brevi ab ipso rege sedata est (2 Mach. 4,30). Erat Mallus urbs in Cilicia orientali sita loco edito haud procul a Pyramo fluvio orientem versus (*Strabo* XIV. 5,16). Secundum Curtium (3,7) Alexander M. Tarso profectus Pyramo amne ponte iuncto Mallum pervenit. Pomponius Mela (1,13) dicit : « Pyramus Mallon praeterfluit ». Ptolemaeus (V. 8,4 [*ed. Müller-Fischer* 7,4]) urbem 2 milliaria a Pyramo fluvio removet orientem versus. *Stadiasmus* §. 163 (*ed. Müller*, Geogr. Graeci Min. I. 480) Mallum collocat stadia 150 orientem versus ab Antiochia, quae erat iuxta ostium Pyrami et portus urbis Malli habebatur; sed falsas esse distantias, quas habet Stadiasmus tum hoc loco (§ 162) tum in seqq. editor in nota suspicatur. Praeterea cf. *Arrian.* II. 5,8; *Plin.* V. 27,91. Situs urbis quaeritur prope hodiernum vicum *Kara Tash* orientem versus ab ostio Pyrami antiquo, sed ab ostio hodierno inter austrum et occidentem.

MALOCH (מַלּוֹךְ). **1.** Levita de stirpe Merari ex maioribus Ethan (1 Par. 6,44 [29]; Μαλώχ).

2. Unus de filiis Herem, qui uxores alienigenas in exsilio duxerant (Esdr. 10,32).

MALOGRANATUM (Malum granatum), **MALUM PUNICUM**.

1. *Textus S. Scripturae.* Haec nomina, ut hebr. רִמּוֹן, indiscriminatim designant et arborem et fructum eius, atque etiam ornamenta quaedam, tum quae imam marginem tunicae Aaronis, tum quae capitella columnarum Iachin et Booz ornabant atque formam malogranati imitabantur. Iosephus (Ant. III. 6,7) *praeter* sphaerulas, lilia, scyphos (cf. Ex. 25,31 ss. 37,17 ss.) in candelabro sanctuarii ῥοΐσκους quoque commemorat; non vero vertit כַּפְתֹּר malogranatum, ut volunt *Fürst, Brown-Driver-Briggs.* — Arbor et fructus Israelitis iam in Aegypto nota erant, cum murmuraverint contra Moysen, quod adduxisset eos in locum, qui nec ficum gignit nec vineas nec *malogranata* (Num. 20,5). Quare ipse promittit Deum eos introducturum in terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus et *malogranata* et oliveta nascuntur (Deut. 8,8). Ac revera exploratores ex Nehelescol praeter uvam de *malis* quoque *granatis* et de ficis attulerunt (Num. 13,24). Solet deinde malogranatum cum praecipuis arboribus fructiferis terrae Chanaan connumerari (Cant. 6,10; 7,12; Ioel 1,12; 2,20). Communem ibi fuisse arborem diversa quoque loca in variis Palaestinae partibus produnt, quae ex ea nomen traxerunt *Remmon* רִמּוֹן. Misso *Remmonphares*, quae erat statio Israelitarum in exodo (Num. 33,19), saltem quattuor civitates huius nominis occurrunt : una in tribu Iuda (Ios. 15,32 = Zach 14,10), eadem quae postea (Ios. 19,7 = 1 Par. 4,32) tribuitur tribui Simeon, et quam post restaurationem Iuda habitavit (Neh. 11,29); altera in tribu Zabulon *Remmono* (Ios. 19,13 = 1 Par. 6,77; ac probabiliter = Damna Ios. 21,35); tertia in tribu Beniamin : *petra Remmon* (Iud. 20,45. 47; 21, 13). Accedit quarta *Gethremmon* in tribu Dan (Ios. 19,45; 21,24 = 1 Par. 6,69),

quae ex errore librarii videtur repeti Ios. 21,25. Fortasse et nomen *Remmon* dii damasceni (4 Reg. 5,18) et hinc *Adadremmon* (Zach. 12,11), *Tabremmon* (3 Reg. 15,18) ac *Remmon* nomen patris interfectorum Isboseth (2 Reg. 4,2) aliquo modo referendum est ad malogranatum. Morabatur Saul sub celebri *malogranato*, quae erat in Magron, in extrema parte Gabaa. Et Tobias (iuxta textum cod. א 1,7) de *malogranatis* quoque decimas solvebat. Immo paradiso *malorum punicorum* comparantur « emissiones » sponsae (Cant. 4,13). Nec fructibus tantum ac musto, quod sponsa dilecto suo offert (Cant. 8,2) delectabantur, sed et floribus (Cant. 6,10; 7,12). Vicissim genae sponsae *fragmini* (Cant. 4,3)vel *cortici* (Cant. 6,6) *mali punici* comparantur. Nil mirum igitur, quod malum punicum exemplari fuerit et fimbriis tunicae Aaronis, quae ex hyacintho, purpura et bysso bis tincto confectae alternabant cum tintinnabulis aureis (Ex. 28, 33. 34; 39,22-24; Eccli. 45, 10 iuxta LXX et hebr.; v. s. v. PONTIFEX) et aeneis ornamentis, quibus Hiram capitella columnarum in templo salomonico decoravit (3 Reg. 7,18. 20. 42; 4 Reg. 25,17; 2 Par. 3,16; 4,13; Ier. 52,22 ss.; v. s. v. COLUMNAE). — Uno loco (2 Par. 4,13) LXX pro malogranato ponunt κωδών = tintinnabulum; altero (Zach. 12,11) reddunt planctum Adadremmon in campo Mageddon : κοπετὸς ῥοῶνος ἐν πεδίῳ ἐκκοπτομένου, ac similiter syr. hexapl. רומנא בית, dum Peshitta habet דבר אבון = *filii Amon* (Iosiae) pro Adadremmon. Haud caret probabilitate LXX Ez. 19,10 pro אִמְּךָ כְּגַפֶּן בְּדָמְךָ, mater tua quasi vinea in sanguine tuo, rectius legisse בָּרִמּוֹן, quasi vitis in *malogranato*.

2. *Nomen.* Linguae semiticae occidentales eiusdem radicis vocabulo arborem ac fructum eius insigniunt. Quod hebr. est רִמּוֹן vel רִמֹּן, aram. רוּמּוֹנָא, רוּמָּנָא, mand. רומאנא, arab. *rummān*, aeth. *rōmān* (amhar. *rūmān*). Quin et Aegyptii idem nomen linguae suae adaptaverunt : *anhmāni* vel *arhmāni* (*Loret*), ʾinrhamïa etc. (*Brugsch*), cui respondent formae copticae : *herman* (sǝh.), *erman* (boh.). Ab Arabibus vel Phoenicibus etiam Lusitani nomen *roman*, *romeiro* acceperunt; atque hinc etiam statera quae dicitur romana, cuius sc. pondus formam malogranati habebat, denominata est. Nec defuerunt (*Benfey*), qui ipsum vocabulum graecum ῥόα, ῥοιά a *rimmon* derivarent. — Alterum nomen graecum σίδη in LXX non occurrit; ubi vero agitur de ornamentis in veste sacerdotali (Ex. 28, 33 etc.), diminutivum ῥοίσκος adhibent. — Ex multis etymologiis semiticis nominis רִמּוֹן — a *ramma* = medullosus fuit (*Gesenius*), a רמם = altus fuit, quod volunt primum de deo Remmon, dein de arbore dici (*Delitzsch*), a רִמָּה = vermis, hinc vermiculosus, a *rumma* = funis = amor (*Hommel*) — ea praeplacet, quae vocem repetit a *ramma* = coruscavit, ruber fuit (*Meier*). — Alii vero originem eius aricam esse asserendum putant. Lingua sanscritica praeter nomen *karaka* adhibet *dāḍima*, *dāḍima* et *dāli* (ita *Böhtlingk* et *Roth* — non : *darimba*, ut habent *De Candolle* et *Wönig*), a quo plura nomina indica derivantur (Marathi, Hindustani). Vocem autem zendicam *rōrmanā*, *rōmanā*, quam aliqui e sanscritico *rōma* = aqua repetunt (*Pictet*, *Schegg*, qui comparat neopersicum *anār* = malogranatum relatum ad sanscrit. *nāra* = aqua) *Vullers* potius e syriaco רוּמָּנָא, collato arab. *rummān* ortam videri tradit. — An et quae forte sit relatio malogranatum inter et Rimmon, deum Damasci v. s. v. REMMON 5.

Cf. praeter Lexica : *Fr. Delitzsch*, Hoheslied und Koheleth, p. 104 s.; *E. Meier*, Hebr. Wurzelwörterb. p. 550; *Fr. Hommel*, Aufs. u. Abh. p. 93 n. 1, p. 97-99, p. 331; *Th. Nöldeke*, Mand. Gramm. p. 123; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen p. 362-65; *S. Fraenkel*, Aram. Fremdwörter im Arab. p. 142; *H. Brugsch*, D. Aegyptologie p. 394-96; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées p. 190 s.; *P. Schegg*, Bibl. Archäol. p. 215 s.; *V. Hehn*, Kulturpflanzen u. Hausthiere ed. 6, p. 573 s. n. 59; *O. Schrader*, ap. *Hehn* l. c. p. 539 s.; *N. M'Lean* ap. *Cheyne and Black*, Encycl. Bibl. III. 3804 s. v. Pomegranate; *E. Levesque* ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 438 s. s. v. Grenadier.

3. *Descriptio.* רִמּוֹן revera esse ma-

lograna tum (Punica granatum L.) omnibus consentientibus vel ex eo patet, quod Arabes eodem nomine adhuc utuntur. Optime quoque quae in S. Scriptura leguntur malograna to conveniunt. Imprimis monumenta ostendunt ab antiquissimis temporibus arborem illam ex Perside et regionibus adiacentibus oriundam tum in Assyria tum in Aegypto fuisse communem (cf. Num. 20,5), ac videtur mox in omnes circa Mediterraneum regiones esse introducta. Hodie in Palaestina passim invenitur, ubi habentur arbores fructiferae (cf. Deut. 8,8; Ioel 1, 12; Agg. 2,20). At licet variis locis Syriae et Palaestinae (cf. nomina locorum supra n. 1.), maxime in montibus calcareis (cf. petra Remmon Iud. 20,45. 47; 21,13 et 1 Reg. 14,2.), nunc subspontanee crescat, primitus ibi ut et in reliquis plagis occidentalibus in hortis tantum videtur culta esse (cf. Cant. 4,13; 6,10). Saepius commemoratur una cum vineis (Cant. 6,10; 7,12); ac si lectio LXX Ez. 19,10 est sequenda, vites in malograna tis sustentabantur (cf. ulmum ap. classicos). — Ipsa arbor, vel potius arbustum ramosum, interdum spinosum, altitudine raro 3-4 metra excedit. Quare extraordinariae magnitudinis dicendum erit malograna tum in Gabaa, sub quo Saul morabatur (1 Reg. 14,2). Tempore verno inter ultimas arbores malograna tum sese operit parvis suis foliis coriaceis, lanceolatis, lucidis (iuxta alios in Palaestina est sempervirens); atque a mense Martio ad Iunium usque fert flores in extremitate novorum ramorum positos. Magnae corollae, quinque petalis compositae ac fere campanuliformae rubro colore inter folia elucentes arborem reddunt ex omnibus pomiferis pulcherrimam (cf. Cant. 6,10; 7,12). — Pulchritudine fructus quoque excellunt, qui aurantii formam et ordinarie etiam magnitudinem habent et calice persistente coronantur. Maturescunt prima poma mense Iun.-Iul., messis vero non est ante Sept.-Oct. Componitur malum punicum plurimis (ad 100) granis (hinc lat. malograna tum), pulposis, purpurei coloris, quae singula semina includunt. Haec involuta sunt flavescentibus membranis, quae integrum malum in duos ordines superpositos et hos in 8 (3 + 5 cellulas dividunt. Totum vero includitur cortice coriaceo saporis adstrictorii, fulvi vel fusci coloris, saepe rubescentis. Malograna tum maturum largis fissuris longitudinalibus dehiscit, ita ut grana purpurea turgescentia appareant. Tali fissurae (פֶּלַח) genae (vel tempora) sponsae comparantur (Cant. 4,3 Vulg. *fragmen*, ib. 6,6 Vulg. *cortex*, id quod LXX utroque loco exprimunt : λέπυρον); sed alii aliter comparationem hanc intellegunt. — Neque tamen malograna tum pulchritudine tantum delectabat, sed multiplicem quoque afferebat utilitatem (cf. Num. 13,23; 20,5; Deut. 8,8; Ioel 1,12; Agg. 2,20; Tob. 1,7 ℵ). Malograna torum duae varietates, acida et dulcia, coluntur; arborum vero agrestium poma acerba sunt, ita ut comedi non possint. Cultarum autem fructus, qui nunc quoque iucundam praebet refrigerationem, eo maioris aestimabatur, quia temporibus biblicis ignota erant in Palaestina aurantia. Mustum etiam ex eo parabatur (Cant. 8, 2), uti indicat nomen Gethremmon (Ios. 19,45; 21,24 ss.; 1 Par. 6,69) i. e. torcular malograna torum. Flores in arte tinctoria, cortex arboris et fructus in perficiendis coriis adhibentur; radicis cortex medicamentum contra taeniam praebet, quod iam veteribus notum erat.

Cf. *G. E. Post*, Flora of Syria etc. p. 319; *E. Boissier*, Flora orient. II. 736 ss.; *F. Niedenzu* ap. *Engler* u. *Prantl*, D. natürl. Pflanzenfam. III. 7, p. 22-25; *Leunis-Frank* Synops. d. Pflanzenk. II. 213; *C. Ritter*, Erdkunde XI. 549-561; *A. Griesbach*, D. Vegetation der Erde I. 307 s. 571 n. 62; *E. Bonavia*, Flora of the Assyr. Monuments, p. 12 s.; *F. Woenig*, Pflanzen im Alten Aegypten, p. 323-27; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées, p. 189-91; *V. Hehn*, Kulturpflanzen u. Hausthiere, p. 233-40; *W. M. Thomson*, The Land and the Book I. 284-86 et passim; *Anderlind*, Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XI. 1888, p. 91; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 386-87; *K. Furrer* ap. *Schenkel*, Bibel-Lexikon II. 532 s. v. Granatbaum; *O. Delitsch* apud *Riehm-Baethgen*, Handwörterb. des Bibl. Altertums I. 554b-555b s. v. Granatbaum; *E. Levesque* ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bibl. III. 337-41 s. v. Grenadier; *G. Wetzstein* ap. *Delitzsch*,

Hoheslied u. Koheleth, p. 437-39; *I. Löw.* Aram. Pflanzennamen, p. 310.

4. *Ratio artistica et religiosa.* Inde ab Assyrorum temporibus malogranatum varias artificibus praebuit formas ornamentales. Non solum arbor, interdum fructibus onusta, saepe in monumentis repraesentatur, sed ipse fructus in ornamentis adhibetur (cf. *Rawlinson,* The five great monarchies I 2. *ed.* 332). Non est igitur ratio, cur cum *Flinders Petrie* (ap. *Hastings*, Dict. of. the Bible I. 269 b s. v. Bell) ita interpretemur mala punica cum tintinnabulis alternantia in fimbria tunicae pontificalis, ac si esset lotus Aegyptiorum, cuius in ornamentis alternare solebant flores (= tintinnabula) et calyces (=mala punica). Idque eo minus quod Aegyptii quoque ac Phoenices malogranata ut ornamenta adhibuerunt (cf. *Woenig* p. 325 s.). — Qua ratione disposita fuerint quadringenta malogranata in capitellis columnarum Jachin et Booz viri docti disputant (cf. *Stade*, Gesch. d. Volkes Israel I. 332 et *Levesque* ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 341 s.). In arte textili nunc quoque malum punicum frequens est ornamentum.

Ab arte ad religionem facilis est apud antiquos transitus. Apud Assyros praeter palmam malus quoque punica praebebat formam « arbori vitae ». Tribuerintne Iudaei ornamentis illis sacris significationem symbolicam ignoramus. Philo malogranata in veste sacerdotali interpretatur aquam, cum totus ornatus universum repraesentare videatur (De Vita Mosis II. 119-121, *ed. Cohn-Wendland* IV. 227 s. et De Monarch. II. 6, *ed. Mang.* II. 226 s.), Iosephus fulgura (Ant. III. 7,7 *ed Niese* I. 184). Dubium est an frequens usus mali punici in Cant. sapiat allusionem ad significationem illam, quam antiqui vulgo malogranato tribuebant quaeque in omnes fere mythologias invecta est : fertilitatem, vitam eiusque productionem. Erat quippe sacrum diis et deabus fertilitatis, maxime Veneri, sed et Iunoni, tum apud Phoenices tum apud Graecos et Romanos. Eamdem fere significationem habet in mythis de Adonide, Attide, Baccho, Proserpina.

Doctores mishnici plurimas de malogranato leges proponunt, quae partim communes sunt ei cum aliis magni momenti fructibus, velut de benedictionibus (Berach. 6,8 — *Surenh.* I. 23), de anno septimo (Sheb. 7,3 — *Surenh.* I. 182), de decimis (Ma'as. 1,2 — *Surenh.* I. 246), de primitiis (Bikk. 3,1 — *Surenh.* I. 329) etc. Proprium vero est malogranato quod ut mensura vasorum adhibetur (Kel. 17,1. 1. 4. 5 — *Surenh.* II. 86-88). Notatu dignum quoque est, agnum paschalem, ut assaretur, transfigendum fuisse veru de ligno malogranati (Pes. 7,1 — *Surenh.* II. 158).

Cf. *E. Bonavia,* The flora of the Assyrian monuments p. 12 s., 55-58. 126; *F. Woenig,* D. Pflanzen i. alten Aegypten p. 244. 323-27; *P. Scholz,* Goetzendienst u. Zauberw. b. d. alten Hebräern p. 145. 296. 336; *V. Hehn,* Kulturpfl. 6. *ed.* p. 233-36; *O. Celsius,* Hierobot. I. 271-80; *Levesque* ap. *Vigouroux,* Dict. de la Bible III. 339-42.

H. J. CLADDER.

MALUM v. PECCATUM.

MALUM, MALUS. 1. *Textus S. Scripturae.* Pluribus locis in Cant., semel in Prov., semel apud Ioel occurrit nomen arboris vel fructus eius תַּפּוּחַ, quod Vulgata reddit *malum* (etiam Ioel 1,12 ubi de arbore sermo est; sed Cant. 2,3 arbor vocatur *malus*), LXX μῆλον. Iuxta Ioel est de numero communium utilissimarumque arborum fructiferarum Palaestinae, id quod confirmatur compluribus locorum nominibus inde petitis : inter reges a Iosue occisos legitur rex *Taphua* unus (Ios. 12,17); *Taphua* unum situm est in tribu Iuda (Ios. 15,34), alterum in finibus Ephraim et Manasse (Ios. 16,8; cf. 17,7 s. *En-Taphua*), denique commemoratur *Beth-Taphua* in finibus Iuda (Ios. 15,53). Inter filios quoque Hebron e genere Caleb unus dicitur *Taphua* (Par. 2,43 — vide s. vv.). — Sicut sponsa comparatur lilio inter spinas, ita dilectus eius inter filios est sicut *malus* inter ligna silvarum (Cant. 2,3); alta est arbor illa, ita ut sub umbra eius sponsa sedeat (ib. — cf. 8,5); dulcis est fructus eius (2,3), atque fragrantiae eius assimilatur odor oris

vel potius naris sponsae (7,8 — cf. 2,5); aspectus autem fructus talis est, ut dicatur : mala aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore suo (Prov. 25,11). Quo in loco multi, ex veteribus maxime (*Celsius*) vix recte de malo arte ex auro confecto cogitant. — Quae est ista arbor, quisque fructus?

2. *Nomen.* Licet plerique (*Gesenius-Roediger*, *Levy*, Wörterb. üb. d. Targumim, *de Lagarde*, *Siegfried-Stade*, *Hommel*, *Brown-Driver-Briggs*) תַּפּוּחַ derivatum velint a verbo נָפַח = *exspirare* sc. odores, alii (*Fürst-Ryssel*, *Löw*, *Levy*, Wörterb. üb. d. Talm. u. Midr.) secuti usum Rabbinorum, illud a תָּפַח vel etiam נָפַח (non פּוּחַ) = *inflare*, tumorem producere, hinc rotundum reddere repetunt. Utramque rationem in malo olim a populo perceptam fuisse non est dubium, utra vero etymologia vulgaris tantum fuerit decidi vix potest. Textus biblici imprimis fragrantiam mali efferunt (Cant. 2,5; 7,8); apud posteriores vero frequenter forma rotunda extollitur (v. ap. *Buxtorf*, *Levy*, *Löw*). — Idem nomen quod Hebraei adhibebant, apud Arabes quoque in usu est : *tuffāḥ*, quod iuxta *Abu-l-Khaṭṭab* (ap. *Lane*) derivatur a *tufḥatun* = fragrantia; nihilominus nomen transfertur ad designandas res rotundas minime fragrantes. Nec videtur vox arabica ex aramaico petita (*Fraenkel*), cum ipsa non sit aramaica (*Lane*, *Löw*). Non improbabiliter vero *Vullers* censet nomen linguae Zend *tūpā* cum arabico cohaerere; ac fortasse *Pictet* (ap. *Schegg*) recte iudicavit ipsum quoque persicum *sēb* semiticae originis esse, praesertim cum altera exstet forma *teb*. Sine dubio Aegyptii antiquitus, forte cum fructu, et nomen a semitis acceperunt; scribitur hieroglyhice : *dpḥ*, demotice : *dpḥ*, coptice : *dshepeḥ*, *dshempheḥ*. — Aramaicum nomen est חֲדוּר, licet Targum Cant. 2,5; 7,9 nomen hebraicum retinuerit; aramaicum idem est ac armeniacum : *Xndzor* (*Kenzor*). De etymologia vero חֲדוּר eadem dissensio atque de תַּפּוּחַ redit, cum *Levy et Löw* primam significationem faciant esse : *sphaerula*, *Hommel* vero nomen derivare conetur a verbo חנד *fragrare*, quod responderet arab. *ḫanaza* = foetere. *De Lagarde* et *Hübschmann* armeniacae origini vocis favent.

Cf. praeter Lexica : *I. Löw*, D. aram. Pflanzennamen n. 109 p. 155; *P. de Lagarde*, Uebers. üb. d. Bildung d. Nomina p. 111. 129; *S. Fraenkel*, D. aram. Fremdw. im Arab. p. 140; *Fr. Hommel*, Aufs. u. Abh. 23. 106-07; *H. Brugsch*, D. Aegyptol. p. 395 s.; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 236; *H. Hübschmann*, D. semit. Lehnw. im Altarm. in Ztschr. d. D. Morg. Ges. XLVI. 1892, 238 n. 44; *G. Hoffmann*, Versuche zu Amos in Ztschr. f. d. atl. W. III. 1883, 124.

3. *Opiniones interpretum.* Apud doctores mishnicos, secundum *Löw* תַּפּוּחַ semper significat nostrum malum, cum vel cydonium proprio nomine פֶּרֶשׁ ab eo distinguatur. Similiter, iuxta *Post*, nomen arabicum tiffāḥ minime ambiguae significationis est. Sed alii aliter. Ita *de Lagarde* dicit et תַּפּוּחַ et tuffāḥ designare quemvis fructum fragrantem. — Revera Targum in Cant. 2,3 malum citream (אתרוגא) substituit (male *Levy* aliique hoc vertunt : aurantium). Et ex altera parte nomen חֲדוּר adhibent Targumim et Peshitta etiam pro sphaerulis (Ex. 25,31 ss.; 37,17 ss. — hebr. כַּפְתֹּר quod videtur *Hoffmann* idem nomen ac syriacum כַּמִּתְרָא = pirus. — Cf. praeterea : Am. 9,1 Pesh.; Ex. 28,34 Targ. hier.); Rabbinis teste *Levy* est etiam malum punicum (cf. *Flav. Ios.* Ant. III. 6,7). Non videntur ergo veteres haec omnia semper accurate distinxisse. — Ad eamdem conclusionem facit, quod et Syri (cf. *Payne Smith*) et Arabes (cf. *Freytag*) varia pomorum genera ita designant, ut nomini universali *mali* addant specificativum : medici, persici, armeniaci etc., atque Syri vel cucumerem et caput papaveris malum vocant. Hinc prorsus eodem modo se habent ac Latini et Graeci. Ipsi quoque sub nomine *mali* μῆλον, comprehendunt etiam cydonium, ac, postquam innotuerunt, medicum (= citreum), persicum, armeniacum. Haec omnia ab auctoribus eodem modo connu-

merantur atque ea, quae apud nos quoque varia mali genera dicuntur (cf. e. gr. *Macrob.* Saturn. II. 15). *Malum* quippe iis erat omne pomum, quod foris habeat, quod esui est, et durum intus includat; in oppositione ad *nuces*, quae foris duro tegantur et intus habeant, quod esui est (cf. Macrob. l. c.). Similis classificatio pomorum apud veteres Persas invenitur in Bundehesh c. 27, quam saec. 11. alphabetum Ben Sira hebraice reddidit (cf. *Löw*, Ar. Pflanzennam. p. 2-4); 10 distinguuntur fructus, qui integri comeduntur, 10 quorum pars exterior, 10 quorum interior pars esui est. Speciminis gratia hic addatur Gen. 30,14, quo loco LXX mandragoras — hebr. דּוּדָאִים reddunt : μῆλα μανδραγόρου, eodem modo quo Syrus in versione Galeni procedit. Etiam sine ullo addito *malum* apud classicos designat alios fructus e. g. cydonium *Virg.* Ecl. 2,51. Quae cum ita sint, veterum versionum auctoritas non videtur tuto invocari posse, ut probetur תַּפּוּחַ esse *malum* nostro sensu acceptum, non vero e. g. cydonium. Id quoque notemus, hanc generaliorem significationem vocis aliquatenus favere ei etymologiae, quae non a fragrantia, sed a forma sphaerica nomen תַּפּוּחַ et similiter nomen חַדְרֵר derivat.

A ss. Patribus nemo expectabit definitionem arboris, cum imprimis in exponendo Cantico toti sint in allegoriis et applicationibus concinnandis. Quod vero Rufinus, commentariorum Origenis in Cant. interpres, pro arbore mali, quia fere arbor mala sonat, arborem *meli* vel *meliam* substituit, ut nomen latinis quoque magis notum, unice fere historiographi posterioris latinitatis interest (*Migne* P. G. 13,151 A ss.). Pluries tamen apparet, eos intellexisse malum sensu magis generico, cum sc. quibusdam locis nomen specificum addunt. Ita in Cant. 7,8 commentarius qui sub nomine *S. Gregorii* traditur (*Claudii*) ad vocem *mala* addit : Mala punica, de quibus superius tam saepe dictum est, hic rememorantur (*Migne* 79,536 D). Similiter *Psellus* Cant. 2,3 velut μῆλον clare

describit malogranatum (*Migne* 122,573 C). Alios *Corn. a Lapide* commemorat. Arabicae autem versionis editionem, quae ut vult idem auctor Cant. 2,3 pro malo substituat malogranatum, inveni nullam. — Etiam posteriores interpretes malum vel intellegunt sensu generico, ut ipse *a Lapide* (in Cant. 2,3 initio), *Calmet* (in Cant. 2,5); vel de aliis a nostro fructibus sumunt, ut idem *Calmet* de aurantiis (in Prov. 25,11), vel citreis (Dict. S. Script. s. v. *pomum*). Similiter *H. Grotius* (Annot. in Cant. 2,5) cogitat de malis « nempe punicis aut similibus »; *Clericus* quoque textum Prov. 25,11 interpretatur de citreis vel aurantiis. *Ursinus* (in *Arboreto biblico* p. 404-24) omnia comprehendit malorum genera; *Hillerus* (in Hierophytico p. 118) de malo sensu nostratium loquitur. — Maior etiam diversitas opinionum viget apud recentiores. Alii enim defendunt תַּפּוּחַ esse malum sensu stricto, e. g. *Robertson-Smith, O. Delitsch, Post, Fonck, Socin;* alii malum cydonium, e. g. *Celsius, Rosenmüller, Houghton, Thiselton-Dyer, Knowlton;* alii citreum, e. g. *Carpenter;* alii aurantium, e. g. *Furrer;* alii armeniacum, e. g. *Tristram*. Plures utique haesitanter loquuntur, alii opinionem suam pro certa habent.

Cf. praeter auctores antea laudatos : *F. Olck* ap. *Pauly-Wissowa*, Realenc. d. klass. Altert. I. 2700-08; *O. Celsius*, Hierobotanicon I. 254-67; *G. E. Post* ap. *Hastings*, Dict. of the Bible I. 128 s. v. Apple; *W. T. Thiselton-Dyer* ap. *Cheyne and Black*, Enc. Bibl. I. 267-69 s. v. Apple; *F. H. Knowlton* ap. Jew. Encycl. II. 24 s. s. v Apple-Botanical View; *W. Carpenter*, Script. hist. nat. ap. *Migne*, Script. S. Curs. compl. III. 567-70; *K. Furrer* ap. *Schenkel*, Bibel-Lex. I. 152 s. v. Apfelbaum; *H. B. Tristram* ap. *Smith and Fuller*, Dict. of the Bible I. 1. *ed.* 2, 204 s. s. v. Apple-tree et eiusdem The nat. hist. of the Bible 8. *ed.* 334 s.

4. *Pirus malus L.* Cum traditio per se non solvat quaestionem, quaenam arbor veniat nomine תַּפּוּחַ, solutio petenda est ex qualitatibus arbori vel fructui eius tributis, comparata indole ipsarum arborum earumque historia. Ipsa

quidem arbor dicitur alta et umbrosa, ita ut sedeatur sub ipsa (Cant. 2,3; 8,5); ac pertinet ad communes arbores fructiferas (Ioel 1,12). Fructus vero eius dulcis est (Cant. 2,3) et excellit fragrantia (Cant. 7,8); animus deficiens odore eius reficitur (Cant. 2,5). Aspectu vero talis est, ut auro comparari possit (Prov. 25,11). Ab antiquissimis autem temporibus, ut docent nomina locorum (Ios. 12, 17; 15,34. 53; 16,8; 17,7 s.), in Palaestina inveniebatur haec arbor.

Concipi quidem potest variis locis varias designari arbores vel fructus; at praecipuae qualitates eodem versu (Cant. 2,3) exhibentur : arbor umbrosa, fructus gutturi dulcis. Quare, nisi pro aliquo textu aliud probetur, eadem ubique arbor supponatur oportet, saltem eadem secundum iudicandi modum veterum. Iam vero *aurantium* dulce, quod omnes alias haberet qualitates requisitas, ideo excluditur quia non ante saec. 16. ex Sina meridionali a Lusitanis in Europam et inde in Asiam anteriorem invectum est (*Hehn*). Quare ne *malum* quidem *aureum* (Prov. 25,11) cum *Delitzsch* (i. h. l.) intellegi potest de aurantio. Quodsi *Furrer* monet, solum aurantium ferre fructus (Cant. 2,3), quo tempore post pluvias flores in terra apparent (Cant. 2, 11), id quidem verum est; at nulla est ratio asserendi dulcem fructum eo tempore adfuisse. — Similiter reliquae arbores ex aurantieis excluduntur, quia una *citrus medica* L. veteribus circa annum 300 a. C. n. in Media et Perside innotuit, fructus vero mali medicae vel citreae non comedebatur (*Olck*). Huius ramos et fructus κίτριον (אֶתְרוֹגָא ap. Targumim et rabbinos) teste Ioseplio (Ant. XIII. 13,5 cf. Lev. 23,40 et s. v. ARBOR PULCHERRIMA) Iudaei iam tempore Alexandri Iannaei (103-76 a. C. n.) in festo tabernaculorum gestabant. — Circa idem tempus vel paulo post eademque fere ex patria atque citrus *malus armeniaca* (prunus armeniaca L.) quoque ad regiones occidentales pervenit una cum pruno persica L. (*Hehn*).

Ex omnibus igitur arboribus, quae nomine תַּפּוּחַ designari a diversis auctoribus dicuntur, non remanent nisi *cydonia* et *pirus malus*, quae maximum quoque numerum defensorum nactae sunt. Utraque nativa est in partibus septemtrionalibus Asiae anterioris, ac malus saltem inde a temporibus praehistoricis per regiones Europae quoque invenitur; cydonia saltem Graecis nota erat ante saec. VII. a C. n. Utraque in Palaestina invenitur. Fragrantia certe cydonia vincit malum, quod tamen et ipsum ob suavitatem odoris a Palaestinensibus et Arabibus magni aestimatur. At cydonium, cum acerbum sit nec nisi cum saccharo decoctum comedatur, nullo modo vocari potest dulce gutturi. Non enim dulcedo metaphorice sumenda est de amore, cum ipse sponsus ideo comparetur malo, quod eius fructus dulcis sit. Nec solvitur haec difficultas, si recurritur ad diversorum populorum diversum gustum, et dulcis dici contenditur omnis res grata (*Houghton*); aut si quis provocat ad *Tavernier*, qui in Arabia felice prope Vodanam invenerit cydonii varietatem, quae non sit acerba et comedatur ut malum (*Celsius*, *Rosenmüller*). Denique id quoque notandum cydoniam arbustum potius dicendam esse quam arborem; nec probabile esse eam haberi inter arbores utilissimas et communissimas, ut supponunt tum nomina locorum frequentia, tum connumeratio cum vite et palma (Cant. 7,8) et cum vite, ficu, palma, malogranato (Ioel 1,12). Id unum relinquitur, *cydoniam*, cum aliud eius nomen in S. Scriptura non occurrat, cum malo uno comprehendi sub nomine.

תַּפּוּחַ igitur nil aliud erit generatim nisi *malus;* quin omnes loci S. Scripturae aptissime intelleguntur de ea. Nobilis enim et umbrosa arbor est et summae utilitatis; fructus eius est dulcis simul et fragrans. Non vero necessarium est, fragrantia illud superare omnes alios fructus, praesertim cum propter suavem odorem et a Palaestinensibus huius temporis magni aestimetur (*Post*) et a poetis Arabibus canatur. — Seria tamen difficultas est, quae maxime rei botanicae peritos impedivit, quominus malo hunc locum concederent. Non solum enim malus generatim

caelum frigidius palaestinensi requirit, sed etiam constat revera fructus malorum palaestinensium europaeis comparatos insipidos esse dicendos. Certum igitur est malum non esse arborem illic nativam; et, dum cydonia saltem in Tauro monte spontanea crescit, ipsa malus nonnisi in parte septemtrionali Asiae minoris est arbor silvestris, per Syriam et Palaestinam vero ex cultura orta est. In Libano, Antilibano, Damasci, etc., nunc est frequentior, invenitur tamen per omnes Palaestinae partes ad Ascalonem usque (*Thomson, Furrer*), Gazam (*Belon* ap. *Ritter*), et *Kerak* Moabitidis (*Seetzen* ap. *Ritter*). Quodsi mala palaestinensia nobis minus sapiunt, cum habeamus meliora, considerandum erit veteribus fructus multo pauciores notos fuisse; quare etiam mala minus bona illis poterant videri optima. Certe in Mishna (Kil. 1,4, Ma'as. 1,2. 34) תַּפּוּחַ aliud est ac cydonium, et vix cogitari potest fructus praeter malum. De malo etiam Iosephus, non de cydonio (Ant. XVII. 7).

Cf. *V. Hehn,* Kulturpfl. *ed.* 6. p. 415-18; 429-39; *F. Olck* ap. *Pauly-Wissowa,* Realenc. III. 2612-21 s. v. Citrone; *A. de Candolle,* Origine des plantes cult. p. 139-49; 171-74; 186-89; *A. Engler* ap. *Engler* u. *Prantl,* D. natürl. Pflanzenfam. IV. 195-99; *W. O. Focke,* ibid. III. 22. 24 et 52; *O. Celsius,* Hierobotanicon I. 245-67; *N. M' Lean* et *W. T. Thiselton-Dyer* ap. *Cheyne and Black,* Enc. Bibl. I. 267-69, s. v. Apple; *Kaufmann Kohler* et *F. H. Knowlton,* ap. Jew. Encycl. II. 22-25 s. v. Apple; *G. E. Post,* Flora of Syria, etc. p. 199. 309 s.; *E. Boissier,* Flora orient. I. 943, II. 652 s.; *C. Ritter,* Erdkunde XVI. 51. 168. 481. 579. 628. 799; *K. Furrer,* Wanderungen 2. *ed.* p. 154; *W. M. Thomson,* The Land and the Book passim.

5. *Malum paradisi.* Fructus vetitus paradisi qualis fuerit S. Scriptura quidem tacet. At communissime et ab antiquissimis temporibus *malum* fuisse dicitur. Orta videtur haec opinio ex interpretatione Cant. 8,5 : *Sub arbore malo suscitavi te : ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Mater enim intellegebatur *Eva.* Iam Aquila ita concepit textum, qui pro ὠδίνησέ σε (LXX) legit : διεφθάρη (*Field,* Hexapla II. 423[a]). Eodem modo S. Hieronymus vertit : *corrupta est... violata est.* Multi etiam posteriores hanc interpretationem de pomo vetito admittunt (cf. *Corn. a Lapide,* Syn. crit. sacr. i. h. l.).

H. J. CLADDER.

MAMBRE. 1. Mambre (מַמְרֵא, Μαμβρῆ) Amorrhaeus; ipse et eius fratres Eschol et Aner cum Abraham foedere iuncti erant eumque in persecutione exercitus Chodorlahomor adiuverunt (Gen. 14,13. 24). Ab ipso nomen habet convallis Mambre in (finibus) Hebron, quam Mambre Abrahae ad tabernacula figenda commisit (Gen. 13,18; 14,13; 18,1); textus hebraicus fert אֵלֹנֵי מַמְרֵא i. e. *quercus* (forma pluralis) *Mamre* seu *quercetum;* LXX formam singularem praebent ἡ δρῦς ἡ Μαμβρῆ, *quercus Mambre;* Vulgata autem convallem reddidit fortasse propter 37,14 : vallis Hebron, vel etiam propter additamentum LXX 23,2 : ἥ ἐστιν ἐν τῷ κοιλώματι et Samaritani אל עמוק post *civitatem Arbee.* Ipsa quoque urbs Hebron appellatur Mambre (23,19; 35,27). E regione seu contra faciem Mambre erat duplex illa spelunca (הַמַּכְפֵּלָה, τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν), quam Abraham ab Ephrone Hethaeo quadringentis siclis argenti sibi acquisivit et in qua Abraham, Isaac, Iacob, Sara, Rebecca, Lia sepulcra sua accipiebant (23,17; 25,9; 49,30; 50,13).

Teste Flavio Iosepho (Bell. iud. IV. 9,7) sexto ab urbe stadio terebinthus maxima et antiquissima cernebatur et in ipso oppido cernebantur patriarcharum monumenta pulcherrimo exstructa marmore et opere elegantissimo. Itinerarium Burdigalense (anno 333 p. Chr.) terebinthum Abrahae ponit 8 mil. pass. a Bethasora (Bethsur) meridiem versus, 2 mil. pass. a Hebron septemtrionem versus (cf. *Tobler et Molinier,* Itinera latina I. p. 19. 20). Hodie ostenditur quercus (vel ut quidam minus recte loquuntur : terebinthus) Abraham dimidiae fere horae intervallo a Hebron inter septemtrionem et occidentem, arbor antiquissima, in peripheria inferiore 10 m habens, iam saeculo 16. communiter

nota; quodsi ibi quercetum Mambre fuisse supponitur, recte dicitur oppidum Hebron (cum sepulcris patriarcharum) esse e regione seu contra faciem Mambre.

Attamen probabilius quercetum Mambre ibi erat, ubi hodie cernitur sanctuarium Abraham *Ḥarām Rāmet el-Khalīl* circiter 4 km aquilonem versus ab urbe Hebron (*el-Khalīl*).

Cf. *Robinson*, Pal. I. 358; *F. de Saulcy*, Voyage en Terre Sainte I. 150; *V. Guérin*, Judée III. 267-284; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 II. 99 ss.; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 160; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 625-35.

2. Mambre torrens (Iudith Vulgata 2, 14; LXX 2,24 ἐπὶ τοῦ χειμάρρου Ἀδρωνᾶ) in Mesopotamia. Cum huius nominis torrens non exstet, *Movers* (Bonner Zeitschr. XIII. 38) suspicabatur genuinam lectionem fuisse בעבר חנהר *trans flumen* scil. Euphraten, cuius in eodem versu mentio facta est; huic coniecturae etiam favet contextus, qui flumen principalius, non torrentem exiguum videtur postulare. Aliis (*Grotius; Wolff*, Das Buch Iudith p. 101; *de Moor*, Le livre de Iudith 1895 p. 42; *Riess*, Bibel-Atlas; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. p. 116) Abronas est Chaboras Graecorum, qui Mesopotamiam permeat et in Euphraten influit, nunc *Khābūr* (vide s. v. HABOR).

MAMBRES vide s. v. IANNES.

MAMMONA (μαμωνᾶς, μαμμωνᾶς), vox petita ex aramaico מָמוֹן, מָמוֹנָא, substantia, opes, divitiae. Cf. *Buxtorf*, Lex. chald. talm. rabb. c. 1217; *Payne Smith*, Thes. syr. II. (1901) col. 2149-50; *Levy*, Neu-Hebr. u. Chald. Wörterbuch III. (1883) p. 138. 139; *E. Kautzsch*, Gramm. des Bibl.-Aram., Leipzig 1884, p. 11; *G. Dalmann*, Gramm. des *jüd.-pal.* Aram., Leipzig 1894, p. 135. Etiam apud S. Augustinum legitur : lucrum punice mammon dicitur (De serm. Dom. in monte 2,14; apud *Migne* 34, 1290 et cf. 35,1349; 36,620; 38,648). De etymo vocis agit *P. de Lagarde*, Mittheilungen I. p. 229; Bildung der Nomina p. 185; admittit quoque מֵימוֹן. Alii vero geminationem litterae m in multis editionibus graecis falsam esse censent, ut *E. Nestle* apud *Cheyne*, Encycl. bibl. III. (1902) col. 2913.

Consideratur mammona quasi idolum : non potestis Deo servire et mammonae (Matth. 6,24; Luc. 16,13); nam avaritia, qua totus animus occupatur, est docente Paulo idolorum servitus (Col. 3,5); si scil. *servitur* divitiis et si quis est *servus* illarum, hoc repugnat servitio Dei; non repugnat habere divitias, ut S. Hieronymus (ad h. l.) monet. Dicitur Luc. 16,9 mammona iniquitatis, 16,11 iniquum mammona, quia divitiae facile animos obstringunt, sunt adminicula voluptatum, iniquitatis, et haud raro collectae non sine iniquitate. Ipso hoc nomine innuit Christus periculum quod in iis lateat; « nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem » (1 Tim. 6,9).

MAMUCHAN (מְמוּכָן, ὁ Μουχαῖος), unus ex septem principibus in aula Assueri regis, qui nomine reliquorum regi consuluit, ut Vasthi reginam repudiaret et ea de re edictum promulgaret (Esth. 1,14. 16. 21).

MAMZER (מַמְזֵר) etymologice explicari solet spurcities, concr. spurcus, inde spurius i. e. ex prostibulo, adultera vel ex incestu prognatus (*Gesenius*, Thesaurus 781). Legitur Deut. 23,2 : non ingredietur mamzer in ecclesiam Dei usque ad decimam generationem (hebr. etiam decima generatio non intrabit in ecclesiam Iahwe). LXX explicant vocem de notho, spurio, ἐκ πόρνης; item S. Hieronymus : de scorto natus. Vertitur vox Zach. 9,6 LXX ἀλλογενεῖς, in Vulgata separator. Apud rabbinos vox etiam de spurio, notho explicatur (cf. *J. Levy*, Chald. Wörterbuch, Leipzig 1881, II. 43. 44); immo Iudaei quandoque nomen hoc contumeliose de Iesu Christo usurpant (cf. *Buxtorf*, Lex. chald. talm. rabb. col. 1184). Aliter vocem nuper explicavit *F. de Hummelauer*, scil. significari Philisthaeum; legem enim

illam Deut. 23,2 refert ad tempus Iudicum (Samuelis), quo Philisthaei infensissimi erant populo israelitico (cf. Comment. in Deut. p. 403). Quae contra hanc explicationem obiici possunt, exponit *Lesêtre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 637-8.

MAN v. MANNA.

MANAHAT, MANAHATH. 1. Manahat (מְנַחַת, Μαναχάθ), filius Sobal filii Seir Horraei (Gen. 36, 23); idem 1 Par. 1,40 scribitur Manahath (Μαχανάθ). Ad eum referri posse nonnullis videbatur Menochia in Edom (cf. Notitia Dignitatum *ed. Böcking* I. 79. 343) et Μουνυχιᾶτις ad occidentem Petrae (*Ptol.* V. 17,3 [*ed. Müller-Fischer* 16,3]). De Munychiati adnotat recentissimus editor Geographiae Cl. Ptolemaei *C. Th. Fischer* (Parisiis, *Firmin-Didot* p. 995) : « Quod nomen haud scio an referendum sit ad eam Arabum gentem, quam *el-Menādje* vocari *Seetzen* (Reisen *ed. Kruse* III. 102) testatur, praesertim cum mons quidam *Feirūn* valli superimminens *Menādja* etiamnunc appelletur (v. *Burckhardt*, Travels in Syria p. 612). Carolus Müller Ἀμαληχῖτις scribi voluerat, certe Amalechitas in hoc tractu olim habitasse novimus ».

2. Idem nomen in genealogia Iuda tribuitur generationi bipartitae, cuius prior pars (חֲצִי הַמְּנֻחוֹת, Vulg. Dimidium requietionum, LXX Αἱσὶ καὶ Ἀμμανίθ) ad Sobal Calebitam reducitur, altera pars (חֲצִי הַמְּנֻחָתִי, Vulg. Dimidium requietionis, LXX ἥμισυ τῆς Μαλαθί) ad Salma Calebitam (1 Par. 2,52. 54). Emendatione adhibita interpretatur *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 196-7) : mons dimidium areae sacrae et dimidium areae sacrae inferius (vel si mavis : dimidium areae sacrae Saream respiciens vel attingens) et addit : « Quo tempore igitur 1 Par. 2, 50-55 scribebantur, arca suam requiem seu stationem habebat in finibus Iudaeorum prope Cariathiarim, cuius duae erant partes, *mons*, in quo sine dubio erectum erat tabernaculum, et *vallis*. Ille erat in finibus Sobalitarum, haec in finibus Salmaitarum ». Idem auctor in Comm. 1 Par. interpretatur 2,52 : mons dimidium areae sacrae, 2,54 : incolae dimidiae areae sacrae Soreitae (Ios. 15,59 cod. A Σωρεις = *Sārīs*); cf. s. v. THOBES.

3. Manahath (מְנַחַת, Μαχαναθί), urbs vel regio, ad quam aliquae cognationes beniaminiticae ex Gabaa (Geba) a Beniaminita Gera captivae abductae sunt (1 Par. 8,6). Quando et cur hoc factum sit, ignoramus. Neque constat urbem vel regionem esse beniaminiticam. Coniiciunt eandem esse ac Manocho (vide s. v.) in quinta provincia montis Iuda neque quidquam obstare videtur, quominus componatur cum MANAHATH 2.

MANAHEM (מְנַחֵם i. e. consolator, Μαναήμ), rex Israel. Erat filius Gadi de Thersa, praefectus militiae in exercitu Zachariae regis Israel (*Flav. Ios.* Ant. IX. 11, 1). Zacharia a Sellum interfecto Manahem Samariam profectus usurpatori regnum vitamque eripuit, deinde Thapsam (vide s. v.) crudeliter percussit et decem annis Samariae regnavit. Statum miserrimum, in quo regnum Israel tum versabatur, factionum dissensiones, lites, neces, rapinas, furta, adulteria describunt prophetae illius temporis, imprimis Osee cap. 4-14. Unde mirum non est, quod hostes quoque externi contra regnum Israel magis magisque praevaluerint. Phul, rex Assyriorum, terram Israel ingressus mille talentis argenti acceptis regnum Manahem firmavit, qui ad solvendam istam pecuniam singulis potentibus ac divitibus 50 siclos argenti indixit. Ei successit Phaceia filius eius (4 Reg. 15, 14-23; cf. 1 Par. 5,26).

In inscriptionibus cuneiformibus Theglathphalasar III., qui idem est ac Phul, inter tributarios regis memoratur *Mi ni hi im mi Sa mi ri na ai* i. e. Manahem de Samaria. Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 244; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 III. p. 514.

MANAHEN (Μαναήν), unus ex prophetis et doctoribus in ecclesia antiochena, collactaneus (σύντροφος) Herodis tetrarchae (Luc. 13,1), qui est Herodes Antipas, filius Herodis Magni.

Probabiliter, ut censet *Knabenbauer*, ipso modo enumerationis duo ordines videntur distingui : Barnabas, Simon, Lucius prophetae, Manahen, Saulus doctores. Σύντροφος vel est una cum aliquo nutritus, collactaneus vel una educatus, contubernalis; utro sensu vox accipienda sit, non liquet. Manahen fuisse contubernalem Herodis tetrarchae putant *Oecumenius*, *Theophylactus*, *Caietanus*, *Beelen*, *Patrizi*, alii; alii vero notionem collactanei praeferunt. Probabile est hunc Manahen esse sobolem illius Esseni, de quo *Flav. Ios.* Ant. XV. 10,5.

MANAIM (Ios. 13,26. 30; 21,37; 3 Reg. 4,14; 1 Par. 6,80) v. MAHANAIM.

MANASSE, MANASSES (מְנַשֶּׁה, Μανασσῆ, Μανασσῆς).

1. Manasse, filius primogenitus Ioseph patriarchae, in Aegypto natus ex Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos (Gen. 41,51; 46,20). Nomen Manasse (i. e. oblivisci faciens) exprimit gratiarum actionem pro beneficio accepto, ut verbis Ioseph indicatur : Oblivisci me fecit (נַשַּׁנִי) Deus omnium laborum meorum et domus patris mei. Eius frater natu minor erat Ephraim; uterque ante septem annos famis genitus est (Gen. 41,50). Verum Manasse maior natu benedictione primogenito debita orbatus est, cum Iacob senex Ephraim et Manassen in filios sibi adoptaret et invito Ioseph filium natu minorem maiori praeferret, videlicet commutatis manibus dexteram illi imponens, qui a sinistra adstabat, sinistram illi qui a dextera adstabat (Gen. 48, 1-20); unde superioritas illa praesignatur, qua Ephraimitae Manassitas antecessuri erant. De familia Manasse Gen. 50,22 (hebr. 23) notatur filios Machir filii Manasse adhuc in genibus Ioseph natos esse. Genealogia Manasse traditur Ios. 17,1 ss.; Num. 26,28-33; 1 Par. 7,14-19 (et cf. 2,21-23). Ex quibus textibus *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 176-180) hanc probabilem eruit Manassaeorum genealogiam :



2. Manasse tribus Israel. Dimidia tribus Manasse una cum Ruben et Gad possessionem accepit in terra transiordanica seu orientali (Num. 32,33; 34,14; Deut. 29,8; Ios. 12,6; 14,3; 18,7), altera autem dimidia pars cum reliquis novem tribubus in terra cisiordanica (Ios. 14,4).

Termini Manasse transiordanicae indicantur Deut. 3,13. 14. 15 et Ios. 13,7 ss. et 13,29-31. Comprehendunt idem territorium, quod ante occupationem israeliticam Amorrhaeus Og rex Basan obtinuerat scil. terram Basan (vide s. v.) et dimidiam partem Galaad, quae inter fluvios *Yarmūk* et Iaboc sita ad regnum quidem Og, non tamen ad terram Basan pertinebat. Terminum igitur australem

constituunt fines Gad seu Mahanaim a dextera regione torrentis Iaboc, occidentalem depressio Iordanis, quam Gaditae totam tenebant usque ad lacum Genesareth, deinde lacus Genesareth et Iordanis superior, septemtrionalem mons Hermon et planities damascena, orientalem montana Auran seu *Djebel Ḥaurān*. In hoc territorio urbes praecipuae erant Astaroth, Edrai, Golan seu Gaulon et praeterea aliqui tractus terrae proprio nomine insigniti scil. Machati et Gessuri prope montem Hermon, pagus Canath seu Chanath, circulus oppidorum Havoth Iair. Unicus fluvius maior est *Yarmūk* (Hieromax vel forte rectius Hiēromices), quo Basan a Galaad separabatur, in Iordanem incidens haud longe infra lacum Genesareth. Ulteriorem descriptionem vide s. v. BASAN et GALAAD 4. — Levitis de stirpe Gerson concessae sunt Ios. 21,6. 27; 1 Par. 6,62. 71 hebr. 6,47. 56 Gaulon seu Golan urbs confugii (Deut. 4,43) et Astaroth, pro qua Ios. 21,27 legitur Bosra.

Sors Manasse cisiordanicae describitur Ios. 17, 1-11; sed iam 16,1-4 Ephraim et Manasse per modum unius comprehendebantur eorumque terminus australis, qui utique est terminus australis Ephraim, non Manasse seorsim spectatae, describebatur et 16,9 notatum est Ephraim etiam in finibus Manasse urbes habuisse. Manasse cisiordanicam ab oriente attingebat Iordanis fluvius, a meridie sors Ephraim, ab occidente mare Mediterraneum, a septemtrione terminus Aser infra Carmelum descendens et potissimum sors Issachar. Confinia autem Ephraim et Manasse tantam fluctuationem admittebant, ut v. g. terra Taphua Manassitis, ipsa autem urbs Taphua Ephraimitis adscribatur (17,8 cf. text. hebr.). Manassitae quoque in Issachar et Aser urbes obtinebant chananaeas, ex quibus Chananaeos exterminare non valebant scil. in Issachar Bethsan, Ieblaam, Endor, Thenac (Thanac), Mageddo et in Aser Dor cum viculis suis (17,11-13). Sortem Manasse proprie dictam implent illa montana Ephraim, quae ab altioribus iugis tribus Ephraim paulatim ad planitiem Esdrelon demittuntur, praeterea planities Saron superior et colles Carmelo austrum versus adiuncti. Paucae tantum in hac sorte sunt urbes biblicae : Aser (*Teyāṣīr*), Thebes (*Ṭūbās*), Thersa (*Ṭallūza*), Dothain (*Tell Dōthān*), Caesarea (*Qaiṣāriye*). Ulteriorem descriptionem vide s. v. EPHRAIM 2 et 3 et SARON. — Levitis de stirpe Caath concessae sunt Ios. 21,5. 25; 1 Par. 6,61. 70 hebr. 6,46. 55 Thanach (vel forte Aner pro Thanach Ios. 21,25 legi oportet) et Ieblaam seu Baalam, pro qua Ios. 21,25 mendose legitur Gethremmon.

Historiam utriusque Manassitarum rami uno conspectu subiicimus. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Gamaliel filius Phadassur (Num. 1,10). Apud montem Sinai de Manasse numerabantur 32 200 viri bellatores (1,34. 35), qui numerus omnium erat infimus; sed in campestribus Moab, cum alter census fieret, iam ad 52 700 viros bello aptos excreverant (26,34) et solum a Iuda, Issachar, Zabulon, Dan, Aser superabantur. In castris Manasse cum Ephraim et Beniamin ad occidentalem plagam tabernaculi erat (2,20); eaedem tribus in ordine itineris tertio loco proficiscebantur (10,22-24; cf. Ps. 79[80],3). Oblationes Gamaliel principis Manasse in dedicationem altaris factae sunt die octavo oblationum (7,54-59) post oblationes filiorum Ephraim, quibus dies septimus obtigit. Inter duodecim exploratores terrae Chanaan de Manasse erat Gaddi filius Susi (13,12 hebr. 11), inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos Hanniel filius Ephod (34,23). In expugnatione terrae transiordanicae Manassitae praeclara facinora virtutis bellicae ediderunt (32,39-42), filii Machir in Galaad, Iair filius Segub in Galaad et Basan (v. IAIR 1), Nobe in Canath pago Auranitidis. Praeter hos duces bellicos Moyse adhuc superstite celebriores factae sunt filiae Salphaad, quae a Moyse impetrarunt, ut deficiente masculo herede ipsae patri succederent in hereditatem et alteri quoque legi ansam dederunt, ut filiae paternam hereditatem adeuntes suis tantum contribulibus nu-

berent, ne tribus et possessiones permiscerentur (27,1-11; 36,1-12). Sedibus in Galaad et Basan acceptis Manassitae transiordanici sicut Rubenitae et Gaditae fratres suos in terram cisiordanicam subigendam armati praecesserunt, finita autem terrae occupatione a Iosue ad sedes suas remissi sunt (Ios. 1,12 ss.; 4, 12; 22,1-34). Post ingressum in terram promissam Ioseph (Ephraim et Manasse) cum Simeon, Levi, Iuda, Issachar, Beniamin benedictionem in monte Garizim pronuntiarunt (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,12). Postquam tribus Iuda, Ephraim, Manasse primae inter cisiordanicas hereditatem suam ingressae sunt (Ios. cc. 15; 16; 17; 18), nexus intimior inter Ephraim et Manasse catenus mutationem subiit, quatenus Ephraim brevi principaliores partes agere coepit, ut diximus in historia tribus Ephraim.

Statim ab initio filiis Ioseph (Ephraim et Manasse) in terra cisiordanica magna certamina subeunda erant cum Chananaeo, ne tanta multitudo filiorum Ioseph artioribus limitibus circumscriberetur (Ios. 17,14-18); Chananaeos in Bethsan, Ieblaam, Dor, Endor, Thanac, Mageddo i. e. in finibus Issachar et Aser Manassitae non exstirparunt, sed tributarios fecerunt (Ios. 17,12. 13; Iud. 1,27. 28). In terra quoque transiordanica Manassitis proelia non deerant. Termini maxime septemtrionales Gessuri et Machati prope montem Hermon a Manassitis expugnari non poterant (Deut. 3,14; Ios. 13,13); immo Gessuritae aliique Aramaei pro aliquo tempore saltem occuparunt oppida Iair et pagum Canath (1 Par. 2,23). Praeclarissimus autem heros Manassitarum haud dubie est Gedeon, de familia Abiezritarum oriundus, quae primas sedes suas in sorte transiordanica habebat, sed natus in Ephra sortis cisiordanicae (v. ABIEZER 1 et EPHRA 1), quem in bellis contra Madianitas Manassitae cisiordanici strenue secuti sunt (Iud. 6,15. 35; 7, 23). Iephte quoque Manassitis transiordanicis accensendus videtur (Iud. 11,1 et v. *F. de Hummelauer* ad h. l.) neque distinctio quae Iud. 11,29; 12,4; Ps. 59 [60],9; 107[108],9 habetur inter Manasse et Galaad, contrarium probat. Inter habitatores Ierusalem 1 Par. 9,3 Manassitae quoque commemorantur, quem locum alii cum *Keil* et *Neteler* de tempore ante exsilium interpretantur, plerique autem de tempore post exsilium (*Sa, Mariana, Malvenda, Menochius, Tirinus, Bertheau, F. de Hummelauer*).

Davidi cum ante pugnam ad montem Gelboe ab Aphec tribus Issachar in Siceleg rediret, septem principes millium in Manasse, duces fortissimi se adiunxerunt (1 Par. 12,19. 20 hebr.; in Vulgata octo enumerantur nomine Ednae duplicato). Cum David in Hebron rex ab universis tribubus agnosceretur, de Manasse cisiordanica 18 000 viri nominatim designati aderant (1 Par. 12, 31), de Ruben, Gad et Manasse transiordanica simul sumptis 120 000 viri omnibus armis bellicis instructi (12,37). Iussu Davidis ministeria tum sacra tum civilia in Ruben, Gad et Manasse transiordanica procurabantur a 2 700 Hebronitis (26,32 et v. HEBRON 1). Circa idem tempus princeps Manasse cisiordanicae erat Ioel filius Phadaiae (27,20), transiordanicae Iaddo filius Zachariae (27, 21). Inter praefecturas salomonicas duae sunt, quibus variae urbes Manasse cisiordanicae accensentur, una cui trans Iordanem Havoth Iair, Argob, sexaginta urbes muratae parebant (3 Reg. 4,11. 12. 13).

Asa in Iuda regnante etiam de Manasse, sicut de Ephraim advenae in Ierusalem venerunt ad foedus theocraticum renovandum (2 Par. 15,9). Nexus aliquis Manassitarum orientalium cum regno Israel cernitur regnante Iehu, cum Hazael rex Syriae fines orientales Israelitarum Ruben, Gad, Manasse percuteret (4 Reg. 10,33) et regnante Ieroboam II., qui in censu filiorum Ruben, Gad, Manasse transiordanicae 44 760 bellatores numeravit (1 Par. 5,17. 18). Bellum quo Agareni (vide s. v.) cum Ismaelitis foedere iuncti a Rubenitis, Gaditis, Manassitis transiordanicis devicti sunt, describitur 1 Par. 5,19-22; quanto tempore ante invasionem Theglathphalasar hoc bellum fuerit, determinari nequit.

Praeterea 1 Par. 5,23-25 edocemur

de numerositate et expansione Manassitarum orientalium usque ad Baal Hermon, montem Hermon et Sanir (vide s. v. HERMON), de eorum principibus potentissimis, verum etiam de fornicatione cum diis gentium subactarum. In poenam idololatriae una cum Rubenitis et Gaditis a Theglathphalasar captivi in Assyriam abducti sunt (1 Par. 5,26). Ezechias rex ad Phase in Ierusalem celebrandum etiam Ephraim et Manassen (occidentalem) invitavit (2 Par. 30,1 ss.) et apud illos quoque idola demolitus est (31,1). Postmodum in urbibus Manasse idola subvertit Iosias rex (2 Par. 34,6) eique reliquiae de Manasse sicut de aliis tribubus pecunias ad templum instaurandum subministrarunt (34,9). Ulterior mentio Manasse fit Is.9,20; Ez. 48,4. 5; Apoc. 7,6.

In vaticinio Iacobaeo ad Manassen licet minus plene quam ad Ephraim referenda est benedictio illa longior et facundior Ioseph patriarchae, cuius progenies in duas tribus effloruit (Gen. 49,22-26); triplex benedictio Ioseph conceditur: numerosae prolis, victoriae de hostibus, affluentiae bonorum, et eius principatus inter fratres explicite commemoratur, attamen non promittuntur Iosephi florentes permansurae res usque ad Messiae adventum (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.). Eadem efferuntur in benedictione Moysis (Deut. 33,13-17), quae apte concluditur verbis: « Hae sunt multitudines (myriades) Ephraim, et haec millia (chiliades) Manasse ».

3. Manasses rex Iuda, filius Ezechiae regis et Haphsiba matris (4 Reg. 21,1; 1 Par. 3,13; 2 Par. 32,33). Annos duodecim natus patri in regno successit et 55 annis regnavit; verum quam maxime diversus erat a patre pio. Idololatriam enim, quam Ezechias tanto studio impugnaverat, ipse summa impietate et exercuit et alios docuit; non solum excelsa restituit et aras erexit Baal et Astarthes et adoravit militiam caeli, sed etiam ipsum templum Domini sacrilege profanavit exstructis in eo aris et in duobus atriis altaribus militiae caeli erectis. Filios suos praeterea lustratione impia idolis consecravit et omnia genera divinationum et auguriorum et incantationum sedulo exercuit (4 Reg. 21,2-6; 2 Par. 33,2-7). « Igitur Manasses reduxit Iudam et habitatores Ierusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel » (2 Par. 33,9). Non deerant quidem prophetae qui in nomine Domini impietatem regis arguerent et vindictam divinam annuntiarent; « locutus est Dominus ad eum et ad populum illius et attendere noluerunt » (l. c. v. 10). Insuper rex monitores molestos caedibus removit; « sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os » (4 Reg. 21,16). Cum itaque verba non proficerent, ventum est ad verbera; « idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum » (2 Par. 33,11). Ex inscriptionibus Asarhaddon regis Assur Manasses apparet inter 22 reges terrae *Khatti*, qui regi Assur solvebant tributum. Eius mentio pariter fit in inscriptionibus Asurbanipal, seu Sardanapalli, filii Asarhaddon et in regno successoris; eo tempore c. an. 648 Phoeniciae et Palaestinae reges foedere iuncti erant cum Sammughes, fratre Asurbanipal, qui contra regem Assur rebellionem movit. At Asurbanipal fratrem rebellem eiusque socios devicit; et ea occasione Manasses captus est et vinctus catenis atque compedibus ductus est Babylonem (2 Par. 33,11). Id quidem a multis rectene narratum esset in dubium vocatum est. At Asurbanipal in inscriptione refert de fratre *Samas-sum-ukin* rebelle, qui ad rebellionem seduxerit habitatores Akkad, Chaldaeae, Arumu, regionis maritimae etc.; dein narrat a se reges terreae Guti, regionis occidentalis (i. e. Phoeniciae, Palaestinae) etc. esse devictos; insuper Nechao vinctum ferreis catenis deportatum esse Niniven et postea in Aegyptum remissum (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 57 ss.; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6. IV. p. 94-98). Hisce satis confirmatur, quod 2 Par. legitur. Nam si Asurbanipal regem Aegypti catenis vinctum misit Niniven, regem rebellem Manassen certo non mitius adhibuit. Eum misit Babylonem, in quam urbem scil. ipse rex devicto

fratre, qui fuerat prorex Babylonis, secessit assumpto titulo regis Babylonis. Manasses autem ea punitione et captivitate ad meliorem frugem reductus est; « postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum et egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum » (2 Par. 33,12). Oratio eius est exaudita; licuit ei reverti in Ierusalem in regnum suum. Castigatione emendatus vestigia idololatriae removit, cultum Domini instauravit; urbem munivit exstructo muro extra civitatem David; principes exercitus constituit in cunctis civitatibus munitis Iuda (2 Par. 33,13-16). At quod pessimo suo exemplo nocuerat, id nequaquam emendata vitae ratione potuit auferre. Ea enim in populo permansit morum corruptio, ut propter peccata regis Deus induxerit mala super Ierusalem et Iudam, « et extendam super Ierusalem funiculum Samariae et pondus domus Achab et delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulae » (4 Reg. 21, 12. 13; Ier. 15,4). — Inter apocrypha fertur « Oratio Manassae regis Iuda, cum captus teneretur Babylone », quae conficta est ex verbis illis : « deprecatusque est eum et obsecravit intente » (2 Par. 33,13).

4. Unus de filiis Phahath Moab, qui uxorem alienigenam dimittere iussus est (Esdr. 10,30).

5. Unus de filiis Hasom, qui uxorem alienigenam dimittere iussus est (Esdr. 10,33).

6. Maritus Iudith (Iudith 8,2; 16,26 graece 23. 24).

7. Manasse Iud. 18,30 *Kethib* est corruptio nominis Moysis, quam Talmudici inserta littera נ suspensa effecerunt. Cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.

8. Manasses Tob. 14,10 cod. B videtur esse mendum in textu; cf. Revue biblique VIII. 1899, p. 52.

MANDRAGORA (דּוּדָאִים, μανδραγόρας). **1.** ***Textus S. Scripturae.*** Gen. 29,31-30,24 sermo texitur de invidiis Rachel inter et Liam propter praedilectionem Iacob erga Rachel et propter prolem Liae quidem concessam, Rachel vero diu negatam. 30,14-16 autem narratur Ruben tempore messis triticeae invenisse in agro quae vocantur דּוּדָאִים et attulisse Liae matri suae. Haec Rachel a sorore obtinuit ea mercede, ut Iacob illa nocte ad Liam intraret. — Altero loco (Cant. 7,13, hebr. 7,14) sponsa tempore verno, quo vitis et malus punica exspectantur ut florescant (v. 12), invitat dilectum, ut secum in agrum egrediatur, quia דּוּדָאִים dant odorem. — Veteres versiones omnes haec interpretantur *mandragoras;* LXX distinctius Gen. 30,14 prius reddunt μῆλα μανδραγόρου. Eamdem plantam Targumim et Peshitta יַבְרוּחַ, Arabs *luffāḥ* vocant, nec dubium est, quin idem hi omnes dicant ac Vulg. : *mandragoram.* — Multum tamen olim dubitatum est, quae planta nomine hebraico significetur, ac *Celsius* non minus quam 16 interpretationes propositas a viris doctis enumerat, quibus plures aliae addi possent. Multi rem indecisam reliquerunt, alii de floribus vel fructibus gratis in genere, alii de canistris (cf. Ier. 24,1), alii de violis, liliis, iasmino etc., alii de moris, fragis, de musa, melone, tubere, loto, de ceraso, ficu, citro, aurantio etc. cogitaverunt, quin et nomen ex una harum hypothesium plantae datum est *cucumis dudaim.* Verum postquam *I. D. Michaelis* quaestionem tractavit et obiectiones contra veterum versionum unanimem interpretationem prolatas solvit, iam omnes ad illorum sententiam redierunt et recte *mandragoram* ll. cc. poni defendunt.

Cf. quae de veterum dissertationibus habent *O. Celsius,* Hierobot. I. 1-24; *L. Fonck,* Streifz. durch d. bibl. Flora, p. 134; *I. D. Michaelis,* Suppl. ad Lex. hebr. p. 410-14; *G. Gesenius,* Thes. I. 324 s. s. v. דּוּדָאִי 2); *W. Ebstein,* D. Medizin im A. T. 43; *id.* D. Mediz. i. N. T. u. i. Talmud 36 s.

2. ***Descriptio.*** Nomen tum hebraicum, tum graeco-latinum satis dubiae originis est. Ex etymologia saltem populari דּוּדָאִים (s. דּוּדָי cohaeret cum דּוֹד, דּוֹדִים = dilectus, amor, blanditiae. Nomen vero *mandragora Wetzstein* et *de Lagarde* suspicantur ortum ducere ex una denominationum persicarum huius plantae, sc. *mardum-giā* vel *Mihregiā* =

herba hominis vel h. Mithrae, quem deum Armeni *Matra* vocaverunt. — Ipsa planta ex familia solanearum, radicem habet betae similem, saepe bi- vel trifurcatam, quae ad metri unius et dimidii longitudinem pervenit. Veteribus videbatur formam hominis imitari (*Columella*, de re rust. X. 29). Huic sine pedunculis inseruntur folia, quae ad 30 cm longitudinis et 12 cm latitudinis habent, crispa sunt et lactucae similia. Flores proferunt singulos in singulis pedunculis sat magno numero, e quibus crescunt fructus globulares, coloris aurei, diametri 3-4 cm. Duae distinguuntur species, quas veteres marem et feminam vocabant. Altera *mandragora officinarum L.* (*m. vernalis Bertol.*), quae flores fert mensibus Febr. et Mart., minores, coloris albi viridescentis. Baccae eius maturescunt mense Maio-Iun., quod est tempus messis triticeae, quo Ruben fructus invenit. Altera *m. autumnalis Spreng.*, foliis praedita minoribus, floribus maioribus, violaceis, bacca oblonga, floret mensibus Oct.-Nov. Frequens est utraque species in tota regione mediterranea, nec alienae erunt a Mesopotamia, licet indicationem directam non invenerim.

Radix certe veneno (atropino) imbuta est. Ac veteres succum e cortice radicis expressum vel excoctum in operationibus chirurgicis ut soporificum vel anaestheticum adhibebant. Communior fuit usus eius in philtris aliisque artibus magicis. Unde plurimae cum ea iunguntur superstitiones inde a remotissima antiquitate (*Theophr.* Hist. plant. IX. 8,8; 9,1. — De caus. plant. VI. 4,5; *Plin.* Hist. nat. XXV. 13(94), 147-50; cf. *Aelian.* De nat. anim. XIV. 24. 27; *Ios.* Bell. iud. VII. 6,3). Cuius interest videre superstitiones posteriores, legat *G. C. Horst*, Zauberbibliothek V. 320-46, II. 276-310, et *I. Grimm*, Deutsche Mythol. *ed.* 4, 1005 ss. — Maximi fiebat mandragora eo, quod credebatur et creditur apud orientales mulieri sterili prolem tribuere. Quare et Graecis et Latinis vocabatur *circaea* (*Diosc.* Mat. med. IV. 76; *Plin.* Hist. nat. XXV. 13, 147.), quod nomen nunc alii herbae inditum est : circaea lutetiana L. (cf. Ζεῦς μανδραγόρας et Ἀφροδίτη μανδραγορῖτις ap. *Hesych.* Lex. s. vv.). Eo certe animo Rachel mandragoras petebat. Nam hic effectus baccis tribuebatur. Dicuntur et ipsae esse soporiferae et secundum multos vel odor eius ita agit. Recentiores vero exploratores plures negant, se post esum baccarum quidquam huius effectus expertos esse; Arabibus sunt gratissimae esui, quia dicuntur exhilarescere animum. Fragrantia fructus, quae a Plinio dicitur gravis, iuxta recentiores fortis est, sed non ingrata; aliis autem videtur odor occidentalium saltem naribus iniucundus.

Cf. *Gesenius-Buhl*, Hebr. Wörterb. *ed.* 14. p. 141ᵇ s. v; *I. Löw*, Aram. Pflanzenn. p. 188 s. n. 142; *P. de Lagarde*, Ges. Abh. p. 67. n. 172; *I. G. Wetzstein* ap. *Delitzsch*, Hohesl. u. Koheleth, p. 439-45; *G. E. Post*, Flora of Syria etc. p. 569; *E. Boissier*, Flora orient. IV. 291 s.; *R. v. Wettstein* ap. *Engler u. Prantl*, D. natürl. Pflanzenfam. IV. 3ᵇ, 27 et Nachtr. zu II-IV. 292; *F. Cohn* ap. *Friedländer*, Darst. a. d. Sitteng. Roms *ed.* 6, I. 576 s.

H. I. CLADDER.

MANE, THECEL, PHARES (מְנֵא מְנֵא תְּקֵל וּפַרְסִין, Μανή, θεκέλ, φάρες). Est inscriptio quae inter convivium Baltassar regis Babylonis, cum convivae ex vasis sacris (a Ierusalem raptis) biberent deos suos laudantes, in pariete apparuit (Dan. 5,25-28). Cum nemo ex sapientibus eam legere et explicare posset, advocatus est Daniel qui eam est interpretatus : *mane* numeravit (Deus regnum tuum et complevit illud), *thecel* appensus es (in statera et inventus es minus habens), *phares* divisum est (regnum tuum et datum est Medis ac Persis). Verba ipsa varie explicantur : formae מְנֵא etc. considerari possunt ut participia passiva : numeratum, appensum, et uti legitur v. 28 פְּרֵס divisum; utique exspectanda esset forma תְּקִיל, פָּרִים; sed forte cerni potest conformatio quaedam ad priorem vocem, et allusio ad קָלַל leve esse et פָּרַס Persa. Haec explicatio etiam proponitur a LXX ἠρίθμηται, κατελογίσθη, ἐξῄρται, item ab interpretibus, grammaticis, lexicographis.

Aliter tamen aliqui recentiores rem considerant. Tres illas voces pondera significare *Clermont-Ganneau* asserit et verti debere : mna, siclus, dimidia mna; unde Deus secundum hanc sententiam iudicium ponderibus illis symbolice effert; fortasse hunc in modum : mna : Deus tradidit tibi regnum integrum; siclus : appensus in statera repertus es deficiens; mna dimidia : divisit regnum tuum (cf. Zeitschrift für kath. Theologie 1887 p. 394. 591; *Knabenbauer*, Comment. in Dan. p. 168). De hisce agitur quoque in Zeitschrift für Assyriologie 1886 p. 414 et 1887 p. 45.

MANHU v. MANNA 7.

MANILIUS, pleniore nomine Titus Manilius (Τίτος Μάνλιος), qui cum altero legato Quinto Memmio anno 165-164 a. Chr. epistulam dedit ad Iudaeos, qua iis Romani concedunt, quae Lysias concesserat (2 Mach. 11,34). De qua legatione, cuius apud scriptores profanos nulla fit mentio, vide s. v. QUINTUS MEMMIUS.

MANNA. 1. *Manna naturale.* Observatur usque in praesentem diem iisdem in regionibus atque eodem anni tempore, quibus manna Israelitis missum narratur Ex. 16 et Num. 11 phaenomenon aliquod singulare, quod ad comparationem cum manna biblico provocat.

Tamarix mannifera Ehrenb. est arbor, quae crescit in deserto aegyptiaco-arabico et ad orientem usque ad Afghanistan, in Syria inde a Callirrhoe ad orientem et meridiem versus. Ab Arabibus vocatur *ṭarfa*. In peninsula sinaitica frequens est maxime in *Wādi Gharandel*, *Feirān*, *el-Sheikh*, *Naṣb* atque integras ibi aliquando format silvas. In montibus non ascendit ultra altitudinem mille metrorum, et in parte orientali peninsulae non videtur inveniri. Altitudine 6-7 metra attingit. Rami eius sat rigidi minutis foliis deltoideis semper virentibus, fere ut in thujis nostris, operiuntur. Vere ramusculi recentes densos racemos flosculis rosei coloris compositos portant. Inde autem a mensibus Martio et Aprili aer in silvis illis forti aromate perfunditur, quod non e floribus aut foliis, sed ex ipsis ramusculis proficiscitur ac sequentibus mensibus etiam augetur. Cum vero versus finem Maii vel mensibus Iunio et Iulio, interdum usque ad Augustum, calor maximus advenit, ex ramis, ut putant ob perforationem corticis per insectum aliquod, coccum manniferum Ehrenb., nocte guttulae profluunt, coalescunt et partim in terram decidunt. Sunt autem magnitudine ut semen coriandri vel pruina, coloris albi vel flavescentis, consistentes velut cera et sapore sicut mel. Cumque radii solis incalescunt, ipsae liquescunt et a terra absorbentur. Arabes hanc substantiam vocant *mann* vel *mann es-sama'* i. e. manna caeli, eo quod putant illud plui de caelo. Summo mane colligentes manna coquunt et per pannum rudem exprimunt, ut a foliis, arena etc. conglutinatis purgent, atque ita per annum et amplius ex eo servant. Partem ipsi consumunt, cum illud velut mel panibus suis azymis imponunt, partem monachis in monte Sinai solvunt vel in Aegyptum vendunt. Uberrima est messis post uberes pluvias vernas, interdum vero ob ariditatem tota messis excidit. Annis prosperis per totam peninsulam ad 500-600, iuxta *Wellsted* ad 700, libras anglicas i. e fere 250-300 kg colliguntur. Extra peninsulam manna tamaricis nusquam videntur observasse, ne iis quidem locis, quibus arbor ipsa frequens invenitur. — Chimicam compositionem ad examen vocavit *Berthelot* et invenit, 100 partes manna continere 20 partes aquae, 35 saccharosae, 25 levulosae et glucosae (saccharum inversum), 20 dextrinae ac similium substantiarum.

Prorsus similia observantur aliis locis in aliis plantis, velut in Syria, Perside etc. in alhagi Maurorum D. C., in quibusdam quercubus et laricibus. Apud nos notissimum est manna ex fraxino orno L., quod in Calabria et pluribus Galliae partibus invenitur.

Cf. *S. Oedmann*, Verm. Sammlungen VI. 1-13; *C. G. Ehrenberg*, Symbolae phys. I. 2.10. Art. Coccus manniparus, et Tab. X; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumsk. VI^a. 316-24; *C. Ritter*, Erdkunde XIV. 665-77; 685-92; *C. v. Tischendorf*, A. d. hl. Lande p. 54-6 et p. VI. n. 1; *G. Ebers*, Durch

Gosen zum Sinai p. 223-34; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 357-59; *F. de Hummelauer*, Comm. in Ex. p. 171 s.; *F. Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6, II. 462-65; varia Lex. Bibl. s. v. Manna; *F. Niedenzu* ap. *Engler u. Prantl*, D. natürl. Pflanzenfam. III^{6}. 289-94; *E. Boissier*, Flora or. I. 775; *G. E. Post*, Flora of Syria etc. p. 167; tabulas v. ap. *Ebers u. Guthe*, Palaestina i. Bild u. Wort II. 345 ss.; *Card. Haynald*, Des plantes qui fournissent les gommes etc. (sine numeris!).

2. *Descriptio biblica.* Quomodo manna Israelitis concessum sit, bis in S. Scriptura determinate exhibetur : Ex. 16 et Num 11,4-9. Priore loco narratur primum datum esse, quando die decimaquinta mensis secundi ab egressu ex Aegypto, hinc post medium mensis Maii vel initio Iunii, ab Elim i. e. *Wādi Gharandel* (v. s. ELIM) profecti pervenerunt in desertum Sin. Ibi ob cibi inopiam murmurantes coturnicibus et manna satiati sunt (Ex. 16,1 ss.). Mane enim postquam ros ascendit, apparuit in solitudine minutum quid coagulatum (מְחֻסְפָּס ἅπ. λεγ. cf. *Keil* i. h. l. — Vulg. vertit : *pilo tusum*), minutum velut pruina in terra (v. 14), quasi semen coriandri, album (v. 31). Gustus eius erat quasi similae (צַפִּיחִת ἅπ. λεγ. = placenta; ἐγκρίς LXX est libum cum oleo et melle praeparatum, cf. *Stephanus*, Thes. *ed. Hase* s. v. ἐγκρίς; *simila* Vulg. significat farinam triticeam optimam) cum melle. Colligebatur autem summo mane, quia cum sol incalesceret liquefiebat (v. 21). Et quando aliqui contra praeceptum Moysis ex eo reliquerunt usque in mane (בֹּקֶר = crastinum cf. v. 4), coepit scatere vermibus et computruit (v. 20). Cum vero die sexta duplum collegissent atque servarent in sabbatum, non computruit neque vermis inventus est in eo (vv. 23 s. cf. v. 5). Ipso die sabbati, uti Moyses praedixerat, nihil invenerunt qui neglecta prohibitione egressi sunt (vv. 25-27). Colligere solebant gomor unum per singula capita; nec qui plus collegerat, quando mensi sunt ad mensuram gomor, inventus est habere plus, nec qui minus paraverat, reperit minus quam gomor singulis iuxta numerum animarum, quae habitabant in tabernaculis eorum (vv. 16-18). Die autem sexta invenerunt duo gomor per singulos homines (v. 22). Est autem gomor decima pars ephi (v. 36) i. e. 3,9276 litra (v. s. v. MENSURAE), vel iuxta alios 3,644 litra. Gomor quoque unum ab Aarone iussu Moysis in vase repositum est coram Domino servandum in futuras retro generationes (vv. 32-34). Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venerunt in fines terrae Chanaan (v. 35); sed eousque illud ignoraverant (v. 15; cf. Deut 8,3. 16).

Altera descriptio Num. 11,4-9 plura a praecedente diversa exhibet. Occasio descriptionis est murmur populi de ipso manna. Eodem fere versantur anni tempore, brevi sc. post diem vigesimam mensis secundi anno secundo ab exitu ex Aegypto (Num. 10,11; cf. Ex. 16,1), eademque fere in regione, nimirum inter montem Sinai et sepulcra Concupiscentiae (Num. 10,12 et 11,34; cf. Ex. 16,1; Num. 33,16). Eodem quoque diei tempore, nocte scilicet cum descenderet ros, descendebat pariter et Man (Num. 11,9; cf. Ex. 16,31). Quod erat quasi semen coriandri, aspectu בְּדֹלַח (LXX εἶδος κρυστάλλου, Vulg. : *coloris bdellii*, v. s. v. BDELLIUM; cf. Ex. 16,14 in similitudinem pruinae). — Sapor tortularum e manna paratarum erat quasi panis oleati (לְשַׁד הַשֶּׁבֶן; Ps. 32,4 לֶשַׁד = *succus;* LXX ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίου; Vet. Lat. *iucunculi ex oleo* ap. *Dillmann* i. h. l. — Pesh. Onk. *massae*). Quod vero Targum Ierushalmi h. l. legit בְּשִׁשְׁיוֹן בִּדְבַשׁ = *obsonium cum melle*, et Symmachi plures codices (cf. *Field*, Hexapl. I. 237 n. 9) atque Arabs Erpenii (ap. *Oedmann*, Verm. Samml. VI. 17) mel hoc loco ingerunt, sine dubio factum est ex studio textum conformandi ad Ex. 16,31. — Denique Num. 11,8 tantum legitur populus manna fregisse mola vel trivisse in mortario et coxisse in olla faciens ex eo tortulas. Sed fortasse Ex. 16,23 in eundem sensum intellegi potest.

3. *Fontes.* Ii qui in pentateucho varios fontes distinguunt, tandem et ipsi duas statuunt descriptiones. Quae enim Num. 11 respiciunt manna, tribuuntur

elohistae (E) vel compilatori (JE), et rationem huius attributionis petunt ex generali indole fontium J et E. — Ex. 16 ab omnibus dicitur universim esse ex codice sacerdotali (P), paucis versibus ex E admixtis vel etiam ab ultimo redactore (Rp) additis. Et revera fatendum est, textum hunc, uti nunc iacet, habere plura incommoda. Ex una enim parte vv. 4. 5, qui tribuuntur E, divina promissio de solo pane (cibo) loquitur, dum Moyses et Aaron vv. 6-8 duplicem manifestationem Dei annuntiant, ita ut vespere carnes et mane accepturi sint panem. Dein hic ipse sermo ad populum praecedit mandatum Dei, quo Moyses iubetur populo duplex illud promissum divinum exponere (vv. 8-12). Denique quae vv. 6-7 Moyses et Aaron dicunt, eadem magis determinate solus Moyses dicere refertur v. 8. Minus graves repetitiones pluries occurrunt per hoc caput. V. 36 autem omnino sapit glossam a redactore ultimo superadditam. — Praeterea locutiones, quae habentur ut P propriae, vere abundant toto hoc capite, exceptis vv. 4. 5. 11. 13. 14. 19. 20. 24-30. 34. 36. Practice igitur ea quae descriptionem continent omnia tribuuntur P vel Rp, ita ut dici possit, iuxta analysim fontium Ex. 16 manna describi ex P, Num. 11. ex E vel JE. Hinc Num. 11 esset documentum antiquius quam Ex. 16.

Quoad rem ambae descriptiones concordant in indicando tempore anni et diei quo manna datum est, in designanda regione, in ipsis qualitatibus quae manna tribuuntur. Solummodo de modo praeparandi manna in cibum non eodem modo loquuntur nec de sapore, quod fortasse inde explicatur, quia oleum accipi potest sensu generaliore pro re orientalium palato gratissima.

Ex. 16 varia leguntur miracula, quae circa manna facta sunt, et imprimis huic relationi propria est connexio cum lege sabbati et cultu. Reliqui vero S. Scripturae loci, quibus de manna sermo est, aut illud solum commemorant, aut hisce descriptionibus nituntur.

Cf. *S. Driver*, Introd. to the Literat. of the O. T. *ed.* 7, p. 30 s. 60. 131-35. — *H. Holzinger*, Einl. i. d. Hexateuch, passim; *G. Harford-Battersby*, ap. *Hastings*, Dict. of the Bible I. 808[a]; III. 569[b] s.

4. ***Reliqui S. Scripturae textus.*** Ios. 5,12 narratur manna defecisse post primum pascha in Gilgal celebratum. Praeterea inter maxima Dei beneficia inde a Deut. 8,3. 16 enumerari solet et manna: Neh. 9,15. 20; Ps. 77 (78), 19-25; Ps. 105 (106),15. Fusius vero Sap. 16,20-29 praedicatur divina providentia, quae in exodo, ut in Aegyptios verterat omnium elementorum furorem (vv. 16-19), ita et in iustorum salutem vires eorum temperavit. Imprimis effertur, manna omnium gustui sese accommodavisse (vv. 20 s. 25); dein illud igni restitisse (vv. 22. 27; cf. 19,20; in graeco 19,21). Vestigiis narrationum in pentateucho auctor universim inhaeret; atque inde etiam collegisse videtur, quae de manna asserit, quin alios praeterea fontes habuerit; nisi forte dicendus sit ea tantum reddere, quae communis tunc traditio ex pentateucho eruerat. Vix autem dubitari potest, quin auctor 16,20. 21. 25 diversum saporem, qui Ex. 16,31 et Num. 11,8 indicatur, ita interpretatus sit, ut manna pro cuiusque desiderio mutasse saporem dixerit. Rabbini hanc opinionem, ut alia, quae miraculosa videbantur, fabulis suis etiam auxerunt (cf. *M. Seligsohn* in Jew. Enc. VIII. 293[b] s. v. Manna, In Rabbin. Lit.). Ut vero difficultates vitaret, quae conciliationi huius opinionis, si ad litteram sumitur, cum narrationibus pentateuchi obstant, S. Augustinus (Retr. II. 20. *Migne* 32,638) aliique miraculum hoc speciale ad bonos restringendum putaverunt. Revera assumptio illa vix potest stare cum determinato sapore, qui Ex. 16,31 et Num. 11,8 de manna praedicatur; atque difficilius etiam componitur cum taedio, quo manna populum affecit (Num. 11,6; 21,5). Distinctio vero illa, qua S. Augustinus putat manna bonis tantum mutatum fuisse, dum mali murmurarent, vix aliud quam effugium dici potest, cum fundamento in textu sacro plane careat. — Non facile illud quoque Sap. 16,20 *panem de caelo praestitisti illis sine labore* (ἀκοπιάτως) conciliabis cum praeparatione, quae Num. 11,8 describi-

tur, si hanc de solo manna intellexeris. Vix enim solus labor serendi et metendi hic negatur. — Similiter ac sapor mutatus ad cuiusque desiderium ex combinatione textuum Ex. 16,20 s. et Num. 11,8 novum stupendum eruitur ex eo, quod igni coquebatur, id quod in similitudinem glaciei a solis radiis dissolvebatur (Sap. 16,22 s. 27 cf. 19,20). *Glacies* ex similitudine pruinae (Ex. 16,14) vel probabilius inde provenit, quod Num. 11,7 LXX manna aspectum glaciei tribuunt, cum pro בְּדֹלַח ab eis ponatur κρύσταλλος. Hisce iungitur quod Ex. 16,21 de liquescendo ante radios solis refertur. Miraculum vero in eo cernitur, quod substantia tam facile liquescens coqui possit in panes (Num. 11,8). Fundamentum, cui haec assertio innititur, est in eo, quod tota praeparatio tortularum (Num. 11,8) supponitur facta esse ex solo manna; nam panem parari adhibita *etiam* substantia, quae liquescat ad calorem (e. g. butyro), minime mirabile est. Haec autem interpretatio non postulatur ab ipso textu pentateuchi (v. infra n. 5); per se autem ipse ille textus ei non repugnat. Pugnat vero cum explicatione naturali totius narrationis de manna (v. infra n. 5), si quae poeta hic ut poetice vera proponit, dicuntur esse historice vera. Poetice autem omnino verum est, manna esse *panem de caelo;* poetice est *esca angelorum,* quae contra indolem huius descriptionis pervertitur a pluribus in panem ab angelis paratum, quia angeli non manducent panem. ἀγγέλων τροφή (16,20) quae a Deo populo tribuitur eadem est, quae 19,21 ἀμβρόσια τροφή, deorum sc. cibus audit. Poetica quoque veritas est, manna ad omnium desideria saporem suum adaptasse. Nec quidquam nisi poetica dicendi ratio in eo est quaerendum, quod ut miraculum exhibetur, substantiam glacialis aspectus, quae ad solis radios liquescebat, igni ac flammis restitisse, dum in tortulas coquitur. Historiam qui quaerit, pentateuchi narrationes adeat oportet, liber vero Sapientiae totus est rhetorico-poeticus.

In N. T. pluries mentio de manna incidit. Apud Io. 6,31 Iudaei a Christo signum petunt, quod respondeat signo facto in manna deserti. Ipse vero Dominus magnitudinem illius panis deprimit ac verum panem de caelo a Patre dandum promittit (v. 31). Communis exspectatio videtur fuisse apud Iudaeos, tempore messianico miraculum manna renovatum iri. Pluries enim in scriptis pseudepigraphis haec expectatio exprimitur : Or. Sibyll. *ed. Geffcken* VII. 148 s. et Fragm. 3,49; Apoc. Baruch syr. ed. germ. *V. Ryssel* (ap. *E. Kautzsch,* D. Pseudepigr. d. A. T.) 29,7 s. Verum quidem est haec scripta esse p. C. n., nec carere additamentis christianis (cf. *I. Geffcken,* Komp. u. Entstehungsz. d. Orac. Sibyll. p. 33-37; 69-75). Nihilominus Sap. et Philo ostendunt haec a Iudaeis non fuisse aliena. Philoni enim manna est ipsa Sapientia, Verbum (Λόγος) Dei (cf. Ex. 16,16; Deut. 8,3), qui est cibus animae, est petra illa, de qua populus sugebat mel et oleum (Deut. 32,13; cf. Ex. 16,31 et Num. 11,8). Nomen eius est τί, essentia maxime generica, qualis post Deum est prae omnibus rebus Verbum Dei (Leg. alleg. II. 84. 86 [*ed. Mang.* I. 81 s.]; III. 161-81 [I. 118-23]; quod det. potiori insid. soleat 115-18 [I. 213 s.]; quis rer. div. heres 79 s. [I. 484]; ib. 191 [I. 499 s.]; De congr. erud. gratia 170-74 [I. 543 s.]; De fuga et inv. 137-39 [I. 566]; cf. Vita Mosis I. 191-209 [II. 111-14]; II. (III.) 258-69 [II. 175 s.]. Notum quoque est Iudaeos in superliminari synagogae Capharnaiticae, cuius reliquiae exstant, vas manna plenum sculpsisse (cf. *A. Edersheim,* Life and Times of Jesus the Messiah I. 435) et posteriores de manna a Messia dando intellexisse Ioel 3,18 (ib. 176). Ex eo vero sermone Christi manna evasit symbolum ss. Eucharistiae communissimum. Ita e. g. iam apud S. Cyprianum, ad Magnum XIV. (*Migne* 3, 1149 s.); aliter S. Irenaeus, Fragm. XIX. (*Migne* 7,1241 A). Praeludit huic conceptioni S. Paulus, qui 1 Cor. 10,3 praeter typos baptismi, ipsum manna, escam spiritalem, ut typum mensae eucharisticae proponit.

Reliqui N. T. loci, qui de manna loquuntur sunt : 2 Cor. 8,15, ubi Ex. 16,18 adhibetur in exhortatione ad beneficentiam; Hebr. 9,4, ubi de manna in san-

ctuario servato sermo est; et Apoc. 2,17, ubi manna absconditum promittitur vincenti in pugna huius saeculi. Nihil igitur posteriorum librorum textus ad ipsam in pentateucho descriptionem manna addunt.

5. *Manna biblicum et naturale comparata.* Utraque occasione, qua manna Israelitis datum esse narratur (Ex. 16 et Num. 11), iis in locis arte circumscriptis erant, in quibus manna ex tamarice invenitur; eo tempore anni limitato dicitur panis ille caelestis descendisse, quo naturale manna colligi solet. Eo diei vel noctis tempore cum rore super terra conspiciebatur, quo naturale. Unum et alterum manna sole incalescente dissolvitur. Aspectus externus (color et forma) qualis ll. cc. describitur, omnino is est quem praebet manna naturale, idem quoque est sapor (Ex. 16, 31). Num convenientia talis, quae ad sex saltem elementa inter se omnino independentia se extendit, fortuito adesse dicetur? Minime sane. His rationibus perpensis non concludi non potest, eventibus Ex. 16 et Num. 11 narratis subesse messem manna naturalis, sicut plagis Aegypto inflictis subsunt plagae illi regioni naturales, et sicut naturales coturnices a Deo adductae sunt, ut populo essent cibo. Minimevero propterea neganda est specialis Dei in his rebus providentia, ac minime is qui substantiam facti esse naturalem contendit, ideo adigitur ad directam Dei in pluribus circumstantiis interventionem negandam.

Si Moyses ex revelatione Dei determinate diem et horam fere annuntiat, quibus coturnices et manna descendant (Ex. 16,6-12), nemo negabit miraculum. Si sexta die duplum (16,22), sabbato autem nihil invenitur (16,16 s.), hoc non explicatur naturaliter. Si servatum manna contra Dei praeceptum statim corrumpitur (16,19 s.), quod vero plus missum est in sabbatum (16,24) et quod ponitur servandum in futuras generationes coram Domino (16,32-34) manet incorruptum, certe alterutrum dicendum est non provenire ex natura rei. Si quantitas iusta semper Israelitis praesto erat (11,4. 16. 21), Dei providentiae hoc est tribuendum, quomodocumque quis aequam

mensuram et plus et minus colligentium (16, 17 s.) conceperit.

E contra nihil cogit pluviam manna de caelo (16,4) sumere ad litteram; nam ex una parte populus vidit effectum tantum talis pluviae (16,14 s.), nec dicitur alio modo de caelo descendisse manna quam ros (Num. 11,9); ex altera vero parte communis erat veterum opinio, mel descendere de caelo per modum roris (*Aristot.* Hist. animal. V. 22; *Plin.* Hist. nat. XI. 12; *Galen.* De alim. fac. III; cf. *Theophr.* fragm. CXC *ed. Wimmer* III. 225 etc. ap. *Theophr.* opp. *ed. Schneider* IV. 818-24.). Atque testibus *Ebers et Guthe* (Palästina i. Bild u. Wort. II. 351) Arabes nunc quoque de manna idem dicunt. Manna succum esse arborum primi scripsisse referuntur (Encyclopédie X. 42 a s. v. Manne) anno 1543 duo franciscani (Angelo Palea et Barth. de la Vieuville). Nil mirum igitur si de caelo pluere dicitur in Scriptura iuxta omnium antiquorum opinionem (sed cf. Theophr. *ed. Schneider* IV. 819 s.). — Neque haerendum est in voce *panis*, cum לֶחֶם quemvis cibum significet; atque etiam nomen דָּגָן, quo manna vocatur Ps. 78 (hebr.), 24 proprie quidem frumentum significat; at Thren. 2,12 ponitur et ipsum pro pane vel cibo, quem parvuli in vanum a matribus petunt. Num. 11,7-9 tantum postulare videtur, manna aliquid frumenti simile fuisse, cum mola vel in mortario teratur et coquatur. Fortasse vero haec intellegenda sunt de modo non absimili, quo etiam nunc manna a substantiis admixtis mundatur (cf. *Burckhardt*, Reisen in Syrien etc. II. 954). Vel etiam fortasse ex eo, quod quoad saporem utroque loco (Ex. 16,31 et Num. 11,8) cum duabus substantiis pane sc. et melle vel oleo comparatur, concludendum est, Israelitas, sicut Arabes nostri temporis, excepto casu necessitatis, comedisse manna una cum pane atque tortulas (Num. 11,8) confecisse non ex solo manna, praeparationem vero eam spectare materiam tortularum universam (cf. *Oedmann*, Verm. Samml. VI. 4.). Hoc ultimum eo etiam suaderi videtur, quod in Ex. 16,23, qui locus videtur esse parallelus ad Num. 11,8, modus universa-

LIBRARY
KENRICK SEMINARY
7800 KENRICK ROAD
ST. LOUIS, MISSOURI 63119
Ex Libris
SEMINARII KENRICKIANI

lior praeparationem non solius manna comprehendat. — Nullibi quoque dicitur per quadraginta annos cottidie descendisse manna, licet omnes fere auctores id assumant. Ex. 16,35 legitur filios Israel comedisse Man quadraginta annis, et v.4 promissum erat in singulos dies, et v. 5 duplum in diem sextum. Quare prohibentur (v. 19) servare quidquam in crastinum (*in mane*) aut (v. 25 s.) colligere die sabbati. Sed haec, quae facta sunt, ut Deus tentaret populum (v. 4), videntur esse facta singularia; et nulla ratio cogit admittere, cum manna naturale facile servetur, Deum *continuo* hoc duplex miraculum operatum esse, quo sequenti die corrumperetur, et die sexta quidem duplum, sabbato vero nullum manna inveniretur. Hinc S. Scripturae satisfit, si dicitur quadraginta annis manna adfuisse, licet singulis annis paucarum hebdomadum tantum messis habita sit. Aliis quotidiana pluvia manna probari videtur eo quod Ios. 5,12 narratur post primum pascha in Galgalis celebratum manna defecisse, postquam sc. comederunt de frugibus terrae Chanaan. Quin secundum massorethas hoc factum esset *die* sequenti. At vox מִמָּחֳרָת non legitur nec in Vulg. nec ap. LXX nec in Peshitta, atque in pluribus etiam codicibus hebraicis deest. Sine dubio ex v. 11 huc delapsa est (cf. *De Rossi*, Var. lect. II. 77ª i. h. v.). Nec probanda est ratio LXX et Peshitta, in quibus ultima verba *die altero* ex praecedentibus trahuntur ad v. 12; sed Vulg. recte hebraicum reddit. Quare non dicitur certa die manna defecisse, sed generaliter ab ingressu in cisiordanicam et post esum frugum terrae promissae. — Alia difficultas movetur ex eo, quod Israelitae per triginta octo fere annos degerint extra peninsulam sinaiticam prope Cadesbarne et in transiordanica, et ibi quoque manna non caruerint. Imprimis non potest negari tamaricem manniferam adhuc inveniri etiam in plagis ad meridiem terrae sanctae (cf. *E. Robinson*, Palaestina I. 298, III. 21. 37 ss.; *Trumbull-Guthe* in Ztschr. d. D. Palästina-Ver. VIII. 1885 p. 194-205 passim; *Post*, Flora of Syria etc. p. 167); an hodie ex ea manna in illis regionibus colligatur ignoro. Certum vero est ex aliis fruticibus iis in locis produci *mel silvestre* (*Diod.* Bibl. XIX. 94; cf. Mt. 3,4 et *Knabenbauer*, Comm. in Mt. *ed.* 2, I. 130) maxime ex alhagi Maurorum D. C. (cf. *Ritter*, Erdk. XIV. 989 hedysarum alhagi et *Post*, Flora p. 284). Israelitae vix distinxerint inter haec genera. — Denique obstare dicitur naturali explicationi quantitas requisita, si comparetur ei quod nunc colligitur. Messis in integra peninsula certe nunc non excedit 250-300 kg (cf. *Burckhardt*, Reisen in Syrien etc. II. 954 s.). Israelitae, qui per quadraginta annos manna aliti sunt, ex numeris qui leguntur Num. 1,20-46 et Num. 26,5-62, censentur fuisse saltem vicies centena millia hominum. Ab his singulis diebus colligebatur gomor unum per singula capita (Ex. 16,16). Gomor, quod est nomen vasis, non vero mensurae (cf. *Michaelis*, Suppl. ad lex. hebr. p. 1929 s. h. v.) erat decima pars ephi (Ex. 16,36) seu 3,9276 (cf. s. v. MENSURAE) vel secundum alios 3,644 l. Quae quantitas, 7-8 milliones litr. cottidie, enormis est, nec naturaliter producitur. At numeri illi etiam sub aliis respectibus difficultates creant (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 220-30), quas *Flinders Petrie* (Researches in Sinai p. 209-13) ita tollere conatur, ut vertat אֶלֶף non : *mille*, sed : *familia;* quare manerent ut numeri capitum Num. 1 et 26 tantum 5550 et 5730, qui numeri omnibus rerum condicionibus facerent satis. Dein manna non dicitur fuisse unicus populi cibus per illos quadraginta annos. Et Ex. 16 et Num. 11 una cum manna mittuntur coturnices; sed et praeter greges numerosos, quos ex Aegypto abduxerant (Ex. 12,38) quosque semper habebant (cf. Ex. 17,3; 34,3; Num. 20,4. 8. 11. 19; 32,1), immo augebant ex praeda (cf. Num. 31,9. 32 ss.), praesto erant iis eadem sustentationis media, quibus Amalecitae, Madianitae, Edomitae vivebant : praeter greges, dactyli, locustae, etc. Nec deerat generatim frumentum, ut patet ex praeceptis sacrificalibus ipsius pentateuchi (cf. Lev. 8,2. 26. 31 s.; 9,4; 10,12; 24,5 ss.; Num. 7,13 ss.). Ubi

aliunde non suppetebat, emi poterat (cf. Deut. 2,6 s.). Licet deserta tum quoque fuerit peninsula, dubium non est, quin vegetationem multo uberiorem olim habuerit (cf. *Ritter*, Erdk. XIV 341 s. et 926 s.); ac ruinae aedificationum in illis regionibus ab exploratoribus modernis inventae multo frequentius quoque ibi olim viguisse commercium produnt (cf. *E. H. Palmer*, D. Schauplatz d. Wüstenwanderung p. 279-303; *Trumbull-Guthe*, Ztschr. d. D. Pal. Ver. VIII. 1885 p. 194-205). Praeterea si vere unum gomor = 3,9276 l. singulis personis cottidie dabatur, equidem dubito an hoc comedi omnino potuerit, sive manna concipias genus frumenti sive genus mellis fuisse. — Perperam omnino a pluribus etiam manna negatur vis nutritiva, licet per se solum ob defectum combinationum azoticarum non sufficiat homini. Narrat *Fr. Hasselquist* (Reise n. Palaest. *ed. Linnaeus* p. 570) commeatum plus mille hominum anno 1750, quo tempore ipse in Kairo versabatur, ex Abyssinia Kairo petentium per duos menses integros se sustentasse in deserto ex gummi arabico, quae est substantia a manna non absimilis. Elementa vero azotica ex carnibus etc. Israelitae petebant. — At ex ipso sacro textu elucere videtur, ne principale quidem alimentum manna fuisse. Nam Num. 21,5 populus queritur : *Deest panis, non sunt aquae : anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo.* Licet manna habuerint, tamen dicunt deesse panem. Similiter Num. 11,5 s. in mentem eis veniunt cucumeres et pepones porrique et cepe et allia, dum oculi nihil respiciunt nisi Man. Iamvero omnia illa, quae in Aegypto habuerant, obsonia potius quam solidum cibum constituunt (cf. *Schegg*, Bibl. Arch. p. 157-59). Etsi igitur in casu necessitatis aliquando famem arcere potuerit, generatim manna non alio modo videtur Israelitis usui fuisse quam hodie est Arabibus : ut obsonium gratissimum. Memoria vero eius servabatur prae ceteris ob rei novitatem et posteriorum temporum de manna naturali ignorantiam. — Israelitae enim aeque ac patres eorum ad id tempus manna ignoraverant (Deut. 8,3. 16). Hoc autem ipso directe insinuari videtur, manna non fuisse tunc a Deo in bonum populi creatum; quomodo enim illud novissent quod non exstabat? sed mansisse eis practice saltem incognitum, dum per se cognosci potuit et ab aliis cognoscebatur : non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei (Deut. 8,3). Si dicere voluisset sacer auctor, Deum manna tunc tantum in gratiam populi creasse, profecto aliter locutus esset. — Haec igitur sit conclusio ex omnibus : substantiam narrationis de manna in pentateucho esse phaenomena illa naturalia quae de manna naturali ad praesentia usque tempora iisdem in regionibus observantur.

Cf. *C. Ritter*, Erdkunde XIV. 677-95; *Rosenmüller*, Bibl. Altertumsk. IV. 1. p. 316-29; *L. Reinke*, Beitr. V. 307-61; *Mgr. Mislin*, D. hl. Orte III. 583-88; *C. F. Keil*, Bücher Moses I. 427-39; *G. Ebers*, Durch Gosen p. 223-36; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 257-61; *G. Kolb*, Manna d. Natur. u. d. Bibel, in Natur. u. Offenb. XXXVIII. 1892 p. 1-13; *Fr. de Hummelauer*, Comm. in Ex. p. 170-74; *M. Jullien*, Sinaï et Syrie p. 67-69; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. 459-72; *N. M'Lean* et *St. A. Cook*, in Enc. Bibl. III. 2929-31 s. v. Manna; *A. Macalister*, ap. *Hastings*, Dict. of the Bible III. 236; *H. Lesêtre*, ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 656-62 s. v. Manne; *C. F. Currely*, ap. *Flinders Petrie*, Res. in Sinai p. 230 s.; *Schuster-Holzammer*, Handb. z. Bibl. Gesch. I. *ed. J. Selbst* p. 397-99; Antiquiorem litteraturam v. ap. *Reinke* l. c. p. 308-13.

6. *Opiniones de manna.* Plerisque S. Scripturae interpretibus, maxime superiorum saeculorum, omnia quae de manna narrantur, et ipsa quoque eius substantia, videntur esse res miraculosa, immo rationalistis sunt plane fabulosa. Quousque veteres in litterali expositione processerint, elucet ex eo quod e. g. S. Iustinus in Dial. c. Tryph. n. 58 et n. 131 (*Migne* 6,605 B; 781 A), Clemens Alex. in Paedag. I. 6,41 (*Migne* 8,300 A), Tertullianus, Adv. Iud. c. 3 et De carne Christi c. 6 (*Migne* 2,605 A; 765 B) angelos vere cibo uti putant. Similiter reliqua ad litteram interpretantur. Nihilominus multi aliter loquuntur.

Iosephus (Ant. III. 1,6), ubi historiam

de manna refert, ait tota illa regione usque ad sua tempora manna pluere, sicut olim in gratiam Moysis cibum illum Deus miserit. S. Ambrosius vero Irenaeo quaerenti, cur Deus pluerit manna patribus et nunc non pluat, haec respondet : ...*corporeum quidem illud manna hodie plerisque in locis invenitur, sed nunc non est tanti res miraculi...* (Epist. 65,1. *Migne* 16,1219 B). Manna notum fuisse veteribus multi probant loci inde a Theophrasto (*ed. Wimmer*, Fragm. CXC, II. 225); vocabatur *mel aerium* vel *roscidum*. Ceterum praeter testimonium Iosephi ipsum nomen arabicum et traditio monachorum montis Sinai atque aliorum populorum, velut Armenorum, ratio appellandi similes substantias nomine manna, item efficiunt substantiam facti naturalis et biblici habitam fuisse eandem. Iuxta Suidam (Lexicon s. v. ἀκρίς *ed. Bernhardy* I. 179[9]) Ioannes Baptista comedebat μέλι ἄγριον, ὅπερ ἀπὸ τῶν δένδρων ἐπισυναγόμενον μάννα τοῖς πολλοῖς προσαγορεύεται. Similia, Graecos secuti, dicunt Arabes velut Avicenna (ap. *Rosenmüller* l. c. p. 325). Frequentissime ii, qui saeculis XV. et sequentibus in peregrinationibus montem Sinai visitaverunt, manna hodiernum idem esse atque id, quod olim Israelitis dabatur, asserunt (cf. Reyssbuch dess heyligen Lands I. 193. 305. 420. 541. 683). Controversia de hac identificatione agitabatur saeculo superiore, ex quo tempore *Ehrenberg*, *Seetzen*, *Burckhardt*, *Wellsted*, *Lepsius*, *Tischendorf* accuratius phaenomena illa observaverunt. Hi omnes identitatem tuentur, dum *Schubert*, *v. Raumer*, *Robinson*, *Palmer* eam negant. Similiter interpretes S. Scripturae in duas partes abeunt; catholici plerumque negativam tenent.

Cf. *H. Stephanus*, Thes. graecae linguae V. 568 s. s. v. μάννα; Theophrasti opera *ed. I. G. Schneider* IV. 819-24; Hesychii Lexic. *ed. I. Alberti* II. 538 n. 12 s. v. μανόν; Suidae Lex. *ed. G. Bernhardy* II. 688 n. 17 s. v. μανόν; *C. Ritter*, Erdkunde XIV. 666-77; *L. Reinke*, Beitr. z. Erkl. d. A. T. V. 325-61; antiquior litteratura ib. p. 308-13; deinpraeter commentarios in locos respectivos, cf. supra, n. 5 citatos.

Alia explicatio naturalis pluviae manna exposita, sin minus ab exegetis, a multis rerum naturalium peritis proponitur et defenditur. Lichen scilicet esculentus saepius observatus est se a rupibus, in quibus crescit, separasse atque a ventis ablatus ad similitudinem pluviae alibi descendisse. Facta haec locum habuerunt per Asiam centralem, Asiam Minorem, partes Africae septemtrionales. In peninsula vero Sinaitica ipse lichen (sphaerotallia esculenta Nees ab Es.) nusquam inventus est, nec talis pluviae manna, quae ibi locum habuerit, exstat memoria. Aliis quoque in rebus qualitates ab iis, quae in sacro textu manna tribuuntur, multipliciter differunt. Tubera illa, quae lichen aridus et convolutus format, magnitudine ad diametrum 2,5 cm pertingunt. Color eius est viridi-cinereus. Sapor non est melleus, sed panis ex eo parari potest satis insipidus. Fere sola igitur pluvia ratio est, cur quis de comparatione cum manna cogitare possit.

Cf. *Ritter*, l. c. p. 692-95; *Leunis-Frank*, Synops. d. Pflanzenk. *ed.* 3, III. 251; *A. Kerner von Marilaun*, Pflanzenleben I. 518, II. 746-48.

7. ***Nomen.*** Iuxta Ex. 16,31 domus Israel nomen cibi a Deo in deserto concessi appellavit מָן. Vulg. et LXX modo eandem formam retinent : *man*, μάν (Ex. 16,31. (32). 33. 35; Vulg. etiam Num. 11,6. 7. 9), reliquis locis ponunt *manna*, μάννα. Nomen hoc in omnes fere versiones ac linguas transiit. Ortum eius repetere solent ab exclamatione illa admirantium, qua ad primum aspectum manna unusquisque dicebat proximo suo מָן הוּא; et additur : *ignorabant enim quid esset* (Ex. 16,15). Vulgata voci *Manhu*, quam retinet, adicit : *quod significat : Quid est hoc?* LXX aliique eandem versionem nullo addito voci hebr. substituunt. Ac veteres LXX (Vet. Lat.) vel Vulg. secuti, inde a *Philone* (Leg. alleg. II. 21, alibi) ac *Iosepho* (Antiq. III. 1,6) vix non omnes (cf. *Corn. a Lap.* i. h. l.), et recentiores plerique illam interpretationem tuentur. Ea tamen difficultatibus minime caret.

מָן (sic!) pronomen interrogativum est *aramaicum*, non hebraicum. Ps. 60,8

(hebr. 61,8) unicus locus est, quo מַן legitur in hebr.; ac licet Vulg., LXX illud vertant *quis?* τίς; tamen concipiendum est ut imper. apoc. *tribue* (cf. commentarios i. h. l.). Insuper in aram. S. Scripturae מַן *semper significat: quis?* (Esdr. 5,3. 9; Dan. 3,15; cf. Dan. 3,6. 11; 4,14. 22. 29; 5,21) non vero : *quid?* Unicus enim locus, qui aliud suadere videtur, מַן־אִנּוּן שְׁמָהַת גַּבְרַיָּא (Esdr. 5,4) explicandus est ad analogiam Iud. 13,17 מִי שְׁמֶךָ (cf. Onkelos Gen. 32,27; Ex. 3,13). Hinc factum est, ut *Symmachus* verteret מָן הוּא τίς ἐστιν τοῦτο; (ap. *Field*, Hexapla I. 190[b] i. h. l.). — Sola lingua syriaca posterior novit formam מָן = *quid?* Loci quos affert *Levy* ex Targumim hierosolymitanis ad probandum מָן (מָאן) = *quid?* ad unum omnes admittunt communem significationem *quis?* vel *qui?* (Wörterb. z. d. Targg. II. 45[b] s. v. מָן), immo Gen. 33,8 respondet hebraico : מִי. Forma vero syriaca contracta est ex : מָא־דְנָא, מָא־דֵין (ap. *Kautzsch*, Gramm. d. Bibl. Aram. p. 44; *Nöldeke*, Syr. Gramm. *ed.* 2, p. 46; *Zimmern*, Vergl. Gramm. p. 78). — Defensores igitur illius interpretationis : *Quid est hoc?* veteres quidam (*Bochart*, Geogr. sacra 67 C, *Grotius*, Annot. i. h. l.) recurrunt ad assertionem *Hiskuni*, מָן esse interrogativum Aegyptiorum (!). Neque felicior est coniectura quam proponit *L. Reinke* (Beitr. z. Erkl. d. A. T. V. 316-22), aramaismum illum (v. supra!) facile intellegi ex eo, quod Iacob ex Aram utramque duxerit uxorem ac filii eius fere omnes diutius in Aram vixerint. *Kaulen* vero (ap. *Wetzer u. Welte*, Kirchenlex. *ed.* 2 VIII. 615 s. v. Manna) mere asserit hanc esse formam semiticam veterem, quae licet in litteratura hebr. non inveniatur, tamen in ore populi servata sit. Neque enim lingua aramaica (v. supra) eam servavit neque aethiopica, cui *mannū* = *quis?* et *ment* = *quid?* (cf. *Dillmann-Bezold*, Aeth. Gramm. 297 s.). *Wright* (Compar. Gramm. p. 123) utique putat primitivam formam pronominis interrogativi apud Semitas

fuisse : *man* masc., dein de personis, et *mant* fem., dein de rebus (cf. *Michaelis*, Suppl. ad Lex. hebr. 1517 s. v. מָן). *E. Kautzsch* (Gramm. d. Bibl.-Aram. p. 44 n. 1) eo quod putat in codice sacerdotali (P) fortem quoque aramaismum admitti posse, nil vere explicat; sed neque *Buhl* (ap. *Gesenius-B.* Hebr. u. aram. Wörterb. *ed.* 14, p. 391[ab] s. v. מָן I et II) qui, cum alleget *Kautzsch*, o. c. p. 61 s., videtur cogitare de נ afformativo, ut *Corn. a Lap.* i. h. l., quidquam rationis profert, nisi quod putat contextum Ex. 16,15 postulare hunc sensum. Ad summum popularis quaedam etymologia hic admitti posset (*Brown-Driver-Briggs*, Hebr. and Engl. Lex. 577[b] s. v. מָן II).

Derivationes igitur aliae ab aliis propositae sunt, qui partim semiticam partim alienam defendunt originem. Ita *Fürst* (Concord. p. 648[b]), quia Num. 11,7 manna comparatur cum בְּדֹלַח, quod ipse tenet significare margaritam (cf. s. v. BDELLIUM), nomen derivat a sanscr. *mani* = *margarita*. — Rabbini generatim (ap. *Buxtorf*, diss. de manna in *Ugolini*, Thes. VIII. 587-92) a verbo מָנָה = *constituit*, hinc = *portio, donum* nomen repetunt; vel a radice מנן = *divisit, benevolus fuit* (*Gesenius*, Thes. II. 799[ab] s. v. מָנַן et מָן), ut sit = *donum, beneficium* sc. Dei vel caeli. Huic congruit arabicum *mann es-sama'* = *donum caeleste*, quo nomine Arabes manna naturale designant. — Observat *Winckler* (Altor. Forsch. II. 322 s.) in inscriptione palmyrena occurrere מן pro cibo immortalium.

Quidquid senseris de etymologia vocis, Ex. 16,15 ea non videtur tradi, ne popularis quidem; sed מָן eo loco eandem habet significationem ac omnibus aliis locis : *manna*. Nam significatio *donum*, vel ut habet versio persica : *beneficium*, eo loco substituta non facit aptum sensum. Targum *Onkelos* (*ed. Berliner*) ibi ponit : מַנָּה הוּא et Ps. Ionathan מאן הוּא eodem modo est intellegendus (v. supra). Cod. Ambrosianus (= VII *Holmes* = F. *Swete*) secunda manu ha-

bet lectionem : μὰν αὐτό (ap. *Field,* Hexapla I. 109ᵉ i. h. l. et n. 15). Immo apud eos, qui textum hebraicum denuo verterunt vel commentaria in hebr. scripserunt, satis frequenter ita Ex. 16,15 concipitur. Ita sensit ex rabbinis *Is. Arama* (ap. *Buxtorf* l. c.), praeterea *Luther, Münster,* versio Tigurina, anglicana, italica *Diodatii, Houbigant, Dathe, Venusi,* porro *Salmasius, Clericus* alii, recentissime *I. K. Zenner* et *N. Peters* (Zeitschr. f. kath. Theol. XXIII. 1899 p. 164-66; 367). Ut vero comma illud : *ignorabant enim quid esset,* commodum sensum habeat, retineatur oportet cum *Zenner, Venusi* constructio interrogativa; nisi quis admittere velit, rotunde negari, id quod videbat populus fuisse manna. — Sed et si quaerunt : Estne hoc manna? supponitur Israelitas aliquam notitiam praeviam de eo habuisse. Non obstat Deut. 8,3. 16, ubi asseritur manna non novisse nec Israelitas nec patres eorum, cum hoc dici vere possit, licet externum rei aspectum noverint, cum practice eis manserit ignotum.

Revera in monumentis Aegypti dicitur inveniri sub nomine *mannu* vel *mannu ḥet,* (*Brugsch : mennu, mennuḥât*) (manna album) eadem substantia, quae nunc quoque in peninsula sinaitica ex tamarice colligitur et ab Arabibus eodem nomine *mann* appellatur (cf. *G. Ebers,* Durch Gosen zum Sinai p. 226 s.). Utrum nomen ipsum sit vox aegyptiaca genuina an, ut multa alia, una cum re a Semitis accepta, nil refert. At ea quae *Ebers* ex monumentis templi in Edfu affert, aetate non ascendunt ultra saec. III. a. C., cum hoc templum nobis servatum demum a Ptolemaeo I. Lagi (323-285) loco antiquioris templi conditum sit, ut monet *Schegg* (Bibl. Arch. p. 261). Plura vero affert *Brugsch* (Wörterb. II. 655; VI. 606 s.), sc. Papyrum Harris I. 33,6 ex Dynastia vigesima (saec. XII-XIII. a. C. n.) et alia (Pap. Bulaq) quorum tempus determinare non possum. *F. Woenig* (Pflanzen i. alt. Aeg. p. 343) generaliter dicit ea esse antiquissima. Fortasse vero hoc dictum est de nomine *âser,* quod *Brugsch* (Wörterb. I. 125) tribuit tamarici orientali, cui nulla est ad manna relatio. Ipse tamen (ib. VI. 606 s.) eandem tamaricem primo loco ponit inter arbores, quarum resina colligatur. Vox hebraica respondens *âser* est אֶשֶׁל, arabica *aṯl,* quae non sunt nomina specifica tamaricis manniferae. Nomen autem correspondens copticum *ose, osi* designat hanc, quam Arabes vocant *ṭarfa.* (*V. Loret,* La flore pharaonique *ed.* 2, p. 79). Quae autem Arabibus est *aṯl,* Coptis vocatur *pi-nam.* Probabilius igitur *âser* est nomen tamaricis genericum. Tota igitur quaestio, an Aegyptii ante Moysen nomen manna habuerint, certo responso caret. Duobus enim in textibus legitur *mnnn* (*Harris* I. 33,6; *Brugsch,* Recueil IV. 85 a). Fortasse idem nomen est *mn* album, quod videtur provenire ex arbore *'imḫri* (*Brugsch,* Rec. IV. 88,27), et est species *'ntjw* (= myrhae?). Prius (*Harris*) est species turis (Ex privata communicatione professoris *Erman*). — Nihilominus mirandum esset, si Aegyptios, qui ex remotissima aetate fodinas in peninsula sinaitica et hinc frequens cum ea commercium habebant et aromatum ac resinarum erant studiosissimi, manna tamaricis latuisset, aut si illud in Aegyptum non asportassent (cf. *Flinders Petrie,* Researches in Sinai).

Neque graecis et latinis auctoribus aut res aut nomen ignota erant. Legitur nomen μάννα eo sensu, ut sit granum vel mica turis *Galen.* Κατὰ τόπους 4, *Diosc.* I. 74 (ap. *Stephanum,* Thes. *ed. Hase* V. 569 s. v. μάννα), similiter Antiatt. Bekk. p. 108,23, *Aeneas,* Tact. c. 35 (ibid.). Ex latinis eandem explicationem dat *Plin.* Hist. nat. XII. 35 (*ed. Detlefsen* XII. 14,62) : micas (turis) concussu elisas mannam vocamus. Item *Vegetius,* Artis vet. V. 21,3 (*ed. J. G. Schneider*) mannam turis, III. 39,3; V. 23,12; VI. 13,3 mannam croci, V. 22,4; 27,6 mannam succari commemorat (cf. micas turis : *Colum.* De re rust. II. 30; similia apud medicos, velut *A. Corn. Celsum,* De medic. VI. 11, *Scribonium Largum,* Composit. 81 legi dicuntur. Alii hinc concipiunt *mannam* veteribus significare idem quod *granum, micam,* alii succum plantarum concretum. E lexicographis priori sensui favet *Photios,* Lex. s. v.

μανόν, cuius verba *Suidas*, Lex. s. v. μάννα repetit. Idem vero *Suidas* s. v. ἀκρὶς μάννα sensu mellis agrestis = aërii exponit. — Generatim quod nobis est *manna*, classicis erat mel aërium vel roscidum. Locos v. ap. *Theophr. ed. J. G. Schneider* IV. 818-24, vel ap. *Ritter* l. c. 686. — Plerique auctores, qui vocem adhibent utique sunt posterioris aetatis; solus *Aeneas Tact.* est coaetaneus Xenophontis. Nomen igitur apud Graecos ante tempora Alexandri M. notum erat. At de accurata eius significatione non videtur sufficienter constare, ut liceat concludere manna veteribus notum fuisse, quin eius nomen hauserint a Iudaeis.

Cf. praeter Lexica hebraica et biblica *J. Buxtorf*, Diss. de manna ap. *Ugolini*, Thesaur. VIII. 587-92; *L. Reinke*, Beitr. z. Erkl. d. A. T. V. 314-25; *W. Carpenter*, Scripturae hist. nat. ap. *Migne*, Script. S. cursus compl. III. 610 s.; *C. F. Keil*, D. Bücher Moses I. 433; *A. Dillmann*, D. Bücher Ex. u. Lev. *ed.* 2, p. 173); *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 260 s.; *J. K. Zenner*, בן הוא, in Zeitschr. f. kath. Theol. XXIII. 1899 p. 164-66; *H. Stephanus*, Thes. ling. graecae *ed. Hase* V. 568 s. v. μάννα.

Vulgata semel, Bar. 1,10 quod ex Vet. Latina transsumptum est, LXX praeterea etiam Neh. 23,9; Ier. 17,26; 48,5 hebraium מִנְחָה = *sacrificium* reddunt : *manna*, μαννά.

H. I. CLADDER.

MANOCHO (Ios. 15,59 LXX Μανοχώ), una ex illis undecim urbibus montis Iuda, quae apud LXX l. c. leguntur, sed in textu massorethico et Vulgata desiderantur. Est prope Bethlehem vel Ierusalem quaerenda, ut reliquae urbes eiusdem seriei, sed hucusque ignota. Fortasse componi potest cum illa generatione iudaica bipartita Manahath 1 Par. 2,52. 54 et etiam cum urbe vel regione Manahath 1 Par. 8,6 (de quibus vide s. v. MANAHATH 2 et 3). Situs in confinibus Iuda et Beniamin omnibus textibus satisfacere videtur.

MANUE (מָנוֹחַ, Μανωέ), pater Samsonis, Danita, oriundus de Saraa urbe danitica in superiore parte Sephelae sita (Iud. 13,2-22). Ex circumstantiis quae nativitatem Samsonis praecedebant, colligitur Manue fuisse cultorem Iahwe, virum hospitalem necnon ad formidinem pronum. A Flavio Iosepho (Ant. V. 8,2) dicitur Danitarum inter paucos optimus et patriae sine controversia princeps; num Iosephus ea, quae l. c. narrationi S. Scripturae superaddidit, ex traditione fide digna hauserit, merito dubitatur. Eiusdem mentio fit iterum Iud. 14,2-10 : Samsoni Philisthinam de Thamnatha urbe uxorem ducturo parentes primum obsistunt, sed frustra; deinde ipsum duabus vicibus Thamnatham comitantur, prima vice ut mulierem sibi desponsaret, altera vice ut nuptiae in domo sponsae celebrarentur (quoad hunc ritum a Hebraeorum usu diversum cf. *F. de Hummelauer* ad Iud. 14,10). Ex narratione Iud. 16,31 Samsonem a cognatis suis sepultum esse in sepulcro patris sui Manue, aliqui concludunt Manue ante Samsonem e vita decessisse; alii (*Serarius*, *F. de Hummelauer*) vim huius illationis negant.

MAOCH (מָעוֹךְ, Ἀμμάχ), pater Achis regis Geth (1 Reg. 27,2); v. MAACHA 8.

MAON (מָעוֹן, Μαών). **1.** In genealogia Iuda recensetur Maon filius Sammai et pater Bethsur (1 Par. 2,45). Bethsur est urbs in montanis Iuda (v. BETHSUR); Sammai est unus ex posteris Hebron per Recem descendens (cf. s. v. HEBRON 2).

2. Urbs tribus Iuda in tertia provincia montis (Ios. 15,55; LXX Μαών), patria Nabal mariti Abigaïl (1 Reg. 25,2). In desertum Maon David cum 600 viris profugus se recepit, quando Ziphaei eius latebras Sauli priore vice indicarunt (1 Reg. 23,24. 25). Hodie *Khirbet Ma'în* meridiem versus a *Zîf* (Ziph) et prope *Kurmul* (Carmel). Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 404. 415; *V. Guérin*, Judée III. 170-2; *Stanley*, Sinai and Palestine, London 1871, p. 530.

3. In textu hebraico Iud. 10,12 legitur מָעוֹן; Vulgata : Chanaan, Targ. Ionathan מָעוֹן, Syrus transpositis literis עמון; praeter Vulgatam etiam Symmachus Chananaeos habet. Sed ceteris probabiliorem esse lectionem LXX Μαδιάμ

censet *F. de Hummelauer*. Allusio ad bellum madianiticum tempore Gedeonis utique contextui congruit.

MAONATHI (מְעוֹנָתִי, Μαναθί), filius Othoniel filii Cenez ex posteris Iuda (1 Par. 4,13. 14; sed in textu massor. 4,13 nomen omittitur).

MAONITAE v. MUNIM.

MAOZIM (מָעֻזִּים, Μαωζείμ) deus, quem Antiochus IV. Epiphanes superbia elatus unum colebat spretis reliquis idolis ac vero Deo (Dan. 11,38. 39). Ut Vulgata, ita Theodotion quoque vocem hebraicam retinuit. Sed iam Aquila vertit : deum κραταιωμάτων (*Field*, Hexapla) seu deum fortitudinum (ut refert S. Hieronymus ad Dan. 11,38). Unde plerique (*Vatablus, Sanctius, Lapide, Maldonat, Mariana, Knabenbauer*, alii) interpretantur deum munitionum vel praesidiorum, deum igitur belli. Haud improbabiliter nonnulli censent subintellegendum esse Iovem capitolinum, qui templum in arce habebat ut Iupiter stator et cui spolia opima a victoribus consecrabantur; narrat enim *Livius* (41,20) Antiochum Iovi capitolino aedes magnificas Antiochiae erigere coepisse. Aliis tamen praeplacet Iupiter olympius; hunc enim quoque Antiochus coluit (2 Mach. 6,2) eidemque templum magnificum Athenis aedificare coepit (*Livius* l. c.).

MAPSAM v. MABSAM.

MARA. 1. Mara (מָרָה, Ex. 15,23 Μερρᾶ bis et Πικρία semel, Num. 33,8. 9 Πικρίαι), prima statio Israelitarum, trium dierum itinere distans a loco, quo mare Rubrum traiecerunt (Ex. 15,23; Num. 33,8. 9). Murmurante ibidem populo ob aquae inopiam Moyses aquas amaras mutavit in dulces iniecto ligno, quod Deus ei ostendit. Quoad situm adnotat *F. de Hummelauer* ad Ex. 15,23 : « Mara et Elim auctores variis locis demonstrant, prout varium Hebraeorum trans mare iter descripserunt. Nobis ceteris magis arridet sententia *Hilzig*, Mara idem esse atque *ʿAin Naba* vel *ʿAin el-Gharqada*, quod tribus horis distat a Suez meridiem versus habetque fontem abundantissimum aquae salsae. Ab hoc loco horae itinere meridiem versus abest *ʿAin Mūsā* (Fons Moysis), oasis fertilis, ubi plures sunt fontes aquae parum tantummodo salis habentis. Omnino crediderim *ʿAin Mūsā* alterutrum esse locum, aut Maram aut Elim ».

Plerique vero Mara agnoscunt in *ʿAin Hawara* meridiem versus a *Wādi el-ʿAmāra* iuxta sinum Heroopoliticum et fere 75 km a Fonte Moysis (*ʿAyūn Mūsā*).

Cf. *J. L. Burckhardt*, Reisen in Syrien, *ed. Gesenius*, Weimar 1823-4, p. 777-9 et p. 1071; *G. H. v. Schubert*, Reise in das Morgenland II. (1839) p. 274; *Robinson*, Pal. I. 102 ss. 106 ss. 110 s. 116 s.; *Grant*, Egypt and Sinai s. 197; *Wellsted*, Travels in Arabia II. p. 39 s.; *Lottin de Laval*, Voyage dans la péninsule arabique du Sinaï, Paris 1855-9, p. 214; *Bartlett*, From Egypt to Palestine p. 198; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II, p. 451-3.

2. Mara (מָרָא, *Qeri* מָרָה; LXX B Πικρά, A Πικρία), nomen, quo Noemi vocari desiderat : « Ne vocetis me Noemi (i. e. pulchram), sed vocate me Mara (i. e. amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens » (Ruth 1,20).

MARAI v. MAHARAI.

MARAIA (מְרָיָה; LXX B Μαρεά, A Μαριά), princeps familiae sacerdotalis Saraiae in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,12).

MARAIOTH Esdr. 7,3 et Neh. 12,15 v. MERAIOTH 1 et 3.

MARAN ATHA (μαρᾶν ἀθᾶ) legitur 1 Cor. 16,22 : Si quis non amat (φιλεῖ) Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha. Voces esse aramaicas (מָרָנָא אֲתָא) iam S. Hieronymus (ad Marc. ep. 26,4) recte monuit. De sensu vocum nihil certi traditum est. Plerique interpretes cum Patribus graecis vertunt : *Dominus noster venit* et significari volunt vel primum Domini adventum vel secundum. Alii vero (*Bickell*, Zeitschrift für kath. Theol. Innsbruck VIII. 1884 p. 403; *Cornely* ad 1 Cor. 16, 22) vertere malunt : *Domine noster, veni* et hac precatione Dominum rogari dicunt, ut adventum suum acceleret et illam exsecrationis sententiam exsecutioni mandet.

MARCUS (Μάρκος), auctor secundi Evangelii. « Ioannes, qui cognominatus est Marcus », erat filius Mariae, mulieris hierosolymitanae, in cuius domum S. Petrus e carcere ab angelo liberatus se contulit, ubi erant multi congregati et orantes (Act. 12,12). Unde colligitur Marci familiam fuisse nobiliorem et ab initio rei christianae fidelem, cum in eam domum Christifideles hierosolymitani convenire solerent. Erat Marcus consobrinus Barnabae (Col. 4,10) levitae (cf. Act. 4,36) ideoque probabiliter ex levitico genere. Paulus et Barnabas Hierosolymis, quo eleemosynas detulerant, Antiochiam revertentes assumpserunt Ioannem, qui cognominatus est Marcus (Act. 12,25) et in primo suo itinere apostolico eum in ministerio habuerunt (13,5). Profectus igitur est cum illis Seleuciam, Cyprum, Pergen Pamphyliae; at in hac urbe ab eis discedens Hierosolyma revertit (13,13). Cur discesserit, alii causam assignant labores apostolicos, quibus ferendis impar fuerit, alii liberiorem agendi modum Pauli ab observatione legalium recedentis. Quare Paulus, cum ad secundum iter apostolicum se accingeret, Barnabae Ioannem Marcum secum assumere cupienti non acquievit; facta igitur dissensione Paulus cum Sila in Ciliciam profectus est, Barnabas assumpto Marco ab Antiochia Cyprum navigavit (15,37-39). Postea vero Paulus in priore captivitate Romae Marcum secum adiutorem habuit (Col. 4,10. 11; Philem. 24) et Colossensibus scribit : si venerit ad vos, excipite illum; ceterum ex salutationibus, quas et Colossensibus et Philemoni a Marco transmittit, Marcum iam antea Colossis fuisse apparet. In altera vero captivitate romana paulo ante mortem suam ad Timotheum, qui Ephesi commorabatur, scribit : « Marcum assume et adduc tecum; est enim mihi utilis in ministerium » (2 Tim. 4,11). At non Pauli tantum, sed etiam Petri socium fuisse Marcum innuitur 1 Petr. 5,13 : « Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone (i. e. Romae) coelecta et Marcus filius meus »; quia Petrus eum « filium suum » nominat eiusque salutationes transmittit electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae, iuremerito affirmatur Marcus arto vinculo spirituali cum Petro coniunctus eiusque socius fuisse in illis quoque regionibus evangelizandis. Atque haec ex S. Scriptura de Marco habentur.

Non defuerunt inter modernos historiographos et interpretes, qui duos Marcos distinguendos esse putarent, unum Ioannem Marcum, Mariae hierosolymitanae filium et Barnabae consobrinum, Pauli socium, alterum vero Marcum Petri socium et Evangelii auctorem (*Baronius*, *Tillemont*, *Cotelerius*, *Patrizi*, *Danko*, *Lamy*, *Drach* et ex protestantibus *Grotius*, *Schleiermacher*, *Kienlen*, alii). Attamen hodie plerique unum eundemque Marcum Petri et Pauli socium fuisse consentiunt.

Cf. *Schanz*, Comm. zu Marcus 1881 p. 2 ss.; *Knabenbauer*, Comm. in Marc. 1894, p. 3; *Kaulen*, Einleitung *ed.* 4, 1899, num. 469; *Felten* in Kirchen-Lexicon *ed.* 2 VIII. 1893 p. 671 ss.; *Cornely*, Introd. III. *ed.* 2, 1897 num. 23.

S. Marcum fuisse ex septuaginta duobus discipulis asserit S. Epiphanius (Haer. 51,6), negant Patres antiquiores cum Papia (*Euseb.* Hist. eccl. III. 39), qui Marcum neque Dominum audivisse neque sectatum esse refert. Quae verba Papiae non impediunt, quominus multi recentiores probabiliter assumant Marcum fuisse illum adolescentulum (νεανίσκον), qui Marc. 14,51 narratur Dominum a Iudaeis captum secutus esse et linteo relicto profugisse. Ipsa quidem narratione maxime suadetur, iuvenem illum fuisse ex familia villici, cui cura horti Gethsemani erat commissa. Iamvero sunt, qui putent hortum Gethsemani et villam fuisse matris Marci (cf. *Expositor*, 4. ser., 3. vol. p. 222. 230). Attamen haec sunt incerta neque deficiunt aliae rationes, cur Marcus istum eventum Evangelio inserere potuerit. Cf. *Knabenbauer* ad Marc. 14,51.

Marcum per longum tempus Petri socium et discipulum fuisse Clemens Alex. (apud *Euseb.* Hist. eccles. II. 14) diserte testatur, alii Patres satis innuunt, interpretem Petri eum appellantes. Petro autem sese adiunxisse magna cum pro-

babilitate putatur, quando e secundo suo itinere cum Barnaba Cyprum suscepto Antiochiam rediit. Eusebius (Hist. eccl. II. 16), S. Hieron. (De vir. ill. 8) aliique ecclesiam alexandrinam ab eo fundatam esse testantur. De anno mortis eius scriptores non conveniunt.

MARDOCHAEUS (מָרְדֳּכַי, Μαρδοχαῖος). **1.** Princeps populi (Neh. 7,7); v. MARDOCHAI.

2. Liberator Iudaeorum, de quo in libro Esther cp. 2-16. Erat Beniaminita, qui Susis, in capite regni Persarum, habitabat, cuius familia una cum Iechonia rege Iuda in captivitatem babylonicam abducta erat, nutritius filiae fratris sui Edissae seu Esther, quam utroque parente orbatam in filiam adoptavit. Reliqua vide s. v. ESTHER. Mardochaei dies 2 Mach. 15,37 [graece 36] designat festum Phurim (vide s. v.).

MARDOCHAI (מָרְדֳּכַי, Μαρδοχαῖος), princeps, qui cum Zorobabel et Iosue ex captivitate rediit (Esdr. 2,2; Neh. 7, 7); in Vulgata Neh. 7,7 scribitur Mardochaeus.

MARE (יָם, θάλασσα) sine addito in S. Scriptura omnem maiorem congregationem aquarum designat, imprimis oceanum praesertim in forma plurali יַמִּים, maria (Gen. 1,10; Ps. 8,9; 23(24), 2 etc.), deinde maria quaedam particularia scil. Mediterraneum et Genesareth (vide s. vv.) atque etiam fluvios praegrandes, qui maris instar totam late regionem irrigant inundantque, ut Nilum (Nah. 3,8b; Is. 18,2; 19,5) et Euphraten (Ier. 51,36; probabiliter Is. 27, 1). Praeterea mare aeneum dicitur mare sine addito, et in Vulgata interdum legitur mare loco Tharsis.

In S. Scriptura mare opponitur terrae, orbem terrarum undique circumfundit eiusque extremos fines repraesentat (Ps. 64[65],6; 71(72],8; 138[139],9; Zach. 9,10). Est imago immensitatis sapientiae divinae (Eccli. 24,39); quae numerari non possunt, aequiparantur arenae in litore maris (Gen. 22,17; 32,12; 41,49; Ios. 11,4; Iud. 7,12 etc.). Sonitus ac tumultus aquarum eius efferuntur Ps. 45[46],4. Ab ipso Deo mare suis terminis est conclusum, arena vili obsignatum, fremitu fluctuum suorum praedicans divinam sapientiam, potestatem, maiestatem (Iob 26,12; 38,8 ss.; Ps. 32 [33],7; 88[89],10; 103(104],6 s.; 106 [107,25 ss.; Prov. 8,29; Ier. 5,22). Aptissime hostes Ierusalem comparantur mari saevienti, quod cum ingenti fragore vastos fluctus in obiectas rupes devolvit (Is. 5,30; Ier. 6,23); Deus cessare facit tumultum marium, tumultum fluctuum eorum et strepitum populorum (Ps. 64 [65],8), ascendere facit ad Tyrum humiliandam gentes multas, sicut ascendere facit mare fluctus suos (Ez. 26,3). Ex mari magno i. e. ex multitudine gentium exsurgunt quattuor illa regna mundi, quorum indoles terrena, ferox, crudelis symbolo quattuor bestiarum exhibetur (Dan. 7,2. 3); de mari quoque ascendit bestia septem capitum et decem cornuum, Deum blasphemans (Apoc. 13,1). Sicuti impiorum superbia ac ferocitas, ita eorundem miseria ac ruina imagine maris illustrantur; impii enim cupiditatibus exagitati misere iactantur tamquam mare saeva tempestate agitatum et instar aquarum inundantium ubique coenum et lutum efficiunt; se ipsos et quantum possunt alios quoque miseros reddunt (Is. 57,20).

MARE AENEUM (1 Par. 18,8; Ier. 52,17; mare aereum 4 Reg. 25,13) seu mare fusile (3 Reg. 7,23; 2 Par. 4,2) seu breviter mare (3 Reg. 7,44; 4 Reg. 16, 17; 2 Par. 4,15) est magna illa pelvis, quae pro labro aeneo, quod Moyses in tabernaculo posuerat, in templo salomonico ponebatur inter altare holocaustorum et porticum. Vocabatur mare propter magnitudinem. Eius grossitudo erat palmae et labium quasi calicis labium flosque lilii. Subter labium erant colocynthides, globuli instar cucurbitarum, duplici ordine, ita ut ad singula cubita circuitus denae colocynthides ornatus gratia numerarentur. Innitebatur mare aeneum duodecim bobus aeneis, e quibus tres respiciebant ad aquilonem, tres ad occidentem, tres ad meridiem, tres ad orientem. Erat rotundum, habens decem cubita a labio usque ad la-

bium, altitudine quinque cubita, ambitu 30 cubita. Capiebat duo millia bath (3 Reg. 7,26; sed 2 Par. 4,5 mendose tria millia bath).

Sed varia dubia moveri possunt tam contra aptitudinem receptaculi, quod 12 bobus erectis superpositum quinque cubita altitudinis habet, quam contra textus allatos, qui corruptionibus videntur laborare sicut multi textus de salomonicis aedificiis operibusque arte factis. Cf. quae *F. de Hummelauer* exponit in Bibl. Zeitschrift IV. 1906 p. 225-231.

MARE MEDITERRANEUM in S. Scriptura vocatur mare sine addito (Ios. 19,26; 1 Mach. 14,34; 15,11; Act. 10,6. 32) vel mare magnum (Num. 34,6. 7; Ios. 1,4; Ez. 47,10) vel mare occidentale seu postremum (Deut. 11,24; Ioel 2,20; Zach. 14,8) vel mare Palaestinorum seu Philisthaeorum (Ex. 23,31). A Tyro usque ad Accho (Ptolemaida) ora maritima est saxosa et praerupta; medium fere inter Tyrum et Accho prosilit arduum promontorium *Rās el-Nāqūra* seu Scala Tyriorum. Sinus, qui ab Accho usque ad Carmelum protenditur, et egregium ad tenendas ancoras locum praebet, circumdatur planitie partim arenosa partim paludosa partim etiam frugifera. A Carmelo meridiem versus decurrit litus arenosum, quod hinc inde v. g. apud Ioppen et Ascalon rupibus ad ipsum mare protensis interrumpitur. Arenae litoris orientem versus desinunt in duas magnas planities, quarum prior, Saron (vide s. v.), a Carmelo Ioppen usque protenditur, altera scil. Sephela (v. IUDA 2) a Ioppe usque ad torrentem Aegypti (*Wādi el-ʿArīsh*).

Ex hac orae maritimae descriptione iam colligitur admodum paucos fuisse navibus accessus vel portus. Commemorantur in Vetere Testamento portus, in quibus Aser morabatur (Iud. 5,17), et Ioppe emporium (2 Par. 2,16; Ion. 1,3), in Novo Testamento portus Caesareae (Act. 23,23; 25,1. 13 et cf. 27,2), etsi non natura, sed manu et arte constructus. De portu Gazae vide s. v. GAZA. Multitudo piscium maris Mediterranei laudatur Ez. 47,10; cf. etiam Ps. 103 [104],25.

In mari Mediterraneo nominatim memorantur Act. 27,17 Syrtis (maior) et 27,27 Adria (vide s. vv.).

MARE MORTUUM, in quod Iordanis influit, hoc nomen aetate romana sortitum est « propter magnitudinem et aquae immobilitatem » (*Iustin.* Hist. XXXVI. 3,6. 7); « hoc ipsum mare Mortuum diversa admodum a ceteris aquis omnibus natura est » (*Pausan.* V. 7, 5). Idem nomen transiit in Vulgatam Ios. 3,16 : mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum); sed loco parenthesis textus hebr. et graecus praebent : mare salis. Vocatur in S. Scriptura יָם הַמֶּלַח, ἡ θάλασσα τῶν ἁλῶν, θάλασσα ἡ ἁλυκή, mare salis (Gen. 14,3), mare salsissimum (Num. 34,3. 12) vel יָם הָעֲרָבָה, ἡ θάλασσα ἡ Ἀραβά, mare solitudinis (Deut. 4,49, LXX h. l. omitt.; 4 Reg. 14, 25). Interdum utroque nomine coniuncto vocatur יָם הָעֲרָבָה יָם הַמֶּלַח, θάλασσα Ἀραβά, θάλασσα ἁλυκή (τῶν ἁλῶν), mare deserti quod est (mare) salsissimum (Deut. 3,17; Ios. 12,3) et Ios. 3,16 ἡ θάλασσα Ἀραβά, θάλασσα ἁλός, mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum). In libris posterioribus denique nominatur הַיָּם הַקַּדְמוֹנִי, ἡ θάλασσα ἡ πρὸς ἀνατολάς, ἡ θάλασσα ἡ πρώτη, mare orientale (Ez. 47,18; Ioel 2,20; Zach. 14,8) in oppositione ad mare Mediterraneum seu occidentale. In libro apocrypho 4 Esdr. et apud Talmudicos dicitur mare sodomiticum, apud geographos arabicos *Edrisī* et *Abulfedā* mare Zarae, mare Zoar, apud *Muqaddasī* mare inversum (cf. *J. Gildemeister* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VII. 1884 p. 171 : *der umgestürzte See; Guy le Strange* in versione anglica, London 1886, p. 63 vertit : *the Overwhelming Lake*). Apud Graecos ac Romanos nomen maxime usitatum est mare Mortuum vel etiam lacus Asphaltites (*Flav. Ios.* Bell. iud. VI. 8,4 ἡ Ἀσφαλτῖτις λίμνη). Arabes mare Mortuum communius appellant *Baḥr Lūṭ* i. e. lacum Lot; narrationem enim biblicam de Lot etiam Muhamedus in Koranum recepit.

Apud Flavium Iosephum l. c. longitudo lacus indicatur 580 stadiorum (c. 107 km), latitudo 150 stadiorum (c. 27 km). Sed hanc mensuram latitudinis

Iosepho errori vertendam esse inde colligitur, quod lacus ex parte orientali et occidentali montibus ac rupibus coercetur. Hodie latitudo eius maxima est 15,7 km, longitudo 76 km. Ceterum ea, quae circa lacum desederunt, scil. lapides arenacei, calcarii, dolomitae, margae, pyritae, indubie ostendunt lacus extensionem et copiam aquae prioribus temporibus multo maiorem fuisse. Secundum *Clermont-Ganneau* (L'embouchure du Jourdain dans la mer Morte : Comptes rendus de l'Acad. des Inscriptions XXI. 1893 p. 14) ripa aquilonaris saeculis praeteritis multum recessit scil. 700 annis fere 4 km.

Maris Mortui duae partes distinguuntur paeninsula plana et sterili *el-Lisān* (i. e. lingua, cf. Ios. 15,2), quae ex ripa orientali inferiore in mare protenditur : pars maior septemtrionalis, cuius profunditas plus minusve est 329 m, maxima autem 399 m et pars minor meridionalis, cuius profunditas 3,6 m non excedit nisi uno loco (6 m). Latitudo freti inter *el-Lisān* et ripam occidentalem est 4,5 km. Maris Mortui aequor iam 393,8 m infra aequor Mediterranei depressum est; superaddita igitur profunditate maxima 399 m habetur profunditas ipsius hiatus terrae scil. 792, 8 m, quo profundior hiatus non innotuit.

Aquae, quarum maximam partem Iordanis fluvius, exiguam torrentes ab oriente et occidente mari infundunt, exitum non habent. Quotidie seu 24 horis influunt 6500 milliones litrorum. Quotidie igitur aequor circiter 14,5 mm ascendere deberet, nisi fieret exhalatio continua, quam calor aëris praesertim inter rupes cretaceas multum auget. Inde facile explicatur aquae salsitudo, quae sexies tanta est quanta salsitudo aquae in oceano. Insunt enim in aqua lacus 24-26 % mineralium, 3-4 % in superficie aquae, 27,8 % in profunditate 300 m. Aqua igitur post exhalationem residua istis mineralibus satiata reperitur. Praevalet Na Cl seu Chlornatrium (7 %), quod ex aquis salsis in valle Iordanis vel forte etiam ex sedimentis ipsius lacus originem habet. Accedunt Mg Cl_2 seu Chlormagnesium, quo amaritudo saporis et Ca Cl_2 seu Chlorcalcium, quo mollitudo oleacea aquae efficitur. Asphaltus seu bitumen, quod medio aevo vocabatur iudaicum (gall. *bitume de Judée*, germ. *Judenpech*) utpote ex Iudaea acquirendum, frequens invenitur tum in sedimentis ipsius lacus tum in ripis, praesertim in sedimentis et ripis partis meridionalis.

Pondus specificum aquae plus minusve 1,166 aestimatur, est autem maius vel minus, prout aqua mineralibus magis vel minus satiata est. Unde explicantur ea, quae iam Flavius Iosephus (Bell. iud. IV. 8,4) de hoc lacu cum aliqua exaggeratione enarrare operae pretium duxit : « Prae levitate etiam, quae gravissima sunt, in eum iniecta fluitant demergique in profundum ne industria quidem facile quis possit ».

Vitam organicam in tali lixivia non provenire facile patet. Non solum pisces ex aquis dulcibus Iordanis in lacum delati, sed etiam pisces marini brevi moriuntur in istis aquis. Conchae et corallia deficiunt.

Cf. *Ritter*, Erdkunde XV. p. 557-780; *W. F. Lynch*, Bericht über d. Expedition d. Vereinigten Staaten nach dem Iordan u. d. Toten Meer, Leipzig 1850; *Sepp*, Ierusalem u. d. hl. Land, *ed.* 2 I. p. 783-836; *Munk*, Palestine 10 s.; *Kaulen*, Das Tote Meer u. d. Hl. Schrift, in periodico Katholik XLIV. (1864) I. 440 ss.; *Duc de Luynes*, Voyage d'exploration à la mer Morte II. 241 ss. III. 1 ss.; *J. Elbert*, Die Entstehung u. Gesch. des Toten Meeres, in periodico Natur u. Offenbarung XLVI. 1900 p. 129-138; *Max Blanckenhorn*, Entstehung u. Gesch. des Toten Meeres, in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIX. 1896 p. 1-59; *id.* Das Tote Meer, Berlin 1898; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 39-42; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien zum III. u. IV. B. d. Könige 1904 p. 268-271.

MARE RUBRUM (יַם־סוּף, θάλασσα ἐρυθρά, sed Iud. 11,16 θάλασσα Σείφ) dicitur primo sinus Suez, olim sinus Heroopoliticus, ad occidentem paeninsulae sinaiticae (Ex. 10,19; 13,18; 15,4. 22; Num. 21,14; 33,10; Deut. 11,4; Ios. 2, 10; 4,24; 24,6; Neh. 9,9; Iudith 5,14; Ps. 105[106], 7. 9. 22; 135[136],13. 15; Sap. 10,18; 19,7; 1 Mach. 4,9; Act. 7,36; Hebr. 11,29) et secundo sinus *'Aqaba*,

olim sinus Aelaniticus ad orientem paeninsulae sinaiticae (Ex. 23,31; Num. 14, 25; 21,4; Deut. 1,1. 40; 2,1; Iud. 11, 16; 3 Reg. 9,26; 2 Par. 8,17; Ier. 49, 21).

Sinus Suez olim longius quam nunc ad septemtrionem protendebatur; comprehendebat etiam lacus Amaros et lacum *Timsāḥ*. Probabilius Hebraei mare Rubrum traiecerunt extremo fere, qui nunc est, lacu *Timsāḥ*, inter hunc lacusque Amaros (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. Ex. Lev. p. 141. 149). — Sinus *ʿAqaba* seu Aelaniticus expeditionibus nauticis inservicbat, quas Salomon in terram Ophir suscepit (3 Reg. 9,26; 2 Par. 8,17) et quas Iosaphat rex infelici successu instaurare conatus est (cf. 3 Reg. 22,49; 2 Par. 20,36).

Mare Erythraeum (ὁ Ἐρυθραῖος πόντος, communius ἡ Ἐρυθρὰ θάλασσα) apud Graecos et Romanos antiquitus dicebatur mare, quod litora Arabiae, Persiae, Indiae alluit, cuius partes erant sinus Persicus et sinus Arabicus. Attamen haec vocis acceptio iam apud veteres auctores non constans permansit. Hodierno usu loquendi mare Rubrum est sinus Arabicus a *Bab el-Mandeb* septemtrionem versus protensus atque huius maris duo sinus *Suez* et *ʿAqaba* in S. Scriptura commemorantur prout supra indicatum est.

De origine et significatione nominis Suph (סוּף) certi quidquam vix dici potest. Vox סוּף Ex. 2, 3. 5 et Is. 19,6 designat iuncum vel etiam varias plantas in ripis fluminum ac maxime Nili crescentes; eadem vox Ion. 2,6 designat fucum, algam (sed Vulg. pelagus). Fieri igitur potuit, ut Hebraei ex Aegypto profecturi illud mare vocaverint Suph vel propter easdem plantas iuxta mare et iuxta Nilum crescentes vel propter algas, quarum in sinu Arabico inveniuntur plurimae, pauciores tamen in sinu Suez, prouti nunc est. Neque certo statui potest, unde maris *Rubri* nomen ortum duxerit; sed hanc quaestionem discutere huius loci non est.

MARES (מָרֶס, LXX omitt.), unus ex septem principibus in aula Assueri regis (Esth. 1,14).

MARESA (Ios. 15,44 מָרֵאשָׁה, alias מָרֵשָׁה; Βαθησάρ, Μαρισά, Μαρησά). **1.** Urbs in campestribus Iuda, in tertia provincia Sephelae sita (Ios. 15,44), cuius pater seu possessor erat Laada ex posteris Sela filii Iuda (1 Par. 4,21), a Roboam munita (2 Par. 11,8), celebris proelio, quo Zara rex Aegypti et Aethiopiae ab Asa rege Iuda devictus est in valle Sephata prope Maresam (2 Par. 14,9. 10), patria Eliezer filii Dodau prophetae tempore Iosaphat (2 Par. 20,37). Michaeas propheta cum allusione ad nomen Maresa vaticinatur urbi alium heredem (יוֹרֵשׁ) adducendum i. e. eam hostibus in possessionem tradendam esse (Mich. 1, 15). Cum Iudas Mach. libertatem Iudaeorum in Idumaea vindicaret, Gorgias dux Syrorum proelio devictus Maresam aufugit (2 Mach. 12,35), Iudas autem eandem cepit ac diripuit (1 Mach. 5,66 quo loco pro *Samaria* legi oportet *Maresa;* cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 8,6). A Ioanne Hyrcano Idumaeis erepta et legibus iudaicis subacta (Ant. XIII. 9,1; 10,2; cf. XIII. 15,4; XIV. 1,4), a Pompeio libertate donata (Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7), a Gabinio proconsule munita (Ant. XIV. 5,3; Bell. iud. I. 8,4), a Parthis funditus deleta est (Ant. XIV. 13,9; Bell. iud. I. 13,9). Eius ruinae cernebantur 2 mil. pass. ab Eleutheropoli (Onom. *ed. Lag.* 279,27; 139,13); hodie exstat *Khirbet Merāsh* 20 minutis a *Beit Djibrīn* meridiem versus. Duae valles prope Maresam ab oriente occidentem versus decurrunt, altera a meridie Maresae, altera ab aquilone.

Alterutra igitur haberi poterit pro illa valle Sephata (צְפַתָה; *Flav. Ios.* Ant. VIII. 12,1 : Σαβαθά *ed. Niese*) iuxta Maresam 2 Par. 14,10; sed textus hebr. fortasse corruptus est, cum LXX vertant ἐν τῇ φάραγγι κατὰ βορρᾶν Μαρησά legentes צְפוֹנָה i. e. aquilonem versus. Cf. *Guérin*, Judée II. 323-326.

Recentius vero Maresa agnoscitur esse *Tell Sandahanne*, circiter 1 km a *Kh. Merāsh* inter meridiem et orientem; ibi enim vestigia urbis antiquae inveniuntur quam plurima neque mirum est, quod nomen antiquum in eadem vicini-

tate ad ruinas illas *Merāsh*, quae minoris momenti sunt, migraverit. — Putant aliqui Maresam esse eandem ac Moresheth Gad; sed vide s. v. MORASTHITES.

Cf. *Dr. Bliss*, Report on the Excavations at Tell Sandahannah in *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1900, p. 319-338; Revue bibl. X. 1901 p. 104-106.

2. Maresa de genere Caleb filii Hesron 1 Par. 2,42 dicitur pater Hebron; Hebron autem erat pater Core, Taphua, Recem, Samma (2,43); erant igitur filii Maresa stirps quaedam praepotens in tribu Iuda. Vide etiam HEBRON 2.

MARETH (מָרֵשָׁה, Μαγαρώθ), urbs tribus Iuda in quarta provincia montis (Ios. 15,59), hinc inter Hebron et Bethlehem quaerenda, hucusque ignota. *Conder* suggerit *Beit Ummar* sex leucis anglicis aquilonem versus a Hebron (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 303). De vico *Beit Ummar* cf. *Guérin*, Judée III. p. 298. 379.

De eadem urbe fortasse sermo est Mich. 1,12 : habitatrix Maroth (יוֹשֶׁבֶת מָרוֹת, κατοικούσῃ ὀδύνας) dolore volutatur (hebr.); Vulgata : quae habitat in amaritudinibus. Situs indicatus contextui aptus est.

MARGARITA (Margaritum). Margaritae vel apud incultas et barbaras gentes ex summa antiquitate in honore erant. Apud veteres teste Plinio (Hist. nat. IX. 35,106) principium columenque omnium rerum pretii tenebant. Iisdem ex locis orientis, e quibus nunc quoque comparantur, tunc proveniebant : e mari indico, maxime prope insulas Taprobane et Stoidis, e sinu Persico maris Rubri (Plin. l. c.). — Ut res pretiosissima, quae multum negotiatores occupat, margarita exhibetur in parabola, in qua ei regnum caelorum comparatur (Matth. 13,45 s.), eodemque sensu inter divitias Babylonis (Apoc. 18, 12. 16) et ornatus mulieris fornicariae (Apoc. 17,4) enumeratur. In ornatu muliebri margaritas tunc praecipuum locum occupavisse, etiam ex 1 Tim. 2,9 elucet. — Difficilius videtur aliquibus intellegi, quomodo duodecim portae Ierusalem caelestis dicantur constare singulis margaritis (Apoc. 21,21). Quare aliqui (*Houghton, Roskoff, Post* in Lexicis biblicis *Smith, Schenkel, Hastings* s. h. v.) cogitandum putant de conchis unionum (*nacre, Perlmutter*). At vero talis est imaginum apocalypticarum indoles, ut non videatur esse ratio recedendi a consueta vocis significatione. Ac ne id quidem videtur esse necessarium, hic haberi allusionem ad angustam portam (Matth. 7,13 s.), cum talmudistae cogitaverint de margaritis triginta cubita longis totidemque largis (ap. *Wetstein*, Nov. Test. graece i. h. l.).

In V. T. Vulg. unico loco Prov. 25,12 vocem חָלְיִ reddit *margaritum* (LXX σάρδιον) dum Cant. 7,1 (hebr. 7,2) pluralem חֲלָאִים vertit *monilia* (LXX ὁρμίσκοι) idque rectius. LXX aliique interpretes graeci nullibi μαργαρίτην vel synonymum eius exhibent. Nihilominus dubitari vix potest, quin inter tot obiecta ornatus Hebraeorum margarita locum suum invenerit. Margaritas lino insertas videntur significare חֲרוּזִים (Cant. 1,10 — Vulg. 1,9), ubi latinus habet *monilia*, LXX ὁρμίσκοι, similiter ac *muraenulae aureae*, תּוֹרֵי זָהָב, ὁμοιώματα χρυσίου torques e nummis aureis confectos. — De בְּדֹלַח, quod aliquibus est *margarita* v. s. v. BDELLIUM. — Alii נְטִיפוֹת (Iudic. 8,26; Is. 3,19), quod ex etymo significat guttulas, margaritas fuisse putant (cf. *I. Knabenbauer*, Comm. in Is. I. 90). — Uti in נְטִיפוֹת per arabicum *naṭafah*, ita in דַּר (Esth. 1,6) per arabicum *durrah* significatio margaritae suadetur. Difficultas vero in eo est, quod vix credi potest, etiam apud regem Persarum, margaritis stratum fuisse pavimentum, uti Esth. 1,6 vult. Vulg. vocem דַּר omisit; LXX ponunt πίννινον (sc. λίθον), quod ab aliis pro margarita, ab aliis pro conchis (*nacre, Perlmutter*) accipitur, sicut ipsum דַּר. Sed fortasse alius omnino lapis, species sc. alabastri, propter similitudinem splendoris a margarita nomen suum adeptus est. — Iob 28,18 tria nomina occurrunt, quae ab aliis atque aliis ha-

bentur pro margaritis. גֶּבִישׁ in versione anglicana (authorized v.) redditur margarita; Vulg. habet *eminentia,* LXX simpliciter translitterant γαβείς. Altera vox רְאֵמוֹת h. l. et Prov. 24,7 in Vulg. vertitur *excelsa;* Ez. 27,16 vero Vulg. et Syrus pro ea ponunt *sericum,* Chaldaeus *lapides pretiosos.* LXX B in Ez. retinent vocem : Αραμώθ; Prov. 24,7 liberrime textum circumscribunt, et Iob 28,18 רְאֵמוֹת eis est μετέωρα. Rabbini (ap. *Rosenmüller,* Alterthumsk. IV^{b} 463 n. 4) satis concordant in explicando vocem de coralliis, et haec interpretatio communiter nunc admittitur. — Longe probabilissime vero nomen פְּנִינִים proprium nomen hebraicum est ad designandas margaritas. Iob 28,18 et Prov. 3,15; 8,11; 20,15 sapientia his ut rebus omnium pretiosissimis comparatur; ac Prov. 31,10 mulier fortis pretio eas dicitur superare. LXX in locis libri Prov. (deest 20,15) ponunt λίθους πολυτελεῖς, Iob 28,18 vero ἐσώτατα. Haec ultima significatio videtur etiam assumi in Vulg., cum Prov. 31,10 vertat מִפְּנִינִים *ab ultimis finibus;* 3,15 vero *cunctas opes,* 8,11 *cuncta pretiosissima,* denique 20,15 *gemmas.* Non improbabiliter etiam Ps. 44(45),14 (Omnis gloria eius filiae regis *ab intus*) pro hebr. פְּנִימָה legendae sunt margaritae פְּנִינִים (cf. *Zenner-Wiesmann,* D. Psalmen II. 20). Restat Thren. 4,7 ubi אָדְמוּ עֶצֶם מִפְּנִינִים = rubent ossa plus quam margaritae (Vulg. : *rubicundiores ebore antiquo*) dubium movet, sintne פְּנִינִים potius corallia. Multis autem אָדְמוּ non solum videtur significare *rubent,* sed etiam generatim : *lucent,* cum corpora (עֶצֶם = ossa) potius luceant quam rubeant (*Fürst* s. v.); id quod confirmatur usu eiusdem vocis apud Arabes et usu vocis *purpureum* apud classicos (*Rosenmüller* l. c. p. 457-59). Etymologia nominum in se dubia, nihil confert ad significationem stabiliendam. Petitur autem ratio alia, qua Iob 28,18 פְּנִינִים probentur esse margaritae, ex nomine מְשֹׁךְ = de profundo attractio, piscatio, quod adhibetur de acquisitione sapientiae : Vulg. *trahitur sapientia,* uti margaritae trahuntur.

Cf. praeter lexica biblica : *S. Bochart,* Hierozoicon *ed. Rosenmüller* III. 592-655; *A. Th. Hartmann,* D. Hebräerin am Putztische I. 262-77 et notas corresp. in vol. III; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterthumsk. IV^{b} 456-64; *P. Cultrera,* Fauna bibl. p. 370-77; *H. B. Tristram,* Nat. hist. of the Bible p. 298 s.; *J. G. Wood,* Bible animals p. 592-95; *H. O. Lenz,* Zool. d. Griechen u. Römer p. 631-39; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talmud p. 347 s.; *L. Herzfeld,* Handelsgesch. d. Juden d. Altert. *ed.* 2, p. 124. 319; *J. R. Wellsted,* Reisen i. Arabien *ed. Rödiger* I. 181-84; II. 186 s.; *Leunis,* Synopsis d. Thierkunde *ed.* 3, I. 1042-44; *A. E. Brehm,* Thierleben *ed.* 3, X. 388-94.

H. I. CLADDER.

MARIA (מִרְיָם, Μαριάμ). Nomen muliebre satis frequens, de cuius tamen significatione non certo constat. Varias opiniones et explicationes vide apud *Knabenbauer,* Comm. in Matth. *ed.* 2 I. p. 47. 48; uberrime eas recenset et pertractat *Bardenhewer,* Der Name Maria (Bibl. Studien I. 1895, p. 1-155), qui tandem acquiescit explicationi *pinguis* i. e. formosae, cum esse corpore amplo orientalibus videatur venustum. — Cui nominis interpretationi nuper *Fr. Zorell* (Zeitschr. f. kath. Theologie XIII. 1906 p. 356 ss.) novam opposuit, quam dein paulo modificatam cum editore huius Lexici communicavit. Etenim Aegyptii nomina efformabant e verbi amandi *mr* participio passivo *mry* dilectus, *mryt* dilecta (utraque forma tempore exodi sonabat fere *meri*) et nominibus deorum, ut *Mry-Ra, Mryt Ptah, Mryt-Eten;* Hebraei vero in nominibus propriis forma יָם pro יְהוֹ utebantur (אבים Abi-Iam = אביהו Abi-Iahu; plura exempla apud *Schrader,* Die Keilinschriften u. das AT *ed.* 3, p. 465); ergo nihil obstare videtur quin supponamus ab Hebraeis in Aegypto degentibus formatum esse nomen *Meri-Iam* (i. e. *Mryt-Iam*) « a Iahwe dilecta », quod soror Moysis nacta est, et *Meri-Iam* (*Mry-Iam*) « a Iahwe dilectus », quod Bethia, filia Pharaonis (v. s. v. BETHIA), suo filio imposuit (1 Par. 4,17 s.).

1. Soror Moysis et Aaron (Num. 26,

59; 1 Par. 6,3), prophetissa. Aegyptiis in mare demersis sumpto tympano chorum duxit mulierum ipsisque praecinens dixit : cantemus Domino etc. Ex. 15,20. Si est eadem de qua Ex. 2,4 ss., natu maior erat Moyse; unde facile quoque intellegitur, cur Moysen reprehenderit propter uxorem eius Aethiopissam; praeterea Moysen solum cuncta superiore auctoritate disponere recte posse negavit dicens : num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis (i. e. Aaron et mihi) similiter est locutus? Pro qua petulantia lepra est percussa a Domino et intercedente pro ea Moyse tandem post septem dies, per quos a castris erat exclusa, sanitati est restituta Num. 12,1-15; Deut. 24,9. Mortua est in Cades ibique sepulta Num. 20,1. Memoria eius apud populum servata est; cf. Mich. 6,4 : misi ante faciem tuam Moysen et Aaron et Mariam.

2. Mater Christi, Virgo, de qua natus est Iesus Matth. 1,16. Erat Maria ex familia David; quod Luc. 1,27 legitur missum esse angelum ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, hoc *de domo David* apte refertur ad virginem; nam *Ioseph* esse ex domo et familia David explicite tandem dicitur 2,4, id quod eo loco Lucas non repetiisset, si antea iam indicasset. Insuper id ostenditur, quia angelus Iesum ex virgine nasciturum patrem seu progenitorem habere Davidem asserit (Luc. 1,32; cf. 1,69 erexit cornu salutis nobis in *domo David*); idemque consequitur, quia Iesus factus est ex semine David secundum carnem, natus scil. ex virgine (Rom. 1,3); ita quoque explicatur, cur simul cum Ioseph in Bethlehem profecta sit, ut scil. in civitate David simul cum eo profiteretur (utpote filia heres?). Firmum conceperat Deo approbante propositum servandae virginitatis; id enim clarissime elucet ex responsione angelo data : quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1,34; ita enim conceptis verbis affirmat sibi fixum ratumque esse manere virginem; et cum id asserat annuntiatione angeli audita : ecce concipies in utero et paries..., ipsi persuasum erat (et esse debuit) id propositum a Deo esse approbatum. Virginis praestantia salutatione continetur et describitur angelica; est dignitas summa matris Christi; animi eius affectus egregie panduntur verbis, quibus angelo respondit et cantico : Magnificat (Luc. 1,34. 38. 46-55). Ceterum in sacris litteris pauca de ea referuntur. Nuntio angelico accepto visitat Elisabeth et apud eam mansit quasi mensibus tribus Luc. 1,39 ss.; in Bethlehem mundo peperit salvatorem, pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio Luc. 2,7; in oblatione pueri in templo audit vaticinium Simeonis de sorte pueri et sua : tuam ipsius animam pertransibit gladius Luc. 2,35; fugit in Aegyptum, reversa habitat in Nazareth ibique usque ad annum Iesu trigesimum cernit Iesum vitam degentem tamquam fabrum et filium fabri. « Et erat subditus illis »; semel solum cum esset annorum duodecim, aliquid dignitatis suae manifestavit remanens in templo, admiratione omnes implens, asserens se in iis esse debere quae sint Patris. De tot annis id unum nobis servatur : et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo; ita dicitur de iis quae pastores ei referunt et de Iesu vita in Nazareth. Certe post annuntiationem angeli adeo splendidam : hic erit magnus etc., beata Virgo non potuit non mirari et summa sui resignatione adorare inscrutabilia Dei consilia, quod Iesus tamdiu vitam ageret plane absconditam. In nuptiis in Cana pio suo pro paupere sponso interventu efficit, ut miraculo a Iesu patrato et gloria Iesu manifestetur et fides discipulorum firmetur (Ioan. 2,1-11); qua re iam quasi praeluditur quas partes actura sit in regno Messiae. In vita Iesu publica semel fit eius mentio (Matth. 12,46; Marc. 3,31); in die passionis stat sub cruce et eius cura a Iesu iamiam morituro commendatur Ioanni, quem ipsa tamquam filium suspicere iubetur, id quod documento est et Iosephum iam e vita decessisse neque alios filios ab ea esse editos. Ipsa non cernitur sollicita, sicuti aliae piae mulieres, de unguentis et aromatis post sabbatum; ipsa quippe sane aliis melius intellexerat verba Christi : die tertia resurgam. Simul cum apostolis in

oratione perseverans exspectat adventum Spiritus Sancti Act. 1,14.

In apocryphis evangeliis, quae tamen aliqua ex vera traditione hausta afferre posse nemo negaverit nisi temere, pater eius vocatur Ioachim, pastor ovium, et mater Anna et narratur Maria annos tres nata a parentibus in templum esse adducta, ut in contubernio virginum Dei laudibus vacaret. Iisdem evangeliis quam maxime comprobatur fides, quam primis saeculis fovebant de perpetua virginitate Mariae, de eius partu virgineo, de divinitate Iesu, de efficacia intercessionis b. V. etc.; cf. *Tischendorf*, Evangelia apocrypha : protoevangelium Iacobi, pseudo-Matthaei evangelium.

3. Maria, mater Iacobi (minoris) et Ioseph (Ἰωσῆ), uxor Cleophae (Κλωπᾶ), quae etiam Maria Iacobi vocatur; cf. Matth. 27,56; Marc. 15,40. 47; 16,1; Luc. 24,10; Ioan. 19,25. Enumeratur inter mulieres quae Iesum secutae sunt a Galilaea ministrantes ei; stabat cum aliis mulieribus ad crucem Domini, sollicite aspexit, ubi Christi corpus poneretur; sabbato transacto emit aromata et mane venit cum aliis ad sepulcrum et ab angelis edocta est de Christi resurrectione, qui postea etiam mulieribus apparuit avete iis dicens (cf. Matth. 28,1-10; Marc. 15,47; 16,1-8; Luc. 24,1-11). Ceterum vide s. v. CLEOPHAS 2, IACOBUS 2. Vocatur Ioan. 19,25 soror matris Iesu i. e. cognata; unde simul apparet quo sensu Iacobus minor frater Domini appelletur. Fertur fragmentum Papiae hoc : Maria Cleophae sive Alphei uxor, quae fuit mater Iacobi episcopi et apostoli et Symonis et Thadei et cuiusdam Ioseph (cf. *Routh*, Reliquiae sacrae *ed.* 2, I. p. 16 — quod fragmentum ad Papiam esse referendum p. 42-44 probabile censetur). In eodem fragmento Salome quoque vocatur Maria Salome; « hanc eandem Cleophae quidam dicunt, quod duos viros habuerit ». In evangeliis Salome non vocatur Maria. Fuerunt quidem qui Ioan. 19,25 « et soror matris eius » non ad Mariam Cleophae pertinere voluerint, verum ita designari Salomen, matrem filiorum Zebedaei. Sed, uti textus traditus est, Maria Cleophae per modum appositionis additur, quia et membrum antecedens et subsequens particula καὶ adnectuntur (versio Peshitta utique inserit coniunctionem : stabant mater eius et soror matris eius *et* Maria Cleophae et Maria Magdalene — neque tamen habetur illud *et* apud Tatianum).

4. Maria Magdalene; eius prima mentio fit Luc. 8,2 : Maria quae vocatur Magdalene, de qua septem daemonia exierant, et Matth. 27,56 enumeratur inter mulieres, quae Iesum secutae erant a Galilaea ministrantes ei, id quod pariter ex Luc. 8,2 colligitur. Erat itaque oriunda ex Magdala, vico in litore occidentali lacus Tiberiadis (cf. s. v. MAGEDAN), indeque nomen traxit, quo constanter in evangeliis ab aliis eiusdem nominis distinguitur. Stabat et ipsa ad crucem (Matth. 27,56), observabat, ubi corpus Christi poneretur (Matth. 27,61; Marc. 15,40. 47). Venit cum aliis mulieribus mane ad sepulcrum (Matth. 28,1; Marc. 16,1); sed cum vidisset sepulcrum vacuum, cito, antequam angeli sese aliis mulieribus videndos praeberent (cf. 24, 2. 3), cucurrit nuntiare Petro et Ioanni : tulerunt Dominum et nescimus ubi posuerunt eum (Ioan. 20,1. 2). Cum mox iterum ad sepulcrum advenisset reliquis iam regressis, Iesus ei se videndum exhibuit, ita ut prima prae aliis piis mulieribus eum vivum aspicere meruerit Ioan. 20,11-18; Marc. 16,9. Evangelistae nullo modo indicant eam esse Mariam sororem Lazari; potius eam ab hac Maria sorore distinguere videntur. Nam S. Ioannes sororem Lazari continuo vocat uno nomine Mariae 11,1. 2. 5. 19. 20. 28. 31. 32. 45; 12,3 et Bethaniam prope Ierusalem nominat castellum Mariae et Marthae sororis eius. Idem 19,25 subito sermonem infert de Maria Magdalene; item 20, 1. 18, nullo modo indicans esse eandem de qua iam toties locutus sit, sed potius addito ἡ Μαγδαληνή ab altera eam secernens. Eodem modo res se habet apud Lucam; nam sororem Marthae solo nomine Mariae designat 10,39. 42; sed 8,2 et 24,10 loquitur de Maria Magdalene. Quare si quis propter liturgiam putat necessario eam dicendam esse sororem Lazari, debebit Lazaro assignare tres sorores : Mariam, Martham, Mariam Magdalenen; id quidem evangeliis non indi-

catur, neque tamen prohibetur. Ceterum vide *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2 II. p. 404-408. Neque ex evangeliis ostendi potest eam esse peccatricem illam, de qua Luc. 7,37; immo id Luc. 8,2 potius excluditur; neque sequitur ex eo quod septem daemonia ab ea exierunt, quia possessio daemoniaca non semper arguit culpam possessi. — Hic sufficit ea notasse quae ex evangeliis habentur.

5. Maria, soror Lazari et Marthae, quae sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, cum Dominus in Bethania a Martha esset hospitio acceptus. Piam eius sedulitatem laudat Dominus : Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea Luc. 10,38-42. Nota Lucam neutiquam indicare 10,38 esse Mariam eandem, quam 8,2 vocarat Magdalenen, quae cum Domino in Galilaea versabatur. Huius Mariae castellum dicitur Bethania Ioan. 11,1 (unde iterum a Magdalene distinguitur); eam cum sorore et Lazaro singulari modo diligi a Domino Ioan. 11,5 declaratur. Mortuo Lazaro cum audit Iesum adesse, statim ei obviam it et se ad pedes eius prosternit : Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus (Ioan. 11,32). Haec quoque in coena Bethaniae facta aliquot diebus ante pascha « accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi et unxit pedes eius et extersit pedes eius capillis suis et domus impleta est ex odore unguenti » (Ioan. 12,3; cf. Matth. 26,7; Marc. 14,3), quod unguentum a Iuda aestimatur trecentis denariis. Iesus mulierem laudat dicens unctionem hanc ad suam referri sepulturam et eius mulieris praeclare factum ubique terrarum iri celebratum. Ita eam a reprehensione aliquorum discipulorum vindicat.

6. Maria, mater Ioannis, qui cognominatus est Marcus. Habuit domum in Ierusalem, in qua fideles multi congregabantur et ad quam Petrus angelico ministerio e carcere liberatus se contulit Act. 12,12.

7. Maria, mulier christiana Romae, quam apostolus salutari iubet, « quae multum laboravit in vobis » (εἰς ὑμᾶς — al. εἰς ἡμᾶς; Rom. 16,6).

MARIAM (מִרְיָם, ὁ Μαρών), filius Mered ex tribu Iuda (1 Par. 4,17) et Bethiae (vide s. v.).

MARIMUTH vide s. v. MEREMOTH.

MARITUS vide s. v. MATRIMONIUM.

MARMA (מַרְמָה; cod. B Ἰαμά, cod. A Μαρμά), Beniaminita, filius Saharaim de Hodes uxore genitus in terra Moab (1 Par. 8,10).

MARMOR. 1. *Geologica.* Montes palaestinenses maximam partem lapidibus calcareis componuntur, inter quos non desunt crystallini (granulares) seu marmora. Variis quidem in regionibus tum cis tum trans Iordanem occasione data ab auctoribus commemorantur, velut prope Bethlehem, ubi columnae ecclesiae nativitatis ex marmore illius loci dicuntur esse excisae (*Blanckenhorn*). Accuratius inquisitum est in indolem geognosticam regionis circa mare Mortuum et circa Ierusalem. Utroque loco invenitur marmor. Prope Ierusalem plures species distinguuntur. Altera durior, quae ibi *mizzi aḥmar* ab indigenis vocatur, partim lapide calcario cinereo maculis rubris consperso (*Fleckenmarmor*) componitur, qui cum in stratis inferioribus prope monasterium Sanctae Crucis extrahatur, Santa Croce nominari solet; partim vero calcario vere crystallino rubri coloris formatur. Non enim omnes calcarii, quibus nomen marmor imponitur, iuxta strictum geologorum conceptum, vere sunt marmor.

Altera species minus dura, albi coloris vel leviter rosacei *meleke* (regius) audit atque priori fere ubique superponitur. Stratum eius altitudinis 8-10 metr. sat aequaliter per regionem Ierosolymitanam se extendit, licet saepe alio strato recentiore tegatur. Idem lapis in monte Carmelo observatur. Denique marmor continetur in ipso hoc ultimo strato superiore quod vocatur *mizzi ḥelu*, albi maxime coloris.

Cf. *M. Blanckenhorn*, Entst. u. Gesch. d. Todten Meeres, in Ztschr. d. D. Pal. Ver. XIX (1896), 10 s.; *id.* Geol. d. näh. Um-

geb. v. Ierusalem, ib. XXVIII. (1905), 81-90; *E. v. Mülinen*, Beiträge z. Kenntnis d. Karmels, ib. XXX. (1907) 129.

2. *Archaeologica.* Quoniam sculptilia Israelitis interdicebantur, ars statuaria, cui imprimis marmor materiam praebet, nullius erat apud eos momenti. Aedificia vero, uti recentes excavationes ostenderunt, antiquissimis temporibus sicut alibi ita et in Palaestina ex terra contusa et silicibus collectis, dein ex lateribus conficiebantur. Sola aedificia publica ex caesis lapidibus videntur esse constructa. Licet autem plerumque lapides desumpserint e strato superficiali per Palaestinam praedominante quod *nārî* vocant, iam in aedificiis apud *Ta'annek* quae saeculo 16.-15. tribuuntur e sat magna distantia duriores lapides calcarios (*mizzî*) attulerunt, qui in constructionibus adhuc fere cyclopicis adhiberentur. 1 Par. 29,2 iam David ad aedificandum templum praeter alia multa etiam lapides marmoreos (אַבְנֵי שַׁיִשׁ Vulg. marmor Parium, LXX πάριον) abundantissime providisse narratur. Teste autem Iosepho (Ant. VIII. 3,2) Salomon e saxo candente (ἐκ λευκοῦ λίθου) et dolatis lapidibus (ἐκ λίθων ἀκροτόμων) construxit templum atque in porticibus circumductis columnas posuit e nativo saxo (λίθου αὐτοφυοῦς ib. VIII. 2,9). Magnorum lapidum mensura occasione aedificationis palatii salomonici indicatur; decem vel octo cubitorum longitudinis erant, tam intrinsecus quam extrinsecus serrati (3 Reg. 7,9 s.). Ac revera aedificiorum temporis salomonici tum in meridionali parte Palaestinae v. g. in *Tell el-Hesī* (Lachis) tum apud Megiddo (*Tell el-Mutesellim*) recenter exploratorum reliquiae magnificas descriptiones S. Scripturae de templo comprobant. E posteriore tempore, quo Graeci vel immo Romani influxum in culturam palaestinensem exercebant, atque etiam e tempore byzantino reliquiae operum marmoreorum, columnarum, statuarum etc. per totam regionem abundare omnibus notum est. De templo Herodis Iosephus explicite refert altero quidem loco (Ant. XV. 11,3) illud e lapidibus candidis viginti quinque pedes longis, octo pedes altis et duodecim latis, altero autem (Bell. iud. V. 4,4) e secto marmore candido, saxis viginti pedes longis, decem latis, quinque altis fuisse constructum. Quidam lapides immo dicuntur quadraginta quinque cubitorum longitudinem esse assecuti (Bell. iud. V. 5,6). Longe igitur vicissent enormes lapides qui adhuc in *Ba'albek* conspiciuntur et 19,21-19,52 metra longitudinis habent (cf. Marc. 13,1). Sed fortasse numeris Iosephi ne hic quidem absolute fidendum est. Similiter columnae in porticibus erant marmoreae politae (Bell. iud. V. 5,2). Accedentibus a longe templum ut mons niveus apparebat (l. c. 5,6).

Ierosolymis adhuc lapicidinae conspiciuntur e quibus veteres lapides extraxerunt. Ita inter portam Damasci et antrum Ieremiae quod vocatur lapides *mizzi* excisi sunt, quales videntur in illa parte muri ad quam Iudaei eversionem templi deplorare solent. Antrum vero *el-Kettān* usque in praesentem diem lapides molliores *meleke* praebet uti veteribus praebuit. Similiter aedicula inventionis sanctae crucis olim lapicidina fuisse putatur.

Cf. Relationes de excavationibus in Palest. Expl. Fund, Quarterly Statement inde ab anno 1890; Mitteil. u. Nachr. d. Deutsch. Palästina-Ver. inde ab anno 1902; *E. Sellin*, Tell Ta'annek; *H. Vincent O. P.*, Canaan.

3. *Textus S. Scripturae.* In S. Scriptura marmor inter lapides maxime pretiosos et pulchros habetur. In hebraico quidem nomen generale אֶבֶן et apud LXX λίθος legitur, dum Vulg. *marmor* substituit Ex. 31,5 et 2 Par. 2,14, ubi sermo est de sapientia Beseleel et Hiram in omni genere artis. Similiter res se habet 2 Par. 3,6, ubi de pavimento templi salomonici loquitur auctor sacer. Sed 1 Par. 29,2 David legitur inter alia etiam *marmor Parium* (אַבְנֵי שַׁיִשׁ, πάριον) praeparasse ad aedificandum templum. *Parius* (שַׁיִשׁ, πάρινος λίθος) etiam in vexatissimo loco Esth. 1,6 ubi pavimentum in palatio Assueri in Susan describitur, occurrit. Parius, celeberrima apud Graecos marmoris species, ab insula Paros videtur appellari. Vulg. hoc no-

mine videtur designare marmor quodcumque album pretiosum, cum vix cogitandum sit de marmore ex Paro allato. In eodem versu auctores multi plures sibi videntur et varii coloris marmoris species deprehendere. Sed dubium est, an alia nomina ibidem, velut סֹחֶרֶת, revera marmor designent. Ipsum שֵׁשׁ vel שֵׁישׁ videtur marmor album significare neque alienum esse a שֵׁשׁ quod byssum albi coloris dicit. A columnis marmoreis pendebant etiam tentoria in horto Assueri (Esth. 1,6) et columnis marmoreis comparantur crura dilecti Cant. 5,15. — In Novo Testamento solum Apoc. 18,12 commemorantur vasa de marmore inter merces pretiosas Babylonis.

H. I. CLADDER.

MAROTH vide s. v. MARETH.

MARSANA (מַרְסְנָא, Μαλισεάρ, Μαλησεάρ), unus ex sapientibus nobilibusque, qui regi Persarum Assuero erant a consiliis et quos de sententia in Vasthi ferenda interrogavit (Esth. 1,14).

MARTHA (Μάρθα), soror Lazari, habitans in castello Bethania prope Ierusalem. Suscepit Dominum hospitio; sed sollicita nimis audivit ab eo: Martha, sollicita es et turbaris erga plurima! porro unum est necessarium Luc. 10, 38-42. Antequam Lazarus suscitaretur, praeclaram fidei in Iesum confessionem enuntiat; in coena Bethaniae facta ministrat; cf. Ioan. 11,1. 20-28; 12,2.

MASAL, MESSAL (מִשְׁאַל, מִשְׁעָל; Μαασά, τὴν Βασελλάν, Μαασάλ), urbs tribus Aser, unde terminus Aser pervenit ad Carmelum versus mare (Ios. 19,26), levitis de stirpe Gerson tradita (Ios. 21,30; 1 Par. 6,74 [59]). Onom. (*ed Lag.* 280,36; 139,21) eam ponit iuxta Carmelum ad mare. Hodie *Khirbet Mithilya* (Misalli) inter Carmelum montem et oram maritimam ad septemtrionem urbis *ʿAthlīt* (*Van de Velde,* Memoir p. 335; *Legendre,* Carte de la Palestine). Alii suggerunt *Wadi Maisle* ab Accho inter septemtrionem et orientem (*G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I).

MASALOTH quae est in Arbellis v. ARBELA.

MASEPHA (הַמִּצְפֵּה, Μασφά), urbs in campestribus Iuda, in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,38). Eusebius loquitur de Maspha seu Massema in finibus Eleutheropoleos contra aquilonem et de altera Maspha tribus Iuda pergentibus Ierusalem; S. Hieronymus hunc locum corrigens de una Maspha in finibus Eleutheropoleos aquilonem versus pergentibus Ierusalem loquitur (Onom. *ed Lag.* 279,19; 139,5). Censetur esse *Tell el-Ṣāfiye*, collis cretosus (212 m altitudinis) 12 km a *Beit Djibrīn* (Eleutheropoli) inter aquilonem et occidentem, prospectum quaquaversus praebens, de quo *Guillelmus Tyrensis* (15,25) refert : « loco nomen arabice *Tellesaphi*, quod apud nos interpretatur *mons* sive *collis clarus*. Hic complacuit prudentioribus praesidium fundari... nomenque ei vulgari indicunt appellatione *Blanca Guarda,* quod latine dicitur Alba Specula ».

Cf. *Guérin,* Judée II. 90-96; *Riess,* Bibl. Geogr. 1872 p. 64 b; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 440 s.; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 196; *E. Heidet* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible IV. 835-8, ubi Masepha (Maspha) etiam componitur cum valle Sephata iuxta Maresam (v. MARESA 1).

De excavationibus apud *Tell el-Ṣāfiye* factis cf. *Pal. Expl. Fund,* Quart. Stat. 1899 p. 188 ss. 317 ss.; 1899 p. 354; 1900 p. 16 ss. 77; Revue d'archéol. orient. VII. p. 170; Revue bibl. VIII. 1899 p. 607. 608; IX. 1900 p. 291.

MASEREI (הַמְּשָׂרְעִי, Ἡμασαραεί(μ)), cognatio quaedam tribus Iuda a Sobal patre (domino) Cariathiarim descendens (1 Par. 2,53).

MASEREPHOTH (מִשְׂרְפוֹת מַיִם, Μασερών, ἡ Μασερὲθ Μεμφωμαίμ; Vulg. aquae Maserephoth) nominatur cum Sidone velut terminus occidentalis Chanaan superioris (Ios. 11,8; 13,6); eousque Iosue post proelium ad aquas Merom hostes fugientes percussit. Vocem interpretati sunt *Kimchius* thermas, Tar-

gum Ionathan fossas aquarum, quas rabbini salinas explicarunt, Syrus locum concursus aquarum, quibus opinionibus recensitis *Gesenius* (Thesaur. 1341) interpretatur ustrinas calcis ad aquas vel officinas metallicas liquatorias, quae ad aquas sitae erant et notat idem fere significare צָרְפַת, Sarepta. Unde putant nonnulli Sareptam designari, quae inter Sidonem et Tyrum sita est. Recentioribus praeplacet *ʿAin Musherfe* in litore maris ad radices *Rās el-Nāqūra* seu Scalae Tyriorum.

Cf. *Guérin*, Galilée II. 166; *Riess*, Bibl. Geogr. p. 64 b; *id.* Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.; *Baedeker-Benzinger*, Pal. u. Syr. *ed.* 5 p. 297; *Thomson*, The Land and the Book II. (Central Pal.) p. 266.

MASIA (מַעֲשִׂיָה, Μαασίας), Beniamimita ex maioribus Sellum incolae Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,7).

MASMA (מִשְׁמָע, Μασμά). **1.** Quintus inter duodecim filios Ismael (Gen. 25,14; 1 Par. 1,30). Tribus Masma est ignota; cum ea tribu nexum habere coniiciuntur Μαισαιμανεῖς apud Ptolemaeum (VI. 7,21) vel *el-Mismīye* in *Ledjā* austrum versus a Damasco vel *Djebel Misma*ʿ in Arabia deserta orientem versus a *Wādi Sirḥān* vel alius quidam *Djebel Misma*ʿ magis austrum versus.

2. Stirps simeonitica (1 Par. 4,25. 26).

MASMANA (מִשְׁמַנָּה, Μασεμανή), princeps Gadita qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12,10).

MASOBIA v. IASIEL 2.

MASPHA, MASPHATH (הַמִּצְפֶּה, הַמִּצְפָּה i. e. specula, locus editus, Μασφά, Μασσηφά, Μασσηφάθ), nomen complurium locorum Palaestinae.

1. Maspha legitur Gen. 31,49 hebr. velut tertium nomen loci, quem 31,47 Laban vocaverat *Iegar Sahadutha* et Iacob *Galed*. Videtur esse eiusdem loci nomen recentius, quod ex glossa margini adscripta librarius aliquis in textum transtulisse putatur (*F. de Hummelauer* ad h. l.). Haec autem Maspha cum Maspha Galaad eadem censeri non potest, nisi Ramoth Galaad (vide s. v.) ab aquilone fluvii Iaboc, ut nonnullis recentioribus placet, collocatur.

2. Maspha Galaad v. RAMOTH GALAAD.

3. Maspha terra seu planities (LXX γῆ Μασσύμα, τὰ πεδία Μασσώχ), ad radices Hermon et in vicinia lacus Merom extensa, ab Hevaeis quondam habitata, qui cum reliquis Chananaeis a Iosue prope aquas Merom devicti sunt (Ios. 11,3. 8). Situs pro certo determinari nequit. Per modum coniecturae proponitur a nonnullis (*Robinson, Keil*) vicus Drusorum *Muṭelle* inter *Nahr el-Ḥāṣbānī* et *Nahr el-Līṭānī* in colle editiore conspicuus, a quo prospectus patet tum meridiem versus supra *Ard el-Ḥūle* et aquas *Ḥūle* (Merom?), tum aquilonem versus supra *Merdj ʿAyūn* seu planitiem intra *Nahr el-Ḥāṣbānī* et *Nahr el-Līṭānī;* praeterea vide s. v. MEROM.

4. Maspha in campestribus Iuda v. MASEPHA.

5. Maspha Moab (1 Reg. 22,3) est ignota; fortasse designatur urbs, in qua rex Moab tum temporis residebat scil. Qir Moab (*el-Kerak*) vel Ar Moab seu Rabbath Moab (*Rabba*).

6. Maspha in Beniamin, inter quattuordecim urbes occidentales tribus Beniamin enumerata (Ios. 18,26; Vulg. Mesphe, LXX Μασσημά), centrum politico-religiosum Israelitarum aetate Iudicum (Iud. 20,1 ss.; 21,1 ss.; 1 Reg. 7,5 ss.; 10,17 ss.). Asa rex Iuda eam munivit ex lapidibus et lignis, quae Baasa rex Israel muniendae urbi Rama praeparaverat (3 Reg. 15,22 LXX ἡ σκοπία; 2 Par. 16,6). Ibidem urbe Ierusalem a Chaldaeis destructa Godolias sedem fixit, ut reliquias Iudaeorum ad se congregaret (4 Reg. 25,23. 25; Ier. 40,6 ss.; 41,1 ss.). Viri de Maspha Nehemiam in muris Ierusalem exstruendis adiuverunt (Neh. 3,7. 15. 19). Iudas Mach. exercitum suum congregavit in Maspha contra (κατέναντι) Ierusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel (1 Mach. 3,46). Onom. (*ed. Lag.* 278,97; 138,14) eam ponit iuxta Cariathiarim, sed erronee addit : « in tribu Iuda, apud quam habitabat Iephte ».

Situs igitur quaerendus est prope Ierusalem inter septemtrionem et occidentem. A plerisque censetur esse *Nebi Samwīl* (895 m) duabus fere horis a Ierusalem Ioppen versus (*Robinson, Van de Velde, Dillmann* ad Ios. 18,26; *Buhl, Bourquemont, Survey of West. Pal., G. A. Smith, Döller, E. Nagl, Baedeker-Benzinger*), verum ab aliis mons *Scopus* 20 minutis a Ierusalem aquilonem versus eminens, ex quo Titus cum legionibus suis urbem contemplatus est (*Stanley,* Sinai and Palestine, 1871, p. 226), ab aliis *Sha'fāt* 40 minutis a Ierusalem aquilonem versus (*Guérin, Riess, Dalfi, Gatt, Legendre*).

Cf. *Robinson,* Pal. II. 356 ss.; *Van de Velde,* Memoir p. 335; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 167.168; *Bourquemont,* Maspha de Benjamin, in Etudes religieuses 1864 p. 35; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 144; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien zum III. u. IV. B. d. Könige, 1904 p. 220. 221; *E. Nagl,* Die nachdavidische Königsgesch. Israels, Wien u. Leipzig 1905, p. 208; *Baedeker-Benzinger,* Pal. u. Syr. *ed.* 5 p. 114; *Guérin,* Judée I. 395-402, qui cisternam in Maspha a rege Asa effossam Ier. 41,9 prope *Sha'fāt* reperisse sibi visus est; *Riess,* Bibl. Geogr. 1872 p. 64 b (sed idem auctor, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 22 agnoscit Maspha in *Tell el-Fūl*); *Dalfi,* Viaggio biblico in Oriente 1875 IV. p. 6-9; *Gatt,* Mispa im Stamme Benjamin, in periodico Das heilige Land 1879 p. 119 ss. 154 ss. 184 ss.; *Legendre,* Carte de la Palestine.

MASPHE (Ios. 11,8) v. MASPHA 3.

MASPHE (Ios. 13,26) v. RAMOTH GALAAD.

MASRECA (מַשְׂרֵקָה i. e. vinea, plantatio vitium generosiorum, ut *Gesenius* interpretatur; ἐκ Μασσεκάς, ἐκ Μασεκάς), urbs regia Semla regis Edomitarum (Gen. 36,36; 1 Par. 1,47), circa Gebalenen (Onom. *ed. Lag.* 277,62; 137,10). Quaerenda igitur est prope Sela seu Petram urbem in *Wādi Mūsā* sitam, sed nondum innotescit. Suggerunt *'Ain el-Mefrak* ad meridiem Petrae (*Riess,* Bibel-Atlas II Df).

MASSA (מַשָּׂא, Μασσῆ, Μασσή) recensetur septimus inter duodecim filios Ismael (Gen. 25,14; 1 Par. 1,30). Eius posteri communiter iidem habentur qui Μασανοί apud *Ptolem.* V. 19,2 (*ed. Müller-Fischer* V. 18) iuxta *Duma el-Djandal* (seu posteros Duma sexti filii Ismael) inter septemtrionem et orientem (v. DUMA). In inscriptionibus cuneiformibus Theglathphalasar II. et Asurbanipal frequenter legitur *Mas* vel gentilicium *Maasai,* nomen tribus Arabiae septemtrionalis (*Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 135; *Delitzsch,* Paradies p. 301-2).

Ad eandem tribum ismaeliticam fortasse refertur regio Massa, patria Agur, de qua s. v. AGUR diximus.

MASTIX i. e. resina arboris *Pistacia lentiscus* Linné, a multis nomine צְרִי intellegitur, de quo v. RESINA.

MATHAN (מַתָּן). **1.** Sacerdos in templo Baal, quod regnante Athalia in Ierusalem erat; cum regina impia occideretur, ipse quoque coram altari occisus est (4 Reg. 11,18; 2 Par. 23,17; LXX Ματθάν).

2. Pater Saphatiae principis tempore Ieremiae (Ier. 38,1; Ναθάν).

3. Pater Iacob et avus Ioseph (Matth. 1,15; Μαθθάν); v. HELI 2.

MATHANAI (מַתַּנַי; Μετθανία, Ματθαναί). **1.** Unus ex posteris Hasom, qui iubente Esdra uxores alienigenas dimiserunt (Esdr. 10,33).

2. Unus ex posteris Bani, qui iubente Esdra uxores alienigenas dimiserunt (Esdr. 10,37).

3. Sacerdos ex familia Ioiarib, tempore Ioacim pontificis princeps familiae sacerdotalis Ioiarib (Neh. 12,19).

MATHANIAS (מַתַּנְיָה, מַתַּנְיָהוּ; Ματθανίας, Ματθανία). **1.** Eo nomine vocabatur Sedecias rex Iuda, antequam Nabuchodonosor eum regem constitueret et nomen Sedeciae ei imponeret (4 Reg. 24,17; LXX Βατθανίας).

2. Levita quidam ex posteris Asaph, filius Micha (1 Par. 9,15; Neh. 11,17; 12, 8. 25). Sunt qui putent ad eundem referri Neh. 11,22 et 12,34, de quibus infra sub num. 10 et 11.

3. Unus ex filiis Heman, princeps no-

nae classis musicorum davidicorum (1 Par. 25,4. 16; Vulg. v. 4 Mathaniau).

4. Unus ex posteris Asaph et ex maioribus Iahaziel levitae tempore Iosaphat prophetantis (2 Par. 20,14). Fortasse idem est ac Nathanias 2, ut dictum est s. v. IAHAZIEL 2.

5. Unus ex posteris Asaph tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,13).

6. 7. 8. 9. Quattuor recensentur inter eos, qui iubente Esdra uxores alienigenas dimiserunt (Esdr. 10,26. 27. 30. 37; LXX v. 27 Ματθανιαί).

10. Unus ex progenitoribus Azzi, praefecti levitarum tempore Nehemiae, ex familia Asaph (Neh. 11,22; LXX omitt.).

11. Unus ex familia Asaph et maioribus Zachariae praefecti musicorum leviticorum (Neh. 12,34[35]).

12. Unus ex progenitoribus Hanan a Nehemia super horrea constituti (Neh. 13,13).

MATHANIAU (מַתַּנְיָהוּ, cod. B Μανθανίας), idem ac MATHANIAS 3.

MATHANITES (הַמַּתְנִי; cod. B ὁ Βαθανεί, A ὁ Μαθθανί) cognominatur Iosaphat inter viros fortissimos in exercitu Davidis (1 Par. 11,43). Indicari videtur locus originis ceteroquin ignotus.

MATHAT (Ματθάτ, Μαθθάτ). **1.** Pater Heli et avus Ioseph (Luc. 4,23); v. HELI 2.

2. Filius Levi inter progenitores Ioseph (Luc. 3,29).

MATHATA. 1. Mathata (מַתַּתָּה, Ματθαθά) ex posteris Hasom, qui iubente Esdra uxores alienigenas dimiserunt (Esdr. 10,33).

2. Mathata (Ματταθά), filius Nathan in genealogia Christi (Luc. 3,31).

MATHATHIAS (מַתִּתְיָה, מַתִּתְיָהוּ; Ματθαθίας, Ματταθίας). **1.** Levita, primogenitus Sellum Coritae, praefectus eorum quae in sartagine frigebantur (1 Par. 9,31) i. e. eorum quae pro epulis pacificis in sartagine praeparanda et coquenda erant.

2. Levita citharoedus (1 Par. 15,18. 21; 16,5), filius Idithun (25,3); eius nomine quartadecima classis levitarum insignitur (25,21).

3. Unus de filiis Nebo, qui iubente Esdra uxores alienigenas dimiserunt (Esdr. 10,43; LXX Ματθανίας).

4. Unus ex iis qui Esdrae legem coram populo legenti ad dexteram adstiterunt (Neh. 8,4), probabilius sacerdos.

5. Mathathias, celeberrimus ille sacerdos iudaicus ex vice Ioiarib seu Ioarib (1 Mach. 2,1), quae inter viginti quattuor classes seu vices sacerdotales primo loco recensetur (1 Par. 24,7). Familia Mathathiae oriunda erat ex vico Modin (1 Mach. 2,70) non procul a Lydda (Diospoli) sito (v. MODIN). Cum Antiochus IV. Epiphanes Iudaeis leges idololatriae statueret, Mathathias surrexit i. e. in publicum prodiit, ut primas partes ageret decretis regis impiis resistens; ac primum quidem cum quinque filiis suis Ioanne, Simone, Iuda, Eleazaro, Ionatha afflictionem civitatis et sanctorum profanationem acerba lamentatione lugebat (1 Mach. 2,1-14; cf. *Knabenbauer* ad 2,1 ss.). Cum illuc minister regis venisset, ut incolas Modin ad immolandum cogeret, Mathathias et filii eius constanter impio mandato restiterunt; Iudaeum idololatram, qui in omnium oculis sacrificaturus erat, Mathathias ira accensus super ipsam aram trucidavit, ministrum regis occidit, aram destruxit (1 Mach. 2,15-26). Deinde cum filiis suis in montes aufugit. Eius exemplo adducti multi ex fidelibus in occulta deserti se abdiderunt, et cum a militibus regis sabbato invaderentur, omnes cum mulieribus et filiis mortem cruentam potius subierunt, quam ut vi arcenda sabbatum profanarent. Tum vero Mathathias, ne omnes hoc pacto absque pugna perirent, eis persuasit, ut sabbatis etiam vim illatam propulsarent et Dei causam contra iniustos aggressores defenderent (1 Mach. 2,27-41). Collecto piorum exercitu totam regionem circuivit, altaria destruxit, idololatras interfecit, pueros incircumcisos circumcidit, omnes hortatus est, ut vim vi repellerent (1 Mach. 2, 42-48). Certamen sacerdotis acerrimi erat gloriosum, sed parvi temporis. Brevi post certamen initum mortuus et in sepulcris patrum suorum in Modin sepultus est a. 166 a. Chr. (146 aer. Seleuc.). Mo-

ribundus filios ad opus strenue persequendum hortatus est monens, ut Simonem virum consilii et Iudam principem militiae sequerentur (1 Mach. 2, 49-70). Cf. *H. Weiss,* Judas Makkabaeus, Freiburg 1907, p. 27-32.

6. Filius Absolomi, princeps militiae in exercitu Ionathae Machabaei (1 Mach. 11,70); in campo Asor ipse et alter princeps militiae Iudas filius Calphi fortiter cum Ionatha in proelio steterunt et cladem imminentem in victoriam mutarunt; cf. *Flav. Ios.* Ant. XIII. 5,7.

7. Filius Simonis Machabaei, una cum patre suo ac Iuda fratre in castello Doch inter convivium occisus (1 Mach. 16,14 ss.).

8. Vide MATTHIAS 1.

9. 10. Duo ex progenitoribus Ioseph in genealogia Christi (Luc. 3,25. 26).

MATHUSAEL (מְתוּשָׁאֵל, cod. A Μαθουσαλά), Cainita, filius Maviael et pater Lamech (Gen. 4,18).

MATHUSALA, MATHUSALE (מְתוּשֶׁלַח, Μαθουσάλα Μαθθουσάλα), Sethita, filius Henoch et pater Lamech, patris Noe (Gen. 5,21-27; 1 Par. 1,3; Luc. 3,37).

MATRED (מַטְרֵד), filia Mezaab, mater illius Meetabel, quae erat uxor Adad (Adar) regis Edom (Gen. 36,39 cod. A Ματραίθ; 1 Par. 1,50 cod. A Ματράδ).

MATRIMONIUM. Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile; crescite et multiplicamini (Gen. 2,18; 1,28). Hisce institutio matrimonii divinitus facta continetur. Quare matrimonium considerabatur pactum sacrum (Prov. 2,18; Mal. 2,14).

Ex more antiquo patris erat filio providere uxorem; ita videmus Abraham agentem Gen. 24,2 ss.; similiter Gen. 38,6 : dedit autem Iudas uxorem primogenito suo Her Thamar et cf. Ex. 21,9; vel si filius iam virginem sibi elegisset, a patre postulabat, ut eius cura illa sibi in uxorem daretur; ita Gen. 34,4 : accipe mihi puellam hanc uxorem; et Samson dicit parentibus : vidi mulierem... quam quaeso ut mihi accipiatis uxorem Iud 14,2. Etiam mater dicitur filio accepisse uxorem; ita Agar Gen. 21,21. Esau vero accepisse videtur uxores ex filiabus Heth invitis Isaac et Rebecca (Gen. 26,35 et 27,46), quare Isaac alterum filium Iacob vetuit accipere coniugem de genere Chanaan eumque misit ad domum Bathuel (Gen. 28,1. 2). Patris quidem praeprimis erat filiam concedere; at fratres quoque sponsae eo in negotio consulebantur vel partes agebant; cf. Gen. 24,50; 34,5. 7 ss.; Iud. 21,22. Exigebat pater pretium, servitium quoddam; vide Gen. 34,12; Ex. 22,16 hebr.; ita Iacob servivit pro Rachel annos quattuordecim et Saul postulavit a David, ut ultionem faceret in Philisthaeos 1 Reg. 18,25; 2 Reg. 3,14; et si quis virginem filiam vi oppresserat, patri puellae 50 siclos argenti dare debuit eamque accipere uxorem (Deut. 22,28. 29); Osee uxorem (utique satis vilem) minore pretio sibi comparavit 3,2. Etiam filia a patre quandoque tamquam praemium proponebatur ad iuvenes ad fortia facinora excitandos; ita Caleb edixit : qui percusserit Cariath Sepher et ceperit eam, dabo ei Axam filiam uxorem Ios. 15,16; Iud. 1,12; similiter fecit Saul 1 Reg. 17,25. Inde simul elucet parum vel nihil liberae electionis filiabus esse relictum. Reperiuntur quoque exempla filiabus a patribus dotem esse tributam 3 Reg. 9,16; Tob. 8,24; simile iam legitur Ios. 15,19. 20; Iud. 1,15.

Nuptiae non sine festiva laetitia celebrabantur. Sponsus amicis comitibus pompa quadam ducebatur ad domum sponsae eamque in domum paternam suam ad convivium nuptiale cum sollemnitate comitabatur. Exemplum habes 1 Mach. 9,37-39. Sed convivium etiam in domo sponsae celebrabatur, cuius moris exemplum habemus Iud. 14,10 et in parabola Matth. 25,1-10, ex qua etiam discimus, uti sponso amici praesto erant, ita sponsam virgines habuisse comites, a quibus sponsus pompa quadam festiva deducebatur. Ad laetitiam illam convivii nuptialis invitabantur amici, canebantur carmina laeta (cf. Gen. 29,22; Ier. 7,34; 16,9; Matth. 22,3; Ioan. 2,2) et nuptiae per septem dies quandoque celebrabantur (Gen. 29, 27; Iud. 14,12; Tob. 11,21). In narra-

tione libri Tobiae pater sponsae benedictionem nuptialem manibus sponsi et sponsae iunctis pronuntiat, pactum nuptiale scripto conficitur et mater sponsam in thalamum inducit (Tob. 7,12. 20). Ne maritus postea odio habens uxorem eam posset accusare, quod eam non invenisset virginem, signa virginitatis i. e. linteum sanguinis guttis maculatum, parentes sponsae secum tollebant Deut. 22,15 ss. Quodsi vero maritus suspicionem hanc falso moverit, iudicio seniorum civitatis et verberabatur et centum siclos argenti patri puellae solvebat neque iam licebat ei illam dimittere (Deut. 22, 17-19); quodsi autem sponsa non inveniebatur virgo, lapidibus obruebatur (l. c. v. 21). Maritus debebat uxori praestare cibum, vestimenta, cohabitationem Ex. 21,10 hebr. Si uxorem adulterii suspectam habebat, ei praesto erat sacrificium zelotypiae et uxor bibere debebat aquam, in quam maledicta congesta erant, et Deus lege promittebat patefactum iri culpam (Num. 5,11-31). Divortium seu repudium uxoris fieri poterat; ita iam Abraham dimisit Agar; in lege mos eiusmodi certis quibusdam conditionibus vestiebatur assignata causa repudii et modo, scil. propter aliquam foeditatem et libello repudii scripto (Deut. 24,1; vide s. v. LIBELLUS REPUDII). Tempore fluxus menstrui maritus sese debebat continere poena deletionis ex populo proposita (Lev. 20, 18); si vero, dum cum ea concumbit, fluxus ille oritur, ipse erit immundus septem diebus (Lev. 15,24).

Lege mosaica matrimonia quaedam prohibebantur, quae antea licita erant. Ita Abraham uxorem habebat Saram sororem suam ex eodem patre natam (sed ex altera matre); cf. Gen. 20,12. Iacob duxit duas sorores. Verum eiusmodi coniugia lege prohibebantur Lev. 18,9. 18; 20,17; Deut. 27,22. Praeterea interdicta erant matrimonia inter proxime cognatos; ita prohibetur matrimonium cum matre, cum alia uxore patris, cum nepte, cum filia filii vel filiae uxoris, cum sorore, cum sorore patris vel matris, cum uxore patrui, cum socru, cum nuru, cum uxore fratris, cum matre eiusque filia simul (cf. Lev. 18,6-18). Poena in transgressores statuitur Lev. 20,10-17 eaque gravissima, poena mortis. Pariter prohibebantur matrimonia cum gentibus illis, quae Palaestinam incolebant, cum Amorrhaeis, Chananaeis, Hethaeis, Pherezaeis, Hevaeis, Iebusaeis, ne scil. exemplo illarum ad idololatriam seducerentur (Ex. 34, 11-16; Deut. 7,3, ubi Gergesaei quoque nominantur). At haec prohibitio saepe neglegebatur (cf. Iud. 3,6). Ipse Salomon tali neglectu effectus est idololatra 3 Reg. 11,1 ss.; et Achab 3 Reg. 16,31 per Jezabel similiter in tale barathrum seductus est. Cum aliis populis matrimonia inire non erat lege lata interdictum; quare reperiuntur matrimonia cum Aegyptiis (Lev. 24,10; 3 Reg. 3,1; 1 Par. 2,34. 35); ipse Moyses habebat uxorem Aethiopissam Num. 12,1; praeterea vide Ruth 1,4; 1 Par. 2,17; et Deut. 21,11 permittitur, ut mulier bello capta in uxorem assumatur. Post exsilium autem connubia cum alienigenis ab Esdra et Nehemia repudiabantur Esdr. 9,1 ss.; 10,1 ss.; Neh. 13,23 ss., sicuti etiam iam antea quandoque reprobabantur; cf. Iud. 14,3; 3 Reg. 11,1.

Ius leviratus ex antiqua consuetudine originem ducebat (cf. Gen. 38,8). Quam consuetudinem Moyses ita modificavit, ut molesta ac periculosa facilius vitarentur simulque ratio haberetur libertatis matrimoniorum. In lege igitur mosaica erat praeceptum, ut si quis sine liberis mortuus fuerit, uxor defuncti nubat fratri defuncti, ut is semen suscitet fratri defuncto. Quod si frater noluerit hanc accipere uxorem, is palam ignominia afficiebatur; uxor defuncti tollebat calceamentum de pede eius et in eius faciem spuebat (Deut. 25,5-10). Cf. *Flav. Ios.* Ant. IV. 8,23; *F. Benary,* De Hebr. leviratu, Berolini 1835; *G. M. Redslob,* Die Leviratsehe bei den Hebr., Leipzig 1836.

Peculiaria praecepta dabantur pro matrimoniis pontificis et sacerdotum; vide s. v. PONTIFEX, SACERDOS.

Adulterium decalogo prohibebatur; pariter ne quis uxorem proximi concupisceret; lege adulteris poena mortis statuebatur Lev. 20,9; Deut. 22,22; Ioan. 8,5 : in lege mandavit nobis Moyses huiusmodi lapidare.

Pro filiabus heredibus praeceptum est, ut tantum suae tribus hominibus nuberent, ne commisceretur possessio de tribu in tribum (Num. 36,6-10 hebr.).

Ipsa matrimonii in paradiso institutione monogamia constituta est, ad quam Christus dignitatem matrimonii tuitus fideles adstrinxit et matrimonium vinculo indissolubili consistere docuit (Matth. 19,4-10). Verum, uti repudium uxoris soluto vinculo, ita polygamia quoque veteribus permittebatur. Ea iam commemoratur ante diluvium (Gen. 4, 19), usurpabatur ab Abraham, Iacob, Esau (Gen. 16,3; 26,34; 28,9; 29,28; 30,3 ss.); ab uxore prima sterili marito etiam suadebatur, ut ancillam duceret uxorem ad liberos procreandos, uti in exemplo Abraham et Iacob cernitur. Lege mosaica polygamia non prohibebatur (cf. Ex. 21,9. 10), sed praecipitur ut, si quis duas habet uxores, ius primogeniti filii uxoris minus dilectae servetur plane inviolatum (Deut. 21,15-17). Nobiles et reges quandoque plurimas habebant uxores seu concubinas; cf. Iud. 8,30; 2 Reg. 3,2-5; 5,13; 3 Reg. 11,3; 2 Par. 11,21; 13,21; neque lex illa a regibus satis observabatur, qua dicitur regibus : non habebit uxores plurimas (Deut. 17,17 hebr. : non multiplicabit sibi uxores). Nihilominus monogamiam et commendatam esse et saepe quoque in usum inductam certum est. Ita Isaias, Ezechiel eam colebant; in libro Prov. et in Psalmis de una uxore sermo constanter infertur; cf. Ps. 108, 9; 127,3; Prov. 5,18; 12,4; 14,1; 18,22; 19,14; 31,10; item Eccl. 9,9; Iob unam habuit uxorem; unius uxoris mentio fit Eccli. 7,21. 28; 9,1; 25,2. 11; 26,1 etc.; unam duxerant Tobias eiusque filius (Tob. 1,9; 8,4) et Ioakim (Dan. 13,2), item Manasses (Iudith 8,2). Ad monogamiam commendandam certe multum valuit, quod foedus Dei cum populo veluti sacrum connubium a prophetis praedicabatur (cf. Is. 1,2; 50,1; Ier. 2,2 hebr.; 31,32 hebr.; Ez. 16,8; Os. 2,2. 19 etc.; vide s. v. FOEDUS).

In novo foedere matrimonium ad eam dignitatem, quae ab initio ei indita est, non solum est revocatum, verum etiam ad sacramentum elevatum. Debet scil. esse monogamia; est vinculum eius, dummodo sit consummatum, sola morte dissolubile; maritus et uxor in iure et officio coniugali plane pares sunt; separatio inter fideles solum fieri potest quoad cohabitationem; a viro vero infideli, si discedit, licet mulieri fideli etiam discedere (cf. Matth. 19,4-10; Marc. 10, 11; Luc. 16,18; 1 Cor. 7,3-16; Eph. 5, 25-33); adulterium sola iam concupiscentia prava committitur (Matth. 5,28); adulteri regnum Dei non possidebunt (1 Cor. 6,9); matrimonio praestat virginitas (1 Cor. 7,7. 32-40), quae omnia latius prosequi hic non erit opus.

MATTHAEUS (Μαθθαῖος, Ματθαῖος), qui etiam Levi appellatur, filius Alphaei, erat portitor in urbe Capharnaum. A Iesu vocatus : sequere me, statim surrexit a telonio et gaudio repletus convivium instituit Iesu et discipulis eius in domo sua multis quoque publicanis accedentibus (cf. Matth. 9,9-13; Marc. 2,14; Luc. 5,27). Neque ullo modo dubitari potest, quin ea quae apud Marcum et Lucam de Levi narrantur sint plane eadem quae apud Matthaeum l. c. habentur. Nam res ipsa satis id testatur; praeterea in albo apostolorum apud Marcum et Lucam non recensetur Levi, sed Matthaeus; quare ipsi quoque satis ostendunt Levi nomen alterum esse Matthaei. Ceterum aliquem esse binominem satis erat frequens (cf. 1 Mach. 2,2-5; Act. 1,23; 4,36; 12,12). Insuper tota antiquitate agnitum est Levi esse Matthaeum. Quod autem quandoque obiicitur ex Heracleone (apud *Clementem Alex.* Strom. 4,9; *M.* 8,1281) et ex Origene (c. Celsum 1,62; *M.* 11.773), merito neglegitur; uterque enim locus satis est obscurus, immo probabiliter non de Levi, sed de Lebbaeo ibidem agitur, atque dubio Origenis loco opponitur indubius et clarus, quo inter exempla virorum binominium Matthaeum quoque refert (praef. in ep. ad Rom. *M.* 14,836). Neque statui potest quod nonnulli suspicati sunt, cum filius dicatur Alphaei, eum fuisse fratrem Iacobi minoris. Nam nullibi recensetur inter cognatos (fratres) Domini; in albo apostolorum fratres enumerantur coniunctim; nunquam

autem Matthaeus coniungitur cum Iacobo. Ceterum nomen Alphaei saepius reperitur; quare ex solo nomine nihil eiusmodi concludi potest. Ex ordine enumerationis in albo apostolorum colligi potest eum esse septimo loco ad apostolatum vocatum; nam seriem quandam temporis in ea enumeratione servari evadit probabile ex iis, de quorum tempore vocationis ex evangelica narratione edocemur.

Plane incerta sunt, quae de eius vita et praedicatione evangelica feruntur; nam alia ab aliis narrantur, ita ut regiones ad Pontum, Persis, Syria, Aethiopia, Macedonia, Hibernia, regiones indicae ei assignentur; itemque varia mortis genera, ignem, lapidationem, decollationem, mortem naturalem alii ei adscribunt (cf. *Adalbert Lipsius,* Die apocryphen Apostelgeschichten II. b p. 109 ss., Ergänzungsheft p. 217 ss.; *Cornely,* Introd. III. p. 19; *Knabenbauer,* Comm. in Matth. *ed.* 2 I. p. 1 s.).

Nomen ipsum saepe refertur ad מַתִּי, quod explicant *donatus,* scil. a Deo, Theodorus, Adeodatus (cf. *Gesenius,* Thes. p. 929, *Bisping, Fillion, Keil*). Syrus autem interpres 4 Reg. 14,25 et Ion. 1,1 nomen Amathi (אֲמִתַּי) reddit nomine eodem Matthaeus. In lingua autem aramaica, quae tempore Matthaei iam dudum invaluerat, aleph initiale (atque etiam radicale) haud raro supprimitur; quare Syro praeeunte fortasse probabilius nomen derivabitur ab אֱמֶת et explicabitur *fidelis* (cf. *Knabenbauer* l. c. p. 2). — De cultu eius etc. vide Acta Sanctorum bollandiana Septembri mense VI. p. 206 ss.

MATTHANA (מַתָּנָה, Μανθαναείν), statio Israelitarum in itinere ex deserto Moab versus fines Amorrhaeorum (Num. 21,18. 19). Situs determinari nequit; sed quoniam Israelitae Arnonem (*Wādi Enkeile*) transgressi castrametati sunt in stationibus Beer, Matthana, Nahaliel, Bamothbaal, saltem coniici potest ex iis quae s. v. BEER et BAMOTHBAAL dicta sunt. — Collocant quidem Eusebius et S. Hieronymus hanc stationem suo tempore Maschana dictam in Arnone 12 mil. pass. a Medaba orientem versus (Onom. *ed. Lag.* 277,82; 137,30); sed certe Medaba est aquilonem versus ab Arnone, unde totus ille textus vix quidquam iuvabit ad situm determinandum. Monet tamen *Relandus* (Palaestina p. 495) Eusebium hic et alibi non de fluvio, sed de regione ab Arnone fluvio dicta loqui. Quo admisso Matthana componi potest cum *Meshītā* ad orientem « Viae peregrinantium » (*Lagrange* in Revue bibl. IX. 1900 p. 448 et cf. tabulam p. 445). Alii situm probabilem assignant ruinas *Tedum* prope fontes *Seil Ledjūm* seu magis austrum versus iuxta « Viam peregrinantium » (*Keil* ad Num. 21,18; *Ewald,* Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 II. p. 295; alii); sed est coniectura.

MATTHIAS. 1. Matthias (Ματταθίας), unus ex tribus legatis, quos Nicanor, dux Syrorum, ad Iudam Mach. misit (2 Mach. 14,19) anno 161 a. Chr.

2. Matthias (Ματθίας, Μαθθίας), apostolus, qui Petro monente in locum Iudae proditoris sorte electus est (Act. 1,23. 26). Nomen idem censeri potest ac Mathanias vel etiam Mathathias, quod utrumque explicatur *donum Iahwe;* cf. nomen *Theodorus.* Modus sortiendi hac occasione adhibitus is videtur fuisse, ut tessellae seu tabulae, quibus nomina Ioseph Barsabae et Matthiae inscripta erant, in urnam coniicerentur, qua concussa sors exiit et super Matthiam cecidit. « Usus hic sortis explicatur, quia electio apostoli non potest fieri ab hominibus et quia iste modus exquirendi voluntatem Dei, quando id vere necesse erat, exemplis Veteris Testamenti commendatur. Apostolis autem commissa erat potestas designandi presbyteros, episcopos; quare sortis iam non erat locus seu necessitas deinceps in Ecclesia » (*Knabenbauer* ad h. l.).

MAUMAM (מְהוּמָן, Ἀμάν), unus ex septem eunuchis in aula Assueri (Esth. 1,10).

MAVIAEL (מְחוּיָאֵל et מְחִיָּאֵל; cf. *Nestle,* Margin. 7; cod. A Ματήλ), Cainita, filius Irad et pater Mathusael (Gen. 4,18).

MAXILLA v. RAMATH LECHI.

MECHERATHITES v. MAACHA 1.

MECHMAS v. MACHMAS.

MECHNEDEBAI (מֵכְנַדְבַי, Μαχναδαβού, Μαχναδααβού), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,40).

MEDABA, MADABA (מֵידְבָא; Μαιδαβά, Μηδαβά, Ναδαβά0 et saepius LXX omittunt), urbs in planitie montana Moab, a Sehon rege Amorrhaeorum Moabitis erepta (Num. 21,30), a Iosue Amorrhaeis erepta et Rubenitis tradita (Ios. 13,9. 16). Tempore Davidis in bello ammonitico-syriaco Aramaei castrametati sunt e regione Medaba et a Ioab fugati (1 Par. 19,7 ss.), dum Ammonitae ab exercitu Abisai fratris Ioab fugientes in civitatem suam (Rabbath Ammon) se receperunt (19,15); iam tunc igitur de Medaba possidenda Israelitis dimicandum erat idque saepius factum esse docemur notissima illa inscriptione Mesa regis Moab (lin. 7-9), qui Medebam terram ab Amri rege Israel expugnatam, sed a deo Kamos Moabitis in diebus suis redditam esse asserit. Isaias contra Medebam urbem Moab vaticinatur (Is. 15,2). Ex Medaba egressi filii Iambri Ioannem Mach. comprehenderunt et occiderunt, cuius sanguinem Ionathas et Simon fratres eius insidiis prope eandem urbem structis ulti sunt (1 Mach. 9,36. 37 et v. IAMBRI). A Ioanne Hyrcano circa a. 128 a. Chr. expugnata (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 9,1; Bell. iud. I. 2,6) in Iudaeorum ditione diutius videtur permansisse; Alexander Iannaeus (104-78 a. Chr.) eam tenebat (Ant. XIII. 15,4); enumeratur inter duodecim urbes, quas Alexandri filius Hyrcanus II. Aretae regi Arabum se redditurum esse promisit, si ipsum contra fratrem Aristobulum II. iuvaret ad regnum capessendum (Ant. XIV. 1,4 quo loco hae urbes ab Alexandro Iannaeo Arabibus ereptae esse dicuntur). Tempore Eusebii et S. Hieronymi erat urbs Arabiae nomen antiquum retinens iuxta Hesebon (Onom. *ed. Lag.* 279, 14; 138,32). A Romanis accensebatur ad Eparchiam Arabiae Petraeae eratque sedes episcopalis (*Reland,* Pal. 217. 222. 226. 893). Apud Stephan. Byz. s. v. appellatur urbs Nabataeorum. Eadem hodie est *Mādebā* in colle sita inter *Wādi Zerqā Ma'īn* et *Heṣbān* seu Hesebon duabus fere horis infra Hesebon.

Anno 1896 mense Decembri ibidem reperta est tabula geographica saeculo quinto vel sexto constructa, quae erat pavimentum tessellatum ecclesiae. Comprehendebat haec tabula duodecim tribus Israel, Aegyptum inferiorem, terram Moab, Idumaeam, Ammonitidem, Syriam ex parte saltem. Cum haec tabula a P. Cleopha Koikylido, bibliothecario in monasterio graeco S. Sepulcri hierosolymitano, detegeretur, nova ecclesia super ruinas ecclesiae antiquae construebatur et magna tabulae pars ab operariis iam destructa erat. Conservata est quarta fere tabulae pars scil. tribus Iuda fere integra, pars tribuum Beniamin, Dan, Ephraim, Simeon, Ruben, fragmenta tribuum Zabulon et Nephthali, partes quaedam Aegypti, terrae Moab et deserti migrationis.

Cf. *Ritter*, Erdkunde XV. 1184 ss.; *Tristram*, Land of Moab 308 ss.; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 255; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVIII. 1895 p. 113-125; Mitteil. d. D. Pal.-Ver. 1895 p. 65. 72. 73; 1896 p. 1. 42. 47; Revue bibl. I. 1892 p. 617-44; 1895 p. 588-591; 1896 p. 263-7; *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1895 p. 206; *Survey of East. Pal.* Mem. I. 178-183; Byz. Zeitschr. IV. 2 p. 345.

De tabula geographica tessellata Medabae reperta cf. *Cleophas M. Koikolydos*, Ὁ ἐν Μαδηβᾷ μωσαικὸς καὶ γεωγραφικὸς περὶ Συρίας, Παλαιστίνης καὶ Αἰγύπτου χάρτης, Jerusalem 1897; *Clermont-Ganneau*, Recueil d'Archéol. Orientale II. 1898 p. 161-175; Revue bibl. VI. 1897 p. 165-184, et 450-458; *Palmer-Guthe*, Die Mosaikkarte von Madeba I. Tafeln, Leipzig 1906.

MEDAD (מֵידָד, Μωδάδ) v. ELDAD.

MEDDIN (מִדִּין, Αἰνών, A Μαδών), urbs in deserto Iuda (Ios. 15,61). Est ignota.

MEDEMENA. **1.** Medemena (מַדְמֵנָה, Μαχαρίμ), urbs in plaga maxime meridiana tribus Iuda (Ios. 15,31). In genealogia Iuda 1 Par. 2,49 Saaph

filius Caleb filii Hesron vocatur pater i. e. dominus, possessor Madmena מַדְמַנָּה. Μαδμηνά) urbis. S. Hieronymus cum Eusebio (Onom. *ed. Lag.* 139,10 cf. 279, 24) : « Medemana (Μηδεμηνά) in tribu Iudae, cuius meminit Isaias; et nunc est Menois (Μηνοείς) oppidum iuxta civitatem Gazam ». De Medemena Isaiae, quam Eusebius cum nostra urbe confundit, vide sub 2. — *Guérin*, Judée II. 230 agnoscit Menois Eusebii in (*Khân*) *Yûnis*, quod 4 horis a Gaza meridiem versus mari fere adiacet; alii (*Robinson, Seetzen, Keil*) praeferunt *Minye*, quod a *Khân Yûnis* paulum orientem versus distat. Sed vide BETHMARCHABOTH.

2. Medemena (מַדְמֵנָה, Μαδεμηνά) Is. 10,31 recensetur inter urbes, quarum incolae aufugiunt, dum Assyrii citato cursu a septemtrione contra Ierusalem festinant. Erat igitur oppidum tribus Beniamin ceteroquin ignotum. Allusio ad urbem eiusdem nominis, quae adesse putatur in textu hebraico Is. 25,10 : Triturabitur Moab... sicut stramen triturtur in sterquilinium (מַדְמֵנָה), minus apte ad Medemena Beniamin refetur, sed forte ad Madmen urbem Moab q. v.

MEDENA. Haec vox Esdr. 6,2 legitur in Vulgata; verum ex textu aramaico apparet eam esse transumptam a substantivo מְדִינְתָּא, i. e. regio, provincia; legitur enim in textu aramaico : et inventum est in Achmeta in arce quae est in regione Mediae volumen. Et secundum hoc explica quod habet Vulgata : et inventum est in Ecbatanis quod est castrum in Medena provincia volumen unum — corrige; in Media provincia.

MEDI (Μῆδεια) 1 Mach. 8,8 fortasse mendum est pro : Mysii. Vide s. v. IONIA.

MEDI (מָדַי, Μῆδοι), **MEDIA** (Μῆδεια). Media regio Asiae, hisce fere finibus inclusa est : a septemtrione mari Caspio, ab oriente Hyrcania et Parthia, a meridie Perside, ab occidente Assyria et Armenia minore. Ut Strabo scribit, Media in duas dividitur partes : Media magna, cuius primaria urbs Ecbatana, et Media Atropatia, a magna Media versus occasum, ab Armenia versus ortum. Magna autem Media definitur versus ortum Parthia et montibus Cossaeorum ac Paraetacenis; versus septemtriones autem Cadusiis, qui supra Hyrcanum mare habitant, versus meridiem autem Apolloniatide quam Sitacenam antiqui dicebant et Zagro, ad quem Massabatica sita est Mediae, secundum alios vero Elymaeae regio; versus occasum Atropatiis et Armeniis quibusdam. Infra Caspias portas solum humile et in convalle situm, uberrimum est et omnium ferax dempta olea; regio equis alendis excellit (XI. 13, 1-7).

Urbs Mediae celeberrima est Ecbatana (vide s. v.); nota est urbs Rages ex historia Tobiae. Capta Samaria Israelitae etiam in civitates Medorum abducti sunt (4 Reg. 17,6; 18,11). Exhibentur Medi bellatores fortes et crudeles : ego suscitabo super eos Medos qui argentum non quaerant nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient et lactantibus uteris non miserebuntur et super filios non parcet oculus eorum (Is. 13, 17. 18). Ieremias cunctis regibus Medorum propinare iussus est calicem vini furoris Domini (Ier. 25,25).

Medi inter posteros Iapheth recensentur (Gen. 10,2 Madai). Ex inscriptionibus assyriis discimus iam circa annum 812 a. Chr. Medos vectigales fuisse Assyriis; postea Theglathphalasar, Sargon, Sennacherib, Asarhaddon gloriantur de victoriis reportatis et regionibus Medorum subiectis et de tributis acceptis et de principibus Medorum in Assyriam abductis (cf. *Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 171 s.). Postea Medi simul cum Babyloniis, Kyaxares et Nabopolassar, regnum Assyriorum destruxerunt; verum mox Astyage regno per Cyrum privato Media regno Persarum est adiuncta. Post mortem Alexandri Magni Media regno Syrorum est attributa (1 Mach. 6,56).

Cf. *G. Rawlinson*, The five great Monarchies *ed.* 4, 1879 II.; *J. Oppert*, Le peuple et la langue des Mèdes, Paris 1879; *A. Delattre*, Le peuple et l'empire des Mèdes, Bruxelles 1883.

MEDICUS, MEDICINA. De arte medicinae veterum Iudaeorum fere nihil nobis traditum est. Sed aliquam huius rei notitiam habuisse iam ex eo censendi sunt, quia circumcisionem usurpabant, quae vulneris inflicti sanationem curamque exigebat. Illis etiam variarum plantarum vires ac virtutes innotuisse, ex uno exemplo sane colligere licet; Lia et Rachel peculiari virtuti mandragorarum (pomorum amatoriorum, Gen. 30,15) confidunt. Ioseph in Aegypto inter servos suos etiam habuit medicos, quos aromatibus condire patrem mortuum iussit (Gen. 50,2). Si quis alium percusserit lapide vel pugno, ita ut vulneratus in lecto iacere debuerit et tandem baculo innixus ambulare possit, debet percussor curare ut sanetur (Vulg. impensas in medicos restituat); ita Ex. 21,19. Unde ars vulnerum curandorum nota erat. Idem colligitur ex 4 Reg. 8,29; Ioram vulneratus a Syris reversus est, ut curaretur, in Iezrahel; et Asa solum reprehenditur, quia ne dolore pedum vehementissimo quidem correptus Deum quaesivit, sed solum medicos accersivit (2 Par. 16,12). Qua ratione vulnera curata sint, discimus ex Is. 1,6 : plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo (hebr. non expressa, obligata, emollita oleo) et ad emolliendum ulcus (carbunculum) iussit Isaias tolli massam de ficis et cataplasmari super ulcus (Is. 38,21; 4 Reg. 20,7). Quomodo vulnera curata sint, docet Ieremias quoque re medicinali usus ad comparationem : numquid resina (storax vel resina terebinthina vel probabilissime mastiche) non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiae populi mei (8, 22)? Sapiens monet, ut medicus honoretur; a Deo enim esse et medicum et medicamentum; Deum creasse medicamenta et virum sapientem ea non abhorrere; « in his curans mitigabit dolorem ». Sed monetur medicus quoque, ut Deum deprecetur ad dirigendam sanitatem. Simul tamen indicat Sapiens, rem esse iniucundam incidere in manus medicorum, idque saepe esse poenam peccati : « qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici » (Eccli. 38,1-15). In Novo Testamento commemoratur Lucas medicus carissimus (Col. 4,14). Medicorum artem haud raro caruisse effectu, etiam locutionibus quasi proverbialibus ostenditur; ita Iob 13,4 hebr. : Medici inutiles (nihili) vos omnes, et : medice cura teipsum (Luc. 4,23). Exemplum successus frustrati habetur in muliere sanguinis fluxu laborante ab annis duodecim, quae in medicos erogaverat omnem suam substantiam nec ab ullo potuit curari (Luc. 8,43). Quod in Vulgata legitur Ps. 87,11 aut medici suscitabunt, LXX ἰατροὶ ἀναστήσουσιν, mendum est ex falsa acceptione vocis רְפָאִים ortum; eo enim loco intelleguntur viribus destituti i. e. mortui in sheol. Utique verbum רָפָא lenire, sanare artem medici designat; unde intellegitur origo illius mendi apud LXX et in Vulgata.

Cf. *Calmet*, De re medica veterum Hebraeorum, apud *Migne*, Cursus Script. S. XVII. p. 999-1012; *Brunati*, De la médecine chez les Hébreux, apud *Migne*, Démonstr. évang. XIV. p. 480-490; *Th. Shapter*, Medica sacra, London 1834; *J. P. Trusen*, Darstellung der bibl. Krankheiten und der auf die Medizin bezüglichen Stellen der hl. Schrift, 1843; *J. Wunderbar*, Biblisch-talmud. Medizin, 1850-60; *W. Ebstein*, Die Medizin im Alten Test. 1901; *id.* Die Medizin im Neuen Test. und im Talmud 1903; *J. Preuss*, Der Arzt in Bibel und Talmud, apud *Virchow*, Archiv für pathol. Anatomie und Physiologie CXXXVIII. 1894 p. 261-283.

MEETABEL (מְהֵיטַבְאֵל, Μτεεδεήλ, Μεταδεήλ), filia Matred, uxor Adad (Adar) ultimi regis Edomitarum, antequam filii Israel regem haberent, quo mortuo duces in Edom esse coeperunt (Gen. 36,39; 1 Par. 1,50). Uxoris prosapia accurate recensetur, ut conieceris narrata scriptoris sacri tempora fere attigisse (*F. de Hummelauer* ad Gen. 36,39). Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulgata scribitur Metabeel.

MEGBIS (מַגְבִּישׁ, Μαγεδώς, A Μαγεδίς), nomen familiae (vel forte civitatis), cuius filii 156 ex captivitate redierunt (Esdr. 2,30). Loco parallelo Neh. 7,33 nomen omittitur in textu massorethico

et codice Vat., sed in cod. Alex. scribitur Μαγεδώς.

MEGPHIAS (מַגְפִּיעָשׁ, B Βαναφής, A Μαιαφής), unus ex principibus populi, signator foederis (Neh. 10,20[21]).

MEHUSIM (1 Par. 8,11) v. HUSIM 2.

MEIARCON (מֵי הַיַּרְקוֹן i. e. aquae flavedinis; LXX praebent καὶ ἀπὸ Θαλάσσης Ἱεράκων ὅριον et omittunt nomen urbis sequentis Arecon), urbs vel regio in tribu Dan et prope Ioppen (Ios. 19, 46). Nomine hebraico innui videtur urbs vel regio a vicino quodam fluvio dicta; fluvius autem ille censetur esse *Nahr el-ʿAudjā*, qui inter Ioppen et Arecon (*Tell el-Reqqeit*) in mare Mediterraneum influit (*Legendre*, Carte de la Palestine; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 262. 263; *G. A. Smith*, Historical Geography of the Holy Land, Plate I. V).

Lectionem massorethicam non esse certam multi interpretes suspicabantur tum propter lectionem LXX tum etiam propter similitudinem nominum Meiarcon et Arecon.

Unde *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. p. 447) textum ita restituit, vix quidquam praeter incisorum ordinem mutans : « Et exit terminus filiorum Dan inde ad aquas Iarcon et Iarcon ipse est terminus ex adverso Ioppes et erunt exitus termini versus mare ». Idem auctor aquas Iarcon censet esse *Nahr el-ʿAudjā*, cuius aquis, antequam in mare effunditur, sese adiungit ab austro *Nahr el-Bāride;* confluentes videntur apte vocari aquae Iarcon.

MEL. 1. *Nomen.* Mel (hebr. דְּבַשׁ — cf. נֹפֶת, LXX μέλι) plurimis locis S. Scripturae, ubi apum fit mentio vel ubi cum favo coniungitur e. g. in historia Samsonis (Iud. 14,6 ss.) sensu stricto i. e. de melle apum accipiendum est. Prov. 5,3 LXX pro נֹפֶת, quod alibi voce κηρίου, Vulg. *favi* nomine reddit, μέλι substituunt. Favus proprie hebraice est יַעַר, dum נֹפֶת (a verbo נוּף = fluere) vel נֹפֶת צוּפִים intellegunt mel quod sponte e favo profluit (mel virgo). — Utrum vero μέλι ἄγριον, *mel silvestre* (Matth. 3,4; Marc. 1,6) sit mel apum silvestrium an potius species quaedam mannae e fruticibus vel arboribus exsudati interpretes non consentiunt. Certum videtur Diodorum Sic. (Bibl. hist. *ed. Fischer* XIX. 94), qui de manna vicino Nabathaeorum loquitur, hunc adhibere velut terminum technicum de succo illo arborum. Quodsi *Schegg* (Bibl. Arch. p. 104) contendit nunc non inveniri in Palaestina eiusmodi arborem vel fruticem, contradicit *Burckhardt* (Reisen i. Syrien *ed. Gesenius* II. 662 s.), qui duas arbores, *ʿarrab* et *tereshresh*, commemorat, ex quibus manna quoddam colligatur quod nomine *ʿasal beiruq* designant. Cf. s. v. MANNA et *I. Knabenbauer*, Comm. in Matth. et Marc. ll. cc. — Praeterea Iosephus (Bell. iud. X. 8,3) refert e dactylis hierichuntinis parari mel alio vix inferius. Atque hoc rabbinis quoque erat notum (cf. *Löw*, Aram. Pflanzenn. p. 124 s.). — Denique nomine *dibs*, quod hebraico דְּבַשׁ correspondet, Arabes nunc designant substantiam melli similem, quae paratur concoquendo mustum uvarum. Quare multi putant, pluribus locis Vet. Test. hoc, non vero mel apum esse intellegendum, maxime quando una cum aliis rebus regni vegetalium nominatur (cf. Deut. 8,8; 2 Par. 31,5), vel ubi de melle exportando sermo est (Gen. 43,11; Ez. 21,17). Quin *Bliss* in excavationibus in *Tell el-Ḥesī* (Lachis) apparatum temporis Chananaeorum invenit, quem putat praeparationi huiusmodi mellis ex uvis inserviisse (A mound of many cities p. 69-71). Graecis quoque ac Romanis processus ille non erat ignotus, ac Plinius (Nat. hist. XIV, 9 (11), 80) una cum modo praeparationis tradit, illud a Graecis ἕψημα vel σιραῖον (οἶνον), a Latinis *sapam* vel *defrutum* vocari. At contra talem usum apud Israelitas *Dalman* (Mitt. u. Nachr. d. Deutsch. Palästina-Ver. 1906 p. 83) obicit, ius rabbinicum in discussionibus de nasiraeis et de votis nosse quidem mel e dactylis, prorsus vero ignorare mel ex uvis confectum. Spectata indole casuisticae rabbinorum, hoc est momenti sane gravissimi. Quare tutius ab illa inter-

pretatione mellis in Vet. Test. abstinetur.

2. *Textus S. Scripturae.* Inter bona terrae Israelitis promissae mel cum lacte primum locum occupat, id quod exprimi solet descriptione terrae tamquam *lacte et melle manantis* (v. infra n. 3), quae viginti circiter locis, inde ab Ex. 3,8 usque ad Eccli. 46,10 recurrit. Sed et in aliis enumerationibus fructuum terrae Chanaan mel ponitur (Deut. 8,8; cf. Gen. 43,11; Ez. 27,17). Revera mel abundasse in Palaestina vel ex frequenti eius mentione (57 vel 58 locis) concludi potest. Ita iam Iacob in secundo itinere undecim patriarcharum in Aegyptum inter optimos terrae fructus mittit ad Ioseph *modicum mellis* una cum resina, storace etc. (Gen. 43,11). Et in nundinis Tyriorum Israelitae proponere solebant, praeter frumentum primum, balsamum, oleum, resinam etiam mel (Ez. 27,17). Simila, oleum, mel divitias constituunt, quibus Ierusalem elevata est (Ez. 16,13), quaeque, licet splendidissima dona essent Iahwe, qui de petra melle suos saturavit (Ps. 80 (81), 17; cf. Deut. 32, 13), populus proponebat idolis (Ez. 16, 19). Quanti mel fiat inde apparet, quod Ismahel, qui Godoliam eiusque amicos interfecerat, pepercit decem viris ex octoginta venientibus de Samaria, eo quod possidebant in agro thesauros frumenti, hordei, olei, mellis (Ier. 41,8). Immo Eccli. 30,31 (hebr. — *ed. Peters* — et graece 39,26) initio (רֹאשׁ) necessariae rei vitae hominum adnumerat mel. Cf. 2 Reg. 17,29; 3 Reg. 14,3 (LXX 12,24^{h-l}); Luc. 24,42. Quare ubertas terrae, quam Sennacherib Hierosolymitanis promittit, efficacius a rabsace (v. RABSACES) describi non potest quam eo quod dicatur terra olei et mellis (4 Reg. 18,32). Ac Sophar Naamathites cum maledicit impio, negat eum visurum torrentes olei ac mellis (Iob 20,17). In Palaestina nec cum desolata fuerit terra, butyrum et mel deerunt (Is. 7,22) atque ipse Emmanuel iis nutrietur (ib. 7,15).

Samson invenit favum mellis in cadavere leonis (Iud. 14,8 ss.), et Ionathas in saltu prope Machmas reperit mel in terra fluens (1 Reg. 14,25 ss.). Usque in praesentem diem apes silvestres in fissuris montium vel truncis arborum mel deponunt. An Israelitae apes coluerint non clare indicatur in sacro textu. Certe rem apiariam norunt rabbini. Ceterum cf. s. v. APIS. De melle primitias ac decimas offerebant (1 Par. 31,5); ad altare vero aeque ac fermentum, non admittebatur (Lev. 2,11), probabiliter ob facilem fermentationem; Philo vero (De vict. offer. 6. *ed. Mangey* II. 255) ait, quia apis non est animal mundum.

Mel igitur erat inter alimenta communissima Israelitis ac gratissima, ac manna ipsum sapore melli comparatur (Ex. 16,31; cf. Ps. 80 [81], 17). Monet autem Sapiens, ut moderate eo utantur, ne dulcedo nauseam creet, aut quod sanum est vertatur in detrimentum (Prov. 25,16; 27,7. 27). Dulcedo enim mellis maximi fiebat (Eccli. 11,3), ac mel regibus et vulgo in deliciis erat (LXX Prov. 6,8^{b}). Solent orientales esse amatores rerum dulcium; atque eo maioris momenti mel erat veteribus, quod locum sacchari ipsis ignoti tenebat in parandis cibis et condiendo vino.

Hinc factum est, ut omnes res gratas melli compararent. Volumen, quod Ezechiel (Ez. 3,3) et Ioannes (Apoc. 10,9 s.) comedere iubentur, in ore factum est dulce velut mel. Non solum labia sponsae (Cant. 4,11, cf. 5,1) sed et labia meretricis (Prov. 5,3) favo mellis comparantur. Memoria quoque Iosiae in ore quasi mel indulcatur (Eccli. 49,2). Sicut mel sunt composita verba (Prov. 16,24) ac doctrina sapientiae (Prov. 24,13); indicia vero (Ps. 18 ([19],11) et eloquia Domini (118 [119], 103) dulciora sunt melle et favo; spiritus eius super mel dulcis et hereditas eius super mel et favum (Eccli. 24,27).

Cf. *S. Bochart*, Hierozoicon *ed. Rosenmüller* III. 374-96; *M. Hiller*, Hierophyticon II. 203-5; *I. D. Michaelis*, Suppl. ad lex. hebr. 1133-35; *S. Oedmann.* Verm. Samml. II. 131-37; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumsk. IV^{b}. 422-28; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds p. 301 s.; *W. M. Thomson*, The Land and the Book, passim; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 402-10; *P. Schegg*, Bibl. Arch. p. 102-4; *I. G. Wood*, Bible animals p. 605-12.

3. *Terra lacte et melle manans.* De locutionis huius sensu ultimis annis multum disceptatum est. Difficultas enim in eo invenitur, quod iuxta nostrarum saltem regionum mensuram Palaestina non videatur lacte aut melle abundare. Ad summum igitur a nomadibus, in comparatione ad desertum, posset dici lacte et melle fluens. Observat vero *Dalman* verbum זוּב non significare *redundare*, sed *fluere*, *diffluere*, *effluvium habere*. Quare ipse interpretatur locutionem illam non de fructuum quantitate, sed de qualitate, ita ut sensus sit: fructus terrae pinguedine lac, dulcedine mel aequare. Huic congruit modus quo haggada Iudaeorum ex antiquissimis temporibus phrasim intellexit. De ubertate eam frequenter apud Arabes quoque adhiberi ostendit imprimis *Guidi*. — Alii mythologicam indolem locutioni tribuunt, qua coniungeretur cultui dionysiaco ac diceret cibum deorum, cibum paradisi. Ita *Usener*, quem sequuntur *Stade*, *Beer*, *Baentsch;* paulo aliter *Cheyne*. Cogitat autem *Stade* de derivatione e mythologia babylonica, et affirmat *Zimmern* mel et butyrum = lac coagulatum *dishpu* et *ḫēmetu*) in ritibus babylonicis locum occupare non infimum.

Cf. Mitt. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver 1902 p. 42-44; 1903 p. 73 s.; 1905 p. 27-29; 65-71; 1906 p. 81-83; 1907 p. 39 s.; Rhein. Mus. f. Philol. LVII (1902) p. 177-95; Zeitschr. f. d. atl. Wissensch. XXII. (1902) p. 321-24; Rev. bibl. XII. (1903) p. 241,44; *Schrader*, Keilschr. u. d. A. T. *ed. Zimmern-Winckler* p. 526.

H. I. CLADDER.

MELCHA (מִלְכָּה, Μαλχά). **1.** Filia Aran et uxor Nachor, fratris Aran et Abraham (Gen. 11,29). Eius filii enumerantur Gen. 22,20-23. Rebecca erat filia Bathuelis filii Melchae (Gen. 24,15. 24. 47).

2. Filia Salphaad filii Hepher (Num. 26,33; 27,1; 36,11; Ios. 17,3).

MELCHI (Μελχεί) nominantur duo inter maiores Christi (Luc. 3,24. 28).

MELCHIA v. MELCHIAS 3. 4. 5.

MELCHIAS (מַלְכִּיָּה, Μελχίας, Μελχία). **1.** Levita de stirpe Gersom (1 Par. 6,40[25]).

2. Sacerdos, pater Phassur (1 Par. 9, 12; Neh. 11,12; v. PHASSUR 4).

3. Princeps familiae sacerdotalis, cui sors quinta in ministerio Domini a David designata est (1 Par. 24,9; Vulg. Melchia).

4. et **5.** Duo de filiis Pharos, qui uxores alienigenas in exsilio duxerant (Esdr. 10,25; Vulg. Melchia).

6. Unus de filiis Herem, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,31); idem in muro Ierusalem reaedificando partem habuit (Neh. 3,11).

7. Filius Rechab, princeps vici Bethacharam, qui portam sterquilinii reaedificavit (Neh. 3,14).

8. Filius aurificis vel ex collegio aurificum, qui partem muri Ierusalem reaedificavit (Neh. 3,30[31]).

9. Unus e viris, qui Esdrae legem recitanti a latere steterunt (Neh. 8,4).

10. Sacerdos, signator foederis (Neh. 10,3).

11. Levita qui dedicationi muri Ierusalem intererat (Neh. 12,41[42]).

12. Pater Phassur (Ier. 21,1; 38,1; v. PHASSUR 2).

13. Filius Amelech vel potius vir de stirpe regia, possessor lacus lutosi, in quem Ieremias a principibus Sedeciae regis missus est (Ier. 38,6).

14. Simeonita inter maiores Iudith (Iudith 8,1).

MELCHIEL. 1. Melchiel (מַלְכִּיאֵל, Μελχιήλ, sed 1 Par. 7,31 cod. B Μελλειήλ), filius secundus Beria filii Aser, progenitor Melchielitarum (Gen. 46,17; Num. 26,45; 1 Par. 7,31).

2. Melchiel (Μελχιήλ), pater Charmi, unius ex tribus principibus seu presbyteris Bethuliae (Iudith 6,15 LXX); v. CHARMI 3.

MELCHIRAM (מַלְכִּירָם, Μελχειράμ), filius Iechoniae filii Ioakim regis Iuda (1 Par. 3,18).

MELCHISEDECH (מַלְכִּי־צֶדֶק, Μελχισεδέκ), rex Salem. Urbs Salem probabilius est Ierusalem; eo nomine urbs quoque designatur Ps. 76,3 hebr. Neque intellegi potest oppidulum Salem meridiem versus situm a Scythopoli (id quod S. Hieronymus aliique putarunt);

nam tota narratio Gen. 14 obstat. Rex enim Sodomorum occurrit Abraham in regione vallis regis, quae prope Ierusalem sita est; pariter in Ps. 110 rex in Sion comparatur cum Melchisedech.

Erat Melchisedech rex et sacerdos; obtulit sacrificium ex pane et vino, benedixit Abram; eique dedit Abram decimas ex omnibus. Eum sacrificasse elucet ex addito : et ipse sacerdos El altissimi; dein cibaria proferre non opus erat; nam ex praeda socii Abram comederant (Gen. 14,24). Erat Melchisedech cultor veri Dei et sicut iam Ps. 110 ad Messiam regem ac sacerdotem habitudo innuitur, ita typicam eius rationem maxime prosequitur apostolus Hebr. 7,1 ss. Arguit autem apostolus ex illa imagine, quae in Genesi cap. 14 repraesentatur, ubi Melchisedech apparet, ita ut neque de eius ortu seu prosapia, neque de eius morte mentio fiat; solum nobis exhibetur vi nominis rex iustitiae et tamquam sacerdos — unde figuram et typum prae se fert assimilatus Filio Dei, sacerdos in perpetuum (Hebr. 7,3). Eius excellentia eo quoque describitur, quia ei decimas dedit ex praecipuis Abraham patriarcha et quia eum, qui habebat repromissiones, benedixit (Hebr. 7,4-8).

Cum dicatur ab apostolo ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, neque initium dierum neque finem habens, mirum non est varias de eo excogitatas esse fabulas ab iis, qui non satis attenderint apostolum in eo cernere consilium divinum, quod Messias dicatur sacerdos secundum ordinem (viam ac rationem) Melchisedech, de eo autem talis dirigente Spiritu S. imago in s. litteris exhibeatur, qualis per umbram referat Filium Dei. Ex qua argumentandi ratione simul elucet, apostolum non ad scriptorem respexisse humanum (quippe qui nihil cognitum habens de Melchisedech aliud nihil retulerit), verum unice rationem habuisse auctoris primarii, qui id solum et eo solum modo litteris consignari voluerit.

Angelum eum fuisse opinati sunt Origenes, Didymus (cf. *Hieronymus* ep. ad Evangelum, ep. 73); alii incarnationem Spiritus S. (cf. *Hilarius?* quaest. in V. et N. T. qu. 109, inter opera spuria S. August. *M.* 35,2325; *Epiphan.* Haer. 55,5; 67,3); alii Filium Dei, alii μεγάλην τινὰ δύναμιν θείαν, alii, praesertim Iudaei, Sem (cf. *Epiph.* Haer. 55; *M.* 41,979).

I. KNABENBAUER.

MELCHISUA (מַלְכִּישׁוּעַ, Μελχισουέ), filius Saul, cuius quattuor filii recensentur 1 Par. 8,33 : Ionathan, Melchisua, Abinadad, Esbaal, item 9,39; tres nominantur 1 Reg. 14,49; tres quoque qui in pugna in monte Gelboe a Philisthaeis occisi sunt : Philisthaei percusserunt Ionathan, Abinadab, Melchisua filios Saul (1 Reg. 31,2; 1 Par. 10,2). Aliud non traditur de hoc filio Saul.

MELCHOM, MOLOCH (מִלְכֹּם, הַמֹּלֶךְ, Μελχόμ, Μελχόλ, Μολόχ), idolum, cui gentes in Chanaan infantes immolabant. Unde Israelitis praecipitur : de semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui (Lev. 18,21) et si quis dederit de semine suo Moloch, morte morietur; populus terrae lapidabit eum (Lev. 20,2; cf. Deut. 12, 31 : offerentes filios et filias et comburentes igni; 4 Reg. 16,3; 2 Par. 28,3). Erat praesertim idolum Ammonitarum; colebat Salomon Moloch idolum Ammonitarum (3 Reg. 11,5) et aedificavit fanum Moloch, idolo filiorum Ammon (3 Reg. 11,7) et quia cum aliis idolis etiam Moloch deum filiorum Ammon adoravit Salomon, scindetur regnum de manu Salomonis (3 Reg. 11,33). Idem dicitur etiam Melchom; ita 4 Reg. 23, 13 Iosias rex polluit excelsa, quae aedicaverat Salomon rex Israel Melchom, abominationi filiorum Ammon. Item Ier. 49,1. 3 dicitur Melchom in possessionem sibi arrogasse regionem israeliticam, idque affirmat propheta in oraculo de Ammon, et Ammonitae dicuntur populus Melchom et si Ammonitae vincuntur, « Melchom in transmigrationem ducetur »; item minatur Amos propheta Ammonitis : « et ibit Melchom in captivitatem » (1,15). Cultum Melchom simul cum cultu Iahwe exerceri discimus ex comminatione Sophoniae (1,5). Nomen idoli significat *rex;* unde apud LXX

saepius legitur ὁ Μολὸχ βασιλεύς, Μολχὸμ βασιλεύς (Ier. 32,35; 1 Par. 20,2); et Lev. 18,21; 20,2 ὁ ἄρχων (sine addito). Israelitas revera filios et filias consecrasse quandoque idolo Moloch eosque combussisse, indubiis testimoniis s. litterarum constat; cf. 4 Reg. 17,16 et Ez. 23, 37 : insuper et filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis (idolis) ad devorandum; cf. Os. 13,2; Achaz rex filium suum consecravit transferens (lustrans, comburens) per ignem secundum idola gentium, quae dissipavit Dominus coram filiis Israel (4 Reg. 16,3; 2 Par. 28,3); item Manasses filium suum immolavit idolo per ignem (4 Reg. 21, 6; 2 Par. 33,6). Iosias quidem contaminavit vallem Hinnom, locum eiusmodi sacrificiorum, « ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem Moloch » (4 Reg. 23,10); at Ez. 20,31 aequales de eodem scelere reprehenduntur. Atque eam lustrationem fuisse veram immolationem, combustionem, indubiis locutionibus patet; v. g. Ez. 16, 36 idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis; et 16,20 immolasti filios et filias eis (idolis) ad devorandum, et 23,37 obtulerunt eis ad devorandum; Ier. 7,31 incenderunt filios suos et filias suas igni; 19,5 aedificaverunt excelsa ad comburendos filios suos igni in holocaustum etc. — Nomen huius idoli apud Phoenices crebro reperitur in nominibus propriis Abd-Melek, Melekjatan, Meleknamas, apud Assyrios Abu-Malik etc.

Cf. *Paul Scholz*, Götzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebräern p. 183 ss.; *Movers*, Phoenizier I. 322-414; *F. Baethgen*, Beiträge zur semitischen Religionsgeschichte 1888 p. 15 s. 37 s. 84 s. 238. 254. 263; *M.-J. Lagrange*, Études sur les religions sémitiques 1903 p. 99 ss.; *W. H. Roscher*, Ausführl. Lexicon d. griech. u. röm. Mythologie 1890 II. col. 3106 ss.

I. KNABENBAUER.

MELEA (Μελεά), unus ex maioribus Christi (Luc. 3,31).

MELECH (מֶלֶךְ, Μελχήλ, Μάλαχ), unus ex quattuor filiis Micha filii Meribbaal ex posteris Saul (1 Par. 8,35; 9, 41).

MELITA (Μελίτη) insula, cuius Act. 28,1 mentio fit, hodie ab omnibus agnoscitur esse *Malta*. Altera opinio, quae Melitam cum insula Meleta, hodie *Meleda*, in sinu Venetiano prope Illyriam sita componebat, omni fundamento destituitur. « Sinus S. Pauli », qui secundum traditionem in insula Malta ostenditur, inter septemtrionem et orientem spectat. Ante hunc sinum profunditas maris eadem est, quae Act. 27,28 describitur : « Qui et summittentes bolidem invenerunt passus viginti et pusillum inde separati invenerunt passus quindecim ». Formatio orae maritimae eadem est quae 27,39 describitur et etiam locus dithalassus 27,41 ex situ parvae insulae *Salmonetta* optime explicatur.

Cf. *Felten* ad Act. 28,1; *J. Smith*, The voyage and shipwreck of S. Paul, 1866; *J. Vars*, L'art nautique dans l'antiquité, Paris 1887, p. 258 s.; *W. M. Ramsay*, S. Paul the traveller, London 1895, p. 342; *A. Breusing*, Die Nautik der Alten, Bremen 1886, p. 190 s.; *F. Vigouroux*, Le Nouveau Test. et les déc. archéol. mod., Paris 1896 p. 341-6; *H. Balmer*, Die Romfahrt des Apostels Paulus u. die Seefahrtskunde im röm. Kaiserzeitalter, III. Teil; *F. Pölzl*, Der Apostel Paulus, Wien 1905, p. 440 ss.; *N. Heim*, Paulus. Der Voelkerapostel, Salzburg 1905, p. 274-277.

MELLO. 1. Mello (בֵּית מִלּוֹא, Vulg. urbs Mello, oppidum Mello, LXX οἶκος Βηθμααλῶ), arx urbis Sichem, intra urbem vel certe non procul ab urbe exstructa (Iud. 9,6. 20), quae 9,46. 47. 49 turris Sichem appellatur; in eadem erat fanum Baal Berith (9,4. 46). *Guérin* (Samarie I. 463 ss.) agnoscit Mello in *Khirbet el-Duwara* ad meridiem putei Iacob. Alii Mello non in planitie quaerunt, sed potius in ruinis castelli, quod in descensu septemtrionali montis Garizim cernitur; ipsum castellum adscribitur quidem aetati Iustiniani imperatoris (533), sed moles quadratae castello substructae et incisuris septae ad antiquiora tempora referri poterunt; cf. descriptionem apud *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5 p. 250.

2. Mello (הַמִּלּוֹא, ἡ ἄκρα, ἡ Μελώ, Μαλλώ, τὸ ἀνάλημμα), munitio in civitate

David vel potius inter civitatem David et montem Moria (2 Reg. 5,9; 3 Reg. 9,15. 24; 11,27; 4 Reg. 12,20; 1 Par. 11,8; 2 Par. 32,5); de situ probabili cf. *M. Hagen,* Atlas biblicus Tab. 22.

MELLOTHI (מְלוֹתִי), unus ex filiis Heman cantoris (1 Par. 25,4; B Μανδεί, A Μεαλωθί), princeps undevicesimae classis cantorum tempore Davidis (25,26; B Μεθαθεί, A Μελληθί).

MELLUCH (מַלּוּךְ, Μαλούχ). **1.** Unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,29; B Ἀλούμ).

2. Familia sacerdotalis (Neh. 12,2), cuius nomen legitur inter signatores foederis (10,4). Eadem videtur esse, quae in Vulg. 12,14 scribitur Milicho (*Kethib* מִלּוּכִי, *Qeri* מְלִיכוּ).

3. Signator foederis inter capita populi (Neh. 10,27).

Idem nomen hebr. gerunt, qui in Vulgata scribuntur Maloch.

MELOTHI civitas opinatissima, quam Holofernes in prima sua expeditione effregit (Iudith 2,13 Vulgata); in textu graeco 2,23 eius mentio non fit. Censetur esse urbs Melitene in Cappadocia, hodie *Malatia* (*Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3; *De Moor,* Le livre de Iudith, 1895 p. 40). Plinius eam vocat Melitam a Samiramide conditam haud procul Euphrate (Vl. 3,8). Ab eadem nomen sortita est provincia Melitene, quae teste Strabone (XII. 1,2) inter Cataoniam et Euphraten sita Commagenam attingit ac pars decima Cappadociae habetur. Urbis Melitene mentionem faciunt Ptolemaeus (V. 7,5 [*ed. Müller-Fischer* 6, 21]; VIII. 17,39) et Stephanus Byz. s. v.

MELTIAS (מְלַטְיָה, Μαλτίας), Gabaonites, qui partem muri Ierusalem reaedificavit (Neh. 3,7).

MEMBRANA. Proprie est charta pergamena, e pellibus primum Pergami facta, unde nomen ei inditum : pergamena (sc. charta); 2 Tim. 4,13 affer tecum libros, maxime autem membranas; quo loco membranae a libris distinguuntur. Libri scribebantur papyro; membranae, utpote charta ex pellibus parata, erant maioris pretii. Probabilissime membranae l. c. intelleguntur folia, in quibus apostolus plurima pro usu suo consignaverat, commentationes, notas de variis ecclesiis etc. Ita habetur discrimen a libris; explicatur, cur membranas maxime sibi afferri cupiat — libri enim aliunde quoque haberi poterant sed quae ipse sibi conscripserat, neutiquam neque deest ex usu veterum analogia (cf. *Dziatzko,* Untersuchungen über ausgewählte Kapitel des antiken Buchwesens, Leipzig 1900, p. 136-138).

MEMMIUS (Μέμμιος), legatus Romanorum (2 Mach. 11,34); vide s. v. QUINTUS MEMMIUS.

MEMORIA. Adhibetur in Vulgata iisdem variis significationibus, quibus etiam apud scriptores profanos usurpatur. Praeterea Eccli. 38,11 ponitur memoria similaginis, quod alias dicitur memoriale (Lev. 2,2. 9. 16), monimentum (Lev. 5,12; 6,15), hebr. אַזְכָּרָה; est illa pars ferti quae crematur in altari, ut offerens Domino commendetur vel quasi in memoriam benigne revocetur. Sumpsit nempe sacerdos ex ferto pugillum similaginis, aliquantulum oleum et thus, idque in altari incendit; reliquum sacerdotum in usum cedebat.

MEMPHIS (Os. 9,6 מֹף, reliquis locis נֹף; Μέμφις), urbs regia Aegypti inferioris iuxta ripam occidentalem Nili brevi intervallo ante Delta (Is. 19,13; Ier. 2,16; 44,1; 46,14. 19; Ez. 30,13. 16; Os. 9,6). Utraque nominis forma מֹף et נֹף reducitur ad aegyptiacum *Mennufer* i. e. mansio bona, quod in lingua vernacula abbreviatum audiebat *Mennefe, Menfe,* coptice *Membe, Memfe, Memfi, Menbe, Menfi,* etiam *Mefe.* Ex his formis ortae sunt forma assyriaca *Mempi, Mimpi,* graeca et latina Memphis, arabica *Menf,* qua hodie quoque locus urbis deletae designatur. Quomodo autem formae hebraicae מֹף et נֹף ortae sint, non satis liquet; aliqui מֹף explicant abbreviatione vocis aegyptiacae, נֹף omissione prioris syllabae *Men* vel aliter. Neque desunt, qui nomen Noph componant cum *Napata* metropoli Aethiopiae (*de Rougé, Lenormant*); sed vix admitti potest Iudaeos Ier. 44,1 in Aethiopiam usque progressos esse et parallelismus potius

commendat Memphim urbem Aegypti inferioris commemorari iuxta Phathures seu Aegyptum superiorem Ier. 44,1 sicuti etiam Ez. 30,13 ss. Ex eadem ratione neque de *Nepet* in Nubia aegyptiaca seu *Napata* Ptolemaei (IV. 7,19 [*ed. Müller-Fischer* 7,6]) cogitandum erit.

Cf. *H. Brugsch*, Geogr. Inschriften I. p. 234 s. 290. 291, qui negat נֹף ad *Men-nefr, Mennef* reduci posse; de duplici *Napata* cf. p. 56; de Memphi generatim eiusdem auctoris : Diction. géogr. de l'ancienne Égypte p. 55 s. 234. 237. 259. 297. 561. 564. 777. 1106. 1233; *J. de Rougé* in Revue archéol. VIII. 127 et *Lenormant* ibidem XXII. 215; *J. de Rougé*, Géogr. ancienne de la Basse-Égypte 1891, p. 1-7.

MENANDER (Μένανδρος), poeta comicus Graecorum (342-291 a. Chr.). Sententia 1 Cor. 15,33 : « corrumpunt mores bonos colloquia mala », desumpta est ex Menandri comoedia, cui titulus Thais; cf. Menandri Fragmenta, *ed. Dübner* (ad calcem Comoediarum Aristophanis, Paris, Firmin-Didot 1862) p. 21 : φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί i. e. corrumpunt bonos mores usus et consuetudo pravorum hominum. Vulgata artiorem significationem vocabuli ὁμιλίαι praetulit : *colloquia,* et recte quidem, quia in contextu de erroneis sententiis aliorum agitur. Ceterum sententia illa Menandri in proverbio videtur fuisse.

MENDACII VIRI (1 Par. 4,22) v. ACHAZIB 2.

MENDICUS v. PAUPER.

MENELAUS (Μενέλαος), impius Iudaeorum pontifex tempore Antiochi IV. Epiphanis, frater istius Simonis praepositi templi, qui thesauros templi Syris prodere conatus erat (2 Mach. 3,4-6). Anno 172 vel 171 a Chr. a Iasone pontifice ad Antiochum IV. missus est, ut negotia quaedam ageret; sed occasione usus a rege summum sacerdotium sibi emit promissione maioris tributi in posterum solvendi et Iasonem Hierosolymis expulit. Mox Antiochiam revocatus, quod pecunias regi promissas non solveret, Andronicum, qui Antiocho IV. absente regnum administrabat, vasis aureis e templo traditis sibi conciliavit eidemque auctor fuit, ut Oniam III. qui pontifex fuerat ante Iasonem et nunc prope Daphnem in asylo se continebat, morti traderet. Interim Lysimachus, frater Menelai et summo sacerdotio pro fratre absente fungens, propter multa sacrilegia patrata in seditione occisus est, et tres Iudaeorum legati Tyrum missi sunt, ut coram rege Menelaum auctorem sacrilegiorum accusarent. Menelaus criminum convictus est, sed pecuniis Ptolemaeum consiliarium regis corrumpens effecit, ut ipse absolutus sit, tres vero legati Iudaeorum poenam capitis subierint (2 Mach. 4,23-50). Dum Antiochus IV. Epiphanes secundam adversus Aegyptum expeditionem (170 a. Chr.) prosequitur, Iason cum mille viris Hierosolyma occupans Menelao dignitatem pontificis eripere conatus est, sed Antiochi IV. reditu comperto iterum ad Ammonitas aufugit (2 Mach. 5,5-7). Menelaus vero regem, qui ex Aegypto redux in populum hierosolymitanum propter opem Iasoni praestitam saeviebat, in diripiendo templo adiuvit (2 Mach. 5,15; cf. 1 Mach. 1,21-24). Menelai mentio fit insuper 2 Mach. 5,23; 11,29. 32. Postea sine dubio a Iuda Machabaeo ex officio pontificis remotus est. Tandem dignam criminibus mercedem recepit, cum ad Antiochum V. Eupatorem Iudaeis bellum inferentem se conferret, ut in principatum restitueretur; nam suadente Lysia a rege capitis damnatus est et Beroeae in Syria in turri cinerum mortem oppetiit (2 Mach. 13,3-8; cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 9,7 qui praeter alia erronea Menelaum fratrem Iasonis dicit).

MENI legitur in textu hebr. Is. 65, 11 : et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunae (לַגָּד, LXX τῷ δαιμονίῳ) mensam et libatis super eam (לַמְנִי, LXX τῇ τύχῃ). Quid Meni significet, est valde incertum. Idolum hoc nomine appellatum utrum alibi occurrat necne, non liquet. Communiter explicant Meni de Fortuna minore seu de stella, cui a Venere nomen inditum est, et de dea eius stellae praeside, dum Gad explicatur de Fortuna maiore seu de stella, cui a Iove nomen est. Plura de variis interpretationum tentaminibus afferunt

commentatores (*Knabenbauer* in Is. 65,11 et alii).

MENNA (Μεννά) in genealogia Christi Luc. 3,31.

MENNI (מִנִּי, LXX παρ' ἐμοῦ) regio, cuius rex cum regibus Ararat et Ascenez ad bellum sacrum contra Babylonios gerendum evocatur (Ier. 51,27). Ararat et Menni (assyr. *Mat Mannai*) constituunt Armeniam maiorem vel orientalem, Ascenez autem Armeniam occidentalem. Cf. (*Lenormant,* Les origines de l'histoire II. (1882) p. 394. 462 s.; *Brunengo,* L'Impero di Babilonia e di Ninive II. p. 493 ss.

MENNITH (מִנִּית, B Ἀρνών, A Σεμωείθ, *Flav. Ios.* Ant. V. 7,10 Μανιάθη), urbs transiordanica Iud. 11,33 : Iephte Ammonitas debellans viginti urbes percussit ab Aroer (tribus Gad) usque ad regionem Mennith et Abel Keramim. Praeterea in textu massorethico Ez. 27, 17 mentio fit tritici de Minnith, quod Israelitae Tyriis vendebant; fuisse quidem Ammonitidem tritici feracem etiam aliunde constat, verum lectio massorethica *Minnith* eo valde dubia est, quod nemo ex veteribus ei suffragium ferre videatur (cf. *Knabenbauer* in Ez. 27,17, qui emendationem a *Cornill* propositam : triticum et *storax* non improbabilem esse censet). — Tempore Eusebii et S. Hieronymi vocabatur Μααvίθ, Mannith, villa 4 mil. pass. a Hesebon aquilonem versus pergentibus Philadelphiam seu Rabbath Ammon (Onom. *ed. Lag.* 280,44; 140,3). Situs nondum repertus est.

MENSIS. Omnes gentes ad metiendum tempus mense usae sunt (cf. Gen. 1,14); quamquam artificiosum saepe mensem pro naturali supposuerunt. Nomen mensis, quod et in hebraica et in multis aliis linguis a luna derivatur, in libris Veteris Testamenti duplex est חֹדֶשׁ et יֶרַח. Quarum vocum prior, quae *novum* significat (a חָדַשׁ novus fuit), denotat primo novilunium (cf. Num. 29,6; 1 Reg. 20,5. 18. 24; Os. 5,7), deinde totum mensem (cf. Gen. 8,5; 29, 14; Num. 11,20. 21). Altera vox si scribitur יָרֵחַ, lunam significat, si יֶרַח, mensem.

Triplex in temporum discriptione mensis distingui potest : naturalis, artificiosus, civilis. Mensis naturalis, ad ipsum lunae cursum accommodatus, est temporis spatium, quod inter duo novilunia (duas lunas novas) intercedit; artificiosus mensis e mense naturali hominum consuetudine ortus anni tropici solaris duodecimam partem continet; civilis mensis integro dierum numero mensem vel naturalem vel artificiosum exhibet. Ita fit ut mensis Martyrologii nostri, cui subest mensis naturalis, modo 29 modo 30 dies habeat, mensis autem calendarii Gregoriani, cui subest mensis artificiosus, modo 30 modo 31 dies excepto mense Februario.

De Patriarcharum mense nihil certi constat. E tabula autem quam adiicimus, pauca concludere licebit de mense Noae :

GEN.	ANNUS NOE	MENSIS	**Historia Diluvii**
7,11	600	2	cataractae caeli apertae sunt;
8,4	600	7	requievit arca super montes;
8,5	600	10	apparuerunt cacumina montium;
8,6-12			sequuntur dies 40 et 7 et iterum 7 et iterum 7;
8,13	601	1	exsiccata est superficies terrae;
8,14	601	2	arefacta est terra, die 27ª.

	NOMEN HEBRAICUM.	NOMEN ASSYRO-BABYLONICUM APUD HEBRAEOS.	IN INSCRIPT. CUNEIFORMIBUS	NOMEN GRAECUM.
1	אָבִיב Deut. 16,1	נִיסָן Nisan (Neh. 2,1; Esth. 3,7) — Mart. April.	Nisannu	Ξανθικός
2	זִו 3 [1] Reg. 6,1. 37	אִיָּר Iyyar — April. Mai.	Airu (Airi)	Ἀρτεμίσιος
3		סִיוָן Sivan (Esth. 8 ,9) — Mai. Iun.	Simannu	Δαίσιος
4		תַּמּוּז Tammuz — Iun. Iul.	Dūzu	Πάνεμος
5		אָב Ab — Iul. Aug.	Abu (Abi)	Λῶος
6		אֱלוּל Elul (Neh. 6,15) — Aug. Sept.	Ulūlu	Γορπιαῖος
7	אֵיתָנִים 3 [1] Reg. 8,2	תִּשְׁרִי Tishri (1. mensis anni civilis) — Sept. Oct.	Tishrītu	Ὑπερβερεταῖος
8	בּוּל 3 [1] Reg. 6,38	מַרְחֶשְׁוָן Markheshvan — Oct. Nov.	Arah-samna	Δῖος
9		כִּסְלֵו Kislev (Neh. 1,1; Zach. 7,1; 1 Mach. 1,57; 4,52.59; 2 Mach. 1,9. 18; 10,5) — Nov. Dec.	Kislimu	Ἀπελλαῖος
10	(Gen. 8,5)	טֵבֵת Tebeth (Esth. 2,16) — Dec. Ian.	Ṭebitu	Αὐδυναῖος
11		שְׁבָט Shebat (Zach. 1,7; 1 Mach. 16,14) — Ian. Febr.	Shabāṭu	Περίτιος
12	(4 [2] Reg. 25,27)	אֲדָר Adar (Esdr. 6,15; Esth. 3,7 ss.; 1 Mach. 7,43. 49; 2 Mach. 15,37) — Febr. Mart.	Adāru	Δύστρος

Ex narratione diluvii haec colligi posse videntur : mense secundo die 17. mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnae; aquae terram obtinuerunt 150 diebus; coeperunt minui post 150 dies (Gen. 7,11. 24; 8,3) et arca requievit super montes Armeniae mense septimo die 17. (hebr., Sam., Chald., Syr. — sed Vulgata die 27.). Unde sequi videtur ab initio diluvii i. e. a mense secundo die 17. usque ad mensem septimum diem 17. effluxisse dies 150, qui numerus omnino habetur, si mensis 30 dierum assumitur (nam dies 13 + 4. 30 + 17 = 150). Aliis placet menses assumere lunares ideoque 150 quasi numero rotundo poni pro 147. Dein die 1. mensis 10. apparuerunt cacumina montium (Gen. 8,5); die 1. mensis 1. sequentis anni exsiccata est superficies terrae (8,13); die 27. mensis 2. arefacta est terra et egressus est Noe ex arca (8,14). Notaverat iam S. Ephraem diluvio tribui in textu durationem unius anni solaris seu 365 dierum scil. unum annum lunarem 354 dierum additis diebus undecim (a die 17. mensis secundi usque ad diem 27um mensis secundi sequentis anni). Mensem autem secundum dici plerumque putant eum, qui postea Markheshvan est appellatus (Octob.-Novemb.), ita ut anni initium ab autumno capiatur. Illud itaque anni tempus elegit Deus, quo fluviorum quoque tumescerent aquae (cf. *F. de Hummelauer,* Comment. in Gen. p. 266 ss).

A tempore Noe usque ad Moysen nihil de mense traditum est. Neque de mense mosaico quidquam certi statui potest ex iis, quae de tempore, quod inter Moysen et Graecorum imperium intercessit, accepimus.

Ante exsilium menses solis ordinalibus numeralibus notabantur, ut in tabula supra adscripta. Quattuor menses nomina habebant propria : אָבִיב spica Ex. 13,4; 23,15; 34,18; Deut. 16,1 (Vulgata : mensis novarum frugum, mensis novorum), זִו viror, splendor 1 Reg. 6, 1. 37 (Vulgata 3 Reg. 6,1. 37 Zio), יֶרַח הָאֵיתָנִים i. e. mensis rivorum perennium vel, ut alii malunt, frugum, donorum 1 Reg. 8,2 (Vulgata 3 Reg. 8, 2 in mense Ethanim), בּוּל proventus 1 Reg. 6,38 (Vulgata 3 Reg. 6,38 Bul).

In libris autem post exsilium scriptis duodecim assyro-babylonica et apud Flav. Iosephum duodecim graeca mensium nomina habentur, quae omnia in tabula adiecta (col. 153.154) componuntur (cf. *Ioannis Kepleri* Opera omnia, vol. IV. p. 511, Notae Editoris, ubi mensium nomina ab aliis quoque nationibus indita enumerantur; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 69. 70; *E. Schürer,* Gesch. des jüd. Volkes *ed.* 3. I. p. 745 ss.; *Muss-Arnolt,* The names of the Assyro-Babylonian months and their regents, New York 1893).

Mensis Xanthicus commemoratur 2 Mach. 11,30. 33. 38; praeterea v. DIOSCORUS.

Tantum autem abest, ut in sacris litteris tredecim mensium mentio fiat, ut administratio exercitus et rei domesticae regum David et Salomonis cum mense tertio decimo vix componi posse videatur : « Habebat autem Salomon duodecim praefectos super omnem Israel, qui praebebant annonam regi et domui eius : per singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant » (3 Reg. 4,7). Duodecim autem praefecti exercitus tempore Davidis 1 Par. 27,1 ss. accurate enumerantur et nominantur « qui ministrabant regi iuxta turmas suas, ingredientes et egredientes per singulos menses in anno » et per quotum quisque mensem ministrare debuerit, singulis nominibus subiungitur.

Mensis mosaicus quam longus fuerit non narratur. Dies mensis in s. litteris ultra vigesimum alterum diem raro commemorantur; Ier. 52,31 de 25. et 4 Reg. 25,27 de 27. die mensis duodecimi agitur. Triginta quidem dierum spatium saepius commemoratur; ita fleverunt filii Israel triginta diebus super Aaron (Num. 20,30) et super Moysen (Deut. 34,8); cf. Iudith 3,15; 15, 13; Esth. 4,11.

Kepler autem (Eclogae Chronicae; Epist. 16, Opera omnia, vol. IV. p. 417-418) et *Petavius* (Doctrina Temporum lib. 2, cap. 27), qui mensem mosaicum censent non fuisse lunarem, mensis

rationem bis esse mutatam admittere coguntur : primum quo tempore mensis artificiosus in locum successit mensis naturalis apud omnes nationes primitus noti, deinde iterum aetate Graecorum.

Mensem cum luna connexum esse obscure indicatur Eccli. 43,6-8 : « Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis et signum aevi. A luna signum dici festi, luminare quod minuitur in consummatione. Mensis secundum nomen eius est, crescens mirabiliter in consummatione ». Idem textus secundum fragmenta hebraica nunc reperta apud *Knabenbauer*, Comm. in Eccli., Appendix p. LXI. ss. versione litterali sic redditur : « Et etiam luna lunat temporibus redeuntibus, dominatio temporis et signum perenne. Per eam festus dies et tempora statuta, et complacet creator eius in revolutione eius. Singulis mensibus innovatur, quam mirabilis sua mutatione, signum exercitus nubium altitudinis, faciens lucere firmamentum ex splendore suo ». Praeter hunc S. Scripturae locum nonnulla historiae testimonia habemus, quae mensem Iudaeorum, tempore saltem imperii Graecorum, lunarem fuisse probant.

Eusebius (Hist. eccl. 7,32) narrat Aristobulum unum ex LXX interpretibus putasse non solem tantum sed etiam lunam tempore paschatis segmentum aequinoctiale percurrere debere : μὴ μόνον τὸν ἥλιον τὸ ἰσημερινὸν διαπορεύεσθαι τμῆμα καὶ τὴν σελήνην δέ (apud *Migne* 20, 729).

Primum mensem ad cursum lunae accommodatum fuisse affirmat Philo (Vita Moysis 3,29) : « Circa diem 14. huius mensis, quo tempore circulus lunae in eo est ut plenus fiat (μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου γίνεσθαι πλησιφανοῦς) celebratur ab omni populo dies festus transitus, qui chaldaice vocatur pascha ».

Eadem de primo et septimo mense testatur Flav. Iosephus. Dicit enim Ant. II. 15,2 Israelitas Aegyptum reliquisse mense Xanthico luna quintadecima (πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην) et III. 10, 5 pascha esse celebrandum : mense Xanthico, qui nobis Nisan vocatur et anni initium est, die decima quarta secundum lunam (κατὰ σελήνην) sole in signo arietis stante. De septimo autem mense Tishri seu Hyperberetaeo dicit III. 10,3 : Decima eiusdem mensis die secundum lunam (κατὰ σελήνην) ad vesperam usque ieiunant.

Quibus testimoniis addi possunt narrationes talmudicae atque sententiae eruditorum, qui postea fuerunt, Iudaeorum, Moshe ben Maimon (natus 1135), Aben Esra (1093-1169), Abarbanel (1437-1508), Elia ben Moshe (1480). Etsi enim illis auctoritas minus certa competit, tamen id inter omnes convenit mensem iam ante captivitatem babylonicam fuisse lunarem. Talmudici ad 2 Par. 30,2 provocantes Ezechiam regem incusant, quod mensem non recte intercalasset (*Gemara hieros.*, Sanhedrin 12,2; 18,4; Nedarim 40,1). Intercalaris autem mensis annum lunarem solis cursui accommodatum indicat. Atque adeo ex Deut. 16,1 probant rationem temporis secundum lunam habitam ab ipso Moyse repetendam esse. Qui viri docti menses cavos (חָסֵר) 29 dierum et menses plenos (מָלֵא) 30 dierum fuisse contendunt (*Mishna*, Rosh ha-shana 6,2); quibuscum conveniunt Maimonides (Kiddush ha-Qodesh 1,3. 4) et Elia ben Moshe (Seder I. c. 11). Neque tamen longitudo singulorum mensium certa lege definiebatur, ut manifestum est ex *Mishna*, Arachin 2,2 : « Non minus quam menses quattuor hyperbolymacos (i. e. plenos) in anno constituunt nec plus quam octo » et Erubin 3,7 : « Sub novum annum quando timuerit, ne forte intercalctur, miscebit homo duas mixturas etc. »

De modo empirico, quo rabbini novum mensem a visione novae lunae corniculantis incipiendum esse statuebant, vide s. v. NEOMENIAE.

Simili modo empirico rabbini discernebant, utrum tertio vel secundo quoque anno mensem decimum tertium intercalarent necne. Regula intercalationis erat simplicissima. Pascha ex communi Iudaeorum consensu celebrandum erat in novilunio mensis Nisan (die 14. mensis Nisan) post aequinoctium verum (cf. fragmentum Anatolii apud *Euseb.* Hist. eccl. 7,32). Quodsi igitur

versus finem anni animadvertebant futurum esse, ut pascha ante aequinoctium vernum celebraretur, mensem decimum tertium ante Nisan intercalandum esse decernebant. Mensis intercalatus eodem nomine quo ultimus mensis anni vocabatur Adar; unde etiam primus Adar (אֲדָר רִאשׁוֹן) et secundus Adar (אֲדָר שֵׁנִי) distinguebantur Cf. *E. Schürer*, Gesch. des jüd. Volkes *ed.* 3, I. p. 752 s.

I. G. HAGEN.

MENSURAE, PONDERA. Severe iniungitur, ut mensurae, pondera adhibeantur iusta Lev. 19,36 : statera iusta et aequa sint pondera, iustus modius, aequusque sextarius; ego Dominus Deus vester; et Deut. 25,13 ss. : non habebis in sacculo diversa pondera, maius et minus, nec erit in domo tua modius maior et minor; pondus habebis iustum et verum et modius aequalis et verus erit tibi; aversatur enim Dominus omnem iniustitiam et abominatur eum qui facit haec; Prov. 11,1 : statera dolosa abominatio est apud Dominum, et pondus aequum voluntas eius; 20,10. 23; Eccli. 42,4; Ez. 45,10; Mich. 6,10 : mensura minor irae plena.

I. Mensurae.

1. *Mensurae planimetricae* sunt Digitus, Palmus minor, Palmus maior, Cubitum, Calamus, quibus accedunt aliae quaedam mensurae rarius adhibitae vel extraneae.

Digitus (אֶצְבַּע, δάκτυλος) seu latitudo digiti (Ier. 52,21) erat mensurarum minima, apud Graecos μονάς dicta.

Palmus scil. minor seu latitudo quattuor digitorum, LXX παλαιστή, hebr. טֶפַח 3 Reg. 7,26; 2 Par. 4,5 et טֹפַח Ex. 25,25; 37,12; Ez. 40,5. 43; 43,13. S. Hieronymus 3 Reg. 7,26 vocem interpretatur tres uncias, quae apud Romanos aequabant quattuor digitos seu palmum.

Palmus scil. maior (זֶרֶת, σπιθαμή) est latitudo duodecim digitorum seu trium palmorum minorum. Palmus maior est dimidium cubiti; etenim longitudo arcae foederis, longitudo duorum cubitorum et semis (Ex. 25,10) describitur a Flavio Iosepho (Ant. III. 6,5) longitudo quinque spithamarum. Tamquam mensura legitur quoque Iud. 3,16 גֹּמֶד, quam vocem LXX σπιθαμήν, Vulgata palmam interpretantur; indicari videtur palmus maior.

Cubitum (אַמָּה, πῆχυς, in Vulgata cubitus) continet sex palmos minores seu 24 digitos. Est mensura antiquissima (Gen. 6,15). Praeter cubitum vulgare (Deut. 3,11 אַמַּת אִישׁ, πῆχυς ἀνδρός, Vulgata cubitus virilis) commemoratur cubitum septem palmorum (Ez. 40,5 mensura sex cubitorum in cubito et palmo; 43,13), quae mensurae ratio 2 Par. 3,3 vocatur mensura prima seu antiqua.

Aegyptii quoque habebant cubitum maius (regium), constans 7 palmis vel 28 digitis, et cubitum minus (vulgare), constans 6 palmis vel 24 digitis; attamen etiam quoad cubitum maius mox praevalebat subdivisio in 6 palmos et 24 digitos proportione latiores. Cubitum regium aequat secundum *Lepsius* 525 mm, secundum *Brugsch* 527 mm; cubitum vulgare autem secundum *Lepsius* 450 mm, secundum *Brugsch* 452 mm (cf. *Brugsch*, Die Aegyptologie 1891 p. 371). Quodsi verisimile est Israelitas Aegypto egressos et Moysen scientiis Aegyptiorum enutritum (Act. 7,22) mensuris aegyptiacis usos esse, ut plerique hodie censent, cubitum vulgare Hebraeorum aequat 450 mm (cf. *Lepsius* supra) et palmus minor 75 mm.

Cubitum babylonicum pariter distinguitur maius (regium) seu 555 mm et minus (vulgare) seu 495 mm.

Calamus (קָנֶה, κάλαμος) efficitur sex cubitis (Ez. 40,5; 41,8; nota hisce locis cubita antiqua seu maiora indicari).

Iter sabbati (ὁδὸς σαββάτου) est via, quam sabbato percurrere licet (Act. 1,12), secundum rabbinos spatium duorum millium cubitorum (Mishna, Erubin 5,5) i. e. distantia tabernaculi mosaici ab extremis castris.

Milliarium (μίλιον, Vulgata mille passus Matth. 5,41) romanum = 1000 passus = 5000 pedes = 1480 m = 0,199 leucae geographicae.

Stadium (στάδιον) 2 Mach. 11,5; 12,9 ss.; Luc. 24,13; Ioan. 6,19; 11,18; 1 Cor. 9,24; Apoc. 14,20; 21,16 est mensura graeca, semper 600 pedibus constans ac proin diversa secundum diversitatem pedum : stadium atticum = 100 ὀργυιαί = 400 πήχεις = 600 πόδες = 177,6 m = 0,024 leucae geograph.; stadium pythicum = 163 m; stadium olympicum = 192.27 m; stadium pedestre vulgare = 198 m; stadium ptolemaeum (romanum) 185 m = 125 passus = 625 pedes romani. Sed notandum est Romanos mensura stadii non usos esse nisi forte pro distantiis maritimis. Mons olivarum teste Fl. Iosepho (Ant. XX. 8,6) Hierosolymis aberat 5 stadia = 888 m (si stadium atticum supponitur), secundum Act. 11,18 autem aberat iter sabbati = 2000 cubita = 900 m (si cubitum vulgare Hebraeorum assumitur idem atque aegyptiacum scil. 0,450 m); unde confirmatur aequatio cubiti hebraici et aegyptiaci.

Longitudo quaedam viae indicari videtur voce כִּבְרָה, stat. constr. כִּבְרַת (Gen. 35,16; 48,7; 4 Reg. 5,19), quam vocem LXX interpretantur Χαβραθά, τὸν ἱππόδρομον Χαβραθά, Δεβραθὰ τῆς γῆς, Vulgata vernum tempus, electum tempus, Syrus autem parasangam. Parasanga persica testibus Herodoto (2,6; 5,53; 6,42) et Xenophonte (Anab. II. 2,6; V. 5,4) aequat 30 stadia = 5940 m (si stadium pedestre vulgare supponitur).

Orgyia (ὀργυιά, Vulgata passus) Act. 27,28 est mensura graeca = 4 πήχεις = 6 πόδες = 1,776 m. Describitur ut mensura utrumque extensum brachium aequans (germ. *Klafter*, gall. *brasse*, *toise*). Romani ea mensura carebant eamque interdum appellant ulnam (*Plin.* Nat. Hist. XVI. 39,202), qua voce alias cubitum designatur.

Iugerum (צֶמֶד) est mensura agri (Is. 5,10; legitur etiam 1 Reg. 4,10, ubi textus hebr. misere corruptus est) i. e. quantum bigis boum per diem aratur. Iugerum romanum aestimabatur 2523 m^2 = 0,252 ha; conferri potest Arura aegyptiaca (= 2756 m^2), quae erat minima portio agri aegyptiaci (*Strabo* XVII. 1,3).

MENSURAE PLANIMETRICAE

				1	0,01875
			1	4	0,075
		1	3	12	0,225
	1	2	6	24	0,45
1	6	12	36	144	2,7

Calamus	Cubitum minus	Palmus maior	Palmus minor	Digitus	metra
				1	0,021875
			1	4	0,0875
		1	3	12	0,2625
	1	2	6	24	0,525
1	6	12	36	144	3,15

Calamus	Cubitum maius	Palmus maior	Palmus minor	Digitus	metra

CUBITUM

atticum	= 2 σπιθαμαί	= 6 παλαισταί	= 24 δάκτυλοι	= 0,444 m
romanum [= 2 dodrantes]	= 6 palmi		= 24 digiti	= 0,444 m
aegyptiacum minus	= 6 —		= 24 —	= 0,450 m
maius	= [7] 6 —		= [28]24 —	= 0,525 m
babylonicum minus				= 0,495 m
maius				= 0,555 m
phoenicium minus				= 0,4125 m
maius				= 0,497 m

2. *Mensurae aridorum et liquidorum.*

A. Mensurae aridorum sunt Corus, Lethek, Epha, Satum, Gomor (Issaron), Cabus.

Corus (חֹמֶר Lev. 27,16; Num. 11,32; Is. 5,15; Ez. 45,11. 13 et cf. 14; Os. 3,2 et כֹּר 3 Reg. 5,2; 5,25 (?); 2 Par. 2,9; 27,5; Ez. 45,14; Luc. 16,7; κόρος; assyr. *imeru*) est maxima mensura. Vulgata semel vocem explicat de triginta modiis Lev. 27,16. Corus continet 10 Epha. Quodsi Flavius Iosephus (Ant. XV. 9,2) dicit : continet corus medimnos atticos decem (= 518,4 lit.), confundere videtur medimnos et metretas; magis ad veritatem accederet dicens : continet decem metretas (= 388,8 lit.).

Corus dimidius (לֶתֶךְ, LXX νέθελ [οἴνου]) semel tantum memoratur Os. 3,2; est mensura alias plane incognita.

Epha, Ephi (אֵיפָה, rarius אֵפָה; οἰφί, οἰφεί) est decima pars Cori (Ex. 16,36; Lev. 5,11; 6,20; Ruth 2,17; Ez. 45,13; Vulgata modius Lev. 19,36; Deut. 25,14; Iud. 6,19; Is. 5,10; mensura Am. 8,5; Mich. 6,10; Prov. 20,10; amphora Zach. 5,6 ss.).

Satum (סָאָה, μέτρον Gen. 18,6; 4 Reg. 7,1. 16. 18; οἰφί 1 Reg. 25,18; σάτον Matth. 13,33; Luc. 13,21 et apud scriptores hellenisticos) est tertia pars Epha seu trigesima pars Cori, secundum S. Hieronymum ad Matth. 13,33 unum et dimidium modium capiens (1,5×8,733 = 13,099), item secundum Flavium Iosephum : modium unum italicum et dimidium (Ant. IX. 4,5), secundum rabbinos 144 ova gallinacea (*Lightfoot,* Horae hebr. ad Matth. 13,33).

Gomor (עֹמֶר, γομόρ) Ex. 16,16. 18. 22. 32. 33. 36 seu decima pars, decima (עֲשָׂרוֹן, δέκατον) Ex. 29,40; Lev. 14,10. 23,13. 17 et Num. 15,4, quo loco LXX δέκατον τοῦ οἰφί, Vulgata decima pars ephi; cf. Num. 28,5 עֲשִׂירִת הָאֵיפָה, τὸ δέκατον τοῦ οἰφί, decima pars ephi. S. Epiphanius (De Mens. et Pond. apud *Migne* 43,281 s.) Gomor continere dicit $7\frac{1}{5}$ sextarios (7,2×0,5458 = 3,9298 lit.) idque satis recte, dum Flavius Iosephus aperte errat dicens (Ant. III. 6,6) : ἀσσάρων septem cotylas atticas (= 1,89 lit.) continet.

Cabus (קַב, κάδος) semel tantum nominatur 4 Reg. 6,25 : quarta pars cabi stercoris columbarum. Flavius Iosephus (Ant. IX. 4,4) pro quarta parte cabi scribit sextarium. Unde cabus erit 4 × 0,5458 = 2,1832 lit. Secundum rabbinos Cabus erat sexta pars Sati seu 24 ova gallinae continens (*Lightfoot* l. c.).

B. Mensurae liquidorum sunt Corus, Batus, Shalish, Hin, Log (Sextarius).

Corus (חֹמֶר, כֹּר, κόρος) est mensura quam aridorum tam liquidorum (3 Reg. 5,11 hebr. 5,25; Ez. 45,11. 14). Corus continet 10 Bath liquidorum, sicut decem Epha aridorum.

Batus (בַּת, βάτος) est decima pars Cori, proinde eiusdem mensurae atque Epha, ut explicite traditur Ez. 45,11. Apud LXX Batus redditur 3 Reg. 7,26. 38 χοεύς, 2 Par. 2,9 μέτρον, 4,5 μετρητής, Esdr. 7,22 βάτος, Is. 5,10 κεράμιον, Ez. 45,10. 11 χοῖνιξ, 45,14 κοτύλη; in Vulgata plerumque batus, 2 Par. 2,9[10] metreta et satum, 4,5 metreta, Is. 5,10 laguncula. Secundum Flavium Iosephum (Ant. VIII. 2,9) batus capit 72 sextarios = 72×0,5458 = 39,2976 lit. atque haec concordant cum iis, quae S. Epiphanius (v. supra) de Gomor seu decima parte Epha statuit.

Shalish (שָׁלִישׁ, שָׁלֹשׁ) Ps. 79[80],6 (LXX ἐν μέτρῳ, Vulgata in mensura) et Is. 40,12 (LXX δρακί, Vulgata tribus digitis) est probabiliter tertia pars Bati.

Hin (הִין, εἶν, ἴν, ὶν) est mensura communissima liquidorum Ex. 23,24; Lev. 19,36; LXX hoc loco χοῦς, Vulgata sextarius), cuius etiam partes dimidia, tertia, quarta, sexta commemorantur (Ex. 29, 40; Lev. 23,13; Num. 15,4 ss.; 28,5 ss.; Ez. 4,11; 46,14). Teste Flavio Iosepho (Ant. III. 9,4) Hin continet duos choas atticos (2×3,24 = 6,48 lit.) seu sextam partem metretae atticae, proinde fere 12 sextarios seu sextam partem Bati.

Log (לֹג, Vulgata sextarius, LXX κοτύλη) Lev. 14,10. 12. 15. 21. 24 ex sententia rabbinorum continet sex ova gallinae (*Lightfoot*, Horae hebr. ad Matth. 13,33); unde 720 Log aequant Corum.

MENSURAE ARIDORUM

					1	2,1832 litra
				1	1 4/5	3,9276
			1	3 1/3	6	13,0992
		1	3	10	18	39,2976
	1	5	15	50	90	196,488
1	2	10	30	100	180	392,976
Corus	Lethek	Epha	Satum	Gomor ('Issaron)	Cabus	

MENSURAE LIQUIDORUM

				1	0,5458 litra
			1	12	6,5496
		1	2	24	13,0992
	1	3	6	72	39,2976
1	10	30	60	720	392,976
	Corus	Batus	Shalish	Hin	Log (Sextarius)	

MENSURAE ARIDORUM ET LIQUIDORUM

						1	0,5458 litra
					1	4	2,1832
				1	1 4/5	7 1/5	3,9276
			1	1 2/3	3	12	6,5496
		1	2	3 1/3	6	24	13,0992
	1	3	6	10	18	72	39,2976
1	10	30	60	100	180	720	392,976
Corus	Epha Batus	Satum Shalish.	Hin	Gomor ('Issaron)	Cabus	Log (Sextarius)	

MENSURAE BABYLONICAE ARIDORUM ET LIQUIDORUM

Secundum *J. Brandis.*

							1	0,506 litra
						1	4	2,0248
					1	3	12	6,074
				1	2	6	24	12,148
			1	2 1/2	5	15	60	30,31
		1	1 1/5	3	6	18	72	36,44
	1	1 2/3	2	5	10	30	120	60,74
1	6	10	12	30	60	180	720	364,4
Kor	Metretes	Bat	Maris	Saton	Hin	Kapitha	Mina	

liquidorum mensura persica

Quodsi cum S. Hieronymo et metrologis hellenisticis assumitur 1 Log = 1 Sextarius et cum metrologis modernis 1 Sextarius = 0,5458 lit., hic erit in tabellis adiectis (col. 165. 166) conspectus mensurarum pro aridis et liquidis, in quo deprehenditur coniunctio systematis decimalis cum systemate sexagesimali in mensuris babylonicis praevalente.

3. Mensurae extraneae in S. Scriptura memoratae.

Amphora (ἀμφορεύς) erat mensura liquidorum. Amphora romana complectebatur 48 sextarios = 26,196 lit. Amphora attica seu μετρητής (Ioan. 2,6) in systemate Solonis continebat 38,88 lit., in systemate iuniore 39,294 lit. Pro amphora legitur in textu graeco 1 Reg. 1,24 νέβελ, Dan. 14,2 μετρητής, Luc. 22,10 κεράμιον.

Artaba (ἀρτάβη) Dan. 14,2 est secundum Herodotum (1,192) mensura persica capiens medimnum atticum cum tribus choenicibus atticis. Iamvero medimnus atticus in systemate Solonis continebat 51,84 lit., choenix 1,08 lit. Unde artaba persica aequabat 55,08 lit. Sed artaba medica aequabat 51,84 lit. et artaba aegyptiaca aetate Ptolemaeorum 39,3 lit.

Cadus (βάτος) Luc. 16,6 est liquidorum mensura romana continens 12 congios seu 72 sextarios seu 1 ½ amphoram = 39,3 lit.

Choenix (χοῖνιξ) Apoc. 6,6 (in Vulgata bilibris; vide s. v.) est mensura graeca pro aridis (= 1,08 lit.), quadragesima octava pars medimni et fere octava pars modii romani.

Modius (μόδιος) memoratur Matth. 5, 15; Marc. 4,21; Luc. 11,33, quibus locis utique non agitur de capacitate mensurae. In Vetere Testamento Vulgata modium praebet pro Epha vel pro Sato vel etiam pro cuiusvis mensurae specie. Modius romanus continebat 16 sextarios seu 8,733 lit.

Sextarius, qua voce in Vulgata Vet. Test. vertitur Log, memoratur in textu graeco Marc. 7,4. 8 (ξέστης,) sed sine ulla capacitatis notione. Erat mensura romana tum liquidorum tum aridorum = 0,5458 lit. seu sexta pars congii. A Romanis nomen ad Graecos transiit, qui hanc mensuram in systemate Solonis non habebant; in systemate autem iuniore erat ξέστης = $\frac{1}{96}$ μετρητής = 9 κύαθοι = 0,4094 lit.

In tabellis adiectis illae tantum mensurae extraneae oculis subiiciuntur, quarum cognitione ea, quae diximus, facilius perspiciuntur.

MENSURAE ARIDORUM

in systemate Solonis.

			1	0,27
		1	4	1,08
	1	8	32	8,64
1	6	48	192	51,84
μέδιμνος	ἑκτεύς	χοῖνιξ	κοτύλη	litra

MENSURAE LIQUIDORUM

in systemate Solonis.

			1	0,045
		1	6	0,27
	1	12	72	3,24
1	12	144	864	38,88
μετρητής	χούς	κοτύλη	κύαθος	litra

MENSURAE ARIDORUM

apud Romanos.

			1	0,0455
		1	3	0,1364
	1	4	12	0,5458
1	16	64	192	8,733
Modius	Sextarius	Quartarius	Cyathus	litra

MENSURAE LIQUIDORUM

apud Romanos.

				1	0,0455
			1	3	0,1364
		1	4	12	0,5458
	1	6	24	72	3,275
1	8	48	192	576	26,196
Amphora	Congius	Sextarius	Quartarius	Cyathus	litra

II. Pondera. De ponderibus haec traduntur: refert Flavius Iosephus: una mina (aurea) apud nos valet duas libras et dimidiam (Ant. XIV. 7,1). Iam duae librae et dimidia aequant 818,62 grammata; unde cum mina pecuniae constet 50 siclis, siclus aequat 16,37 gr. Proin mina ponderis, quae constat 60 siclis, aequat 982,2 gr; et talentum, quod pariter 60 minis constat, aequat 58,932 kgr.

Siclus porro dividebatur ita, ut haberetur siclus dimidius בֶּקַע Gen. 24,22 hebr.; Ex. 38,26 hebr.; praetera dividebatur in viginti obolos, גֵּרָה Ex. 30,13; Lev. 27,25; Num. 3,47; 18,16; Ez. 45, 12. Semel nominatur etiam quarta sicli 1 Sam. 9,8.

Distinguitur talentum ponderis a talento pecuniae. Talentum ponderis describitur Ez. 45,12, ubi statuitur minam constare siclis 20+25+15 = 60; quare talentum ponderis constat 3600 siclis, dum talentum pecuniae 3000 siclis constat (cf. Ex. 38,25. 26 hebr.); sed divisio minae in 60 siclos videtur esse antiquior tum quoad pondera tum quoad pecuniam, divisio in 50 siclos autem postea substituta quoad pecuniam et paulatim etiam quoad pondera.

Quod 2 Sam. 14,26 pondus ducentorum siclorum dicitur in lapide (ponere) regis (hebr., Vulgata pondere publico), idem est quod in monumentis assyriacis reperitur; nam ponderibus inscribitur v. g. mina regis, duae minae regis etc. Iam ex ponderibus in Ninive inventis apparet pondus sicli i. e. partis sexagesimae minae fuisse 16,83 grammata; proinde pondus minae fere 1010 et pondus talenti (quod 60 minis constabat) 60,6 kgr; pondus hoc talenti regii figuram leonis habebat, unde vocari solet pondus leonticum (germ. *Loewengewicht*) in oppositione ad pondus dimidium seu talentum leve, quod figuram anatis habebat et vocari solet pondus anatis (germ. *Entengewicht*). Sed praeter pondus regium babylonico-assyriacum etiam exstabat pondus vulgare, cuius mina levior aequabat 489,6 usque ad 492,9 grammata seu plus minusve 491,2 gr seu libram romanam unam (= 327,45 gr) et dimidiam. Mina gravis igitur aequabat plus minusve 982,4 gr ac proinde siclus gravis seu sexagesima minae pars habebat 16,3733 gr. In tabellis adiectis siclus gravis = 16,37 gr supponitur. — Cf. *J. Brandis*, Das Münz-, Mass-und Gewichtswesen in Vorderasien bis auf Alexander d. Gr., Berlin 1866; *C. F. Lehmann*, Das altbabylonische Maass- und Gewichtssystem als Grundlage der antiken Gewichts-, Münz-und Maassysteme, Leiden 1893.

PONDUS REGIUM BABYLONICUM

		1	16,83
	1	60	1010 [1020-1032]
1	60	3600	60600

Talentum grave	Mina gravis	Siclus gravis	grammata
		1	8,41
	1	60	505 [510-516]
1	60	3600	30300

Talentum leve	Mina levis	Siclus levis	grammata

PONDUS VULGARE BABYLONICUM

		1	16,37
	1	60	982,2
1	60	3600	58932

Talentum grave	Mina gravis	Siclus gravis	grammata
		1	8,185
	1	60	491,1 = 1½ libra romana
1	60	3600	29466 (491,175 gr)

Talentum leve	Mina levis	Siclus levis	grammata

PONDERA HEBRAEORUM

			1	0,8185
		1	20	16,37
	1	60	1200	982,2
1	60	3600	72000	58932

Talentum	Mina	Siclus	Obolus (Gera)	grammata
		1	0,8185	
	1	20	16,37	
	1	50	1000	818,5 = 2½ librae romanae
1	60	3000	60000	49110 (818,62 gr)

Talentum	Mina	Siclus	Obolus (Gera)	grammata

MENTHA. Mentha una cum anetho et cymino (q. v.) solum Matth. 23,23 et loco parallelo Luc. 11,42 legitur. Nomen graecum est μίνθα, a quo latina et recentiores linguae vocabula sua derivarunt, vel, quod legitur ll. cc., ἡδύοσμον. Plantae huius notissimae variae species tum agrestes tum cultae per Palaestinam inveniuntur, ac plures ad condiendos varios cibos adhibentur. Cum de decimanda mentha in evangeliis sermo sit, de speciebus cultis erit cogitandum. Commu-

nissime dicitur coli *mentha sativa L.*, at probabiliter generice de plurimis menthae speciebus verbum Domini erit intellegendum. — De obligatione eam decimandi satis dictum est s. v. ANETHUM; cf. etiam s. v. DECIMAE.

Cf. praeter ea quae s. vv. ANETHUM et CYMINUM allegantur : *I. Löw*, Aram. Pflanzenn. p. 259 s.; *A. Wünsche*, Neue Beitr. p. 291 s. 443.

H. I. CLADDER.

MEPHAATH (מֵיפַעַת; Μαιφαάθ, ἡ Μαφά, ἡ Μαεφλά, Μωφάς), urbs Amorrhaeorum tribui Ruben assignata (Ios. 13,18), postea levitis de stirpe Merari concessa (1 Par. 6,79[64] et loco parallelo Ios. 21,37, ubi animadverte post versum 35 duos versus deesse in nostro textu massorethico, ut diximus s. v. IASER). Ex vaticinio Ieremiae 48,21 colligitur eo tempore Mephaath a Moabitis recuperatam fuisse, qui ante Amorrhaeos totam regionem circa Hesebon, cui etiam Mephaath accensetur, obtinuerant (cf. Num 21,26 ss. et Ios. 13,17 ss.). Tempore Eusebii et S. Hieronymi ibidem praesidium militum collocatum erat propter vicinam solitudinem (Onom. *ed. Lag.* 279,15; 139,1). Variae coniecturae de situ recensentur apud *E. Boecking*, Notitia Dignitatum, ed. Bonnae 1853, I. p. 363. A recentioribus vero Mephaath agnoscitur *Neifa'a* 9 km ab *'Ammān* austrum versus nec procul a *Khareibet el-Sūq*. Cf. *A. Musil*, Arabia Petraea I. Moab, Wien 1907, p. 352-6.

MERAIOTH, MARAIOTH (מְרָיוֹת; Μαριήλ, Μαρεώθ, Μαριώθ, Μαραιώθ).

1. Princeps domus sacerdotalis ex posteris Eleazar filii Aaron (1 Par. 6,6. 7. 52; Esdr. 7,3).

2. Filius Achitob et pater Sadoc pontificis (1 Par. 9,11; Neh. 11,11); asserunt quidam critici moderni nomen Meraioth per errorem his textibus insertum esse, sed sine ratione sufficienti; ex eo enim quod 1 Par. 6,12 et Esdr. 7,2 Meraioth inter Achitob et Sadoc omittitur, nullo modo sequitur Sadoc immediate ab Achitob genitum esse. Sed cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Par. 9,11 : « stricte loquendo non cogimur affirmare v. 11 ullum legi nomen *pontificis* : est istud tamen probabile ».

3. Maraioth (Neh. 12,15) v. MEREMOTH 3.

MERALA (מַרְעֲלָה, Μαγελδά, Peshitta : Ramath thale i. e. collis vulpium), urbs tribus Zabulon in confinibus Zabulon et Issachar (Ios. 19,11). Hodie *Malūl* unius fere horae spatio a Nazareth occidentem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. I. 274; 322; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Historical Geography of the Holy Land, Plate VI.).

MERARI. 1. Merari (מְרָרִי, Μεραρί), tertius filius Levi (Gen. 46,11; Ex. 6,16; Num. 3,17; 1 Par. 6,1. 16; 23,6); inde familia Meraritarum (Num. 26,57). Munera Meraritarum, quae in itineribus per desertum obire debebant, a 30 annis usque ad 50 annos, erant haec : « portabunt tabulas tabernaculi et vectes eius, columnas ac bases earum, columnas quoque atrii cum basibus, paxillis, funibus; omnia vasa et supellectilem ad numerum accipient » (Num. 4,30-32) et numerus eorum erat 3200 (Num. 4,44); integra vero familia Meraritarum, quae duabus cognationibus constabat Moholitarum ac Musitarum, numerabat generis masculini ab uno mense et supra 6200, quando recensio a Moyse facta est; princeps eorum erat Suriel; castra eorum erant ad septemtrionalem plagam tabernaculi foederis. Post ingressum in terram acceperunt civitates de tribubus Ruben et Gad et Zabulon, civitates duodecim (Ios. 21,7. 34-38; cf. 1 Par. 6,63. 77-81). Tempore Davidis nominantur Asaia Meraritarum princeps, et fratres eius ducenti viginti, et inter cantores in organis musicorum Ethan (1 Par. 15,6. 17); recensentur Meraritae 1 Par. 23,21-23 et 24,26-30; erant inter ianitores filii et fratres Hosa, tredecim (1 Par. 26, 10-12). Eiusdem stirpis Meraritae commemorantur tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12) et tempore Iosiae (34,12). Cum Esdras exsules duceret in Iudaeam, etiam filios Merari levitas nuntio misso tandem socios itineris habere ei contigit (Esr. 8,18. 19).

2. Merari (Μεραρί) nomen est patris

Iudith viduae, quae filia Merari appellatur Iudith. 8,1; 16,8 (graece 16,6).

MERATHAIM (מְרָתַיִם, Vulgata terra dominantium, LXX πικρῶς) legitur in vaticinio Ier. 50,21 contra Babel. Designari videtur regio Babyloniae meridionalis, assyriace *Marratim* i. e. regio iuxta *nar Marratu* seu amarum fluvium (sinum Persicum). Cf. *Delitzsch*, Wo lag das Paradies? p. 41. 182.

MERCATURA, MERCES. Lege mosaica Iudaei a commercio cum aliis gentibus impediebantur; ipsa regio palaestinensis potius seclusa erat neque portubus instructa. Unde pro veteribus Iudaeis non offerebatur magna opportunitas exercendi mercaturam. Attamen nihilominus magnae quaedam viae, quibus veteres mercatores, Phoenices, Arabes, (Sabaei, Ismaelitae etc.) utebantur, etiam regionem Iudaeorum attingebant eamque plus minusve permeabant; quare ea ratione iam ipsi quoque Iudaei non plane separati erant a magno illo negotiatorum commercio. Per regionem Dothain, ubi fratres Ioseph greges pascebant, via mercandi a Damasco in Aegyptum ducebantur commeatus; ea via mercatores Ismaelitae seu Madianitae venientes de Galaad camelis suis aromata et resinam et stacten asportanda curarunt in Aegyptum et occasione data servos quoque emebant, ut eos venderent in Aegypto (Gen. 38,25; cf. *Ebers*, Aegypten und die Bücher Mose's p. 288). Magnae viae regiae mentio fit Num. 20,17. 19; 21,22; est via illa, qua a regione edomitica per terram Moab et Ammon versus Damascum et a Damasco in Assyriam tendebatur. Ex hac via protendebatur alia trans Iordanem Iericho indeque per Samariam in Phoenicen et per Iudaeam in Aegyptum. Pariter ex sinu Aelanitico duae viae in Phoenicen paratae erant, altera occidentem versus ad litus palaestinense, altera secundum mare Mortuum per regionem transiordanicam, ubi ex una parte per Iericho iter erat in Phoenicen, ex altera parte autem procedebatur Damascum. Ex eodem sinu etiam via strata erat ad mare Mediterraneum Gazam versus. Pari modo via mercandi a Petra Gazam in usu erat, etiam a Petra Peraeam versus et demum tertia quaedam via a Petra Rhinocoluram (cf. *Movers*, Phoenicier, II. 3 p. 290 s. 295). Urbs Lais-Dan sita erat ad magnam illam viam publicam, qua veniebatur per Damascum ex Syria et Mesopotamia et quae in Phoenicen, Palaestinam, Aegyptum procurrebat. In hac via appropinquabant agmina illa militum ex regione euphratica et ad Dan ingrediebantur regionem israeliticam (cf. *Movers* l. c. II. 2 p. 160).

Vestigia quaedam commercii habentur in itineribus filiorum Iacob in Aegyptum ad frumentum coemendum; secum afferunt de optimis terrae fructibus, resinam, mel, stacten (Gen. 43,11). Inter spolia urbis Iericho invenitur pallium babylonicum valde pretiosum (Ios. 7,21 hebr.) et Prov. 7,16 meretrix illa laudat lectum stratum tapetibus pictis ex Aegypto; 31,24 mulier fortis sindonem fecit et vendidit et cingulum tradidit Chananaeo i. e. mercatori.

Tempore regum etiam apud Iudaeos cernitur species quaedam mercaturae. Ita David rex sibi procurabat ab Hiram, rege Tyri, ligna cedrina et artifices lignorum et lapidum ad palatium aedificandum (2 Reg. 5,11; 1 Par. 14,1). Longius quoque progressus est Salomon. Pacto inito cum Hiram ab eo ad templum aedificandum accepit ligna cedrina et abiegna; ipse vero praebebat coros tritici viginti millia et viginti coros purissimi olei (3 Reg. 5,9-11; 2 Par. 2,7 ss.). Ad rem quoque nauticam Salomon animum applicuit: classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quae est iuxta Aelath in litore maris Rubri in terra Idumaeae; misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos et gnaros maris cum servis Salomonis (3 Reg. 9, 26. 27). Navigabatur in Ophir; iter et reditus spatio trium annorum conficiebatur et afferebantur aurum (420 talenta 3 Reg. 9,28; 450 talenta 2 Par. 8,18), argentum, gemmae pretiosae, ligna thyina, dentes elephantorum (3 Reg. 10,11. 22; 2 Par. 9,10. 21). Salomon, uti cum Phoenicibus, ita cum Aegyptiis quoque commercium iniit. Ex Aegypto enim et ex regione Coa (vide s. v.) in confinibus

Aegypti et Palaestinae negotiatores regis emebant equos. Pretium autem solvebatur 150 siclorum pro equo et sexcentorum siclorum pro quadriga (curru). Iidem negotiatores regis etiam cunctis regibus Hethaeorum et Syriae equos et currus procurabant et vendebant (3 Reg. 10,28. 29; 2 Par. 1,16. 17).

Navigationem in Ophir Iosaphat quoque continuare cupiebat; at naves confractae sunt in Asiongaber (3 Reg. 22, 49); nam foedus inierat cum Ochozia, rege impio, ad navigationem communem instituendam; quo foedere iram Domini provocavit (2 Par. 20,36. 37). Ex eo tempore iam non fit mentio navigationis Iudaeorum. Sub Ioram Aelath in ditionem cessit Edomitarum (4 Reg. 8,20); quare portus ille regibus Iuda iam erat inaccessus; Azarias quidem Aelath recuperavit (4 Reg. 14,22; 2 Par. 26,2); at de navigatione tacetur, nisi forte allusio ad eam agnoscenda sit Is. 2,16. Verum mox regnante Achaz Aelath Iudaeis erepta est per Syros (4 Reg. 16,6).

Negotiationem exercitam esse inter Samaritanos et Damascenos, discimus ex 3 Reg. 20,34; ibi enim Benadad, rex Syriae, clade ab Achab, rege Israel, accepta, inter alia loquitur ad Achab: plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria. Quae plateae partes sunt urbis, in quibus poterant ab iis erigi tabernae mercium ad emptionem propositarum. Atque in Samariam res usus delicatioris et instrumenta vitae nitidioris ex Damasco allata esse, ex reprehensione apud Amos 3,12 docemur (« qui sedent in angulo pulvinaris et in panno damasceno lectuli »; cf. hebr.). Mercatores Sabaeos etiam in Iudaeam venisse atque iis venditos esse a Iudaeis captivos in servos, haud obscure indicatur apud Ioel (3,8).

De multiplici Phoenicum negotiatione scribit Ezechiel propheta cap. 27. Ea enumeratione de veterum commercio et industria praeclare edocemur. Nam emporium orbis veterum maximum Tyri erat constitutum; ex omni orbis parte illuc merces conferebantur; Phoenices ipsi in omnem orbis partem suas deferebant merces. Descriptio vatis incipit ab extrema occidentis parte a Tartesso (in Hispania), dein regiones perlustrat septemtrionales, orientales, meridionales, ostendens omnium gentium commercium dirigi ad eos eosque cunctis subministrare merces. Tartessii argento, ferro, stanno, plumbo emebant merces Tyriorum; ea scil. metalla ad nundinas et fora Tyriorum afferebant; ex Ionia et regionibus ad mare Ponticum et Caspium acquirebant servos et vasa aerea; ex Armenia iis proveniebant equi militares et currules et muli; Dedanitae ab oris maritimis et insulis sinus Persici et Arabici afferebant ebur et ebenum; ex Babylonia proveniebant purpura, gemmae, vestimenta acu picta; ex Iudaea triticum, balsamum, mel, oleum, resina; ex Syria vinum de Helbon et lana; ex Arabia ferrum fabrefactum, cassia et calamus, aromata, lapides pretiosi. Phoenices frumentum ex Aegypto quoque accipiebant (Is. 23,3) et ex Palaestina (Act. 12,20). Plura vide apud *Knabenbauer*, Comm. in Ez. p. 273-283.

Commercium etiam die sabbati haud raro habitum esse, uti iam Ieremias reprehenderat (17,21. 22), ita Nehemias quoque fieri invenit: quare in foedere cum Deo inito id quoque ab omnibus sponderi iussit : populi quoque terrae qui important venalia et omnia ad usum per diem sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in sabbato et in die sanctificato (Neh. 10,31). Verum cum Nehemias altera vice ex aula regia rediisset in Ierusalem, antiquus ille abusus iterum invaluerat; vidit enim in Iuda die sabbati portantes acervos, onerantes super asinos vinum et uvas et ficus et omne onus et inferentes in Ierusalem, et Tyrii inferebant pisces et omnia venalia et vendebant in sabbatis filiis Iuda in Ierusalem. Unde obiurgavit Nehemias optimates Iuda et iussit claudi ianuas per totum diem sabbati et constituit custodes super portas, ut nullus inferret onus in die sabbati neque permisit, ut negotiatores et vendentes universa venalia die sabbati foris Ierusalem consisterent, id quod illi semel et bis tentarant (Neh. 13,15-21). Commercium etiam fovit Simon Machabaeus; nam cepit Ioppen εἰς λιμένα, ut scil. portu aliquo potiretur, et aliis regionibus, insulis maris, aperiret op-

portunitatem exercendi commercii cum Iudaeis (1 Mach. 14,5).

Veteres Iudaeos in negotiis peragendis haud raro recessisse a norma iustitiae, indubie constatex reprehensionibus prophetarum. Severe quidem praescribitur, ut in omnibus servetur iustitia, ut absit fraus et deceptio : nolite facere iniquum aliquod in iudicio, in regula, in pondere, in mensura; statera iusta et aequa sint pondera, iustus modius, aequusque sextarius (Lev. 19,35. 36) et : non habebis in sacculo diversa pondera, maius et minus (scil. ad emendum alterum, alterum ad vendendum); nec erit in domo tua modius maior et minor; pondus habebis iustum ac verum, et modius aequalis et verus erit tibi (Deut. 25,13-15). Idem praeceptum inculcat Ezechiel (45,9. 10). Et Sapiens monet : statera dolosa abominatio est apud Dominum, et pondus aequum voluntas eius; pariter necesse habet denuntiare usum falsi ponderis : pondus et pondus, mensura et mensura (i. e. habere duo, maius ac minus) utrumque abominabile est apud Deum (Prov. 11,1; 20,10. 23). Etiam Iesus filius Sirach monet magnam curam esse habendam ponderis iusti et mensurae iustae (Eccli. 42,4) et advertit facile in venditione et emptione intervenire peccatum (27,2). Eiusmodi peccata arguunt prophetae; Osee reprehendit stateram dolosam in manu et oppressionem (12,7), Amos invehitur in faeneratores et oppressores pauperum et iniustos negotiatores, qui dicunt : imminuamus mensuram et augeamus siclum et supponamus stateras dolosas et quisquilias frumenti vendamus (8,4-6). Etiam Michaeas conqueritur : adhuc mensura minor, irae plena, in domo impii; numquid iustificabo stateram impiam et saccelli pondera dolosa (6,10. 11)? Simile quid etiam vituperat apostolus in aliquibus Corinthiis : sed vos iniuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus (1 Cor. 6,8). Et Iacobus apostolus reprehendit avidius lucrandi et mercandi studium ac praecipitem cupiditatem : ecce nunc qui dicitis : hodie aut crastino ibimus in illam civitatem et faciemus ibi quidem annum et mercabimur et lucrum faciemus : qui ignoratis quid erit in crastinum; pro eo ut dicatis : si Dominus voluerit (Iac. 4,13-15). Ceterum vide s. v. VENDITIO

Cf. *Herzfeld*, Handelsgeschichte der Juden des Altertums *ed.* 2. Braunschweig 1894; *F. X. Kortleitner*, Archaeol. bibl. Summarium 1906 p. 249-251.

MERCURIUS (Ἑρμῆς), unus ex duodecim praecipuis diis mythologiae, cum quo Lystrenses comparabant Paulum, dum Barnabam corpore, ut videtur, proceriorem vocabant Iovem (Act. 14,11). Erat enim Hermes λόγιος (*Lucian.*), ὁ τοῦ λόγου ἡγεμών (*Iamblichus*); cf. *Horat.* lib. 1, od. 10,1 : Mercuri, facunde nepos Atlantis.

Praeterea in textu graeco 2 Mach. 4, 12 legitur : Iason (impius pontifex) optimos iuvenum collocans sub petaso (ὑπὸ πέτασον) ducebat i. e. eis imponens petasum ad exercitia palaestrae ducebat. Erat petasus pileus latos habens margines, quo ephebi in ludis utebantur, ut se contra solis radios tuerentur. Erat item emblema palaestrae. Eiusmodi pileo, alis insuper instructo, repraesentabatur Hermes (Mercurius), patronus palaestrae. Cf. *I. F Schleusner*, Novus Thesaurus Vet. Test. 1820 IV. 327.

In Vulgata Prov. 26,8 legitur acervus Mercurii; sed vox מַרְגֵּמָה videtur cum LXX et Peshitta vertenda esse *funda*, secundum alios *acervus lapidum*.

MERED (בֶּרֶד, Μωράδ, Μωρήδ), vir de tribu Iuda, filius Ezra, maritus Bethiae (1 Par. 4,17. 18); de emendatione textus vide s. v. BETHIA.

MEREMOTH, MARIMUTH, MERIMUT (מְרֵמוֹת, Μεριμώθ, Μαριμώθ, Ῥαμώθ, Μεραμώθ). **1.** Filius Uriae de domo Accos (Accus, Haccus; v. ACCOS 1), sacerdos, qui tempore Esdrae una cum alio sacerdote Eleazaro, filio Phinees, et duobus levitis Iozabed et Noadaia mandatum accepit appendendi argentum, aurum, vasa templi ex Babylonia in Ierusalem allata (Esdr. 8,33). Idem in muris Ierusalem reaedificandis Nehemiae opem praestitit (Neh. 3,3[4]. 21). Quodsi Esdr. 2,61 et Neh. 7,63 narratur filios Accos genus suum sacerdotale ex tabulis genealogicis demonstrare non potuisse et sacerdotio exclusos esse a

Zorobabel, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus, notandum est hoc non de omnibus filiis Accos intellegendum esse, sed textui satisfieri, si aliquae familiae istius numerosae domus sacerdotalis genealogias suas amiserant.

2. Marimuth, vir laicus ex filiis Bani, qui uxores alienigenas duxerant et iubente Esdra illas dimiserunt (Esdr. 10,36).

3. Merimut princeps familiae sacerdotalis, quae duce Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,3). Eiusdem familiae nomen recensetur inter signatores foederis (Neh. 10,5), insuper coniicere licet pro familia sacerdotali Maraioth (Neh. 12,15), cuius princeps in diebus Ioacim filii Iosue pontificis erat Helci, legi oportere *Meremoth;* Peshitta habet Marmuth, in textu hebraico Meremoth et Meraioth facile confundi poterant.

MERETRIX. Significatione duplici vox usurpatur, et de scorto et de idololatra. Scorta apud Aegyptios, Chananaeos, Babylonios, proin apud gentes, inter quas Israelitae habitabant, satis frequentia erant; immo in cultu deorum, Baal, Astarthes eiusmodi vitium tamquam res sacra exercebatur; cf. Num. 25,1 ss.; Bar. 6,80. Ut Israelitae ab ea contagione servarentur, variis legibus provisum erat: Lev. 19,29: ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra et impleatur piaculo; immo sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur Lev. 21,9; Deut. 23,17: non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. Sed non obstante lege etiam apud Israelitas eiusmodi venales feminae reperiebantur; cur enim alias praescriberetur sacerdotibus: scortum aut vile prostibulum non ducent uxorem (Lev. 21,7. 18)? duae mulieres meretrices veniunt ad tribunal Salomonis (3 Reg. 3,16); viros cum meretricibus conversari, filias fornicari, Osee conqueritur (4,14); filius et pater eius ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum, conqueritur Dominus Amos 2,7; in domo meretricis luxuriabantur (Ier. 5,7). Artes et illecebrae meretricum describuntur Prov. 7,10 ss.; verum ad quam perniciem iuvenis incautus adducatur, gravissime monet Sapiens: statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam etc. (7,22. 23); et fovea profunda os alienae; cui iratus est Dominus incidet in illam (Prov. 22,14); qui nutrit scorta, perdet substantiam (Prov. 29,3). Quare adhortatur Sapiens, ut iuvenis amplectatur sapientiam, « ut custodiat te a muliere extranea et ab aliena, quae verba sua dulcia facit » (Prov. 7,5); quare seduceris, fili mi, ab aliena (5,20)? Quam facile quandoque commercium cum meretrice initum sit, exemplum habes in Iuda (Gen. 38,15) et in Samsone (Iud. 16,1). Fovea enim profunda est meretrix (Prov. 23,27).

Cum idololatria chanaanitica eiusmodi commercium coniunctum erat; quare praecipiebatur: non plantabis lucum (hebr. Ashera) et omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui. Et cum natio populi electi consideraretur tamquam sponsa Domini (cf. Ier. 2,2; Ez. 16,8; Os. 2,19), eius in Deum infidelitas per cultum alienum commissa a prophetis tamquam fornicatio traducebatur, idque eo maiore iure, quia cum idololatria vitia quoque carnalia sociabantur. Unde populus peccans appellatur meretrix: quomodo facta est meretrix civitas fidelis (Is. 1,21)? cf. Ier. 2,20; Ez. 16,30; Mich. 1,7. Et quantopere cum idololatria haec etiam vitia multiplicata sint, vide 3 Reg. 14,23; 15,12; 22,47; 4 Reg. 23,7. — Uti natio Iudaeorum peccatrix vocatur meretrix, ita Ninive quoque vel potestas regni assyriaci vocatur meretrix (Mich. 1,7; Nah. 3,4), etiam eo quod alias gentes idololatria et vitiis infecerit, et eodem modo in Apoc. urbs illa Dei regno adversaria, quae seducit populos, appellatur meretrix magna (Apoc. 17,1; 19,2).

Contra fornicationem gravissime loquitur Paulus (1 Cor. 6,13 ss.). Christus profitetur publicanos et meretrices credidisse Ioanni Baptistae prae principibus sacerdotum et senioribus et pharisaeis et fore, ut meretrices et publicani eos praecedant in regnum Dei (Matth. 21,31. 32). Simili modo Rahab meretrix (Ios. 2,1; 6,7) inter eos recensetur qui olim excelluerunt fide (Hebr. 11,31).

I. KNABENBAUER.

MERGULUS. Inter aves immundas enumeratur Lev. 11,17 et Deut. 14,17 mergulus. Mergus, cuius hoc nomen est diminutivum, (αἴθυια) veteribus significat *larum L.*, dum *mergulus Vieill.* et *mergus L.* sunt aves regionibus arcticis propriae. Vox autem hebraica, quae mergulo Vulgatae respondet שָׁלָךְ (a שָׁלַךְ proicere), a LXX (Deut. 11,16) nomine etymologice quoque hebraico correspondente redditur καταράκτης. Versio syriaca et Targum ponunt שְׁלִינוּנָא = extrahens pisces. *Lutherus* cygnum intellexit, in versione anglicana *phalacrocorax carbo* Dumont (*cormorant*) ponitur. A multis (*Bochart, Oedmann, Michaelis, Rosenmüller, Winer*) putatur esse *pelecanus bassanus* L. (*sula bassana Gray*). Alii aliter. At contra sulam bassanam obicitur, quod vix in oriente invenitur. Quare nunc plerisque שָׁלָךְ est *phalacrocorax carbo* tum ad litus Syriae tum ad lacum Genesareth et ad Iordanem frequens (*Tristram, Riehm, Wood, Post, M'Lean, Socin, Lesêtre*).

Cf. *S. Bochart,* Hierozoicon *ed. Rosenmüller* III. 20-24; *S. Oedmann,* Verm. Samml. III. 63-75; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Altertumsk. IV^b. 308-10; *P. Schegg,* Bibl. Archäol. p. 119; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible p. 252 s.; *id.* Fauna and Flora of Palest. p. 107; *J. G. Wood,* Bible animals p. 490-95; *Leunis-Ludwig,* Synops. d. Thierkunde I. 501; *A. E. Brehm,* Thierleben, Vögel III^2. 594-99; Lex. bibl. germanica (protestant.) s. v. Schwan; anglica s. v. Cormorant; *Vigouroux* s. v. Cormoran.

H. I. CLADDER.

MERIBBAAL (מְרִיב־בַּעַל, מְרִי־בַעַל, Μεριβαάλ) nomen filii Ionathae (1 Par. 8,34; 9,40), qui in 2 Reg. vocatur Miphiboseth (v. s. v.). Sed loco vocis בַּעַל, quae ubi sola dei falsi notio ei subici coepta est, offensioni erat, posteriore aetate בֹּשֶׁת poni solebet (cf. Isboseth). Quae mutatio in hoc nomine satis fuisse non videtur; itaque ulterius mutatum est in מְפִיבֹשֶׁת. Cf. *Iul. Wellhausen,* Der Text der Bücher Samuelis, Göttingen 1871, p. 31; *Driver* on the Hebrew Text of the books of Samuel, Oxford 1890, p. 186 et 195.

H. WIESMANN.

MERIDIES. Adhibetur vox, uti apud Latinos, et de media parte dici et de regione australi. Ita priore notione v. g. Gen. 43,16 : mecum sunt comesturi meridie. Et quia meridie sol quam maxime lucere solet, maxima caecitas dici solet palpare in meridie (Deut. 28, 29; Iob 5,14) et summus quidam splendor declaratur meridie : et educet quasi lumen iustitiam tuam et iudicium tuum tamquam meridiem (Ps. 36,6). Dein saepe dicitur meridies (נֶגֶב) regio meridionalis Palaestinae; vide s. v. IUDA 2 in vol. II. col. 855 s.

MERIMUTH v. MEREMOTH 1 et 3.

MEROB (מֵרַב, Μερόβ, Μερώβ), filia maior Saul et Achinoam (1 Reg. 14, 49), quae quamquam Davidi promissa erat (18,17), tamen Hadrieli nuptum a patre collocata est (18,19). Ex hoc peperit filios quinque, qui ut scelus avi (2 Reg. 21,2) expiarent, a Gabaonitis occisi sunt (2 Reg. 21,8, ubi Merob pro Michol legendum est).

H. WIESMANN.

MERODACH (מְרֹדָךְ, Μαιρωδάχ), post Bel praecipuum idolum babylonicum. In inscriptionibus appellatur Marduk et vocatur dominus magnus, dominator, sublimis, rex caeli et terrae, deus summus, rex deorum (cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. ad Ier. 50,2). Ieremias annuntiat casum Babylonis : capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach (50,2). Clades enim populi est clades deorum eius, uti v. g. iudicium fit de diis Aegypti, de Chamos deo Moab, de Melchom deo Ammon (cf. Ier. 46,25; 48,7. 13. 16; 49,1; cf. Is. 46,1; Am. 1,13 etc.). Merodach in magna apud Babylonios veneratione fuisse indicatur eo, quod in nominibus propriis efformandis adhibetur, v. g. Evilmerodach, Merodach Baladan. Plura eiusmodi nomina vide apud *Ménant* (Annales p. 52. 90. 100. 128-130. 236) et *Smith,* Assurbanipal p. 105. 196. Cf. *P. Scholz,* Goetzendienst und Zauber-

wesen 1877, p. 378; *M.-I. Lagrange,* Religions sémit. 1903 p. 94 s. 117. 322-350.

MERODACH BALADAN (מְרֹדַךְ [מְרוֹדַךְ] בַּלְאֲדָן, Μαρωδὰχ Βαλαδάν Is. 39,1; sed 4 Reg. 20,12 בְּרֹאדַךְ, Μαρωδάχ, Berodach), filius Baladan, rex Babylonis, qui legationem misit ad regem Ezechiam, « audierat enim quod aegrotasset et convaluisset »; et 2 Par. 32,31 affertur ratio, quod legati missi essent, ut interrogarent de portento quod accidisset super terram, ergo de umbra quae in horologio Achaz descendisset. Verum hisce rationibus rex et legati veram causam missionis abscondere et obtegere studebant. Cum enim Merodach Baladan sese defendere vellet contra regem Assyriorum, et sane nosset in Asia occidentali plures gentes libenter esse conspiraturas ad excutiendum iugum assyriacum, misit circa tempus sanationis Ezechiae (c. an. 712) legatos ad eiusmodi foedus contra Assur excitandum. Ezechias iam per 14 annos regnaverat, sese belli peritum ac fortem probaverat (cf. 4 Reg. 18,7. 8). Cur rex Babylonis veram causam legationis obvelaverit, facile intellegitur; cavendum erat ne suspicio regis Assyriorum excitaretur, idque eo magis, si Merodach Baladan imperio regis Assyriorum aliquo modo substabat. Si agebatur de foedere ineundo, etiam facilius explicatur, cur Ezechias rex adeo severe reprehendatur a propheta, quia tanto gaudio susceperit legatos. Hoc gaudio et tali familiaritate foedus sibi probari ostendit; at eiusmodi foedera multum contraria esse indoli theocratiae, satis ex prophetis patet.

Monumentis quoque assyriacis discimus exstitisse regem terrae maris i. e. Babyloniae meridionalis Marduk-habaliddina (Marduk donavit filium), filium Iakin, qui in inscriptionibus Theglathphalasar, Sargon, Sennacherib aliquotiens occurrit. Sargon bis ei videtur bellum intulisse, ut eum ad subiectionem adigeret. Semel circa an. 720, quo tempore etiam Ptolemaeus narrat de Mardokempado qui regnum babylonicum occuparat; iterum bellum movit contra eum Sargon anno 12. regni sui: Merodach Elamitas et Arabes quoque contra regem Assyriorum ad rebellionem excitavit; eodem anno legationem misit ad Ezechiam. Sed bellum contra Sargon ei male cessit. Nam anno 709 Sargon expugnavit arcem Dur-Iakin, in quam se receperat Merodach Baladan; arx incendio periit, sed rex aufugit. De diuturna hac Chaldaeorum cum Assyriis concertatione plura diximus s. v. CHALDAEA in vol. I. col. 820 s.

In inscriptionibus vocatur filius Iakin, unde aliqui dubitabant, essetne Merodach Baladan filius Baladan (uti Is. et 4 Reg. dicitur) idem cum Merodach, filio Iakin. Quare aliqui duos statuerunt, unum sub Sargon, alterum sub Sennacherib. Sed ex monumentis patet *filium* saepius poni notione valde ampla; ita Iehu vocatur in annalibus Salmanassar II. et III. regum filius Omri, quamvis ad familiam et posteros Omri (Amri) minime pertineret; verum regnum Israel propter Omri vocabant Assyrii *māt bīt Humrī*, terram domus Omri. Quare Merodach filius Baladan, cum esset regni successor Iakin, potuit appellari filius Iakin, eo magis quia dynastia a Iakin fundata appellabatur *bīt Iakin* domus Iakin, ut arx praecipua Dur-Iakin.

Vide *Lenormant,* Les Origines de la civilisation II. p. 203 ss.; *Schrader,* Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 535; Civiltà cattolica 1881, XI. 5 p. 412 ss.; *Knabenbauer,* Comm. in Isaiam II. p. 51. 52.

MEROM (מֵי מְרוֹם i. e. aquae Merom, LXX τὸ ὕδωρ Μαρών), ubi Iabin rex Asor a Iosue devictus est (Ios. 11,5. 7; Vulgata: ad aquas Merom). Cum Relando (Palaestina p. 262 s.) aquae Merom communiter censentur esse lacus *Ḥūle*; idem apud Flavium Iosephum (Bell. iud. IV. 1,1) vocatur Semechonitarum lacus latitudinis 30, longitudinis 60 stadiorum et III. 10,7 his verbis describitur: « Iordanes medius quidem secat Semechonitidis paludes coenosas indeque alia 120 stadia lapsus post urbem Iuliadem per medium transit lacum Gennesar ». Iosephus urbem quidem Asor sitam esse dicit super Semechonitidem lacum (Ant. V. 5,1 : ὑπέρκειται τῆς Σεμαχωνίτιδος λίμνης

ed. Niese); attamen proelium, de quo Ios. 11,5. 7 agitur, non ad lacum *Ḥūle* commissum esse dicit, sed ad Berotham oppidum Galilaeae superioris non procul a Kedesa (Ant. V. 1,18), quod oppidum alibi Μηρώθ scribit (Bell. iud. II. 20,6; Vita 37); sed eius verba hac in re vix quidquam ponderis habent, siquidem a LXX (Μαρών, cod. A Μερρών) dependent. Nihilominus aliqui (*Knobel, Keil, Smend* apud *Riehm-Baethgen*, Handwb. d. bibl. Altert. s. v. Merom) illis verbis adducti aquas Merom agnoverunt fontem ac rivum prope *Meirōn*, qui vicus 4 km a *Ṣafed* occidentem et nonnihil aquilonem versus abest in valle montana; sed ibi locum fuisse equis et curribus ad proelium explicandis vix tibi persuaseris (cf. Ios. 11,4 ss.). — Neque admitti potest, quod Onom. s. v. Μέρρά̀ν, Merrom innuit, pugnatum fuisse ad vicum Merrus 12 mil. pass. a Sebaste (Samaria) iuxta Dothaim (*ed. Lag.* 278,99; 138,16).

Dubium aliquod contra opinionem a Relando et plerisque aliis admissam ex eo movetur, quod Iosue hostes fugatos usque ad Sidonem magnam et aquas Maserephoth et usque ad planitiem Masphe orientem versus persecutus est v. 8); si enim illud מִזְרָחָה orientem versus a loco pugnae intellegitur, eum locum multo magis a lacu *Ḥūle* occidentem versus abfuisse aliqui censent. Sed primo notandum est illud מִזְרָחָה explicari posse orientem versus a Sidone magna et aquis Maserephoth; deinde vero illa planities Masphe ceteroquin ignota sita erat ad radices montis Hermon, qui certe a lacu *Ḥūle* inter septemtrionem et orientem spectat.

Coniicit *F. de Hummelauer* ad Ios. 11,5 : « in textu 12,20 probabilius fuisse primitus Semeron prope Merom. Semeron autem censent fuisse, ubi nunc *Semūniye*, ad occidentem Nazareth. Ubi notat *Guérin* (Galilée I. 385) haberi fontem copiosum. Sunt ibidem rivi plures, qui defluunt versus torrentem Cison : his crediderim fuisse nomen *Aquae Merom*, et ibi fuisse castra Iabin, loco opportunissimo in ipso montium Galilaeae aditu et simul in ipsa illa celeberrima valle curribus Chananaeorum aptissima... Aquae Merom potuit appellari totus tractus a Semeron usque ad torrentem Cison ».

MEROME regio (מֵרוֹמֵי שָׂדֶה i. e. altitudines campi; LXX ὕψη ἀγροῦ) legitur Iud. 5,18 : Zabulon vero et Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome (Vulgata); sed hebr. : Zabulon populus parvipendens animam suam in mortem et Nephthali super altitudines campi. — Regio Merom in Vulgata originem suam debet confusioni cum aquis Merom (Ios. 11,5. 7). Illas autem altitudines campi *Caietanus, Bonfrerius, F. de Hummelauer* ad Iud. 5,18 interpretantur planitiem in summo Thabor, ubi Zabulon et Nephthali aciem instruxerunt suasque vitas certamini obiecerunt.

MERONATHITES (הַמֵּרֹנָתִי) cognominantur Iadias a Davide super asinos constitutus (1 Par. 27,30; LXX ὁ ἐκ Μεραθών) et Iadon, qui Nehemiam adiuvit in aedificandis muris Ierusalem (Neh. 3,7; LXX ὁ Μηρωνωθίτης). Oppidum Meronoth ignotum est. Sed ex Neh. 3,7 inferendum videtur Iadon Meronathitem fuisse praefectum virorum Maspha et Meltiam Gabaonitem praefectum virorum Gabaon; unde Meronoth oppidum parvum in Beniamin non procul a Maspha Beniamin fuisse coniicitur.

MEROZ (מֵרוֹז, Μηρώζ), urbs vel terra (Vulgata), cui Debbora in cantico triumphali maledicit, quod eius habitatores Israelitis contra Sisarae exercitum opem non tulerint (Iud. 5,23). Contextus versuum 23 et 24 suadet eos hostium iam devictorum fugam non impedivisse neque Israelitis victoribus hostes persequentibus se iunxisse idque praeter exspectationem. Pugna illa commissa erat inter montem Thabor et torrentem Cison; exercitus autem Sisarae urbem regiam Asor in Galilaea superiore repetebat. Unde varii situs coniectando propositi sunt v. g. *Murassas* prope *Beisān* versus montem Thabor (*Schwarz*) vel *Kefr Muṣr* ad meridiem montis Thabor et orientem Endor (*Wilson; Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 133; *Keil* in h. l.) vel etiam *Meirōn* ad occidentem urbis *Ṣafed* in Galilaea superiore (*Ewald*,

Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, II. p. 532, qui auctor mendum scriptionis pro מֵרוֹן adesse suspicatur). Alii suggerunt urbem esse destructam et anathemati devotam (*Cassel* in h. l.). Recentissime Meroz coniicitur esse *Khirbet Mārūs* 8 km a *Ṣafed* aquilonem et paulo orientem versus (*L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible s. v.).

MERRHA (ἡ Μερράν) regio, cuius negotiatores Bar. 3,23 laudantur. Quam plurimae coniecturae tentatae sunt, quas *Knabenbauer* ad h. l. recenset. Sufficiat hoc loco brevis enumeratio urbium vel regionum, quae cum Merrha componi posse videbantur : Maara Sidoniorum (Ios. 13,4), Merom (Ios. 11,5. 7), Merrus vicus 12 mil. pass. a Sebaste (Samaria) iuxta Dothaim (Onom. *ed. Lag.* 278,99; 138,16), Muarrah urbs syriaca (cum Syrus Bar. 3,23 legat Murath), Mahra regio arabica (cuius *Abulfeda* meminit), Marane urbs Sabaeorum (*Plin.* VI. 28, 154 *ed. Detlefsen :* Merme, dum *ed. Harduin* Marane praebebat), cuius incolae Μαρανῖται vocantur (*Strabo* XVI. 4,18; *Diod. Sic.* 3,43), Gerrha in Arabia felice (*Plin.* VI. 28,147; XXXI. 7,78). Aliis denique placuit interpretem graecum legisse מְרָן pro hebr. מִדְיָן, quod est aliud nomen pro Madian (Gen. 31,36 coll. 28) atque fatendum est nomen Madianitarum, quibus appellatio negotiatiorum convenit, contextui non repugnare.

MES (מֵשׁ, Μοσόχ) recensetur cum Us, Hul et Gether inter filios Aram (Gen. 10,23). Idem 1 Par. 1,17 vocatur Mosoch (מֶשֶׁךְ) et filiis Sem accensetur, sicut etiam reliqui filii Aram; desunt enim post nomen Aram illa verba : *et filii Aram*, quia genealogia quoad singula ex Gen. 10,22. 23 nota esse a scriptore sacro supponitur. « Quibus rursum docemur in genealogiis quandoque cum filiis confundi nepotes. Neque in eo ullus latet error; nepotes quippe sunt filii mediate geniti » (*F. de Hummelauer* ad 1 Par. 1,17).

Bochartus (Phaleg 2,11) gentem Mas interpretatus est incolas montis Masii ad septemtrionem Nisibis, qui Armeniam a Mesopotamia secernit (*Strabo* XI. 14,2; *Ptolem.* V. 18,2 [*ed. Müller-Fischer* 17, 2]) et de quo fluvius syriace נְהַר מֶשֵׁא appellatus defluit (*Gesenius,* Thesaurus p. 823); *Bochartum* sequuntur *Gesenius* l. c., *Dillmann* ad Gen. 10,23 et alii.

Aliam vero explicandi viam *F. de Hummelauer* ingressus est. Secundum Flavium Iosephum (Ant. I. 6,4) Μῆσας condidit Mesanaeos, ubi postea Spasini Charax fuerit; illa autem regio ad Tigridis Euphratisque exitum in sinum Persicum postea Mesene audiebat, quod nomen a Mes (Mas) facile derivatur; idem tractus apud Assyrios *terra Mas* audiebat, ad quem etiam totum desertum Euphraten inter et Aegyptum pertinebat (*Delitzsch*, Paradies p. 242. 243). Hanc terram *Mas* complures auctores (*I. D. Michaelis, Gesenius,* Thesaurus p. 823, *Delitzsch* l. c.) eandem esse censent atque Gen. 10,30 Messa (מֵשָׁא, Μασσῆ), a quo loco sedes Ioctanidarum usque ad Sephar describuntur. Iamvero etiam v. 23 Samaritanus legit מֹשָׁא, Fl. Iosephus Μῆσας et lectio 1 Par. 1,17 מֶשֶׁךְ confirmat fuisse nomen trium radicalium. Unde concludit *F. de Hummelauer* Mes idem esse atque Messa scil. Mesenen ad Tigridis Euphratisque ora; quo admisso dicendum est Ioctanidas ibidem Aramaeis conterminos fuisse et inde usque ad Sephar sese protendisse (cf. s. v. IECTAN). Ad eandem denique Mesenen facile referri videtur illud Ps. 120,5 (hebr.) : Heu mihi quod peregrinor in *Meshech,* habito cum tentoriis Cedar.

MESA (מֵשַׁע). **1.** Beniaminita quidam, filius Caleb (1 Par. 2,42; LXX Μαρισά).

2. Rex Moabitarum, qui ineunte saeculo a. Ch. n. nono florebat, 4 Reg. 3,4 (LXX Μωσά). Eius pater, civitatis Dibon regulus, ab Amri, rege Israelis, regnum totius Moab adeptus erat; quam ob rem quotannis tributum 100.000 agnorum et 100.000 arietum illi pependerat. Mesa autem Achab rege mortuo abusus Ochoziae, qui successerat, imbecillitate et a prophetis Chamos, dei terrae praesidis, stimulatus rebellavit, ut pa-

triam in libertatem vindicaret 4 Reg. 1,1; 3,4. 5. Hostibus expulsis eam regionem, quae est inter Nebo et Arnon, totam suae dicionis fecit; oppida Baalmeon et Cariathaim operibus munivit; Israelitas, qui Ataroth et Nebo incolebant, Chamos honoris causa internecioni devovit; eidem consecravit vasa Iahwe sacra, quae ex oppido Nebo abstulerat; in loca autem expugnata colonias popularium deduxit. — Ad eum domandum Ochozias ad bellum profectus cepit oppidum Iahaṣ (v. IASA, IASSA) munitionibusque firmavit, ut sibi ad terram expugnandam adiumento esset. Sed nescio quo modo recedere coactus et paulo post infeliciter lapsus interiit, 4 Reg. 1,2 ss. Mesa igitur cum Iahaṣ manu militum lectissima recuperasset, opibus firmus regno praeerat; irruptiones autem hostium, si quae futurae essent, quo facilius repelleret, oppida quam plurima moenibus saepsit. Postea Edomitas, quos haud scio an Iosaphat, rex Iudae, impulerit, e terra reiecit. His rebus audacior factus simul cum Ammonitis et Edomitis, qui spe iugi regum Iudae excutiendi ducti videntur, bellum Iosaphat regi intulit, sed perturbatione inopinato impetu orta Moabitae et Ammonitae arma in Edomitas verterunt ingentique clade suo ipsorum exercitui illata Iudaeis magnam praedam reliquerunt 2 Par. 20. — Bellum, quo Ochozias destiterat, Ioram redintegravit. Foedere igitur cum Iosaphat icto adscitisque sibi Edomitis per desertum Idumaeae Eliseo propheta comitatus exercitum in fines Moab duxit hostesque prostravit. Mesam autem regem agros depopulatus in oppido Qir Moab inclusit. Is manu 700 armatorum arrepta in Edomitas irruit, sed aciem perrumpere non potuit. Tum vero ad desperationem adductus filium maximum regnique heredem, ut iram Chamos placaret, hoste spectante in urbis muro immolavit. Tandem ab obsidione recessum est; cuius rei quae causa fuerit, incertum est. Ex eo autem Mesam in tranquilla regni possessione permansisse verisimile videtur (4 Reg. 3).

Nomen Mesae nostra aetate mirifice nobilitatum est; anno enim 1864 tropaeum litteris inscriptum, quod Ochozia regnante loco sacrificiorum, quem ambigua significatione בָּמַת מְיִשַׁע appellari voluit, ipse rerum a se gestarum nuntium posuerat, a *Klein*, missionario quodam Germano, inventum est. Hunc lapidem, qui cum ex basalte constaret, satis integer manserat, consul Germanus, qui erat Hierosolymis, adipisci studuit, sed frustra. Eadem autem re cognita anno post *Clermont-Ganneau*, consulis Francogallici interpres, exemplum inscriptionis quamvis mancum sibi comparavit. Sed ipsum cippum cum idem acquirere conaretur, Arabes superstitionibus imbuti vexationesque Turcarum veriti contuderunt. Fragmenta autem maiora minoraque paulatim conquisita et Lutetiam (*Louvre*) delata sunt. Ope igitur primi inscriptionis integrae exempli tota fere oratio componi et critica ratione explanari potuit. Illud epigramma doctorum studio est dignissimum; nam cum monumentorum semiticorum veterrimum sit, maximi est momenti ad notas litterarum semiticarum indagandas et linguam hebraicam illius aetatis cognoscendam. Nec minus refert ad Vet^{is} T^{i} de Moab narrationes confirmandas, illustrandas, complendas.

Cf. Revue archéologique, XXI. 1870, p. 184. 357; *de Vogüé*, Lettre à M. le Comte de Vogüé par Ch. Clermont-Ganneau, Paris 1870; *Clermont-Ganneau*, Revue Critique 1875, No. 37, 166-174, et Journ. Asiat. Janv. 1887, 72-112; *Renan*, Journ. des Savants 1887, 158-164; *Schlottmann*, Die Siegessäule Mesas, Königs der Moabiter, Halle 1870 (Programma); *idem*, Nachträge, in Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XXIV.; *Petermann*, Ueber die Auffindung der moabitischen Inschrift des Königs Mesa, in Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XXIV.; Theol. Stud. und Krit. 1871, 596; *Nöldeke*, Die Inschrift des Königs Mesa von Moab, Kiel 1870; *R. Smend* und *A. Socin*, Die Inschrift des Königs Mesa von Moab, Freiburg i. B. 1886; Contemporary Review, January 1887; *Winckler*, Keilinschriftl. Textbuch zum A. T., Berlin 1892, 100 ss.; — *Driver*, Notes on the Hebrew Text of the books of Samuel, Oxford 1890, p. LXXXV. ss.; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 III. p. 464-474.

H. WIESMANN.

MESELEMIA (מְשֶׁלֶמְיָהוּ, Μοσελλεμία, Μοσελλαμία) 1 Par. 26,1. 2. 9 seu Mosollamias (מְשֶׁלַמְיָה, Μοσολλαμί) 1 Par. 9,21 seu Selemia 1 Par. 26,14 seu Sellum 1 Par. 9,17. 19. 31 erat Corita de filiis Abiasaph (1 Par. 9,19), non de filiis Asaph, ut 1 Par. 26,1 legitur, et pater familiae ianitorum, quae etiam post exsilium eodem officio fungebatur (Sellum Esdr. 2,42; Neh. 7,46[45] et Mosollam Neh. 12,25).

MESEZEBEL (מְשֵׁיזַבְאֵל). **1.** Avus Mosollam in reaedificando muro Ierusalem occupati (Neh. 3,4; cod. B omittit). **2.** Pater Phathahia de familia Zara filii Iuda (Neh. 11,24; cod. B Βασηζά). Fortasse idem ac prior.

MESHECH (Ps. 120,5 hebr.) vide s. v. MES.

MESIZABEL (מְשֵׁיזַבְאֵל, cod. B Μεσωζεβήλ), signator foederis e ducibus populi (Neh. 10,21). Fortasse est idem ac Mesezebel 1.

MESOLLAM v. MOSOLLAM 11.

MESOPOTAMIA (Μεσοποταμία) vel Mesopotamia Syriae (Μεσοποταμία [τῆς] Συρίας) vocatur in Vulgata et LXX regio, quae hebr. dicitur אֲרַם נַהֲרַיִם vel פַּדָּן אֲרָם (Gen. 24,10; 25,20; 28,2. 5. 6. 7; 31, 18; 33,18; 35,9. 26; 46,15; 48,7; Deut. 23,4 [5]; 1 Par. 19,6; Ps. 59[60],2); sed Gen. 28,7 Vulgata vertit *Syriam,* Gen. 48,7 textus hebr. solum habet פַּדָּן omisso אֲרָם, 1 Par. 19,6 LXX ἐκ Συρίας Μεσοποταμίας. Eandem regionem designant Ios. 24,3. 14. 15 *fines Mesopotamiae* (עֵבֶר הַנָּהָר, τὸ πέραν τοῦ ποταμοῦ) et Os. 12,12 [13] *regio Syriae* (שְׂדֵה אֲרָם, πεδίον Συρίας). Accedunt loci Iud. 3,8 (אֲרַם נַהֲרַיִם, ποταμῶν Συρίας); 3,10 (אֲרָם, Συρίας ποταμῶν); Iudith 2,14; 3,1. 14; 5,7; Act. 2, 9; 7,2.

Mesopotamiae nomen aetate Seleucidarum ortum designabat illam regionem inter Euphraten et Tigridem sitam, quae meridiem versus a Babylonia separata erat Mediae muro fluvios, ubi inter se proximi sunt, iungente, aquilonem versus usque ad Armeniam et Taurum patebat; ceterum fines meridionales et aquilonares apud veteres auctores interdum ulterius extendebantur (cf. *Plin.* VI. 9,25; 26,117; *Strabo* XVI. 1,21; *Ptol.* V.18 [*ed. Müller-Fischer* V.17]).

Attamen LXX *Aram Naharaim* vertentes Mesopotamiam sensum vocis hebr. non satis assecuti sunt. Sunt qui *Naharaim* non dualem (duorum fluminum), sed locativum interpretentur. Probabilius est forma pluralis *Naharim* vel *Naharin,* eandem regionem Syriae denotans, quam in aegyptiacis inscriptionibus de bellis in Asia gestis *Nahar-rina* et in documentis *Tell el-ʿAmarna Naʾrima* seu *Nārima. F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 260. 261) interpretatur regionem flumina (non *duo* flumina) habentem, irriguam, in oppositione scil. ad deserta cis et trans Euphraten, totam Syriam ad Orontem et Amanum usque. Aliis tamen *Aram Naharaim* restringenda videtur ad Mesopotamiam occidentalem inter Euphraten superiorem eiusque tributarium orientalem Habor (*Khābūr*).

Eandem fere regionem denotat *Paddan Aram* i. e. planities Aram, regio campestris Syriae. Etymologia vocis *Paddan* est obscura; sed vix dubium est, quin Os. 12,12[13] habeatur eius vocis interpretatio : campus (πεδίον) Aram. Fortasse vestigium nominis conservatum est in *Tell Feddan,* prope Haran apud geographos arabicos medii aevi.

Cf. *Gesenius,* Thesaurus 858. 1092; *W. M. Müller,* Asien und Europa 1893, p. 249 ss.; Revue sémitique 1894, II. 193 ss.; *Brugsch,* Geschichte Aegypt. 235 ss.; *E. Meyer,* Geschichte des Altertums § 180; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 295; *Lagarde,* Prophetae chaldaice p. XLIII; *G. Maspero,* Histoire ancienne des peuples de l'Orient I. 1895, p. 551 ss.; *Lenormant et Babelon,* Histoire ancienne IV. 1885, p. 1 ss.; *E. Sachau,* Reise in Syrien und Mesopotamien, Leipzig 1883.

MESPHAR (מִסְפָּר, Μαλσάρ), princeps populi, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Esdr. 2,2). Idem scribitur Neh. 7,7 Mespharath (מִסְפֶּרֶת, Μασφεράν).

MESPHARATH v. MESPHAR.

MESPHE (Ios. 18,26) v. MASPHA 6.

MESRAIM v. AEGYPTUS.

MESSA (Gen. 10,30) vide s. v. MES.

MESSA (מַסָּה, LXX omittunt) 4 Reg. 11,6 non est nomen proprium, ut Vulgata habet, sed appellativum. *Gesenius* (Thesaurus p. 890) vocem interpretatur *depulsio* a radice נסה *depellere,* unde vertendum est : et vos custodietis excubias domus (i. e. templi) ad depellendum scil. populum, ne quis ex partibus Athaliae templum ingrediatur. Sed *Gesenius-Buhl,* Hebr. Handwb. *ed.* 14 s. v. eam significationem vocis non admittit. Interpretes in textu ceteroquin valde dubio varia coniiciunt.

MESSAL urbs v. MASAL.

MESSALEMETH (מְשֶׁלֶמֶת, Μεσολλάμ), filia Harus de Ieteba (vide s. v.), uxor Manasse regis Iuda et mater Amon, qui post Manasse regnavit (4 Reg. 21,19).

MESSIAS (מָשִׁיחַ), Unctus, Μεσσίας, quod est interpretatum Χριστός (Ioan. 1, 41). In vetere foedere eo nomine « sacerdos unctus » designatur pontifex (cf. Lev. 4,3. 16), et unctus Domini, unctus Iahwe appellatur rex theocraticus, rex a Domino institutus. Regnum enim Iuda est regnum Dei et Deus est rex Israel; quare rex sedere dicitur super solium Domini (1 Par. 29,23); cf. 1 Reg. 2,10. 35; 12,3; 16,6 — ex analogia Is. 45,1.

Nomen autem Messias usu recepto et apud Iudaeos et apud Christianos iam solum adhibetur ad eum designandum qui a prophetis praedictus est venturus rex et propheta ad regnum Dei universale in iustitia et sanctitate fundandum. Nomen hoc ei inditur Ps. 2,2 et Dan. 9,25, ex quibus locis nomen pro ipso proprium effectum est ac plane singulare, ita ut iam non alteri tribuatur neque regi theocratico, neque Cyro, neque patriarchis (cf. Ps. 104,15).

Quare nomine vaticiniorum messianorum omnia illa comprehenduntur, quae per decursum saeculorum de uno illo eiusque opere ac regno praedicta sunt. Horum autem vaticiniorum initia ac semina usque ad primordia generis humani ascendunt. Peccato enim a protoparentibus commisso et poena iis denuntiatur et victoria de suasore et instigatore peccati tandem aliquando reportanda promittitur. Deus enim ponet inimicitias inter seductorem et mulierem, inter utriusque semen i. e. inter seductoris asseclas et inter semen seu posteritatem mulieris; hoc mulieris semen conteret caput seductoris; verum non sine vulnere constabit victoria : et tu (ipse seductor) conteres calcaneum eius. Caput itaque serpentis conteritur, at etiam conterentis calcaneum conteritur; apta scil. adumbratio victoriae quidem completae, at non sine vulnere et dolore reportandae (Gen. 3,16). Victoria promittitur per semen mulieris, ita tamen ut propter oppositionem ad unum, cuius caput conterendum sit, iam innui videatur non multitudo inter se discreta, sed vel multitudo sub uno quasi capite collecta et unita vel unus aliquis qui sit totius multitudinis vicem gerens. Quid itaque revera futurum sit, ex sequentibus vaticiniis declarandum erit. In promissione ad Noe facta indicatur, in quanam familia salus sit exspectanda. Iahwe enim, Deus ille promissionis (Gen. 3,14 s.), Deus celebratur ac praedicatur Sem; iam esse Deum alicuius est esse summum illius bonum, protectorem, omnium bonorum largitorem. Hanc autem benedictionem ex Sem reliquis, non quidem statim, sed aliquando obventuram esse indicatur verbis : *dilatet Deus* (Elohim, gubernator mundi) *Iapheth;* per longius tempus et per plurimas regiones dilatabitur; at tandem *habitet in tabernaculis Sem* i. e. habebit ipse quoque Iahwe, Deum promissionis, Deum suum, erit ipse populus Dei, quia tabernacula Sem ipsius facta sunt tabernacula. Chanaan quoque utpote servus utriusque atque adeo ad utriusque familiam pertinens, etiam particeps erit utriusque benedictionis (cf. Gen. 9,26. 27). In hisce oraculis id quoque consideratione dignum est, quomodo paucissimis verbis eventus per plurima saecula evolvendi ac perficiendi adumbrentur et comprehendantur.

Ex posteris Sem eligitur Abraham,

cui fiunt promissiones : faciam te in gentem magnam; benedicam tibi; tibi, semini tuo dabo terram hanc; in te, in semine tuo benedicentur omnes gentes; eaedem promissiones fiunt Isaac et Iacob (cf. Gen. 12,2. 3; 17,2. 16; 26,4. 12. 24; 28,3. 13. 14. 15; 35,11. 12 etc.). Ex iis iam patet per longius temporis spatium singula iri impletum. Prius enim familia patriarchalis debet crescere in gentem magnam, dein ei obtingere debet terra promissa. Cuius autem naturae et indolis benedictio futura sit, dubium esse nequit. Tempore enim patriarcharum erant regna florentissima in Asia, in Aegypto; ipsi patriarchae erant peregrini; benedictionem itaque temporalem gentes ab eis exspectare minime poterant neque ipsi de tali benedictione cogitare poterant. Proin de benedictione spirituali, quae in Abraham et semine eius promissione divina reposita sit, verba intellegantur oportet. Accedit quod Abraham etiam praedictum erat alias gentes afflictum iri per ipsius posteros (Gen. 15,16-21); insuper promissio facta de benedictione in eo habet radicem, ut Iahwe sit Deus eius, protector eius, ipse autem vias Domini custodiat (cf. Gen. 15,1; 17,1. 2; 18,19) et benedictio haec omnibus promittitur in oppositione ad maledictionem (Gen. 3,17; 5,29; 9,26).

Illud vero : benedicentur in te, in semine tuo, subsequentibus vaticiniis clarius definitur; ita Ps. 71,17, ubi de rege Messia dicitur : et benedicentur in ipso omnes tribus terrae (cf. Zach. 9,10). In vaticinio Iacob (Gen. 49, 8-10) effertur, quomodo ex reliquis tribubus tribus Iuda paulatim ad imperium ascensura sit, nactura sit sceptrum, quod sceptrum ab eo nunquam recedet, quia ex eo prodibit is cuius est, (Sospitator), cui omnes populi spondent obedientiam; qui itaque regnum habebit perpetuum, universale, regnum pacis, felicitatis, beatitudinis (Gen. 49,11. 12). Regnum venit ad tribum Iuda in Davide rege; de stirpe Iuda principes germinati sunt (1 Par. 5,2) et : de Iuda enim elegit Dominus principes (1 Par. 28,4) et ipsi David etiam datur promissio de regno aeterno; i. e. explicatur

illud : non recedet sceptrum de Iuda, donec veniat is cui erit oboedientia gentium (Gen. 49,10 hebr.); nam Davidi dicitur : regnum tuum usque in aeternum et thronus erit firmus iugiter (2 Reg. 7, 16) et : iuravi David servo meo : usque in aeternum praeparabo semen tuum et aedificabo in generationem et generationem sedem tuam; semel iuravi : semen eius in aeternum manebit et thronus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum et testis in caelo fidelis (Ps. 88,4. 36-38).

Post exodum ex Aegypto Balaam ita vaticinatur, ut promissiones populo Dei datas confirmet easque alienigenis quoque pandat. Futurum esse dicit regem, qui gloriam populi sit exaltaturus et qui hostes potentissimos sit deiecturus (Num. 23. 24). Promissiones David datae supra iam commemoratae sunt (cf. 2 Reg. 7,12-16; 1 Par. 17,10-14; Ps. 88,22-38). Ei itaque promittitur regnum aeternum et haec promissio datur modo absoluto, eo sensu ut domus David habeat stabilitatem aeternam. Verum ipsa sors domus davidicae adumbratur verbis illis : si inique aliquid gesserit, arguam illum in virga virorum et in plagis filiorum hominum; misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul (2 Reg. 7,14. 15). Via itaque, qua demum domus David in Messia pervenire debet ad regnum aeternum et ad thronum iugiter firmum, continetur moribus regum davidicorum; si inique egerint, punientur, ut Deus eiusmodi peccatores solet punire; at חסדי לא־יסור gratiosa illa promissio *non auferetur* (cf. in hebr.; adest aperta allusio ad Gen. 49,10 non auferetur sceptrum). Idem enuntiatur Ps. 88,29 ss. : in aeternum servabo illi (David) misericordiam meam et testamentum meum fidele ipsi; et ponam in saeculum saeculi semen eius et thronus eius sicut dies caeli. Si autem dereliquerint filii eius legem meam et in iudiciis meis non ambulaverint,... visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo, etc. Atque in historia regum saepius effertur posteros David vi eius promissionis regno servari (cf.

3 Reg. 11,11-13. 32. 39; 15,4. 5; 4 Reg. 8,19; 19,34; 2 Par. 21,7. Verum tandem iniquitate regum thronus temporalis David concidit urbe expugnata et destructa et rege et principibus in captivitatem babylonicam abductis. Quomodo autem promissio illa gratiosa servata sit, nos docent eius temporis prophetae, Ieremias et Ezechiel. Annuntiatur ruina temporalis throni David : scribe virum istum sterilem... non enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium David et potestatem habeat ultra in Iuda (Ier. 22,30). Ita concidit tabernaculum David; at, uti Amos iam praedixerat, venturum diem, quo Dominus suscitabit tabernaculum David quod cecidit (9,11), ita Ieremias repetit tempus annuntians quo « servient Domino Deo suo et David regi suo quem suscitabo eis » (30,9) et « ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo Davidi germen iustum et regnabit rex et sapiens erit » (23,5; cf. 33,15). Quomodo futurum sit, ut domus davidica diu in obscuritate lateat et postea exaltetur, praeclaro symbolo explicat Ezechiel : « haec dicit Dominus Deus : et sumam ego de medulla cedri sublimis et ponam; de vertice ramorum eius tenerum distringam, et plantabo super montem excelsum et eminentem; in monte sublimi Israel plantabo illud et erumpet in germen et faciet fructum et erit in cedrum magnam, et habitabunt sub ea omnes volucres et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit » (17,22. 23).

Simili modo etiam stante throno temporali David alii prophetae loquebantur. Ita enim iniquitate praevalente ruinam regni et exsilium praedicunt, post exsilium autem fore restaurationem sub rege David, Messia. Isaias arborem florentem iri succisum, remansurum truncum, semen sanctum, et ex trunco abscondito surculum esse oriturum, regem Messiam vaticinatur (6,13; 11,1 ss.). Et Osee : dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, sine sacrificio, sine altari... et post revertentur et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum (3,4. 5). Similiter Amos ruinam tabernaculi David ciusque instaurationem praedicit (9,8-15); et

Michaeas 3,12 : causa vestri Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit et mons templi in excelsa silvarum. Sed triplici huic eversioni statim subiungit triplicem instaurationem montis templi (4,1-5), Ierusalem (4,6. 7), Sion (4,8); praedicit exsilium babylonicum et maximam populi oppressionem, ex qua liberabuntur per dominatorem, ortum ex Bethlehem, cuius egressus ab initio, a diebus aeternitatis (5,1 ss.).

Ipsa autem instauratione conditum iri regnum sanctitatis, iustitiae, pacis prophetae variis modis annuntiant. Ita Osee : et sponsabo te mihi in sempiternum et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide (2,19) et : quaerent Dominum Deum suum et David regem suum et pavebunt ad Dominum et ad bonum eius in novissimo dierum (3,5). Et Ioel : et scietis, quia ego Dominus Deus vester, et erit Ierusalem sancta et alieni non transibunt per eam amplius (3,17). Quae sanctitas etiam depingitur imagine uberrimae fertilitatis terrae, quae ipsa ex indole veteris legis eiusque promissionum indicium est vigentis in populo sanctitatis; nam observantibus legem abundantia bonorum temporalium in lege promittebatur. Unde intellegitur, cur in descriptione instaurationis messianae v. g. dicatur : ecce dies veniunt, dicit Dominus, et comprehendet arator messorem, et calcator uvae mittentem semen, et stillabunt montes dulcedinem et omnes colles culti erunt (Am. 9,13). Praeclare hanc sanctitatem delineat Isaias : omnis qui relictus fuerit in Sion, sanctus vocabitur etc. 4,3); multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis, super solium David et super regnum eius sedebit ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia (9,7); repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes (11,9); ponam universos filios tuos doctos a Domino et multitudinem pacis filiis tuis (54,13) et in iustitia fundaberis; non audietur ultra iniquitas in terra tua et occupabit salus muros tuos et portas tuas laudatio (60,18); item Is. 61,10; 62,4; 66,12 s.). Eam sanctitatem effectum iri

effusione donorum divinorum, docet Ioel (2,28), Dei misericordia ablatum iri peccata, effert Michaeas (7,18-20); non facient iniquitatem nec loquentur mendacium et non invenietur in ore eorum lingua dolosa (Soph. 3,13). Haec vero sanctitas ex eo exsurget, quia : hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel, dicit Dominus : dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum (Ier. 31,33), et dabo eis cor unum et spiritum novum tribuam in visceribus eorum et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent et iudicia mea custodiant et spiritum meum ponam in medio vestri (Ez. 11,17; 36,25; 39,29) et similiter : effundam spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam (Is. 44,3) et generatim saepe effertur lex i. e. doctrina, ius divinum, ut indoles instaurationis describatur (cf. Is. 2,3; 4,4-6; 25,8; 26,7; 29,25; 32,1; 35,8; 49,2; 50, 4; 51,4 etc. etc.).

Ipse autem Messias ex promissionibus Davidi datis nanciscitur apud prophetas nomen David, germen David; ita Osee 3,5 : et quaerent Dominum Deum suum et David regem; Ier. 23,5 ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra; item 33,15; eodem modo vocatur germen (hebr.) Zach. 3,8; eius a Davide descensus declaratur pariter Is. 11,1 : et egredietur virga (surculus) de radice Iesse et flos (neṣer, ramus) de radice eius ascendet. Unde in evangeliis vocatur Iesus filius David et ipsi Pharisaei respondent quaestioni Iesu, cuius filius sit Christus, eum esse filium David (Matth. 22,42). Describitur tamquam rex, cui oboedientiam debent omnes gentes et tamquam filius Dei (Ps. 2), tamquam rex qui pro iustitia pugnet, hostes deiiciat, suos beatos reddat (Ps. 44), qui pauperum curam gerat et a regibus terrae adoretur, in quo omnes tribus terrae benedicantur (Ps. 71), qui sedens ad Dei dexteram, rex et sacerdos, plenam de inimicis victoriam exspectet (Ps. 109); usque ad eius adventum sepulta iacet et eversa dignitas davidica regia, uti Ez. 21,26. 27 docetur : haec dicit Dominus Deus : aufer cidarim, tolle coronam, eversionem, eversionem, eversionem ponam eam, donec veniet cuius est ius et tradam ei (secundum hebr., et aperta allusione ad Gen. 49,19); ut rex et sacerdos designatur quoque Zach. 6, 13. Ipse est princeps pacis (Is. 9,6), pax (Mich. 5,5), lux gentium (Is. 42,6; 49,6) et salus usque ad extremum terrae, angelus testamenti (Mal. 3,1) i. e. qui foedus populi cum Deo instauraturus est (Is. 49,8), est praeditus summa sapientia (Is. 11,2 s.; cf. 9,7). Divina eius natura innuitur verbis illis : filius meus es tu, ego hodie genui te (Ps. 2,7 cf. 109,3), nominibus ei inditis : Deus fortis, pater futuri saeculi (Is. 9,7) et Ps. 44,8; cf. Hebr. 1,8 : ad Filium autem dixit : thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi; pariter Zach. 12,10 et effundam super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum et aspicient ad me quem confixerunt (cf. Ioan. 19,37).

Opus autem messianum exhibetur ita, ut ipse reiectis malis pastoribus, qui populum perdiderint, tamquam pastor bonus curam gregis gerat; Ez. 34,22 s. : salvabo gregem meum et non erit ultra in rapinam, et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas et erit eis in pastorem. Et ut talis describitur Is. 40,11, mitis erit et humilis, qui calamum quassatum non conteret (Is. 42,2 s.), qui pauperes solabitur (Is. 61,1-3; Ps. 71), impios percutiet (Is. 11,4; 61,1-3; Ps. 109,5. 6) et iustitiam et sanctitatem adducet (Is. 9,7; 11,5. 9; Dan. 9,24). Verum hoc opus eius multo labore perficietur; perpessiones eius describuntur Is. 49,4-9; 50, 4-11; 52,13-53,12 et Ps. 21; quales fructus exorituri sint ex eius perpessionibus, partim iam iisdem locis exhibetur et quam maxime apud Isaiam symbolo urbis Ierusalem restitutae, in quo Ecclesiae sanctitas, catholicitas, mira Dei protectio adumbratur; cf. 49, 14-26; 54,1-17; 60,1-22; 61,4-11; 65,17-25; 66,8 ss. Ex eius enim morte, qua se ipsum sacrificium obtulit pro peccatis, exsurget et gloria pro ipso et salus

multorum.: « si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum et voluntas Domini in manu eius dirigetur; pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur; in scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos » (Is. 53,10. 11); de torrente in via bibet; propterea exaltabit caput (Ps. 109, 7). Opere autem messiano omnes gentes evadent populus Deo sacer; cf. Am. 9, 12; Is. 2,2-4; 11,10; 14,1. 2; 42,6; 49,6; 66,19; Ez. 17,23; 36,23. 36; Mich. 4,2; Ps. 71,9 s. etc. Ita erigitur regnum Dei : et erit Domino regnum (Abd. 9); impletur illud : Dominus regnabit (Is. 52,7) et : suscitabit Deus caeli regnum quod in aeternum non dissipabitur et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec et ipsum stabit in aeternum (Dan. 2,44); quod regnum datur ei qui in nubibus venit tamquam filius hominis : et dedit Deus ei potestatem et honorem et regnum et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur et regnum eius quod non corrumpetur (Dan. 7,13. 14). Contra quod regnum nulla potestas inimica praevalebit : omne vas quod fictum est contra te non dirigetur et omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis (Is. 54,17); ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo (Soph. 3,19); praeclare idem proponitur Ez. 38. 39 et Ps. 109 : donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, et : conquassabit capita in terra multorum, etc.

Foedus vetus cum suo cultu et caerimoniis abolitum iri iam eo indicatur, quia salus messiana omnibus gentibus obtinget; quare institutum illud foedus particulare cum legibus suis uni populo unique regioni accommodatis iam non consistere potest. Clare quoque indicatur Ier. 3,16 : non dicent ultra : arca testamenti Domini; nec ascendet super cor neque recordabuntur illius, nec visitabitur nec fiet ultra. Nam arca ut thronus Dei sedentis super cherubim in cultu mosaico praecipuum occupabat locum, uti ex ritu diei expiationis patet; ad arcam deferebatur sanguis expiatorius; quare in hac oblivione arcae depingitur abrogatio cultus veteris, abrogatio sacerdotii, totiusque legis veteris, quae intime cum sacerdotio conexa erat (cf. Hebr. 7,12). Qua abrogatione simul docemur, quomodo loci illi non sint intellegendi, quibus pro tempore quoque messiano sacrificia vetera asseri videntur (Is. 60,7; Ier. 33,8); typo quippe et symbolo veterum excellentior Dei per sacrificium cultus declaratur. Abrogatio haec designatur eo quoque, quod « assumam ex eis in sacerdotes et levitas » (Is. 66,21) i. e. quod ii fient sacerdotes qui non erant ex stirpe Aaron. Limitem legis remotum iri qua alii arceantur innuitur quoque apud Michaeam (7,11 ss.). In elevatione autem montis Domini super omnes colles (Is. 2,1; Mich. 4,1) praeter alia id quoque significatur, quomodo foedus novum messianum quasi exsurgat ex vetere idque plane dilatatione sua immutet. — De tempore instaurationis messianae veteres prophetae nihil praedicunt; solum indicant illam fore post reditum ex exsilio; tempus aliquo modo assignatur Dan. 9,25 : ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt — de quo tamen vaticinio variae feruntur explicationes et computationes temporis (cf. *Fraidl,* Die Exegese der siebzig Wochen Daniels in der alten und mittleren Zeit; *Knabenbauer,* Comm. in Dan. p. 62. 251 etc.; *I. Hontheim,* Das Todesjahr Christi und die Danielsche Wochenprophetie, in periodico Katholik 1906 p. 12 ss. 96 ss. 176 ss. 254 ss.).

Restat, ut conspectus praebeatur vaticiniorum messianorum, quae ab ipsis sacris auctoribus proferuntur. Iis autem praeivit ipse Iesus asserens Moysen de se scripsisse (Ioan. 5,46) : quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri (Matth. 26,54); scriptum est : percutiam pastorem et dispergentur oves gregis (l. c. 31) et signum Ionae prophetae datum iri, et iterum : nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem (Matth. 16,4; 21,16) et : nunquam legistis in Scripturis : lapidem quem reprobaverunt aedificantes etc. et : quomodo Da-

vid in spiritu vocat Christum Dominum (Matth. 21,42; 22,43) et : videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli (Matth. 26,64; Dan. 7,13) et : Eli, Eli lamma sabacthani (Matth. 27,46; Marc. 15,34) et : Spiritus Domini super me etc. (Luc. 4, 18; Is. 61,1 ss.) et : consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis, tradetur enim gentibus (Luc. 18,31) et : dico vobis quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : et cum iniquis deputatus est (Luc. 22,37; Is. 53,12) et : ut adimpleatur Scriptura : qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum (Ioan. 13,18; Ps. 40,10); ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : quia odio habuerunt me gratis (Ioan. 15,25), et ut consummaretur Scriptura, dixit : sitio (Ioan. 19,28). Iesus praeterea euntibus in Emmaus « incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant (Luc. 24,27) et apostolis aperuit sensum ut intellegerent Scripturas, quoniam sic scriptum est » (Luc. 24,46).

Ex hisce merito colligitur apostolos ab ipso Christo didicisse vaticinia messiana. Et Matthaeus quidem haec affert Is. 7,14 de conceptu et partu virgineo, Mich. 5,1 de Bethlehem nativitatis loco, Os. 11,1 de Iesu ex Aegypto reduce, Ier. 31,15 de infanticidio bethlehemitico (Matth. 1,23; 2,6. 15. 18), et Is. 11,1 (hebr.) de Iesu Nazaraeo; ex Is. 40,3 demonstratur praecursor Christi (3,3) et ex Is. 9,1 commoratio Iesu in Capharnaum regione; ex Is. 42,1 Iesu mansuetudo et Is. 53,4 expiatio peccatorum a Iesu facta, ex qua aufert quoque a nobis poenas peccatorum (8,17; 12,18). Parabolas Iesus proponens id in se exprimit quod psalmista dixerat (77,2; Matth. 13,35), et sollemni modo ingressus in urbem implet illud Zach. 9,9 (21,5; Ioan. 12,15); ut adimplerentur Scripturae prophetarum, Iesus se capiendum tradidit (26,56); Iudae quoque scelere vaticinium impletum est (27,9), sicut divisione vestium Iesu cruci affixi (27,35).

Baptistam praecursorem Marcus quoque (1,3) et Lucas (3,4) ex vaticinio

Isaiae describunt. In Iesu, quocum duo latrones cruci affixi sunt, impleta est Scriptura quae dicit : et cum iniquis reputatus est (Marc. 15,28). In Iesu impletus est typus agni paschalis : os non comminuetis ex eo (Ioan. 19,36) et illud Zach. 12,10 : videbunt in quem transfixerunt (Ioan. 19,37; Apoc. 1,7). In prima ad populum concione S. Petrus resurrectionem Christi probat ex Ps. 15,10 et exaltationem eius in dextera Patris ex Ps. 109,1 (Act. 2,31 ss.); mox postea asserit annuntiatos esse dies istos i. e. rem christianam ab omnibus prophetis et benedictionem messianam iam dictam esse a Deo ad Abraham (Act. 3,24-26). Fideles quoque cernunt in Ps. 2,1 vaticinium in decernenda Christi morte esse iam semel impletum (Act. 4,25). Philippus incipiebat a Scriptura quam eunuchus legebat i. e. Is. 53,7 et evangelizabat illi Iesum (Act. 8,32-35). Iterum Petrus omnes prophetas testimonium Christo perhibere ait, credentes in eum accipere remissionem peccatorum (Act. 10,43). Ex semine David secundum promissionem salvatorem Iesum esse eductum, Messiam declaratum et a mortuis suscitatum, S. Paulus ex Ps. 2,7; 15,10 et Is. 55,3 demonstrat (Act. 13,23-36), et ex eo quod Messias positus sit in lucem gentium et in salutem usque ad extremum terrae (Is. 49,6) videt praeceptum esse a Deo, ut gentibus evangelium praedicaretur (Act. 13,47). In concilio apostolorum S. Iacobus probat ex Amos 9,11 in regno messiano sumere Deum ex gentibus populum nomini suo (Act. 15,15), atque Paulus testatur coram Agrippa rege se nihil extra dicere quam ea quae prophetae locuti sint futura esse et Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo et gentibus (Act. 26,22 s.). Etiam Romanis scribens probat ex Osee et Isaia vocationem gentium et infidelitatem Iudaeorem (Rom. 9,25-33; 10,18) et ex Psalmo (68,10) Christum non sua commoda quaesivisse (15,3) et ex Isaia (11,10) Christum advocaturum gentes (15,12). Corinthiis autem scribens enuntiat eventus veteris foederis in figura contigisse, scripta autem ea esse ad correptionem nostram (1 Cor. 10,6.

11) et Colossensibus sententiam exponit plane generalem, vetus foedus esse umbram futurorum, corpus autem (quod umbram illam quasi proiecerit) esse Christi. Hanc rationem typicam ipse declarat in historia Sarae et Agar (Gal. 4, 24); in promissione Abrahae facta : benedicentur in te omnes gentes, agnoscit a Deo praedici fore, ut gentes ex fide iustificentur (Gal. 3,8), uti etiam in loco Is. 54,1 Ierusalem caelestem, matrem nostram, regnum messianum ex synagoga exortum videt (Gal. 4,27). Nobis dari gratiam secundum mensuram donationis Christi ostendit Ephesiis ex Psalmo 67,19.

Praeclara aeque ac multa testimonia messiana ex sacris libris afferuntur in epistula ad Hebraeos. Ex iis ostenditur dignitas Christi prae angelis eiusque natura divina (Ps. 2,7; 44,7; 96,7; 101, 26; 109,1) itemque ex typica ratione (2 Reg. 7,14); ita in capite primo. In altero arguitur ex Ps. 8 exaltatio et gloria Messiae, ex typica autem ratione quae in Davide et Isaia propheta habetur (Ps. 17,3; Is. 8,8) et ex verbis Psalmi de Messia patiente (21,23) ostenditur nos a Messia vocari fratres eumque in vera natura humana debere apparuisse. Christi sacerdotium singulare et aeternum, excellentius aaronitico, afferens salutem aeternam probat ex verbis Psalmi : tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Ps. 109, 4) et ex typica ratione eorum quae de Melchisedech in Genesi (14) describuntur (Hebr. 5,6; 7,1-25). Novo autem sacerdote constituto novum quoque foedus instituitur, id quod iam Ieremias vaticinatus est (31,31; Hebr. 8,8). Et quantopere in cultu sacro Veteris Testamenti typica ratio praevaluerit, indicat apostolus 9,5. 8. 9. 18; ipsum redemptorem ingredientem mundum exhibet verbis psalmi (39,7) declarantem, quid pro nobis praestare velit (Hebr. 10,5); remissionem peccatorum concessum iri, pariter erat a Spiritu praedictum (Hebr. 10,16; Ier. 31,33).

De salute messiana exquisivisse et scrutatos esse prophetas, praedixisse futuram in nobis gratiam, praenuntiasse Christi passiones et gloriam, etiam S. Petrus sollemniter profitetur (1 Petr. 1,10. 11); Christum fore in resurrectionem et ruinam, ostendit ex Is. 28,16 et Ps. 117, 22; gentes huius salutis fore participes ex Os. 2,24, Christum peccata nostra sua passione expiasse ex Is. 53,5 (cf. 1 Petr. 2,6-8. 10. 22).

Hisce nobis quoque normae praefiguntur in explicatione prophetarum; hisce authenticam habemus multorum oraculorum declarationem, profectam ab ipso ore Messiae, profectam ab iis quibus ipse vaticinia exposuit. Hisce simul elucet quam vere confitendum sit, Spiritum S. locutum esse per prophetas.

Cf. *Bade*, Christologie des Alten Test.; *Meignan*, Prophéties messianiques; David roi, psalmiste, prophète; *L. Reinke*, Die messianischen Psalmen; Die mess. Weissagungen; Exegesis in Isaiam; Die Weissagung Iacobs; Beiträge zur Erklärung des Alten Testamentes; *Knabenbauer*, Commentarii in Is. Ier. Ez. Dan., in prophetas minores. Brevem eorum conspectum praebet *Ch. Pesch*, Praelect. dogm. I. *ed.* 3 p. 128 ss. (n. 209 ss.).

MESSULAM v. MOSOLLAM 1.

METABEEL (מְהֵיטַבְאֵל, Μεταβεήλ), pater Dalaiae tempore Nehemiae (Neh. 6,10). Idem nomen hebr. gerit Meetabel.

METALLA. 1. *Geologica.* Licet Deut. 8,9 Israelitis promittatur terra, *cuius lapides ferrum sunt et de montibus eius aeris metalla fodiuntur*, in Palaestina consuetis limitibus circumscripta fodinae hucusque inventae non erant atque ipsa etiam metalla videbantur deesse. Compositio enim soli ex calcareis periodorum cretaceae et tertiariae ea est, quae non promittat venas metalliferas. Recentiores vero, qui lapides illos explicant de basalte, colore ac duritie ferro simili, non videntur textum exponere, sed difficultatem fugere. Quamvis basaltes, qui in *Haurān* et *Djōlān* ac cis Iordanem in Esdrelon, circa *Ṣafed* atque inter Ierusalem et Iericho invenitur, ad 20 0/0 ferri contineat, hoc non ex eo extrahitur. Neque thermae Tiberienses ferrum continentes quidquam iuvant, cum l. c., uti cupri ita etiam ipsius ferri promittatur abundantia. Alius S. Scripturae locus, qui metalla indicet esse indigena Israelitidi, non videtur adesse,

quia Ez. 27,19 non erit legenda cum Vulgata tribus Dan, sed populus quicumque extraneus (cf. *I. Knabenbauer*, Comm. in Ez. i. h. l. et s. v. DAN 4.). Iob 28,1-11 ad oculum quidem depingit artem fodiendi et fundendi metalla, at auctorem haec coram aspexisse in Palaestina non dicitur (cf. *I. Knabenbauer*, Comm. in l. Iob i. h. l.). Recentissime *E. de Mülinen* (Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XXX. 1907, 129; XXXI. 1908, 35. 200 in Carmelo prope *Abu suweid* et prope *Ikzim* invenit ferrum rude. Quin ultimo in loco (*Arḍ el-rumēli*) antiquitus e superficie ferrum extrahebatur. Locus ipse simillimus est iis, quibus periodo *Hallstatt* in *Jura Helvetico* et *Suevico* ferrum parabatur. (Ex privata communicatione comitis *de Mülinen*). In *Tell el-Mutesselim* in strato sexto (*Schumacher*) inventa est officina fabri ferrarii (Tell el-Mutesselim I. 130-32). Cf. Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XXVIII. 1905, 219-21; XXX. 1907, 110 s.

Ferri metalla locupletissima in monte Libano adhuc exstant, ac prope *Ṭannūrīn* dicuntur iam a Romanis esse explorata (*Brocchi* ap. *Ritter* XVII. A 468 s. — cf. *Seetzen*, Reisen I. 188 s.) ac postea ab Arabibus (*Ritter* l. c.), qui etiam prope *Beirūt* ferri fodinas habebant (*Idrīsī*, versio *Gildemeister* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885, 134 s.) Circa *Ḥāṣbeiyā* quoque ad radices montis Hermon solum continet ferri copiam (*Burckhardt-Gesenius*, Reisen in Syrien I. 83). Immo ex Damasco Rammān-nirāri III. (812-783) pro tributo inter alia accepit 5:000 talenta ferri; unde videtur sequi iam tunc in Libano metalla fuisse explorata. (Keilinschr. Biblioth. I. 191. — *Winckler*, Altor. Forsch. I. 166 ex errore pro Rammān-nirāri substituit Salmanassar II.). In annalibus Sargon 202 si *H. Winckler* montem *Ammunu* recte interpretatur Antilibanum (Alttest. Unters. p. 131 n. 1), iis in locis tunc videntur fuisse fodinae cupri aliorumque metallorum (cf. terram *nuḥashshe* in tabulis ex *Tell el-ʿAmarna*). Iosephus (Bell. iud. IV. 8,2) commemorat in Transiordanica τὸ Σιδηροῦν καλούμενον ὄρος, quod usque ad Moabitiden extendatur. Ac revera ad *Djebel Mir ʿāḍ* prope *Burme*, ad septemtrionem *Nahr el-Zerqā*, veteres fodinae ferri inventae sunt (*Wetzstein* ap. *Delitzsch*, Iob p. 328; *G. Schumacher* in Mitt. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver. 1899 p. 21). Iuxta Ier. 15,12 ferrum optimum a septemtrione petitur, quo in loco interpretes cogitant de Chalybibus apud veteres ob ferrum famosis, qui et nomen (chalybs = acies) ferro dederunt (cf. *I. Knabenbauer*, Comm. i. Ier. i. h. l.).

Cuprum, hoc enim נְחֹשֶׁת Deut. 8,9 significat, quoniam aes arte tantum conflatur, et ipsum a Palaestina proprie dicta exsulat. Sed *Thomson* (ap. *Ritter*, Erdk. XVII B. 1063; cf. *Volney* Voy. ed. 1792 I. 177) apud Emath ad Orontem invenit margas aerosas, e quibus olim cuprum fundebatur. Iuxta *G. E. Post* (Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1890 p. 110) dicitur inveniri prope *Djebāʿa*. Ex Bete et Beroth (q. v. — *el-Ṭaiyibe* et *Brētān*, a meridie *Baʿalbek?*) 2 Reg. 8,8 narratur David abstulisse aes multum nimis. Aeris metalla quoque erant in Phunon terrae Edom, ea forte in regione, ubi Moyses erexit serpentem aeneum (Num. 21,9 s.; cf. Num. 33,42 s. — Cf. *Euseb.*, Onom. *ed. Klostermann* s. vv. Φινών, Δαιδάν, Κατὰ τὰ Χρυσέα). Huc sub Diocletiano christiani ad metalla damnabantur (cf. *Lagrange*, Phounon in Rev. bibl. VII. (1898) 112-15; *A. Musil*, Arabia petraea II. 1, 293-98). At Phunon est in Edom, cuius possessio Israelitis non erat promissa (Deut. 2,5). Aristeae demum epistula metalla aeris et ferri commemorat in montibus Arabiae adiacentibus, quae Persarum tempore derelicta dicuntur (*ed. P. Wendland* n. 119).

Minus perspicua sunt quae de aurifodinis vel prope Phunon (cf. Euseb. Onom. s. v. Κατὰ τὰ Χρυσέα) vel in *Tulūl el-Dahab* prope *Dj.* Mēsara ad *Nahr el-Zerqā* (cf. *Burckhardt-Gesenius* II. 599) dicuntur. Cf. etiam Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1869-70 p. 89 et 1871 p. 103.

Hinc Deut. 8,9 videtur esse intellegendum non de Palaestina stricte dicta, sed de eius finibus idealibus, ita ut saltem montem Libanon comprehendat (cf. *K. Furrer*, in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. (1885), 27-30; *I. P. van Kasteren* in Rev. bibl. IV. (1895), 23-36; *F. Buhl*, Geogr.

d. alten Palästina p. 65-70; *H. Winckler*, Altorient. Forschungen III. 247-62).

Cf. *A. Dillmann*, D. Bücher Numeri etc. p. 277; *I. G. Wetzstein* ap. *Fr. Delitzsch*, D. Buch Iob p. 315-28; *I. Schwarz*, D. hl. Land p. 322; *C. Ritter*, Erdkunde XIV.-XVII. passim; *C. Diener*, Libanon p. 36. 67; *F. Buhl*, D. sozialen Verhältn. d. Israeliten p. 5 s. 72; *M. Blanckenhorn*, D. Mineralschätze Palästina's in Mitt. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver. 1902, 65-70. Vide etiam s. v. FERRUM.

2. *Ethnologica.* Vestigium aetatis praemetallicae videtur servari apud Israelitas in eo quod circumcisio fiebat cultris lapideis (Ex. 4,25; Ios. 5,2), et quod altare construebatur e terra vel e lapidibus non sectis, quos ferrum vel culter non tetigisset (Ex. 20,24-26; Deut. 27,5; Ios. 8,30 s.). In rebus enim religiosis quae venerandae sunt antiquitatis quam maxime servari solent. Nihilominus iam Tubalcain, filius Lamech e descendentibus Cain, legitur fuisse malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri (Gen. 4,22). At in textu hebraico videtur excidisse vel supplendum esse אֲבִי, quale versibus antecedentibus ponitur, ita ut Tubalcain fuerit malleator, pater omnium operantium in aere et ferro. His similia apud Phoenices narrabantur (*Euseb.* Praep. evang. II. 10 — *Migne* XXI. 77; de narrationibus babylonicis cf. *F. Hommel* in Expos. Times XIV — 1902-3 p. 103[b]).

Ad utensilia conficienda ante alia metalla cuprum adhibitum est, quod facile funditur ac malleatur atque in statu nativo invenitur. Aurum quoque inde ab antiquissimis temporibus in ornatus cedebat et post longius tempus argentum, cum haec metalla pretiosa et invenientur in statu nativo et facile in varias formas redigantur. Stanno vel stibio vel utroque admixto e cupro obtinetur aes, quod fusione tantum, non vero malleo formam desideratam assumit, sed est cupro longe durius. Posterioribus demum temporibus ferrum, quod nativum vix invenitur ac maiore tantum calore e mineralibus extrahitur, in usum hominum cessit. Sed haec apud alios populos, pro varietate condicionis soli et communicationis cum reliquis populis, aliter se habuerunt.

Populis aricis, uti et facta linguistica et reliquiae inventae testantur, ante divisionem metalla praeter cuprum videntur mansisse ignota. Apud Aegyptios vero in antiquissimis iam sepulcris invenitur, licet raro, atque, uti censet *E. W. Budge*, ex Asia allatum est cuprum. Ima quoque strata Babyloniae in *Tellō* et *Nippur* res cupreas continent, idque antequam aeneae appareant. Iam in ipso solo palaestinensi, uti *R. A. St. Macalister* refert, ubi ea quae in Gezer explorata sunt brevi conspectu exhibet, post aetatem neolithicam populi praesemitici, ante annum 2000 (2700-2400) prima Semitarum immigratio videtur attulisse obiecta aenea et interdum cuprea; ferrum vero deest ante Hebraeorum tempora (Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1904, 107-27). Philisthaei videntur *Macalister* ferrum invenisse; alii de Israelitis idem putant; sed teste *Flinders Petrie* civitates ab ipsis ante exodum in Aegypto aedificatae omnino apparent in aetate aenea. Generatim sat obscurum videtur, quando ferrum primum apud antiquos populos innotuerit. Universim non ante saecula octavum vel septimum aeri in usu communi substitutum est. In Aegypto quidem monumenta litteraria et pictoria e tempore pyramidarum (?) aliquibus videntur armamenta ferrea exhibere, quorum tamen vestigia longo illo tempore omnino interierint (*de Morgan*). Prima mentio videtur occurrere sub Thutmose III. e dynastia XVIII. (*I. H. Breasted*, Anc. records of Egypt II. 537, p. 217). Similiter dubia sunt quae traduntur de Babylonia et Assyria. Cum ferrum tribuitur temporibus Gudea (c[a] 2500), totum fundamentum est in identificatione etymologica (girzānum = farzānum = parzillu = בַּרְזֶל *Hommel*)); prima mentio in inscriptione Tiglath-Pileser I. (c[a] 1100) est dubia (Keilinschr. Bibl. I. 39; cf. *Winckler*, Altor. Forsch. I. 163 s.). Certo inter praedam enumeratur inde ab *Ashur-naṣir-abal* (885-860 — Keilinschr. Bibl. I. 77,93,107,119). Ex eodem fere tempore (*Ashur-naṣir-abal* et

Sargon) res ferreae maiore numero inventae sunt. In Palaestina exploratores initia aetatis ferreae circiter anno 1000 assignant (*Blanckenborn* 1250-1050). In communiorem vero usum abiit paulatim tantum, ita ut versus tempus exsilii demum aeris locum occupaverit. — Minoris momenti sunt reliqua metalla tum pretiosa : aurum, argentum, electrum, tum communia : stannum, plumbum, stibium, et aurichalcum, de quibus v. s. resp. vv.

Cf. *O. Schrader,* Sprachvergleichung u. Urgeschichte *ed.* 3. II. 1-120; *Wilkinson-Birch,* Manners and customs of the Anc. Egypt. II. 229-61; *C. R. Lepsius.* Les métaux dans les insc. égypt.; *Brugsch,* Aegyptologie p. 399-402; *id.* Hieroglyph. Wörterb. V. 413-19; *A. Erman,* Aegypten p. 608-22; *G. Steindorff* ap. *Hilprecht,* Explor. in Bible Lands p. 676-82; *W. M. Flinders Petrie,* Researches in Sinai, passim; *I. H. Gladstone* in Proceed. of the Soc. of Bibl. Arch. XIV. (1891-92), 223-28; *W. Max Müller,* Asien u. Europa passim; *id.* Mitt. d. Vorderasiat. Ges. III. (1898). 27-31; *F. Hommel,* D. semit. Sprachen u. Völker p. 409-12; *A. H. Sayce* in Transact. of the Soc. of Bibl. Arch. I. 294-309; *F. Lenormant* ib. II. 334-417; *H. Winckler,* Altor. Forsch. I. 159-69; *H. V. Hilprecht.* Expl. i. Bible Lands p. 216-60, 289-568; O. *Helm* u. *Hilprecht* i. Verh. d. Anthrop. Ges. XXXIII. (1901). 157-64; *M. Blanckenhorn* in Zeitschr. f. Ethnol. XXXVII. (1905). 447-71; *H. Vincent,* Canaan p. 373-426; *I. H. Gladstone* in Proceed. of the Soc. Bibl. Arch. XVI. (1893-94), 95-99; *I. Benzinger* in Realenc. f. prot. Theol. *ed.* 3. XII. 739-47.

3. *Textus S. Scripturae.* In historia patriarcharum, praeter mentionem Tubalcain (v. supra), non commemorantur nisi argentum et aurum, quae una cum pecoribus divitias Abrahae constituunt (Gen. 13,2). Aurum ad ornatus tantum adhibetur (Gen. 24,22. 35. 53; 41,42), dum argentum, quod in statera appenditur, commercio inservit inde a temporibus Abrahae (cf. Gen. 20,16; 23,9. 13. 15 s. etc.) ita ut כֶּסֶף sit communis designatio pecuniae. Notatu dignum est plerumque argentum in enumeratione, si duo tantum commemorantur, praecedere aurum usque ad Novi Testamenti tempora (Gen. 13,2; cf. e. gr. 1 Petr. 1,18). Huic rei congruit usus antiquissimus tum in Aegypto tum in Babylonia et Assyria, ubi antiquitus argentum in maiore erat aestimatione quam aurum. Usus tamen diutius obtinuit quam aestimatio illa. Iam enim in constructione tabernaculi, sicut in templo Salomonis, res nobilissimae ex auro, mediae ex argento, reliqua ex cupro vel aere confectae sunt. Ferro ibi non erat locus.

Demum 1 Par. 22 et 29 legitur David ferrum quoque cum reliquis metallis in structuram templi congregasse, et 2 Par. 2,7. 14 Salomon requirit Hiram expertum in operibus ferri. In solo Deuteronomio ferri mentio fit octo locis, in reliquis libris pentateuchi quater (Vulgata quinquies; cf. Lev. 1,17). Praeter Gen. 4,22, qui locus tribuitur ab iis qui fontes discernunt J, reliqui (Lev. 26,19; Num. 31,22; 35,16) P vel R adscribuntur. Aliquibus Deuteronomii locis vero usus instrumentorum ferreorum supponitur esse omnino communis (cf. 19,5.) Quod vero Cananaei Ios. 17,16. 18 (JE) leguntur habuisse currus ferreos, cum eo quadrat, quod etiam Aegyptiis regio circa Iezrael erat famosa ob currus bellicos (cf. W. *Max Müller,* Asien u. Europa p. 153 s.). Currus in ipso etiam carmine Deborae (Iud. 5,28 et Vulgata 5,11) nominantur, ferrum autem tacetur. Ferrei vero dicuntur currus illi Iud. 1,19 (J) et 4,3 (Ri), 4,13 (H). Quantum ex monumentis iudicare licet, in Assyria illo tempore ferrum erat practice saltem ignotum, licet quis tempus circa 1250 exodo assignet. In Aegypto vero iam anno 42. Thutmosis III. (1501-1447) ut tributum ex Tinay, regione, ut putat W. *Max Müller* (Mitt. d. Vorderas. Ges. III. (1898). 136), extrasyriaca Asiae Minoris, exhibentur praeter alia vasa ferrea. In *Tell el-Yehūdiye* ex tempore Ramses III. (1198-67) inventa est figura captivi Asiatici (Cheta) qui instructus est pugione ferreo, coloris caerulei. (Proceed. of the Soc. of. Bibl. Arch. VII. 1880-81 p. 179 et Pl. I); et in tumulo in *Tell el-Retabeh* eiusdem fere temporis *Flinders Petrie* invenit armillam ferream (Hyksos and Israelite Cities p. 32[b], 33[a].) Syria vero et Palaestina tempore Thutmosis III. apparent

omnino fuisse in aetate aenea. Vix igitur ex monumentis decidi poterit, quando Israelitis ferrum innotuerit.

Reliqua metalla, maxime in libris antiquioribus S. Scripturae nonnisi raro occurrunt. Plumbi mentio fit Ex. 15,10 (JE), in cantico Moysis, Num. 31,22 (R), dein in prophetis tantum iunioribus ac libris sapientialibus. Sed et stannum Israelitis notum erat ab antiquo, quod una cum plumbo Num. 31,22 (R) atque etiam apud Amos 7,7 s. (אֲנָךְ, perpendiculum, Vulg. *trulla*, LXX ἀδάμας), Is. 1, 25 etc. Et plumbum et stannum rebus vilibus adnumerantur, a quibus metalla pretiosa purgantur. — Sicut stannum, ita et stibium a veteribus cum cupro adhibebatur ad parandum aes; imprimis vero stibium inserviebat ad fucandos oculos (Ier. 4,30 etc.). Denique apud Ezech. aliud ocurrit metallum חַשְׁמַל, quod LXX et Vulg. vertunt electrum. Hoc nomine veniebat apud veteres aurum argento ligatum. Aurichalcum vero, quod Apoc. 1,15; 2,18 ponitur ubi in graeco est χαλκολίβανος (forte aes Corinthium), legitur 3 Reg. 7,45 pro aere polito et Eccli. 47,20 (LXX, 47,18) pro plumbo. Haec igitur metalla in S. Scriptura inveniuntur :

1) Aes (cuprum) נְחֹשֶׁת, χαλκός.

2) Argentum (pecunia) כֶּסֶף, ἀργύριον, ἄργυρος.

3) Aurum זָהָב, חָרוּץ, כֶּתֶם, סְגוֹר, פָּז, בָּצֶר (?), χρυσίον, χρυσός.

4) Aurichalcum, χαλκολίβανος.

5) Electrum חַשְׁמַל, ἤλεκτρον.

6) Ferrum בַּרְזֶל, σιδήριον, σίδηρος.

7) Plumbum עוֹפֶרֶת, μόλιβος, μόλιβδος.

8) Stannum בְּדִיל, אֲנָךְ, κασσίτερος.

9) Stibium פּוּךְ, στίβι.

Maximam fuisse metallorum pretiosorum copiam numeri pluribus in locis traditi produnt. In constructione tabernaculi in deserto 70 talenta et 24000 sicli cupri, 100 talenta et 1775 sicli argenti, 29 talenta 730 sicli auri insumebantur (Ex. 38,24-30) i. e. auri fere 1436, 1401 kg, valore fere 3855733, 50 Frcs; argenti fere 4390,82625 kg, valore fere 884200,75 Frcs (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. i. Ex. i. h. l.). Haec pro condicione populi in deserto multa quidem sunt, pauca vero si divitiae metallorum pretiosorum in aliis Asiae antiquae regionibus comparantur (cf. *Dillmann* i. h. l.). David vero iuxta 1 Par. 22,14 ad aedificandum templum paraverat 100000 talenta auri, i. e. fere 4911000,000 kg, valore fere 13185000000,00 Frcs, et 1000000 talenta argenti i. e. fere 43650000 kg, valore fere 8790000000 Frcs. Ad haec contulerunt principes (1 Par. 29,6) 5000 talenta auri seu 245550,000 kg, valore 659250000,00 Frcs et 10000 talenta argenti seu 436500,000 kg, valore fere 8790000,00 Frcs. Accedunt 10000 solidi seu 84,100 kg auri. (Cf. *F. de Hummelauer*, Comm. i. 1 Par. i. hh. ll. — Cum de valoribus approximativis tantum agatur, retinui aequationes fundamentales ll. cc. adhibitas, siclum sc. argenti = 14,55 gr, siclum auri = 16,37 gr; valorem sicli argentei = 2,93 Frcs, siclum vero auri = 15 siclos argenti. Recentissimi auctores recte pondus paulo maius statuunt. Hisce porro videntur addenda esse quae David de sua possessione ad templum contribuit (1 Par. 29, 3 s.) : 3000 talenta seu 147330,000 kg auri, valore 395550000,00 Frcs; et 7000 talenta seu 305550,000 kg argenti, valore 61530000,00 Frcs. Omnino igitur David Salomoni ad aedificandum templum legasset 5303964,100 kg auri et 44392050,000 kg argenti, valore totali 23100345791,68 Frcs. Auri valor fuisset 14240025791,68 Frcs seu fere £ 569601031 $^{2}/_{3}$. Iam anno 1855 omne aurum totius mundi calculatum est ad fere £ 820000000. Numeri illi apud Iosephum (Ant. VII. 14,2; *N.* 340) primae collectionis e spoliis bellicis decies minores sunt. Quae vero David de suis et quae principes contulerunt eodem modo indicantur ac in 1 Par. (Ant. VII. 14,10; *N.* 378 s.). Haec utique enormia sunt, maxime si quod 2 Par. 5,1 dicitur ita esset concipiendum, ut Salomon de suis templum construxerit atque donaria patris in templi aerario deposuerit. Ceterum de his vide commentarios. Aliis vero in locis numeri rerum pretiosarum, spectata condicione veteris orientis, omnino sunt

probabiles (cf. *Flinders Petrie* ap. *Hastings,* Dict. of the Bible s. v. Gold II. 225ab).

Licet metalla in Palaestina proprie dicta raro effossa sint, tamen temporibus posterioribus saltem fodinae earumque operationes Israelitis notae erant ac Iob 28,1-11 describuntur. Parum refert utrum auctor libri haec in Libano an in paeninsula sinaitica conspexerit. Quod apud LXX 3 Reg. 2,46e, non vero in textu hebraico legitur : καὶ Σαλωμὼν ἤρξατο ἀνοίγειν δυναστώματα τοῦ Λιβανών *H. Winckler* (Alttest. Unters. p. 175, cf. 179 s.) de fodinis interpretatur. Processum fundendi ac purgandi metalla pretiosa familiarem fuisse populo frequentes figurae ostendunt, quas prophetae aliique scriptores sacri inde mutuantur. Fornax nota erat et folles et incus et malleus. Neque tamen fabri semper abundabant in Israel. Licet iam Iael Siseram interfecerit mittens dexteram ad fabrorum malleos (Iud. 5,26) et Samuel praedixerit regem constituturum sibi fabros armorum et curruum suorum (1 Reg. 8,12), tamen tempore Saul Philisthaei caverant, ne faber ferrarius esset in omni terra Israel, ne forte facerent Hebraei gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum et ligonem et securim et sarculum (1 Reg. 13,19 s.). Fabros communes speciali nomine (חָרָשׁ) ab aurificibus (צֹרֵף) distinguebant. Et in deserto quidem omnia opera tabernaculi a Beseleel confecta sunt; quando autem de templo aedificando agebatur, Salomon ex Tyro impetravit Hiram qui operibus metallurgicis praeesset. Artem quoque deaurandi noverant Israelitae, immo et aurum in laminas tenues deducebant quas in fila ad opera textorum dissecabant.

Non tamen videntur unquam claruisse ob opera artis, sed potius et metalla et opera metallurgica maxime ab extraneis, imprimis a Phoenicibus, accepisse (cf. Ez. 27,12 s.; Apoc. 18,12). Aurum et argentum, utpote res pretiosissimae, maxime cultui religioso inserviebant vel vero vel etiam idololatriae, ut in vitulo aureo (Ex. 32). Quem cum Moyses combusserit et in pulverem redactum sparserit in aquam, quam filiis Israel dedit potandam, vix concipiendus est velut maximam partem ex auro fusus. Aurum enim non comburitur nec in pulverem redigitur. Si vero ex combustione admixtis aliis substantiis ortae essent aliae combinationes chimicae, hae sunt valde venenosae. Saepissime sacri scriptores invehuntur in deos argenteos et aureos, opera artificis, qui ferro sustentantur ne cadant. Sed et omne genus ornatus, maxime muliebris, ex auro et argento conficiebatur (cf. Is. 3,16 ss.). Specula quoque metallica erant, ut in tota antiquitate.

Inde a patriarcharum temporibus argentum pecuniae locum occupabat; at nummos cusos non videntur habuisse Israelitae ante exsilium. E nomine talenti כִּכָּר = annulus elucere videtur qualis fuerit eius forma communis, annularis scilicet, quae apud Aegyptios quoque frequenter occurrit. In tributo exhibendo metalla saepe quoque formam laterum habent. Achan in Iericho capta *linguam auream* pondere 50 siclorum abstulerat (Ios. 7,21. 24), quales et in Gezer ex illo circiter tempore inventae sunt (*Macalister,* Bible side-lights from the mound of Gezer p. 122). Nummi Persarum (δαρεικός, 1 Par. 29,7 אַדַרְכֹנִים, χρυσοῦς, *solidos*) primi sunt qui commemorantur. Ex temporibus vero Machabaeorum, Herodianorum etc., nummi iudaici argentei et aenei nobis servati sunt. Ex 1 Reg. 9,8 apparet iam tum, licet nummi non fuerint excusi, solitos fuisse homines habere argenti particulas ponderis talis quale frequentius exigebatur, cum puer Saulis secum ferret quartam partem stateris argenti.

In lingua quoque figurata S. Scripturae metalla locum non ultimum occupant. Pretiosa et praeclara per aurum et argentum designari solent, vilia per ferrum, plumbum, stannum et scorias. Praeterea ferrum et aes duritiem et fortitudinem exprimunt, plumbum gravitatem. Allusionum vero mythologicarum omne videtur deesse vestigium. Speciali tamen attentione digna est statua illa

visionis Nabuchodonosor, quae describitur Dan. 2,31 ss. Inde enim ab Hesiodo (Ἔργα καὶ ἡ. 109-200) poetis classicis sollemnis erat distinctio aetatum mundi per metalla. Quattuor aetates, aurea, argentea, aenea, ferrea, maxime nobis familiares sunt ex Ovidio (Metam. I. 89 ss.); est autem antiquissima, Indis quoque et Persis nota, ipsa divisio temporis per quattuor aetates (cf. *O. Gruppe*, Griech. Mythol. u. Religionsgesch. I. 447 ss.). An et qualis nexus habeatur haec inter et visionem Danielis, non est huius loci inquirere.

Cf. articulos de singulis metallis et in aliis lexicis biblicis etiam s. vv. Bergbau, Mines; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterthumsk. IV. A. 48-68; *Napier*, Metallurgy of the Bible; *P. Cultrera*, Mineralogia Biblica; *P. Schegg*, Bibl. Archäol. p. 303. 421. 625-27; *I. Benzinger*, Hebr. Archäol. 2, *ed.* p. 25. 148 s. 196-204. 216-20; *W. Nowack*, Lehrb. d. hebr. Archäol. I. 209 ss., 243-45, 259 s.; *W. Belik* in Zeitschr. f. Ethnol. 1907, 334-81; 1908, 45-69.

H. I. CLADDER.

METCHA (מִתְקָה, B Ματεκκά, A Μαθεκκά), statio Israelitarum in deserto inter Thare et Hesmona (Num. 33,28. 29).

METRETA (μετρητής) Ioan. 2,6 est mensura liquidorum graeca. Legitur etiam Dan. 14,2 μετρητής, Vulgata amphora. Sed metreta 2 Par. 2,10 (μέτρον) et 4,5 (μετρητής) ponitur pro mensura hebraica בַּת. V. MENSURAE.

METRI (הַמִּטְרִי cum artic., Ματταρεί), familia beniaminitica, ad quam Saul pertinebat (1 Reg. 10,21).

MEZA (מֵזָה, Μοζέ, Ὁμοζέ), filius Rahuel filii Esau (Gen. 36,13. 17; 1 Par. 1,37).

MEZAAB (מֵי זָהָב i. e. aquae auri; Gen. 36,39 A Μεζοόβ), pater Matred, avus Meetabel, quae erat uxor Adad (Adar) regis Edom (Gen. 36,39; 1 Par. 1,50).

MEZUZA (מְזוּזָה i. e. postis) vocari solebat apud Iudaeos rigoristas post exsilium capsula oblonga postibus dexteris domorum et cubiculorum affixa, in qua pergamento inscripti textus Deut. 6,4-9 et 11,13-21 includebantur. Ceterum nulla ratione suadetur illa praecepta Deut. 6,9; 11, 20 esse ad litteram accipienda; sunt potius rhetorica amplificatio.

Cf. Pseudo-Aristeas apud *Kautzsch*, Apokryphen u. Pseudepigraphen II. p. 18; *Flav. Ios.* Ant. IV. 8,13; *Mishna*, Berachoth 3,3; Shabbath 8,3; Megilla 1,8; Moed katan 3,4; Gittin 4,6; Menachoth 3,7; Kelim 16,7; 17, 16; *Buxtorf*, Synagoga Iudaica p. 581 ss.; Lex. chald. talm. rabb. col. 654; *Levy*, Chald. Wörterbuch II. 19 s.; *Haneberg*, Relig. Altertümer p. 595 ss.; *F. X. Kortleitner*, Archaeologiae biblicae Summarium 1906 p. 208. Rabbinorum traditiones collectae sunt in tractatu Mesusa apud *R. Kirchheim*, Septem libri talmudici parvi hierosolymitani, Francofurti 1851.

MIAMIN (מִיָּמִין, מִנְיָמִין). **1.** Unus de filiis Pharos, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,25; B Ἀμαμείν, A Μεαμίμ).

2. Princeps familiae sacerdotalis, cui sors sexta in ministerio Domini a David designata est (1 Par. 24,9; Vulgata Maiman; B Βενιαμείν, A Μειαμείν). Eiusdem familia duce Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,5; א Μειμίν); Miamin (מִנְיָמִין) in diebus Ioacim pontificis inter familias sacerdotales recensetur omisso nomine principis (Neh. 12,17; LXX omitt.); idem nomen legitur inter signatores foederis (Neh. 10,7; Μιαμείμ).

3. Sacerdos, qui dedicationi muri Ierusalem intererat (Neh. 12,40[41]; מִנְיָמִין; LXX omitt.).

4. Unus ex levitis, qui ab Ezechia rege constituti sunt, ut levitico generi oblata distribuerent (2 Par. 31,15; מִנְיָמִן, sed Vulgata Beniamin, LXX Βενιαμείν).

MIBAHAR (מִבְחָר, B Μεβαάλ, A Μαβάρ) legitur 1 Par. 11,38 vir fortissimus in exercitu Davidis; sed qua ratione textus emendandus sit, v. s. v. BONNI 1.

MICHA (מִיכָה et inseruntur duo nominis מִיכָא; LXX Μειχά, Μιχά ut plurimum).

1. Filius Meribbaal (Miphiboseth) filii Ionathae filii Saul (1 Par. 8,34. 35; 9,40. 41); idem scribitur 2 Sam. 9,12 מִיכָא.

2. Pater Achobor (Abdon) principis in aula Iosiae regis (2 Par. 34,20); scribitur 4 Reg. 22,12 מִיכָיָה, LXX Μειχαίας.

3. Rubenita ex maioribus Beera (1 Par. 5,5).

4. Filius Zechri filii Asaph (1 Par. 9, 15); Neh. 11,17 scribitur filius Zebedei.

5. Filius primogenitus Oziel de stirpe Caath (1 Par. 23,20; 24,24. 25).

6. Levita, signator foederis (Neh. 10, 11; מִיכָא).

7. Unus ex progenitoribus Azzi, praefecti levitarum tempore Nehemiae, ex familia Asaph (Neh. 11,22; מִיכָא).

8. Pater Oziae unius ex principibus seu presbyteris Bethuliae tempore Iudith (Iudith 6,11[15]).

MICHAEAS (מִיכָיְהוּ, מִיכָיְהוּ, מִיכָיָה; Μειχαίας, Μιχαίας, Μιχέας). **1.** Filius Iemla, propheta, qui contra quadringentos pseudoprophetas regibus Achab et Iosaphat cladem apud Ramoth Galaad praenuntiavit et ob hoc vaticinium ab Achab in carcerem missus est (3 Reg. 22,8-28; 2 Par. 18,7-27; scribitur 2 Par. 18,14 מִיכָה). Ex ipsa narratione apparet Michaeam iam prius compluries regi Achab mala prophetasse. Apud Flav. Iosephum (Ant. VIII. 14,5) ille quoque propheta Michaeas appellatur, qui regem Achab vituperavit, quod post victoriam apud Aphec regem Benadad impunitum e manu emisisset.

2. Unus ex principibus, quos Iosaphat rex misit, ut populum Iuda erudirent (2 Par. 17,7).

3. Filius Gamariae cancellarii regii in aula Ioakim (Ier. 36,11. 13); is sermones Ieremiae, quos Baruch ex conclavi Gamariae coram populo legerat, detulit ad principes in conclavi cancellarii regii congregatos, forte ut ea delatione omnem suspicionem a se ac patre suo removeret.

4. Michaeas Morasthites (Mich. 1,1) seu de Morasthi (Ier. 26,18) in finibus urbis philisthaicae Geth oriundus, sextus inter prophetas minores. Munere prophetico in regno Iuda ac praesertim Hierosolymis functus est, quamquam eius vaticinia saepe ad regnum Israe respiciunt et « super Samariam et Ierusalem » inscribuntur. Ex Ier. 26,17-19 disertum habetur testimonium eum in regno Iuda et Hierosolymis vaticinatum esse atque simul confirmatur indicatio temporis, quam libelli inscriptio (1,1) exhibet : in diebus Ioatham, Achaz et Ezechiae regum Iuda. Opinantur quidem critici moderni nomina Ioatham et Achaz pugnare cum Ier. 26,18 : in diebus Ezechiae regis Iuda ac proinde velut a iuniore scriptore addita expungi debere vel etiam totam inscriptionem postea confictam esse. Verumtamen ex eo, quod in diebus Ezechiae vixit et tempore Ezechiae vaticinium de urbis interitu promulgavit, nulla ratione deducitur eum in diebus Ioatham et Achaz, praedecessorum Ezechiae, nondum esse vaticinatum. Michaeam aetate Ioatham iam esse vaticinatum colligitur ex vaticinio Isaiae de monte Domini (Is. 2,1-4), quod Isaiam a Michaea mutuatum esse recte statuunt interpretes; iamvero concio illa, cui Isaias vaticinium illud tamquam fundamentum praemittit, ad aetatem Ioatham referenda omnino videtur. Praeterea increpationes Michaeae in idololatriam (5,11 ss.) et cultum Baal (6,16) non tempori Ezechiae, sed potius Achaz regis conveniunt. — Haec sunt, quae de vita Michaeae certo asseri possunt.

MICHAEL (מִיכָאֵל i. e. quis instar Dei? Μιχαήλ). **1.** Aserita, pater Sthur exploratoris (Num. 13,14[13]).

2. Gadita, filius Abihail, unus ex illis, qui in Basan sedem fixerant (1 Par. 5, 13).

3. Gadita, ex maioribus Abihail (1 Par. 5,14).

4. Levita de stirpe Gersom, ex maioribus Asaph (1 Par. 6,40).

5. Unus ex filiis Izrahia de tribu Issachar, princeps tempore Davidis (1 Par. 7,3).

6. Beniaminita, unus ex filiis Baria (1 Par. 8,16).

7. Princeps millium in Manasse, qui cum aliis Davidi se adiunxit, cum ab Aphec in Siceleg rediret (1 Par. 12,20).

8. Pater Amri principis Issachar tempore Davidis (1 Par. 27,18).

9. Unus ex filiis Iosaphat, quos Ioram frater primogenitus interfecit (2 Par. 21,2).

10. Pater Zebediae cum Esdra Babylone ascendentis (Esdr. 8,8).

11. Michael archangelus et protector populi Israel (Dan. 10,13. 21; 12,1; Iudas 9; Apoc. 12,7); vide s. v. ANGELUS.

MICHAIA 1. Michaia (מִיכָיָה, Μειχαιά), unus ex familia Asaph et maioribus Zachariae praefecti musicorum leviticorum (Neh. 12,34[35]).

2. Michaia (מִיכָיָהוּ, Μααχά), mater Abia regis Iuda; v. ABIA 3 et MAACHA 9.

MICHAS (מִיכָה et Iud. 17,1. 4 מִיכָיְהוּ; Μιχαίας), vir de monte Ephraim, qui aetate Iudicum pecunia a matre accepta idolum cum sacra supellectili sibi comparavit; primum quidem in aedicula domi suae exstructa unum ex filiis suis sacerdotem instituit, deinde Ionathan levitam de Bethlehem hospitio excepit, ut sacerdotis officio fungeretur; cum autem Danitae in Lais-Dan profecturi idolum vi asportarent et levitae, ut eis se iungeret, persuaderent, Michas frustra resistere conatus est, sed minis Danitarum perterritus conquievit (Iud. 17,1 ss.; 18,1 ss.).

MICHEA (מִיכָיָה, LXX codd. plerique omittunt), sacerdos tempore Nehemiae (Neh. 12,41).

MICHOL (מִיכַל, Μελχόλ et 2 Reg. 21,8 Μιχόλ), filia minor Saulis et Achinoam (1 Reg. 14,49), a Saule in matrimonium tradita Davidi, postquam hic ducenta praeputia Philisthaeorum regi adnumeravit (1 Reg. 18,20-28). Tanto in Davidem amore ferebatur, ut eius vitam industria et dolo ab insidiis Saulis defenderet (1 Reg. 19,11-17); post fugam Davidis autem a Saule tradita est uxor Phalti filio Lais de Gallim (1 Reg. 25, 44). Cum Abner a partibus Isboseth ad partes Davidis transiturus esset, David postulavit, ut prius Michol sibi restitueretur eamque recepit (2 Reg. 3,13 s.). Sed haec, qua erat superbia, Davidem ante arcam Domini saltantem despexit, in cuius superbiae poenam filiis caruit usque in diem mortis suae (2 Reg. 6,16. 20-23; 1 Par. 15,29); quae poena explicatur, vel ut Deus ei sterilitatem inflixerit vel ut David ab uxore eousque sterili in posterum abstinuerit (cf. *F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 6,23). — Pro Michol 2 Reg. 21,8 legendum est Merob (vide s. v.).

MIGMA i. e. farrago seu cibus ex variis speciebus graminum vel frumenti commixtus exponitur hebr. בְּלִיל Is. 30, 24; eadem vox secundum sensum *praesepe plenum* explicatur Iob 6,5, et in loco dubio eiusdem libri Iob 24,6 בְּלִילוֹ « *non suum* » i. e. בְּלִי לוֹ redditur, pro quo alii בְּלִיל corrigendum censent. Cum vero Lev. 19,19 lex prohibeat, ne ager diverso semine commixto seratur, alii cum *I. G. Wetzstein* (apud *Fr. Delitzsch*, Comment. in Is. l. c.) בְּלִיל de hordeo vel frumento *maturo*, vel etiam de frumento recenti interpretantur. Cf. *Gesenius-Buhl*, Handwbch *ed.* 13, 109 a.

L. FONCK.

MILETUS (Μίλητος), urbs Ioniae, in qua S. Paulus ex tertio itinere apostolico Hierosolyma rediens commoratus est (Act. 20,15); illuc episcopos et presbyteros ab Epheso et proximis civitatibus advocans orationem habuit (20, 17 ss.), quam genuinam esse negant critici moderni (*Baur, Zeller, Overbeck, Hilgenfeld, Wendt*, alii), invicte demonstrant interpretes catholici (*Felten, Belser, Knabenbauer*). Praeterea Mileti mentio fit 2 Tim. 4,20 : Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Quae verba referri nequeunt ad iter, quo Paulus vinctus Caesarea Romam adductus est, quia tunc Miletum non attigit. Sed postquam inde a vere a. 64 novas expeditiones apostolicas (in Hispaniam, Cretam) suscepit et ecclesias Asiae, Macedoniae, Achaiae iterum visitavit, anno 66 Romam adveniens alteram captivitatem perpessus est, ex qua secundam ad Timotheum epistulam dedit. — Apud LXX Ez. 27,18 celebratur lana ἐκ Μιλήτου (v. *Knabenbauer* ad h. l.).

Miletus, colonia Graecorum, iam antiquissimis temporibus erat praecipua inter urbes Ioniae. Sita erat in litore Cariae ad meridiem sinus Latmici, in quem Maeander fluvius effundebatur. Hodie vero terra fluvio aggesta sinum replevit et litus in mare produxit. *Palatia*, quae situm Mileti occupare existimatur, 9 vel 10 km a litore remota

est; *Lade* vero, quae erat insula non procul ante Miletum sita (*Strabo* XIV. 1, 7), nunc agnoscitur collis ex terra alluvia exsurgens. Cf. W. *M. Ramsay*, Histor. Geogr. of Asia Minor 1890, p. 58. 59 et apud *Hastings*, Diction. of the Bible III. 368.

MILICHO v. MELLUCH 2.

MILITIA CAELI in excelso (צְבָא הַמָּרוֹם בַּמָּרוֹם i. e. militia altitudinis in altitudine; ὁ κόσμος τοῦ οὐρανοῦ) Is. 24,21 una cum principibus terrae a Domino visitari dicitur in poenam peccatorum. Stellae caeli sunt obiectum idololatriae (cf. 4 Reg. 17,16; 21,3. 5; 23,4. 5) ac proinde a propheta auctoribus peccatorum et scelerum accenseri merentur. Intimatio poenae directe quidem fertur in illos, qui militiam caeli adorant. Sed quoniam teste S. Paulo 1 Cor. 10,20 idololatria cum cultu daemonum intime conectitur, ipsi daemones simul cum regibus terrae velut auctores principales designantur, quibus reliqui peccatores tamquam subditi et instrumenta subiacent.

MILIUM vocatur in Vulgata frumenti species hebraice דֹּחַן dicta, quae Ezechieli cum frumento, hordeo, faba, lente, farre (*vicia*) ad panes faciendos sumenda praecipitur (Ez. 4,9). In LXX (κέγχρος) et aliis versionibus antiquis pariter milium exponitur. Idem vero nomen, quod in hodierno textu massorethico alibi non occurrit, iidem veteres interpretes (LXX, Theodotion, Aquila, Vulgata) in textu Isaiae 28,25 videntur legisse, ubi Massorethae נִסְמָן habent i. e. secundum communem interpretationem certo loco *descriptum* ac determinatum; quae lectio cum difficultate non careat, fortasse cum antiquis versionibus ex וְדֹחַן dicatur corrupta.

Iam significatio nominis communiter ab omnibus admittitur, eaque exinde maxime confirmatur, quod penes Arabes *dukhn* usque nunc milium significat. Est autem milium species frumenti, *Panicum miliaceum* Linné scientifice dicta, quae inde a primis temporibus apud varios populos culta ad panem et polentam adhibetur. Distinguendum vero est tum a *Panico italico* Linné tum a Sorgho (*Sorghum annuum* Linné, *Durrah-beidā* Arabum; *Post* 854), quae ab aliquibus tamquam dokhan biblicum minus recte considerantur. — Sunt qui etiam *pannag* Ezechielis (Ez. 27,17), fortasse similitudine fortuita sonus ducti, panicum intellegant; de quo v. BALSAMUM 1.

De milio cf. *O. Heer*, Pflanzen der Pfahlbauten, Zürich 17; *R. Hartmann* in Zeitschr. f. Ethnol. III. 1871, 100; *E. Boissier*, Flora orient. V. p. 510 ss.; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 817 s.; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 6, 59. 543-5; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées, Paris 1883, 302-5; *Fr. Körnicke*, Die Arten u. Varietäten des Getreides, in *Körnicke-Werner*, Handb. d. Getreidebaues I., Bonn 1885, 244-315; *E. Hahn* in Verhandl. d. Gesellsch. f. Anthrop. 1894, 603-8; *G. E. Post*, Flora of Syria 845. — Praeterea cf. *J. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 94 s.; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 124; *O. Celsius*, Hierobot. I. 453-9; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,84 s.; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible, ed. nova, 178 s.; *H. O. Lenz*, Botanik d. alt. Griechen u. Römer 232-4; *P. Cultrera*, Flora bibl. 87 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8,469-71; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 175; *J. Smith*, Bible Plants, 27-9. 235; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 72; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 152 s.; *W. H. Groser*, Trees and plants ment. in the Bible 153 s. — De aliis v. FRUMENTUM.

L. FONCK.

MILVUS (דְּאָה vel דַּיָּה, γύψ) recensetur inter aves immundas Lev. 11,14: et milvum (הַדְּאָה, γῦπα) ac vulturem (הָאַיָּה, τὸν ἴκτινον, apud *Swete* ἴκτινα) et Deut. 14,13: ixion (הָרְאָה, γῦπα) et vulturem (הָאַיָּה, τὸν ἴκτινον, *Swete* ἴκτινα) ac milvum (הַדַּיָּה). Vox ראה Deut. 14,13 mendum est pro דאה et ixion esse potius milvum iam dictum est s. v. IXIOS; tertia autem vox דיה in textu massorethico Deut 14,13, quam LXX ignorat et Vulgata milvum vertit, est glossa. Cum textibus allatis comparandi sunt duo alii textus Is. 34,15: illuc congregati sunt milvi (דַּיּוֹת, pro quibus apud LXX substituuntur ἔλαφοι) et Iob 28,7: nec intui-

tus est eam (semitam hominis penetrantis ad thesauros in terra reconditos) oculus vulturis (אַיָּה, γυπός). Ex his locis colligitur voci דאה vel דיה in Vulgata correspondere milvum, apud LXX γῦπα, voci איה in Vulgata correspondere vulturem, apud LXX ἴκτινον (ἴκτινα) et γῦπα.

Praeterea milvus legitur in Vulgata Ier. 8,7 et Zach. 5,9 pro voce חֲסִידָה, quae alias vertitur herodio (v. s. v.).

Sunt qui contra Vulgatam censeant voce דאה vel דיה potius designari vulturem, voce איה milvum; sed difficile erit certi quidquam hac in re determinare. Ab aliis דאה vel דיה explicatur milvus migrans et איה milvus regalis. Milvus migrans (germ. *Wanderweihe*) frequens est in Europa orientali ac meridiana et hieme usque in Africam australem migrat. Milvus regalis (germ. *Koenigsweihe*) ab Hispania usque in Sibiriam alitur et gregatim in Africam interiorem penetrat. Frequens est in Palaestina, praesertim circa Carmelum montem, Neapolim (Sichem) et in Galilaea superiore; hieme autem regiones demissas quaerit iuxta litus maris Mediterranei et maris Mortui atque deserta meridiana circa Bersabee. Cf. *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible 1889, p. 188. Vide VULTUR.

MINA, MNA vide s. vv. MENSURAE et PECUNIA.

MINISTER, MINISTERIUM, MINISTRATIO. Horum verborum usus sat frequens est in muneribus et profanis et sacris. Aulici, qui ad obsequia et officia regibus praestanda deputantur, vocantur ministri et hebr. quidem adhibetur עבד Gen. 41,37; 3 Reg. 9,22; Prov. 14,35; saepius משרת Prov. 29,12; 2 Par. 9,4; Esth. 2,2; 6,3. Eodem nomine designatur Iosue, minister Moysis Ex. 24,13; 33,11; Num. 11,28 et Deut. 1,38 hebr. ratio ministerii explicatur, cum dicatur : stans ante faciem eius; eodemque modo describitur Esth. 4,5 minister ei datus a rege (hebr.), qua locutione declaratur continua ad omnem nutum heri promptitudo. Eadem vox משרת dicitur de ministro Amnon, filii David (2 Reg. 13,18), de ministro prophetae (4 Reg. 4,43; 6,15), sed frequentius adhibetur de ministerio sacro. Ita appellatur Samuel minister ante conspectum Domini (1 Reg. 2,11); qui templi curam habebant, vocabantur ministri domus Dei (Esd. 7,24; 8,17), et praecipue sacerdotibus inditur appellatio : ministri Dei (Is. 61,6; Ier. 33,21; Neh. 10,39 hebr. et LXX οἱ λειτουργοί); item Ioel 1,19; 2,17; vel ministri domus Dei (Ez. 44,11; 46,42), ministri sanctuarii (Ez. 45,4), altaris (Ioel 1,13), Dei mei (Ioel 1,13). Etiam res inanimatae, quibus Deus utitur ad sua consilia exsequenda, ministri Dei audiunt (Ps. 102, 21; 103,4). Sacerdotes vocantur λειτουργοὶ Dei Eccli. 7,32 (hebr. משרת), dum Eccli. 10,2 λειτουργοὶ ministri iudicis appellantur.

In libris Novi Testamenti ὑπηρέτης dicitur de ministro iudicis i. e. de poenarum exactore (Matth. 5,25), de satellitibus seu apparitoribus (Matth. 26,58 Petrus sedebat cum ministris); similiter Ioan. 7,32 : miserunt Pharisaei ministros, ut apprehenderent Iesum; item Ioan. 7,45. 46 et Marc. 14,54. 65 ministri Iesum alapis caedebant; de satellitibus quoque Ioan. 18,3. 12. 18. 22. 36; 19,6; Act. 5,22. 26. Etiam dicitur de ministro synagogae Luc. 4,20; de iis qui ad verbum Dei praedicandum electi erant : ministri sermonis Luc. 1,2; similiter Act. 26,16 Paulus constituitur minister et testis eorum quae vidit et 1 Cor. 4,1 sic nos existimet homo ut ministros Christi, et generatim dicitur de quovis opem praestante (Act. 13,5). Frequentius tamen adhibetur διάκονος notione ministri i. e. famuli : quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister (Matth. 20,26; 23,11; Marc. 9,34; 10,43); ita quoque de famulis regis (Matth. 22,13); de iis qui ad mensam ministrant Ioan. 2,5. 9. Christus fideles suos vocat ministros suos Ioan. 12,26 et Paulus apostolos appellat ministros Christi (1 Cor. 3,5; 2 Cor. 3,6) vel Dei ministros (2 Cor. 6,4; 11,23; Eph. 6,21), pseudoapostolos autem satanae ministros dicere non veretur, qui sese ministros iustitiae mentiantur. Christum vero vocat ministrum circumcisionis, quatenus circumcisis,

Iudaeis, salutem administrare voluit (Rom. 15,8); ex opposito declarat, si iustificati in Christo non essent immunes et mundati a peccatis, Christum dicendum esse (quod absit) ministrum peccati; si scil. recedere a legis mosaicae obligatione esset peccatum, ipsum Christum eius peccati esse administrum. Uti potestas civilis vocatur minister Dei (Rom. 13,4), ita qui evangelium annuntiant, vocantur ministri Christi (Col. 1,7) vel ministri evangelii (Col. 1,23), vel etiam συνεργοί; ministri Dei in evangelio (1 Thess. 3,2; cf. 1 Tim. 4,6). Obsequium et ministratio etiam voce λειτουργός declaratur et in Vulgata vertitur minister; Rom. 13,6 principes ministri Dei sunt; se ipsum vocat ministrum Christi in gentibus, quo loco λειτουργός sensum sacrum quasi sacerdotis induit, uti Hebr. 8,2 quoque; merum autem obsequium indicatur Hebr. 1,7, scil. flammam ignis a Deo adhiberi quasi ultricem.

Eadem notionis amplitudine *ministerium* quoque adhibetur; sensu obsequii praestandi v. g. 2 Tim. 4,11; ad eiusmodi obsequia angelos esse missos docemur Hebr. 1,14; eo nomine functiones sacerdotum, levitarum, aulicorum, etc. designantur; apostolis incumbit ministerium verbi (Act. 6,4); ipsum munus apostolicum ita nominatur Act. 1,17. 25; 21,19; Rom. 11,13; 2 Cor. 6,3 etc. Ita iam appellatur munus Moysis, sed appellatur ministratio mortis, quatenus legis promulgatio occasio erat peccatorum et mortis, dum e contra ministerium apostolorum est ministratio spiritus, ministratio iustitiae (2 Cor. 3,7-9), quatenus promulgatione evangelii Spiritus S. homines sanctos reddit et apostoli administratione sacramentorum revera Spiritum S. et iustitiam hominibus tribuunt. Varia munera et officia quae Christus in sua Ecclesia instituit nominantur divisiones ministrationum 1 Cor. 12,5. Vox ipsa valde etiam accommodata est ad officia et obsequia caritatis et misericordiae designanda; ita 1 Cor. 16,15; 2 Cor. 9,13. De munere diaconorum videtur ministerium etiam adhiberi; cf. Rom. 12,7.

In Vulgata quandoque eiusmodi vox (minister etc.) inseritur claritatis causa, ubi in textu originali non legitur; cf. Gen. 42,25; Ios. 10,23; item Gen. 40, 13; 44,33 etc.

MINUTUM. Ita Luc. 12,59 vertitur λεπτὸν, qui est numulus minimus, dimidia pars quadrantis. Explicantur duo minuta, λεπτὰ δύο, quod est quadrans, ὅ ἐστι κοδράντης, quarta pars assis (Marc. 12,42). Nomen habet numulus hic a parvitate; nam λεπτός est tenuis. Mentio quoque fit Luc. 21,2.

MIPHIBOSETH (מְפִיבֹשֶׁת, בִּיפְבֹשֶׁת, Μεμφιβόσθε). **1.** Filius Saul et Resphae (v. s. v.) concubinae. Is a Gabaonitis, quibus a Davide simul cum fratre Armoni (v. s. v.) et quinque sororis germanae filiis traditus erat, ut scelus patris in illos commissum (2 Reg. 21,2) expiaretur, palo adfixus est (2 Reg. 21, 8 s.).

2. Filius Ionathae, filii Saul (v. MERIBBAAL). Is quinque annos natus nuntio de morte patris et avi allato e nutricis fugientis complexu lapsus pedibusque claudus effectus est (2 Reg. 4,4). A Machir (v. s. v.) domum receptus et in obscuro educatus genuit Micha filium (2 Reg. 9,4). Istum David cum superesse a Siba, Saulis servo, cognosset, familiaritatis cum Ionathan contractae memor, ad se arcessivit puerisque regiis in aequo posuit. Eidem omnes avi agros, qui prope Hierosolyma fuisse videntur, restituit a Siba eiusque filiis colendos (2 Reg. 9,6 ss.). — Hic autem Davidi Absalom seditionis ducem fugienti ante urbem obviam factus asinis alimentisque concessis herum in suspicionem regni appetendi adduxit. Cui rex confisus omnia bona Miphiboseth addixit (2 Reg. 16,1-4). Hic vero cum victori redeunti cultu lugubri indutus obviam processisset, crimen sibi illatum propulsavit, servi autem accusavit calumniam ac perfidiam, aequo tamen animo innocentiam suam fidemque professus totam causam regis sapientiae commisit. Hac re cognita David sive dubius de utriusque veritate sive iudicium suum plane revocare gravatus decrevit, ut bona inter herum et servum dividerentur. Miphiboseth autem totam possessionem, quo-

niam regem revertisse videret incolumem, facile se alteri cedere significavit (2 Reg. 19,24 ss.). Quid de eo postea factum sit, traditum non est. Hoc tamen constat amplam ex eo ortam esse progeniem, quae Beniaminitarum virtutis bellicae gloriam etiam posterioribus temporibus tuebatur (1 Par. 8,33-39; 9,40-44).

H. WIESMANN.

MIRACULUM. Legitur haec vox in Vulgata in locis, ubi singulari Dei interventu aliquid fit. In textu quidem originali solum Is. 29,14 ipsa voce res miraculo effecta declaratur; sed in aliis locis res utique in se mirabilis simplici modo enarratur. Ita Ex. 11,7 narratur Deus divisisse inter Aegyptios et Israelitas; additur in Vulgata : quanto miraculo. Mors illa Core et asseclarum eius Num. 26,10 dicitur facta esse in signum (hebr.) — in Vulgata : factum est grande miraculum. Terror ille divinitus incussus, qui terror Dei dicitur (hebr. 1 Sam. 14,15) in Vulgata describitur voce miraculi, miraculi a Deo. LXX utuntur voce ἔκστασις. Et si in Vulgata legimus Eliu dicere ad Iobum : miraculum meum ne te terreat (Iob 33,7), iam facile ex antecedentibus collegeris, hebr. dici : terror meus, LXX ὁ φόβος μου. Neque aliter Is. 21,4 pro terrore miraculum in Vulgata ponitur. Pari modo Ier. 44,12 : erunt in miraculum i. e. ex hebraeo : erunt in stuporem; scil. tanta a Deo castigatione punientur, ut haec ultio divina omnibus sit admirationi omnibusque terrorem incutiat. Alio modo Ier. 23,32 artes et astutiae pseudoprophetarum eorumque promissiones magnificae, quibus populum seduxerunt, in Vulgata dicuntur miracula eorum (hebr. פחזות). Res vere mira et miraculosa etiam designatur hebr. Is. 29,14, ubi Vulgata de miraculo grandi et stupendo loquitur emphasin in hebr. imitatione exprimendo.

Hisce de usu vocis in Vulgata iam aliqua de ipsa re adiungenda sunt scil. de iis eventibus qui communiter miracula designari solent. Est quippe miraculum effectus sensibilis quem extra naturae ordinem fieri constat. Multa eiusmodi in s. litteris referri nemo ignorat : apparitiones angelorum, multa illa quae Moyses vel facit vel fore annuntiat; et quae populo in deserto divinitus praestantur et in oppugnatione terrae palaestinensis; porro miracula quae per prophetas, Eliam, Eliseum etc. fiunt; quae ab ipso Christo Domino et ab apostolis patrata referuntur in evangeliis et in Actibus Apostolorum. Miracula in supernaturali Dei providentia maximi sunt momenti. Iis quippe Deus populo suo se quam maxime tamquam potentissimum, providentissimum manifestat; iis quoque legatos suos, Moysen, prophetas, ut a se missos et approbatos confirmat eorumque mandatis oboedientiam conciliat; ad eiusmodi opera ipse Christus provocavit; operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me et ego in Patre (Ioan. 10,38) et propter opera ipsa credite (Ioan. 14,12) et si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt me et Patrem meum (Ioan. 15,24). Similiter ut ostendat se habere potestatem remittendi peccata, ad effectum sensibilem vires naturae prorsus superantem provocat : ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam (Matth. 9,6).

Eodem modo Deus Moysi hoc sigillum divinae approbationis concessit; nam cum ille opposuisset : non credent mihi neque audient vocem meam et dicent : non apparuit tibi Dominus, Deus eum plura signa exhibere ac patrare iubet : si non crediderint tibi neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis; quodsi nec duobus quidem his signis crediderint, sume aquam fluminis et effunde eam super aridam et quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem (Ex. 4,1-9). Et : fecit signa coram populo et credidit populus (Ex. 4,30. 31) et iterum, postquam mira Dei protectione sicco vestigio mare aquis recedentibus transierunt et Aegyptios in undis pereuntes viderunt, « timuit populus Dominum et crediderunt Domino et Moysi servo eius (Ex. 14,31).

Tali signorum documento Christus apostolos suos et Ecclesiam suam instruxit et mundo commendavit : illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, et : signa autem eos qui crediderint, haec sequentur etc. (Marc. 16,17. 20). Ipse Christus signa omnis generis patravit : caecos, surdos, claudos sanat, mortuos ad vitam revocat, tempestates maris ventorumque sedat, quinque panes ita multiplicat, ut quinque millia satientur, daemones expellit, et discipulis suis et fidelibus promittit : qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum (his) faciet (Ioan. 14,12), id quod mox quoque aliqua ratione manifestum factum est eo quod ipsa umbra Petri aegrotos sanabat (Act. 5,15. 16) et virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria et semicinctia et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur (Act. 19,11. 12).

Populo rudi Deus timorem incussit ac poenam sumpsit de peccatis exhibendo signa ac portenta; ita in magna illa diluvii inundatione, in destructione Sodomae et Gomorrhae, in punitione rebellium contra Moysen et Aaron, in interfectione murmurantium contra Deum (Gen. 6. 19; Num. 16. 21). Pari ratione etiam in initio rei christianae Deus miraculo voluit animadvertere in mendaces (Act. 5), in obsistentes praedicationi (Act. 13,10).

In quo miraculum consistat, in singulis eventibus diligenter investigandum est. Ita v. g. plagae aegyptiacae in pluribus omnino ad calamitates ea in regione obvias accedunt; miracula igitur in eo cernuntur, quod plagae certo a Moyse annuntiantur, fiunt ad eius mandatum, pariter ad eius mandatum cessant et quod solito maiores ac grandiores infliguntur et regio Israelitarum iis non affligitur. Pronum quoque est in destructione Sodomae et Gomorrhae plura cerni ad regionis conditionem congrua et accommodata. Alias facile deprehenditur miraculum, v. g. in subita caeci sanatione; nam eum caecum fuisse facillime, immo evidenter notum est; eum nunc videre, facillime constare potest, ut quivis effectus sensibilis; subitam eius sanationem ad verbum thaumaturgi superare vires naturae pariter constare potest. Opus esse attenta conditionum omnium consideratione etiam ex eo elucet, quod in ipsis s. litteris mira quaedam patrari ab hominibus et a daemonibus narratur. Ita aliqua, quae Moyses tamquam signa exhibuit, praestigiatores aegyptii imitatione quadam expresserunt, donec tandem coacti sunt fateri : digitus Dei est hic (Ex. 7,11 ss.; 8,19). Et ipse Christus annuntiat : surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia (Matth. 24,24) et adventum antichristi fore secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus Paulus nos docet, simul tamen indicans eos tantum iri deceptos qui caritatem veritatis non recepissent (2 Thess. 2,9-11). Cum enim daemones viribus suis ac cognitionibus naturalibus non sint privati, verum iis instructi rerum naturas bene norint iisque Deo permittente sapientissime uti possint, multa efficere valent quae mira videntur et mira aliquo modo sunt (cf. Act. 16, 16-18). Verum si attendatur, ad quem finem eiusmodi mira fiant, facile deprehendetur cauda serpentina (cf. Gen. 3, 3. 4; Apoc. 13,13. 14).

Miracula in s. litteris narrata vel imminuere vel omnino removere aliqui conantur modo triplici scil. accommodatione ad falsas hominum opiniones, recurrendo ad mythos, ad symbolicam interpretationem. Et priore modo aliqui daemones expulsos esse negant; res autem ita narrari dicunt, quia varii morbi daemonibus auctoribus communi hominum opinione effici censerentur. Simili modo Ioan. 5,4 dici volunt angelum descendere et aquam moveri, cum motus aquae solum certis temporibus fieri (seu aquas « intermittentes » ex intervallis redire) eo tempore fuerit ignotum; verum eam explicationem plane esse insufficientem, clare elucet ex eodem v. 4, ex effectu motus. Cur in s. litteris non possint admitti narrationes mythicae, hic exponere non oportet.

Contendunt quidem quandoque rationalistae miracula Novi Test. efformata esse ad imitationem miraculorum Veteris Test., ne Messias cedere videatur prophetis (cf. *Knabenbauer,* in Matth. *ed.* 2, II. p. 42; in Luc. *ed.* 2, p. 309), id quod sincera ac simplici narratione evangeliorum iam excluditur (cf. in Matth. I. p. 102). Symbolicam explicationem prae aliis multum tuetur *Volkmar* (in Marcum) v. g. lepra i. e. peccatorum sordes auferuntur; caeci sanantur i. e. ignorantia rei religiosae tollitur; tempestas maris sedatur i. e. pericula maris ab apostolo Paulo sunt iam superata (cf. *Knabenb.* in Matth. *ed.* 2, I. p. 323. 343. 372 ss.; II. p. 42 etc.). Fatetur *Volkmar* hanc acceptionem et interpretationem ignotam fuisse usque ad se; quod utique mirum non est, cum illa adeo longe distet a sano sensu et a simplici narrationum forma et ab auctorum sacrorum scopo, intentione, consilio. — Brevi : ordo gratiae est *supernaturalis;* huic congruunt in ordine quoque physico opera *supernaturalia* i. e. miracula.

I. KNABENBAUER.

MISAAM (מִשְׁעָם, B Μεσσαάμ, A Μισαάλ), filius Elphaal in genealogia Beniamin (1 Par. 8,12).

MISACH (מִישַׁךְ, Μεισάχ), nomen babylonicum Misael, Danielis socio, in Babylonia impositum (Dan. 1,7; 2,49; 3,12 ss.). Quoad etymon nominis variae coniecturae propositae sunt a *Fürst, Gesenius, Frd. Delitzsch,* ex quibus nulla satis probatur; cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 126. Fortasse nomen babylonicum Misach vitio scribarum non rite ad nos pervenit, id quod etiam de nomine Sidrach valet.

MISAEL (מִישָׁאֵל, Μισαήλ, Μεισαήλ et Lev. 10,4 Μισαδαί).

1. Filius Oziel filii Caath (Ex. 6,22); cum Nadab et Abiu, filii Aaron, alienum ignem offerentes igne absumpti essent, Misael cum Elisaphan fratre suo a Moyse iussus est eos extra castra portare (Lev. 10,4).

2. Unus e viris, qui Esdrae verba legis recitanti a latere steterunt (Neh. 8,4).

3. Unus ex tribus sociis Danielis (Dan. 1,6. 7. 11. 19; 2,17; 3,88; 1 Mach. 2,59); v. MISACH.

MISERICORDIA. Plerumque legitur in textu hebr. חסד, in Vulgata autem misericordia. Declaratur itaque favor seu beneficium, quod alicui magna benignitate et caritate confertur. Dicitur et de Deo et de hominibus : facere alicui misericordiam i. e. favorem, gratiam. Ad miserandi notionem magis accedit misericordia iis in locis, in quibus hebr. legitur רחמים 2 Sam. 24, 14; 3 Reg. 8,50; 2 Par. 30,9; Neh. 1,11; 9,19. 28; Iob 24,20; Ps. 24,6; 76,10; 78,8 etc.; Is. 47,6. Aliquoties etiam צדקה exprimitur in Vulgata voce misericordiae; ita 1 Sam. 12,7 : nunc ergo state (ait Samuel), ut iudicio contendam adversum vos coram Domino de omnibus misericordiis quas fecit vobiscum et cum patribus vestris; item Prov. 3,3 : misericordia et veritas te non deserant. Id in psalmis quoque aliquoties deprehenditur; ibi enim interpres graecus צדקה ex usu posteriore saepius expressit voce ἐλεημοσύνη, unde in Vulgata misericordia, v. g. Ps. 23,5; 32,5. Quandoque alia dictio hebraea habetur, quae in Vulgata voce misericordiae explicatur; ita Deut. 25,12 hebr : neve parcat oculus tuus; Vulgata : nec flecteris ulla misericordia; Prov. 22,9 bonus oculus hebr.; Vulgata : pronus ad misericordiam; similiter aliquoties inseritur in Vulgata misericordia apte ad sensum; cf. Iud. 2,18; Is. 44,23 : laudate caeli, quoniam misericordiam fecit Dominus.

Praeclaris laudibus effertur misericordia Dei : faciens misericordiam in millia his qui diligunt eum (Ex. 20,5); celebratur magnitudo misericordiae (Num. 14,18. 19), misericordia Domini plena est terra (Ps. 32,5), magnificata est usque ad caelos misericordia tua (Ps. 56,11) melior est misericorda tua super vitas (Ps. 62,4), in multitudine misericordiae tuae exaudi me (Ps. 68, 14), tu Domine suavis et mitis et multae

misericordiae (Ps. 85,5. 15); misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum (Ps. 102, 17; 105,1 ss.); magna est super caelos misericordia tua (Ps. 107,5), misericordia eius a progenie in progenies (Luc. 1,50); vocatur saepe Deus misericors et clemens, propitius, miserator, multum misericors, pius, benignus et misericors (Ex. 34,9; Deut. 4,31; Ex. 9,17; Ps. 77, 38; 85,15; 110,4; 144,8; Eccli. 2,13; Bar. 3,5; Ioel 2,13 etc.).

Hominibus misericordia in alios multum commendatur, praesertim in pauperes, orphanos, viduas : misericordiam et iustitiam custodi (Os. 12,6), iusti misericordes sunt et miserantur (Prov. 13, 13); esto pupillis misericors ut pater et eris tu velut filius Altissimi (Eccli. 4, 10. 11). Maxime ad id adhortatur Christus : estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est (Luc. 6,36). Et eius mercedem declarat : beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (Matth. 5,7).

MISGAB (הַמִּשְׂגָּב; Ἀμάθ, Α τὸ κραταίωμα) nominatur una cum Nabo et Cariathaim in oraculo contra Moab Ier. 48 (gr. 31),1. Misgab est *arx,* fortis et alta munitio, qua voce aliqui censent designari urbem regionis praecipuam Qir Moab, alii arcem quandam moabiticam hoc nomine proprio appellatam, alii regionem montanam, alii duas urbes Nabo et Cariathaim modo nominatas.

MISOR Ios. 21,36 in Vulgata et LXX velut nomen proprium urbis effertur, sed est nomen appellativum in significatione *campestris* (v. BOSOR 1).

MISPHAT fons i. e. fons Iudicii (Gen. 14,7), nomen antiquissimum pro Cades (v. CADES 1).

MITHRIDATES (מִתְרְדָת, Μιθραδάτης). **1.** Thesaurarius (גִּזְבָּר) Cyri regis Persarum (Esdr. 1,8). Apud LXX dicitur Γασβαρηνός, in Vulgata filius Gazabar, sed loco parallelo in Esdra graeco apocrypho γαζοφύλαξ (1 Esdr. 2,11), qui erat super thesauros ipsius (3 Esdr. 2, 11); vox hebr. גִּזְבָּר, quam LXX nomen gentilicium, Vulgata patronymicum explicant, significat pecuniae regiae apud Persas praefectum (v. Lexica hebr.).

2. Praefectus regius in Samaria, adversarius Iudaeorum regnante Artaxerxe (Esdr. 4,7).

MITRA dicitur in Vulgata sicut tiara quoque de tegumento capitis sacerdotum Ex. 29,9; 39,26,31; Lev. 8,13; Eccli. 45,14 κίδαρις; vide s. v. SACERDOS.

Praeterea in Vulgata legitur Iudith 10,3 μίτρα i. e. vitta qua capilli religantur, et 16,10 : colligavit cincinnos suos mitra; et Bar. 5,2 etiam ornatum capitis significat : imponet (Deus) mitram capiti honoris Aeterni; graece : impone (Itala : circumda) capiti tuo mitram gloriae Aeterni; alloquitur vates Ierusalem, quam iubet pro vestimentis luctus vestes gaudii et laetitiae induere. Demum in Vulgata Is. 3,20 legitur mitra pro hebr. רְעָלוֹת quam vocem vela vel pepla tremula explicant.

MITYLENE (Μιτυλήνη, rectius Μυτιλήνη quae forma antiquior in nummis praesertim et etiam in aliquibus inscriptionibus cernitur), urbs maxima ac praecipua Lesbi insulae in litore orientali sita, ad quam S. Paulus in tertio itinere apostolico Corintho Hierosolyma proficiscens navem appulit (Act. 20,14); fiebat hic appulsus litoris intermedius inter Asson et Chium. Vetus urbs parva quaedam insula erat, nova autem illi adiecta in adversa Lesbi regione iacebat; in medio harum strictus quidam erat euripus, quo urbs reddebatur munitior (*Diod. Sic.* 13,79; *Pausanias* 8,30); binis instructa erat portubus (*Scylax,* Periplus 97; Thucyd. 3,6), quorum alter austrinus erat conclusus, triremium capax quinquaginta, alter septemtrionalis magnus et profundus, quem agger tuebatur (*Strabo* XIII. 2,2); ante utrumque iacebat exigua insula, in qua pars civitatis habitabat (*Strabo* l. c.), illa videlicet insula, cuius *Diodorus Sic.* l. c. meminit. Aetate romana erat urbs libera (*Plin.* V. 31,139); Pompeius eam libertate donaverat in gratiam Theophanis Mytilenaei (*Plutarch.* Pompeius 42, 3), qui Pompeii amicitia usus patriam ornavit (*Strabo* XIII. 2,3; *Tacit.* Ann.

6,18). — Nomen hodiernum est vel *Castro* vel *Mytilen.*

MNA v. MINA.

MNASON (Μνάσων) Cyprius, antiquus discipulus (Act. 21,16). Aliqui ex discipulis a Caesarea S. Paulum Hierosolyma comitati sunt « adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem » (ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν Μνάσωνί τινι). Constructio graeca, in qua illud Μνάσωνί τινι est dativus attractionis, a multis ita resolvitur : ἄγοντες (ἡμᾶς) παρὰ Μνάσωνά τινα, παρ' ᾧ ξενισθῶμεν (*Grotius, Buttmann, Meyer*); in hac explicatione solum affirmatur, Paulum ad domum Mnasonis in Ierusalem adductum esse. Vulgata simplicius nec minus recte resolvit ἄγοντες Μνάσωνά τινα, παρ' ᾧ ξενισθῶμεν, quae constructio supponit Mnasonem tum temporis Caesareae fuisse et a discipulis secum in Ierusalem adductum esse, ut in ipsius domo hospitarentur.

Verum cum recentioribus interpretibus (*Knabenbauer* ad h. l., *Belser*, Beiträge zur Erklärung d. Apostelgesch. 1897 p. 121) praeferenda videtur altera lectio, quam praebent codex Cantabrigiensis (Bezae dictus) et versio syriaca philoxeniana in margine : S. Paulum cum discipulis Caesarea profectum in aliquem pagum venisse ibique apud Mnasonem divertisse et exinde in urbem Ierusalem esse profectum. Narratio haec magis commendatur tum facilitate constructionis, tum eo quoque, quod a Caesarea in urbem non est iter unius diei, sed 68 mil. pass. = 100 640 m.

MNESTHEUS (Μενησθεύς), pater Apollonii, principis in aula Antiochi IV. Epiphanis (2 Mach. 4,21); v. APOLLONIUS 2.

MOAB (מוֹאָב, in inscriptione a Mesa rege facta מאב; Μωάβ) nomen est populi et regionis. Origo gentis narratur Gen. 19,31. 37 et ratio nominis explicatur; cum Lot esset filius Aran, fratris Abraham, gens moabitica, sicut populus Israel, descendit a prosapia Thare (Gen. 11,26. 27).

Terra Moab sita est ad orientem Iordanis et maris Mortui. Meridiem versus a regione Edom separabatur torrente salicum (hodie *Wādi-el-Haṣā*); septemtrionem versus tempore Moysis regio torrente Arnon terminabatur; nam Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhaeos (Num. 31,13; Iud. 11,18). Verum ipsa regio ex adverso Ierichuntis ad Iordanem, ubi Israelitae castrametabantur, appellatur campestria Moab, ubi trans Iordanem Iericho sita est (Num. 22,1; 26,3. 63; 31,12; 33,48; 36,13; Deut. 34,1; Ios. 13,32). Eam regionem Moabitae occuparant ante Moysen eamque denuo possidebant tempore Iudicum. Sed ante adventum Israelitarum Sehon, rex Amorrhaeorum, pugnaverat cum rege Moab eique omnem regionem ditionis eius usque ad Arnon eripuit (Num. 21,26). Tempore Iudicum Eglon, rex Moab, in ipsa urbe Iericho sedem suam fixit. Unde septemtrionem versus terminus regionis Moab alius erat alio tempore. Ita in planctu de Moab Is. 15,2 ss. urbes Moab nominantur Dibon, Medaba, Nabo, Hesebon, Eleale; unde eo tempore regio Moab ultra torrentem Arnon protendebatur.

Quando Israelitae duce Moyse ad fines Palaestinae iter instituebant, cum Moabitis non sunt congressi, verum eorum terram ex latere circuibant (cf. Num. 21,11 ss.; Iud. 11,15. 18); iussi enim erant a Domino : non pugnes contra Moab nec ineas adversus eos proelium; non enim dabo tibi quidquam de terra eorum; quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem (Deut. 2,9; cf. 2 Par. 20, 10). Sed profecti in regionem trans Arnon, quam occupabat Sehon, cum is pacificum nollet concedere transitum, contra Amorrhaeos feliciter pugnabant; Israel tulit omnes civitates Sehon et habitavit in urbibus Amorrhaei, in Hesebon scil. et viculis eius (Num. 21,25). Tali eorum successu territus Balac, rex Moab, Israelitas per maledictionem Balaam perdere constituit; at Dominus non permisit ut Balaam malediceret (cf. Num. 22-24). Balaam autem suggessit regi pessimum consilium, quo Israelitae auxilio Domini destitui possent, si scil. peccatis inquinarentur (cf. Num. 31,16). Inde Israelitarum sat multi initiati sunt impuro cultui Beelphegor (Num. 25,1 ss.) et perierunt.

Tempore Iudicum Eglon rex Moab foedere inito cum Ammonitis et Amalecitis percussit Israel et cepit urbem palmarum, Iericho, et dominabatur per decem et octo annos in Israel; tum facinore Aod Eglon occisus est et exercitu collecto, cum vada Iordanis quae transmittunt in Moab, ab Israelitis essent occupata, circiter decem millia Moabitarum sunt occisa (Iud. 3,12-30). Ex libello Ruth discimus tempore famis Israelitas quandoque ad Moabitas sese contulisse; ipsa Ruth est Moabitis et proava David regis (Ruth 4,17). Saul confirmato regno super Israel pugnabat etiam contra Moab (1 Reg. 14,47). David autem, cum a persecutione Saul regis fugeret, venit ad regem Moab et petiit ab eo, ut parentes sui apud eum locum refugii haberent (1 Reg. 22,3. 4). David vero rex bellum intulit Moabitis, multosque occidit (2 Reg. 8,2; 23,20; 1 Par. 11,22); vide *F. de Hummelauer*, Comm. in l. Samuelis p. 327. Inter fortissimos viros in exercitu David recensetur quoque Iethma Moabites (1 Par. 11,46). Ex eo tempore Moabitae regibus Israel erant subiecti et tributum solvebant centum millia agnorum et centum millia arietum cum velleribus suis (4 Reg. 3,4). Ad quod tributum alluditur Is. 16,1. Sed mortuo Achab rege Israel, Mesa rex Moab praevaricatus est foedus; quare Ioram rex Israel simul cum Iosaphat rege Iuda et cum rege Edom regionem Moab per meridianam plagam ingressi agros vastarunt et civitates destruxerunt et urbem primariam Qir Khareset obsederunt neque tamen expugnarunt, verum re infecta in terram suam redierunt neque Moab sub imperio regum Israel erat ex eo tempore (cf. 4 Reg. 3,4-27).

Cur per meridianam regionem aggressi sint Moabitas, videtur explicari iis quae Mesa in sua inscriptione refert. Narrat enim Omri (Vulgata Amri) occupasse terram Medaba et oppressisse Moab et Israelitas ibi consedisse in diebus Omri et filii eius per annos quadraginta. Sed tum deum Chamos propitium favisse Moabitis; Mesa aedificasse (i. e. confortasse), Baalmeon, Cariathaim; regem vero Israel (Ochoziam, filium Achab) confortasse Ataroth; « ego pugnavi contra urbem et cepi eam et occidi omnes viros urbis ad beneplacitum Chamos, dei Moab »; dein expugnatam esse urbem Nebo, item Iahaṣ pulsis Israelitis et rege eorum. Refert dein Mesa, quomodo regionem instruxerit arcibus aliisque subsidiis ad regionis defensionem; nominantur Qorkha, Aroer, Bethbamoth, Beṣer; nuntiatur pugna contra Oronaim (חורנן). Haec peregisse videtur Mesa, dum Ochozias regnaret. Sed eo mortuo Ioram regi rebelli bellum intulit cum rege Iosaphat et rege Edom. In septemtrionali parte Mesa arces et praesidia collocarat; quare reges a meridie Moabitas petierunt. Quae 2 Par. 20 narrantur de irruptione Moabitarum in Iudaeam eorumque clade, evenisse videntur aliquo tempore antequam Ioram et Iosaphat bellum moverent contra regem Mesa. Ceterum v. MESA.

Sub rege Ioachaz latrunculi Moab terram Israel infestarunt (4 Reg. 13,20). Ex Os. 10,14 discimus, Shalman vastasse Beth Arbel; hunc regem esse Salamanu, regem Moab, de quo mentio fit in rebus a Theglathphalasar gestis, ex inscriptionibus cuneiformibus colligendum erit (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 138-140). Censent aliqui a rege Ieroboam II. Moabitas esse iterum subiectos. At 4 Reg. 14,25 solum dicitur terminos Israel esse ab eo restitutos ab introitu Emath usque ad mare solitudinis (mare Mortuum); Am. 6,14 pro mari solitudinis (הערבה) commemorat torrentem solitudinis, qui tamen torrens ipsa designatione distinguitur a torrente salicum, quo Moab dividitur ab Edom. Quare usque ad mare Mortuum, uti 4 Reg. l. c. dicitur, non usque ad terminos Edom, Ieroboam II. regnum Israel restituisse dicendus erit.

Propter superbiam Moabitis vastatio et oppressio a prophetis praedicuntur (cf. Is. 15,1-16,4; Soph. 2,8; Ier. 48). Tempore Sedeciae inter alios etiam nuntii Moab venerunt Ierusalem ad foedus ineundum contra Nabuchodonosor; at omnibus subiectio et servitus a propheta annuntiatur (Ier. 27,2 ss.).

Regno Israel destructo Moabitae sedes tribuum Ruben et Gad occuparunt; unde Soph. 2,8 : audivi opprobrium Moab et blasphemias filiorum Ammon, quae exprobraverunt populo meo et magnificati sunt super terminos eorum; ex urbibus Moab Ier. 48 nominatis idem elucet. Iis vituperio vertitur, quod de clade regni Iuda gavisi sint Ez. 25, 8. 9: Haec dicit Dominus Deus : pro eo quod dixerit Moab et Seir : ecce sicut omnes gentes, domus Iuda, idcirco ecce ego aperiam humerum Moab etc.; cf. Ier. 48,27 : fuit enim tibi in derisum Israel, quasi inter fures reperisses eum. Quare etiam Ps. 82,7 ss. maledictionibus devoventur. Uti Iosephus narrat (Ant. X. 9,7), quinto anno ab urbe Ierusalem expugnata subiecti sunt a Nabuchodonosor.

Reduces ex exsilio matrimoniis iuncti erant, uti cum aliis gentibus vicinis, ita etiam cum Moabitis; huic nefasto abusui sese opposuit Esdras (9,1 ss.) et iis in memoriam revocatum est in volumine legis mandatum esse, quod non debeant introire Ammonites et Moabites in ecclesiam Dei in aeternum; unde omnis alienigena ab Israel separatus est (Neh. 13,1. 3). Postea in s. litteris iam non occurrit eorum mentio. Per Iosephum autem docemur eos ab Alexandro Iannaeo circa annum 90 ante Chr. fuisse subiectos (Ant. XIII. 13,5) et ipso tempore Iosephi Moab μέγιστον ἔθνος etiamtum exstitisse (Ant. I. 11,5).

Moabitarum deus vocatur Chamos et Moab vocatur populus Chamos (v. CHAMOS). In inscriptione Mesa dicitur Chamos populo iratus fuisse, unde eius oppressio per Israel evenerit; postea Chamos suo populo favisse et mandasse regi : vade, expugna Nebo contra Israel; victoria parta trophaea reponuntur coram Chamos. Ibidem lin. 16. 17 Chamos etiam vocatur Astar Chamos et mentio fit mulierum et virginum; quare has quoque in eius cultu impuro suas egisse partes conficitur. Ceterum cultum Moabitarum fuisse inquinatum, iam ex Num. 25,1 ss. satis elucet.

De terra Moab vide *Al. Musil*, Arabia Petraea I. Moab, Topogr. Reisebericht, Wien 1907, et eiusdem auctoris Karte von Arabia Petraea.

MOADIAS (מוֹעַדְיָה, Μααδαί), familia sacerdotalis in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,17). Fortasse idem nomen est ac Neh. 12,5 Madia (vide s. v.).

MOBONNAI (מִבְנַי, ἐκ τῶν υἱῶν) mendose scribitur 2 Reg. 23,27 pro Sobochai, Sobbochai (vide s. v.).

MOCHMUR (Μοχμούρ) torrens (Iudith 7,18 LXX), iuxta quem oppidum Chus seu Chusi (vide s. v.) situm erat oppido Ecrebel (vide s. v.) satis vicinum. Ex opinione, quam *O. Wolff* (Das Buch Iudith 1861, p. 163) defendit et *De Moor* (Le livre de Iudith 1895, p. 82) adoptat, torrens Mochmur est *Wādi Makhfuriye*, cui a septemtrione adiacet *ʿAqrabe* (Ecrebel) et e regione a meridie vicus *Djūrish* (Chus, Chusi). Sed adverte oppidum Chus (vide s. v.) probabilius esse vicum *Qūza* aquilonem versus ab eodem torrente et 8 km ab *ʿAqrabe* occidentem versus.

MOCHONA (מְכוֹנָה; LXX omittunt), urbs quam filii Iuda post exsilium incoluerunt (Neh. 11,28). Censetur esse *Khirbet el-Meqenna* 7 km septemtrionem versus a *Tell el-Ṣāfiye*. Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. et IV.; *M. Hagen*, Atlas biblicus Tab. 13 C 1.

MOCHORI (מוֹכְרִי, Μαχείρ, Μοχορέ), pater Ozi, Beniaminita (1 Par. 9,8).

MODIN (Μωδεΐν, *Euseb.* Μηδεείμ, *S. Hieron.* Modeim), urbs patria Mathathiae sacerdotis, parentis Machabaeorum. In monte Modin (ἐν Μωδεΐν) Mathathias cum quinque filiis suis contra Antiochum IV. Epiphanem, regem Syriae, insurrexit (1 Mach. 2,1. 15. 23). Ibidem sepulti sunt Mathathias (2,70) et filii eius Iudas Mach. (9,19) et Ionathas (13,25). Super sepulcra Simon Mach. parentibus et fratribus suis mausoleum magnificentissimum aedificavit; ex lapidibus quadratis et politis monumentum altitudine conspicuum erexit; septem pyramidas pulchritudine et magnitudine admirandas exstruxit unicuique unam scil. patri, matri, quatuor fratribus

sibique ipsi; monumento porticum circumdedit et singulas columnas monolithas signis armorum navibusque insculptis exornavit (13,27-30; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 6,5).

Ad situm determinandum ex S. Scriptura tria inserviunt : primum, quod mausoleum illud ab omnibus mare navigantibus conspici poterat (13,29); alterum, quod filii Simonis Hierosolymis profecti prima nocte in Modin transacta mane in campum (Sephela) descenderunt, ubi Cendebaeum ducem Syrorum fugatum usque Cedronem et Azotum persecuti sunt (16,4. 5); tertium, quod Iudas Mach. contra Antiochum V. Eupatorem et Lysiam, priusquam Iudaeam invaderent, ab urbe progressus prope Modin impetu nocturno castra Syrorum perturbavit (2 Mach. 13,13-15). Accedit quod Fl. Iosephus (Ant. XII. 6,1) Modin dicit vicum Iudaeae; denique Onomasticon Eusebii et S. Hieronymi : Modeim vicus iuxta Diospolim, unde fuerunt Machabaei, quorum hodieque ibi sepulcra monstrantur.

Modin igitur quaeri debet prope Lyddam (Diospolim) in collibus, qui ex Sephela versus montana Iudaeae assurgunt. Traditionibus antiquioribus relictis *Emmanuel Forner* O. S. F. anno 1866 primus suspicatus est Modin esse vicum *el-Medīye,* qui duabus horis a Lydda orientem versus distat. *Guérin* (Samarie II. 55-64. 395. 404-413. 415-426; Galilée I. 46-57) hanc opinionem ad certitudinem evehere conatus est. Is enim in colle, qui per torrentem (*Wādi el-Medīye*) a vico separatus fere 220 m ex planitie assurgit ac prospectum in mare praebet, detexit fundamenta magni aedificii rectangularis; inter muros semirutos distingui poterant quattuor camerae sepulcrales contiguae, quae septem sepulcra continuisse existimantur. *Guérin* cameram primam assignat Mathathiae eiusque uxori et Eleazaro, qui primus ex quinque fratribus mortem occubuit, secundam Iudae Mach., tertiam Ioanni, quartam Ionathae et Simoni secundum ordinem temporis, quo singuli decesserunt. Praeterea septem vel octo maiores reliquiae columnarum (45-48 cm in diametro) circumiacebant. Immo *Guérin* duas incastraturas detexisse sibi visus est, quae ad bases pyramidum recipiendas inserviisse creduntur. Apud *Guérin* l. c. vide tabellam geographicam, delineationem sepulcrorum, mensurarum indicationem a *Mauss* architecto elaboratas. Praeterea de sepulcris Modin cf. Revue archéologique 1872 II. p. 265 ss.

Etsi varia argumenta contra aequationem Modin = *el-Medīye* prolata sunt a *Le Camus* in Revue biblique 1892 I. p. 109-111, tamen hodie a plerisque Modin in regione circa *el-Medīye* quaeritur. Ad eandem fere regionem nos remittit tabula geographica Medabae 1896 reperta : Μωδεειμ η νυν Μωδιθα. Iamvero quoad nomen Moditha saeculo quinto et sexto usitatum advertit *Clermont-Ganneau*, Recueil d'Archéologie Orientale II. 1898, p. 169. 170 : « Μωδιθά implique a priori un équivalent arabe *Medié* ». Camerae autem sepulcrales a *Guérin* descriptae videntur esse originis graecoromanae atque idem dicendum est de « necropoli Iudaeorum » ad austrum vici, in qua *Sandreczki* eodem anno 1870 mausoleum Machabaeorum agnoscendum esse putavit (Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1870 p. 245-252; cf. p. 390). Cf. *Clermont-Ganneau,* Archaeological Researches in Palestine, London, 1896, II. p. 358 ss. 475 ss.

MODIUS v. MENSURAE.

MOHOLA (מַחְלָה, Μαελά), filius (vel forte filia) Machir ex Molecheth (Vulgata regina) genitus (1 Par. 7,18).

MOHOLI (מַחְלִי, Μοολεί, Μοολλεί, Μοολί, Μολεί, Μολί).

1. Filius Merari filii Levi, progenitor familiae Moholitarum (Ex. 6,19; Num. 3,20. 33; 26,58; 1 Par. 6,19[4]. 29[14]; 23,21; 24,26. 28). Unus de filiis Moholi erat inter eos levitas, quos Esdras ad iter in Ierusalem instituendum induxit (Esdr. 8,18); in Vulgata nominatur : vir doctissimus, sed eius nomen videtur fuisse ISH SECHEL.

2. Filius Musi fratris Moholi (1 Par. 6,47[32]; 23,23; 24,30).

MOLA (טַחֲנָה, רֵחַיִם forma dual. i. e. duo lapides molares; μύλος)

apud Israelitas in usu erat trusatilis seu manuaria, qualis hodie quoque in Palaestina adhiberi solet. « Erat vulgo machina ex duobus lapidibus molaribus sibi invicem impositis praecipue constans, in qua manuum humanarum opera frumenta aliaeve quaedam res aridae per mutuam molarium collisionem sive confrictionem in tenuissimam farinam massamve comminuebantur » (*C. L. Hoheisel,* De molis manualibus veterum, apud *Ugolini*, Thes. XXIX. col. 49). Lapis inferior (פֶּלַח תַּחְתִּית, apud Graecos μύλη) pavimento figebatur ac maiore duritie praestabat; unde Iob 41, 15[16] dicitur cor behemoth durum sicut fragmen molaris inferioris (hebr.), pro quo Vulgata substituit : quasi malleatoris incus, LXX ὥςπερ ἄκμων ἀνήλατος. Lapis superior (פֶּלַח רֶכֶב i. e. lapis molaris vector, apud Graecos ὄνος) erat versatilis (Deut. 24,6; Iud. 9,53; 2 Reg. 11,21) et ope manubrii unius vel duorum circa axem circumvehebatur. Praeterea apud Talmudicos (cf. *Hoheisel* l. c. col. 60 s.) memorantur infundibulum, per quod in molam frumentum decurrit, ut grana inter lapides terantur, et arca pollinaria seu orbis ligneus circa molam inferiorem ad recipiendam farinam, ne in terram decidat; tandem ad molam refertur cribrum pollinarium, cuius ope farina a furfuribus secernitur, confectum ex pellibus asininis vel suillis, crebris pertusis foraminibus, vel ex lino aut setis equorum (cf. Luc. 22,31 cribrare sicut triticum).

Molere erat labor permolestus et abiectissimus, praesertim ab ancillis infimis exercendus (Ex. 11,5; Is. 47,2; Matth. 24,41; Luc. 17,35) vel etiam ab hostibus captivis (Iud. 16,21; Lam. 5,13; cf. *Hom.* Odyss. 7,103; *Sueton.* Tiber. 51). Unaquaeque familia suam habebat molam et quotidie frumentum molebat; unde statuitur lege Deut. 24,6 non auferendam esse pro pignore molam vel eius lapidem superiorem et Ier. 25,10 cessatio strepitus, quem molae edere solent, exhibetur velut signum regionis vastatae ac derelictae; eadem imagine utitur S. Ioannes in describenda ruina Babylonis Apoc. 18,22.

Poster iore empore in usu erant molae maiores ac graviores, quae opera iumentorum, praesertim asinorum, versabantur et molae asinariae audiebant (cf. Matth. 18,6; Marc. 9,41; Luc. 17,2); in hisce quoque graviores erant lapides, inferior immobilis, superior mobilis (Matth. 18,6 μύλος ὀνικός et Marc. 9,41 in codicibus compluribus λίθος μυλικός).

MOLADA (מוֹלָדָה, Μωλαδᾶ, Μαλαδά, Καλαδάμ), urbs in meridiana plaga tribus Iuda sita (Ios. 15,26), tribui Simeon assignata (Ios. 19,2; 1 Par. 4,28), post exsilium a filiis Iuda habitata (Neh. 11, 26). Sita erat in interiore Daroma seu Negeb iuxta viam, quae Hebrone meridiem versus ducit, 4 mil. pass. ab Arad distans (Onom. *ed. Lag.* 214,56; 255,79; 266,44; 279,23). Eadem vocatur Μάλαθα castellum Idumaeae (*Fluv. Ios.* Ant. XVIII. 6,2 : ἐν Μαλάθοις), Moleatha (Notitia Dignitatum *ed. Boecking* I. p. 80. 357), Μαλιάτθα (*Ptol.* V. 17,4 [*ed. Müller-Fischer* 16,4]. « Intellegendam esse censeo Malatham, quae erat Iudaeae in Idumaeae confiniis, 4 m. p. distans ab Arad (*Tell ʿArād*) nec longe dissita ab Iathir (*ʿAttīr*), adeo ut referenda sit ad ruinas *el-Milḥ* » (*C. Th. Fischer* ad Ptol. V. 16,4). Obiicit quidem *F. Buhl*, Geogr. d. alten Palaestina 1896 p. 183 ruinas *el-Milḥ* non 4, sed fere 8 mil. pass. a *Tell ʿArād* distare et longius abesse ab *ʿAttīr* (v. IETHER 6). Sed haec dubia minoris momenti sunt. Plerique *Khirbet el-Milḥ* cum Molada componunt.

Cf. *Reland*, Pal. II. 885. 886; *Guérin*, Judée III. 184 ss.; *Robinson*, Pal. III. 182 ss.; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui II. 252.

MOLATHITA seu de **MOLATHI** (הַמְּחֹלָתִי, ὁ Μοθυλαθίτης, ὁ Μωουλαθί) cognominatur Hadriel, cui nupsit Merob filia Saul (1 Reg. 18,19; 2 Reg. 21,8) i. e. oriundus de Abelmehula, quam vocem vide.

MOLCHOM (מַלְכָּם, B Μελχάς, A Μελχάμ), Beniaminita, filius Saharaim de Hodes uxore genitus in terra Moab (1 Par. 8,9).

MOLECHETH (הַמֹּלֶכֶת, cum art., ἡ Μαλεχέθ), uxor Machir filii Manasse, soror Maachae, mater Ishhod, Abiezer, Mohola (1 Par. 7,18); sed Vulgata eius nomen reddit : regina. De hoc textu cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 180.

MOLID (מוֹלִיד, Μωλά), filius Abisur et Abihail ex tribu Iuda (1 Par. 2,29).

MOLOCH v. MELCHOM.

MONILE. Ea voce exprimitur in Vulgata aliquoties solum generatim ornatus aliquis; ita Is. 61,10 ex hebr. : et sicut sponsa se ornat ornatu suo (Vulgata : et sicut sponsam ornatam monilibus suis); item Ier. 4,30 : si ornaveris te ornatu aureo (Vulgata monili aureo); Ez. 7,20 pariter hebr. ornatus (Vulgata monilia). Praeterea Iud. 8,26 monilia declarant hebr. נטיפות, quasi guttae, inaures, margaritae; item Is. 3,19. Sed Cant. 1,9 collum tuum sicut monilia, hebr. בחרוזים in lineis margaritarum (?) et 7,1 iuncturae femorum tuorum sicut monilia, hebr. sicut חלאים, quae vox etiam Os. 2,13 cernitur in forma חליה et quam monile explicant. De istis nominibus vide quae explicat *Hartmann*, Die Hebräerin am Putztisch III. p. 208. 271.

MONS GLABER seu **CALVUS** (הָהָר הַחֲלָק, ὄρος Χελχά, Vulgata pars montis), qui ascendit in Seir, exhibetur velut terminus meridionalis, ad quem usque Iosue terram Chanaan occupavit (Ios. 11,17; 12,7). Quinam ille mons fuerit, certo dici nequit. Aliqui eum agnoscunt in scopulis albidis cretaceis, quibus *el-Ghōr* i. e. regio palustris infimo mari Mortuo adiacens per modum semicirculi cingitur (*Dillmann* ad Ios. 11,17). Alii vero montem calvum volunt esse montem *Madara*, cretaceum et seorsum stantem inter meridiem et occidentem a saltu montano *el-Ṣafā*, de quo monte cf. *Robinson*, Palaestina III. 147 s.; *Seetzen*, Reisen *ed. Kruse* III. p. 14 s. Ad Ios. 11,17 advertit *F. de Hummelauer* : « Plurimi nunc sunt montes *calvi* prope fines Idumaeae, quorum tamen aliqui potuere tempore Iosue esse arboribus consiti : operam perdit, qui definire studet, quis h. l. mons praealiis sit intellegendus ».

MOOS (מֹעַץ, Μαάς), primus filius Ram primogeniti Ieramcel de genere Hesron et tribu Iuda (1 Par. 2,27).

MOPHIM מֻפִּים Μαμφείν), unus ex filiis Beniamin (Gen. 46,21). Idem Num. 26,39 vocatur Supham, a quo familia Suphamitarum; v. SUPHAM.

MORASTHITES (הַמּוֹרַשְׁתִּי, הַמֹּרַשְׁתִּי; ὁ Μωραθίτης, ὁ τοῦ Μωρασθεί) cognominatur Michaeas propheta, quia oriundus de Morasthi (Ier. 26,18; Mich. 1,1). Eadem urbs a plerisque agnoscitur Mich. 1,14 Moresheth Gath (מוֹרֶשֶׁת גַּת, κληρονομία Γέθ, Vulgata hereditas Geth), quae addito nomine Geth in finibus urbis philisthaicae Geth (*Khirbet Dhikrīn*?) sita esse declaratur et una cum Geth in hostium potestatem tradenda a propheta plangitur. Situm indicant Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 282,74; 141,11) : contra orientem Eleutheropoleos, S. Hieronymus in Prologo in Michaeam (*Migne* 25,1151) : « Morasthi qui usque hodie iuxta Eleutheropolim urbem Palaestinae haud grandis est viculus » et in Epitaphio S. Paulae (*Migne* 22,889) : « Transibo ad Aegyptum et in Sochoth atque apud fontem Samson..... subsistam parumper et arentia ora colluam, ut refocillatus videam Morasthim sepulcrum quondam Michaeae prophetae, nunc ecclesiam. Et ex latere derelinquam Chorreos et Gettheos, Maresa, Idumaeam et Lachis etc. » Ex hoc praesertim loco evincitur Morasthi distinguendam esse a Maresa, quacum a nonnullis confunditur. Accedit quod *Sozomenus* (Hist. eccl. 7,29) refert versus finem imperii Theodosii Magni, cum Zebennus esset episcopus Eleutheropoleos, corpus Michaeae prophetae repertum esse in *Berathsatia* 10 stadiis ab Eleutheropoli. Iamvero tanto fere intervallo seu 1850 m ab Eleutheropoli inter meridiem et orientem hodie invenitur *Khirbet Mār Hanna* cum ruinis basilicae antiquae ab indigenis *Mār Hanna* (Sancta Anna) nuncupatae. Unde *Guérin* (Judée II. 321-323; 326-329) concludit hunc esse situm Moresheth urbis et ipsum nomen *Berathsatia* fuisse ex antiquo

nomine graeco Μωρασθεί corruptum. Ceterum notare iuvat hunc locum exiguo spatio (20 fere minut.) distare a *Khirbet Merāsh*, quae ruinae cum Maresa (sed v. s. v.) componi solent.

MORBI. Lege mosaica observationi mandatorum Dei promittitur multiplex benedictio et prosperitas rerum temporalium; transgressioni autem proponebatur maledictio et infortunium (cf. Lev. 26; Deut. 28); « percutiat te Dominus ulcere Aegypti, scabie quoque et prurigine, amentia et caecitate et furore mentis » Deut. 28,27. 28. Quare intellegitur morbos habitos esse poenas peccatorum, quam sententiam amici Jobi pertinaciter tenent et quam discipuli quoque enuntiant Ioan. 9,2 : rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur? quae sententia aliis quoque locis suadetur Ps. 37,2-10; Is. 1,4-6; et morbos etiam ad punienda peccata immitti, ipse Christus affirmat : iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (Ioan. 5,14).

Morbi varii in s. litteris commemorantur; verum uti de rebus aliis humanis, ita de morbis quoque s. auctores loquuntur modo vulgari et populari. Unde mirum non est saepius esse incertum quodnam morborum genus artis medicinae ratione habita significetur.

Ita nequit determinari, quali morbo Aegyptii sint afflicti; verbis enim שְׁחִין et אַבַעְבֻּעֹת significantur tumores, tubera, ulcera; unde aliqui eczema rubrum, alii variolas explicant; שְׁחִין Deut. 28,27 : percutiat te Dominus ulcere Aegypti et v. 35 ulcere pessimo in genibus et in suris; eodem vocabulo etiam morbus Ezechiae regis declaratur (4 Reg. 20,7; Is. 38,21), quem morbum quandoque de carbunculo intellegunt. Pustula quaedam seu macula in cute dicitur שְׂאֵת; quae si apparet vel crusta quaedam vel albugo vel scabies, homo debuit a sacerdote inspici, sitne lepra infectus; cf. Lev. 13,2 ss. In Vulgata Lev. 15,2 זוֹב explicatur de fluxu seminis, LXX ῥύσις ἐκ τοῦ σώματος; cum tandem v. 16 sermo fiat de semine, fortasse antea solum sermo erat de pituita ex fistula urinali profluente; Lev. 15,25 de morbo fluxus sanguinis in muliere mentio fit, quo scil. mulier illa laborabat, de qua Matth. 9,20; Marc. 5,25; Luc. 8,43.

Phthisis pulmonum videtur exprimi voce שַׁחֶפֶת Lev. 26,16; Deut. 28,22, vel tabes, atrophia, et רָזוֹן Is. 10,16 etiam eiusmodi morbum dicit; qui eo affectus est חֵרֵשׁ appellatur Lev. 21,20 (Vulgata lippus, LXX ἔφηλος); eodem loco nominatur albugo in oculis, scabrities, impetigo, lichen (λειχήν). Aestus ardoresque febrium et inflammationes designantur nominibus קַדַּחַת, דַּלֶּקֶת, חַרְבֻּר (Lev. 26, 16; Deut. 28,22), quae quomodo inter se distinguantur seu quae morbi species exprimatur, nemo accurate dixerit. Caries ossium רָקָב nominatur Prov. 12,4; 14,30; Hab. 3,16; sensu generaliore putredinis habetur Iob 13,28; Os. 5,12.

Morbus solstitialis seu sideratio commemoratur Iudith 8,3; ea aegritudine vir Iudith mortuus est; « in diebus enim messis hordeaceae instabat super alligantes manipulos in campo et venit aestus super caput eius et mortuus est »; eodem morbo puer ille obiit, uti videtur, quem postea Eliseus a mortuis suscitavit 4 Reg. 4,18 ss. et ad eum fit allusio Ps. 120,6 : per diem sol non uret te neque luna per noctem; nam lunae quoque lumine dormientes damnum experiri posse constat; quare in regionibus orientalibus cavent, ne dormientes lumine lunae suffundantur.

Quod 1 Reg. 25,37 de Nabal narratur, subito terrore de periculo in quo versatus erat « emortuum est cor eius intrinsecus et factus est quasi lapis » videtur apoplexiam designare, quae etiam clarius describitur 1 Mach. 9,55 : percussus est Alcimus et impedita sunt opera illius et occlusum est os eius et dissolutus est paralysi nec ultra potuit loqui verbum et mandare de domo sua et mortuus est in tempore illo cum tormento magno. Resolutio nervorum, contractio musculorum paralysis appellatur; unde paralytici sunt qui membris capti sunt (vide s. v. PARALYTICUS). Sensu latiore adhibetur χωλός (claudus);

vide quae de Miphiboseth referuntur 2 Reg. 4,4; 9,6. 13; 19,26 et is quoque cui membrum amputatum est, v. g. pes, eo nomine appellatur Marc. 9,44. Manus arida vel arefacta (Matth. 12,10; Marc. 3,1; Luc. 6,6) non solum torpore seu paralysi erat correpta, sed atrophia ad extremam maciem redacta. Asa rex aegrotavit dolore pedum vehementissimo (2 Par. 16,12); podagra videtur significari.

Morbus, quo Philisthaei propter arcam retentam puniebantur voce declaratur עֳפָלִים 1 Sam. 5,6 (cf. Deut. 28, 27) i. e. tumores, bubones; explicant quoque de mariscis haemorrhoidalibus; cf. *F. de Hummelauer* in libr. Samuelis p. 73. Ioram languore uteri correptus est, « donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies » 2 Par. 21, 15; videtur itaque exprimi vehemens quaedam inflammatio intestini crassi, qua fit ut partes membranae illius eiiciantur; simile quid etiam dysenteria vehementiore efficitur, ut partes quaedam membranaceae emittantur. Laboravit dysenteria quoque pater Publii quem Paulus sanavit Act. 28,8. Antiochus laborabat dolore diro viscerum et amaris internorum tormentis; de corpore eius vermes scaturiebant, carnes eius putredine dilabebantur, foetore intolerabili (2 Mach. 9,5. 9). Clamant quidem aliqui eam morbi descriptionem odio praefervido, nullatenus veritate esse ortam; at singula facile demonstrari possunt aliis exemplis. Nam Agrippa a vermibus consumptus σκωληκόβρωτος obiit (Act. 12,23) et quod Flavius Iosephus de eius morbo refert, rem plane ostendit et confirmat. Subito enim vehementissimis ventris cruciatibus correptus est et aucta dolorum vi post quinque dies obiit (Ant. XIX. 8,2). Qua descriptione factam esse perforationem intestini ostenditur; eiusmodi autem perforationem effici posse per lumbricos (σκώληκες) certum est; ea autem effecta etiam sanies et lumbrici ex corpore emittuntur. Porro quae Flavius Iosephus de morbo Herodis narrat, pariter eandem rem affirmant; « aderat enim intestinorum exulceratio... porro genitalium putredo gignebat vermes » (Ant. XVII. 6,5); plura exempla eiusmodi affert *Bochartus* (p. II. lib. 4, cap. 21 p. 620. 621; *ed. Francof.* 1675).

Apud Danielem 4,22. 30 mentio est insaniae zoanthropicae, quae vocari solet lycanthropia aut potius boanthropia, qua Nabuchodonosor per aliquod tempus correptus erat. Constat et veterum testimoniis et recentiorum medicorum experientia fieri quandoque ut homines eo insaniae ac mentis perturbationis genere corripiantur, quo sibi videantur mutati et transformati in aliquam bestiam, ita ut lupi, canis, felis etc. voces modosque se gerendi imitentur (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Dan. p. 133). Cum amentia sacrum quid reputaretur — putabatur enim amens a spiritibus agitatus — prudenter David ne a Gethaeis occideretur amentiam simulavit (1 Reg. 21,12).

Ad comparationem habendam commemoratur cancer (vide s. v.) 2 Tim. 2,17 : et sermo eorum ut cancer serpit.

Ceterum vide s. v. CAECUS, LUNATICUS, PESTIS.

Cf. *Th. Bartolini*, De morbis biblicis, apud *Ugolini*, Thesaurus t. XXX. p. 1521; *R. Mead*, Medica sacra, Amsterdam 1749, germ. Leipzig 1777; *Ch. T. E. Reinhard*, Bibelkrankheiten, welche im alten Testamente vorkommen, Frankfurt-Leipzig 1767; *J. Chr. G. Ackermann*, Erläuterung derjenigen Krankheiten, deren im N. Test. Erwähnung geschicht, Gera 1784; *C. B. Michaelis*, Philologemata medica, Halae 1758; *Eschenbach*, Scripta medico-bibl., Rostock 1779; *Joh. Jahn*, Bibl. Arch. I. Teil, Häusliche Altert. II. 346 ss., Wien 1818; *Th. Shapter*, Medica sacra or short exposition of the more important diseases in the sacred writings, London 1834; *Goldmann*, Diss. de rel. med. Vet. Test., Vrat. 1845; *P. Trusen*, Darstellung der bibl. Krankheiten, Posen 1843; *idem*, Die Sitten, Gebräuche u. Krankheiten der alten Hebräer nach der Schrift; *P. Pruner*, Die Krankheiten des Orients, Erlangen 1847; *R. J. Wunderbar*, Biblisch-talmud. Medizin, Riga 1850-60; *T. Tobler*, Beitrag zur medizinischen Topographie von Ierusalem, Berlin 1855; *J. Berendes*, Die Pharmacie bei d. alten Culturvölkern, Halle 1891, I. p. 82-124; *J. Preuss*, Der Arzt in Bibel u. Talmud, in Virchows Archiv 1894 (vol. 138) p. 261 ss.; *R. Bennett*,

The diseases of the Bible 1896; *W. Ebstein,* Die Medizin im A. Test., Stuttgart 1901.

MORE. 1. Quercus More (אֵלוֹן מוֹרֶה, τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν, Vulgata convallem illustrem) prope Sichem, ubi Abraham aedificavit altare Domino, qui apparuerat ei (Gen. 12,6 ss.); a quo loco haud procul videtur abfuisse altare, quod postmodum Iacob in finibus Sichem aedificavit (33,20). Ad eandem regionem prope Sichem communiter referunt quercetum More (אֵלוֹנֵי מוֹרֶה, τῆς δρυὸς τῆς ὑψηλῆς, Vulgata vallem tendentem et intrantem procul) prope Galgalam e regione montium Hebal et Garizim (Deut. 11,30); sed animadvertendum est compluribus per regionem locis potuisse inditum esse nomen *quercus More* i. e. quercus doctoris seu prophetae vel forte quercus oraculi, sicuti etiam nomen Gilgal i. e. *circulus lapidum* compluribus locis editis et saxosis convenire poterat; cf. *F. de Hummelauer* ad Deut. 11,30, qui praeter montes Hebal et Garizim prope Sichem alios montes Hebal et Garizim ex opposito Galgalae prope Iericho adstruit ac proinde quercetum More ibidem fuisse dicit.

Prope Sichem erat quercus (Vulgata terebinthus), subter quam Iacob infodit idola et inaures, quibus eius domestici ac familiares cultum superstitiosum exercuerant (Gen. 35,4.) Iuxta quercum, quae stabat in Sichem, Abimelech filius Gedeonis a Sichimitis rex proclamatus est (Iud. 9,6); eadem vocatur Iud. 9,37 אֵלוֹן מְעוֹנְנִים i. e. quercus augurum seu incantatorum, Ἠλωνμαωνενίμ, Α ὄρυος ἀποβλεπόντων, Vulgata (per viam) quae respicit quercum. Accedit denique Ios. 24,26 : Iosue « tulit lapidem pergrandem posuitque eum subter quercum, quae erat in sanctuario Domini » in Sichem; sed vide *F. de Hummelauer* ad Ios. 24,1. 26.

Ad situm determinandum inserviunt ea, quae Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 237,69; 106,15) tradunt : « Balanus (id est quercus) Sicimorum, ubi regnavit Abimelech, quae usque hodie ostenditur in suburbano rure Neapoleos propter sepulcrum Ioseph ». Quibus verbis remittimur ad illum fere locum, ubi nunc est vicus *Balāta* prope sepulcrum Ioseph et puteum Iacob orientem versus a Sichem; cf. *M. Hagen,* Atlas biblicus Tab. 12 B2. Sunt qui coniiciant nomen loci apud Graeco-Romanos fuisse *Balanus* idemque conservari in nomine hodierno *Balāta*, ut *L. Heidet* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible IV. 1270 et iam dudum *Bargès,* Les Samaritains de Naplouse p. 17; cf. *V. Guérin,* Samarie I. p. 382-4.

2. Collis More (גִּבְעַת הַמּוֹרֶה, Γαβαα-θαμωραί, Α τοῦ βώμου τοῦ Ἀβώρ, Vulgata collis excelsus), prope quem Madianitae castra posuerant ante proelium, quo a Gedeone confecti sunt (Iud. 7,1). Castra Gedeonis erant iuxta fontem Harad, quem plerique agnoscunt in *ʿAin Djalūd* ad orientem urbis *Zerʿīn* (Iezrael). Castra autem Madian secundum textum hebr. erant a septemtrione castrorum Gedeonis et prope istum collem More et in valle (Iezrael), ergo ibi fere, ubi est Hermon minor, *Nebī Daḥī*.

MORIA appellatur a Chronista mons, in quo « Salomon coepit aedificare domum Domini in Ierusalem », qui etiam « demonstratus fuerat David patri eius,... in area Ornan Iebusaei » (2 Par. 3,1. Cf. 2 Reg. 24,16 ss.; 1 Par. 21,15 ss.). Verba hebraica בְּהַר הַמּוֹרִיָּה LXX ἐν ὄρει τοῦ Ἀμορεά (s. Αμορια et Αμωρια; sed Αμουραιου 5 codices Sergii et Αμωραιου 6 codices eiusdem apud *Holmes-Parsons*), et Peshitta בטורא דאמוריא « in monte Amorrhaeorum » exponunt, similiterque Arabs in Polyglottis vulgatus. Paraphrasta chaldaeus eumdem esse montem notat, in quo Abraham ad sacrificandum filium suum se accinxerat (Gen. 22,2). Atque in hoc de sacrificio Abrahae textu Massorethae אֶרֶץ הַמֹּרִיָּה scribunt, Samaritani ארץ המוראה; LXX εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλήν explicant (sicut אֵלוֹן מוֹרֶה τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν Gen. 12,6), Peshitta ארעא דאמוריא « terram Amorrhaeorum »; « Aquila transtulit τὴν καταφανῆ hoc est *lucidam,* Symmachus τῆς ὀπτασίας h. e. *visionis* » (*S. Hieron.* Hebr. quaest. in Gen. 22,2), atque hoc ultimum « *in terram visionis* » retinuit Vulgata, sicut

et versio samaritana (ארע חזיתה). Onkelos vero et Targum Ps.-Ionathae, explicantes ארעא פולחנא « terram cultus », et similiter Arabs in Polyglottis, et Targum hierosolymitanum alterum טור מוריה « montem Moria » exponens, rursus identitatem illius montis cum colle templi hierosolymitani (הר הבית in Talmude) indicant.

Fl. Iosephus in sola historia Abrahae semel τὸ Μώριον ὄρος commemorat (Ant. I. 13, 1, *Niese* 224). Communis tamen et antiquissima erat Hebraeorum traditio, montem in regione Moria Abrahae monstratum illum esse in quo postea templum conditum est in area Ornan Iebusaei. Id ex citatis interpretationibus Iudaeorum atque ex testimonio *S. Hieronymi* (l. c. *Migne* 23,969 s.) aliorumque satis elucet. At nomen Moria ad designandum collem templi in usum communem non videtur transiisse.

De ipso monte templi, qui altitudinem 744 m. attingit, v. IERUSALEM II. De etymologia vocis Moria cf. *A. Deimel* in Ztschr. f. kath. Theol. XXIII. 1899, p. 555-7, qui probabiliorem censet expositionem a Syro, Arabe, codicibus nonnullis graecis propositam « mons Amorrhaeorum ».

L. FONCK.

MORS. Communiter dicitur vox de fine vitae corporalis. Deus creavit hominem immortalem, ipse enim mortem non fecit (Sap. 1,13), sed poenam mortis protoparentibus, si mandatum transgrederentur, indixit (Gen. 2,17; 3,3) eamque peccato commisso inflixit : pulvis es et in pulverem reverteris (Gen. 3,19). Et cum a diabolo ad peccatum inducti essent, invidia diaboli mors introisse dicitur in orbem terrarum (Sap. 2,24). Et quia a muliere initium factum est peccati et illa virum ad peccandum pertraxit, per mulierem nos omnes mori affirmat Sapiens (Eccli. 25,33). Sed quia vir erat caput generis humani, per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors (Rom. 5,12); in Adam omnes morimur (1 Cor. 15,22); quare : memor esto quoniam mors non tardat et testamentum inferorum quia demonstratum est tibi; testamentum enim huius mundi (est) : morte morietur (quivis, Eccli. 14,12); statutum est homini semel mori (Hebr. 9,27).

Uti mors per peccatum inducta est, ita legibus latis etiam mors violenta infligenda statuitur in poenam flagitiorum : quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius (Gen. 9,6); redde viro suo uxorem; si nolueris reddere, scito quod morte morieris tu et omnia quae tua sunt (ita Deus ad Abimelech, Gen. 20,7) et Israelitae prohibentur accedere ad montem sanctum, in quo Deus se manifestat : omnis qui tetigerit montem, morte morietur (Ex. 19,12); morte moriatur, qui alium occiderit, qui percusserit parentes, illis maledixerit, qui hominem furatus vendiderit, qui coierit cum iumento, qui diis immolaverit (Ex. 21,12-23; 22,19. 20), qui sabbatum polluerit (Ex. 31,14). Poena mortis statuitur in varia crimina contra sextum mandatum (Lev. 20,10-20). Varia scelera Deus ultus est morte facinorosorum; duo filii Aaron offerentes ignem alienum mortui sunt coram Domino (Lev. 10,1 ss.), item congregatio Core et qui murmuraverant (Num. 16), alii ob rebellionem serpentibus interierunt (Num. 21,6) etc. Ceterum vide s. v. LAPIDARE, POENA.

Veteribus inhaesit opinio eum qui divinam apparitionem viderit morte esse abripiendum. Quare Iacob admirabundus : vidi Deum, inquit, facie ad faciem et salva facta est anima mea (Gen. 32, 30) et Manue exclamat : morte moriemur, quia vidimus Deum (Iud. 13,22). Homo naturalem habet horrorem mortis : o mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis (Eccli. 41,1) et ipse apostolus scribit : ingemiscimus gravati eo quod nolumus exspoliari (2 Cor. 5,4). Quare comparatione mortis maxima quaedam miseria declaratur; ita tristitia usque ad mortem (Eccli. 37,1) ut summa exhibetur, et de pessima muliere dicit Ecclesiastes : inveni amariorem morte mulierem (Eccl. 7,27). Alia ratione mors, qua omnes domantur et succumbunt, tamquam fortissima et invicta proponitur comparatione : fortis est ut mors dilectio (Cant. 8,6). Homini vero infelici haud raro mors est exoptata : o mors bonum

est iudicium tuum homini indigenti et qui minoratur viribus, defecto aetate et cui de omnibus cura est et qui fiduciam ac patientiam perdidit (Eccli. 41,3. 4). Quod desiderium mortis et quietis haud semel vehementer expressum habes in querelis ac suspiriis Iob (3,11 ss.); eiusmodi afflicti exspectant ac desiderant mortem quasi qui thesaurum anxie quaerentes effodiunt et gaudent vehementer cum invenerint sepulcrum (Iob 3,21. 22); unde miseria pressus flagitat: ipse me conterat; solvat manum suam et me conterat (Iob 6,9; 10,18; 17,14). Similiter Ionas impatientia agitatus et desperatione quadam exoptat mortem (Ion. 4,3. 9). Generatim autem monet Sapiens aequo animo esse mortem exspectandam, cavendum a nimio timore: noli metuere iudicium (legem scil. communem ac stabilem) mortis; memento priorum ac novissimorum i. e. omnes obiisse qui ante te fuerint et morituros esse qui post te victuri sint; hoc iudicium, hoc statutum est a Domino omni carni; quare aegre feres beneplacitum Altissimi (cf. Eccli. 41,5. 6 graece)? Ante mortem vero curandum esse patrifamilias ut res bene disponantur ostendit Isaias dicens ad Ezechiam regem: haec dicit Dominus: dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives (Is. 38,1; 4 Reg. 20,1). Ezechias tamen precibus mortem imminentem avertit, commemorans: memento, Domine, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto et quod bonum est in oculis tuis fecerim (Is. 38,3). Mors quippe immatura tamquam poena considerabatur: viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (Ps. 54, 24), patriarchae autem mortui sunt in senectute bona provectaeque aetatis et pleni dierum (Gen. 25,8; 35,29). Verum postmodum etiam innotuit mortem quoque immaturam saepe esse beneficium divinitus collatum: iustus si morte praeoccupatus fuerit in refrigerio erit; nam aetas senectutis est vita immaculata; vivens inter peccatores translatus est, raptus est ne malitia mutaret intellectum eius aut ne fictio deciperet animam illius (Sap. 4,7-12).

Personificatione quadam exhibetur mors, quando quasi in inferno sedem habens proponitur. Ita sermo fit de portis mortis: numquid apertae sunt tibi portae mortis et ostia tenebrosa vidisti (Iob 38,17)? et psaltes laudat Deum: qui exaltas me de portis mortis (Ps. 9, 15); qui in periculo erant moriendi, dicuntur appropinquasse usque ad portas mortis (Ps. 106, 18). Magis etiam tamquam persona apparet Iob 28,22: perditio et mors dixerunt: auribus nostris audivimus famam eius (sapientiae) et Is. 38,18: quia non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te i. e. homines in sheol vita functi; et Apoc. 20,13: mors et infernus dederunt mortuos suos, et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Infernus, sheol, et mors idem quasi domicilium habent, terram tenebrosam, opertam caligine (Iob 10,21. 22), quare tenebrae densissimae dicuntur umbra mortis (ita veteres explicant hebr. צלמות).

Mors est poena peccati et malum quoddam. Inde notio vocis transfertur generatim vel ad perniciem vel ad mortem animae, qua homo peccator coram Deo vita supernaturali carens quasi mortuus reputatur. Transitus iste notionis iam deprehenditur, si Deus dicitur nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (Ez. 18,23; 33,11); cum enim ibi de calamitate et bello ingruente sermo sit, sententia effati divini nequit esse, Deum miraculis provisurum, in ruina communi ne quis poenitentia acta ab hostibus trucidetur. Et quando dicitur: iustitia liberat a morte, lex sapientis fons vitae, ut declinet a ruina mortis (Prov. 10,2; 11,4; 13,14) vel: eleemosyna liberat a morte (Tob. 12,9), non de morte physica, sed de pernicie quadam spirituali explicabis. Ruina quoque spiritualis declaratur, si peccatis mortem adduci affirmatur: inclinata est ad mortem domus meretricis; pedes eius descendunt in mortem, viae inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis; sectatio malorum praeparat mortem, iter devium ducit ad mortem (opponitur: in semita iustitiae vita); qui congregat thesauros lingua mendaci, impingetur ad laqueos mortis (Prov. 2,18; 5,5; 7,27; 11,19; 12,28; 18,21; 21,6).

Uti homo pro regno caelorum nova generatione nasci debet (Ioan. 3,3. 7), ita huius vitae supernaturalis exstinctio merito mors vocatur, qui usus frequens est in Novo Testamento. Ita dicit Christus : qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam (Ioan. 5,24); nos translati sumus de morte ad vitam; est peccatum ad mortem (1 Ioan. 3,14; 5, 16). Frequenter talis locutio occurrit apud S. Paulum : servi estis eius cui obocditis, sive peccati ad mortem, sive oboeditionis ad iustitiam — finis illorum mors est; prudentia carnis mors est (Rom. 6,16. 21; 8,6); passiones peccatorum operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti (Rom. 7,5); quare qui sunt in delictis et peccatis, mortui dicuntur (Eph. 2,1). Lex vetus suis praeceptis et prohibitionibus occasio erat multorum peccatorum, quare : littera occidit, et promulgatio legis vocatur ministratio mortis, damnationis (2 Cor. 3,6-8); stimulus mortis peccatum, virtus vero peccati lex (1 Cor. 15,56); nunc autem soluti sumus a lege mortis (Rom. 7,6); quare corpus quoque quatenus malis concupiscentiis nos periculo peccandi exponit, appellatur corpus mortis huius (Rom. 7,24); lex autem spiritus vitae in Christo Iesu liberavit nos a lege peccati et mortis (Rom. 8,2). Exstinctionem vitae supernaturalis consequitur in aeternitate damnatio, quae apte quandoque dicitur mors secunda : infernus et mors missi sunt in stagnum ignis; haec est mors secunda (Apoc. 20,14). Quare bene dicitur in Vulgata mors peccatorum pessima (Ps. 33,22), sperat autem iustus in morte sua (Prov. 14,32).

Deus ab initio hominem creavit immortalem. Unde congruum est, ut redemptione haec quoque immortalitas restituatur. Atque revera mortem plane iri destructum, iam annuntiavit propheta : praecipitabit mortem in sempiternum (Is. 25,8); id exhibetur in parabola, qua ossa arida iubentur audire verbum Domini : ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis (Ez. 37,4 ss.). Resurrectione omnium facta morti omnis praeda erepta est et tunc impletum est : novissima autem inimica destruetur mors (1 Cor. 15,26). Christus enim per mortem destruxit eum qui habebat mortis imperium (Hebr. 2,14) et est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae heredes efficeremur (1 Petr. 3,22). Tum vero quando mortale hoc induerit immortalitatem, fiet sermo qui scriptus est : absorpta est mors in victoria (cf. Os. 13,18); ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?

I. KNABENBAUER.

MORTARIUM. Mortarium seu pila est vas in quo ope pistilli grana aliaque dura conteruntur et pinsuntur. Ea notione legitur Num. 11,8 de manna, quod collectum populus frangebat mola sive terebat in mortario.

Deminutivum *mortariolum* ponitur in Vulgata pro hebr. כַּף, LXX θυίσκη; explicatur autem כַּף patera, phiala, scutella; Num. 7,14. 20. 26. 32. 38. 44. etc. obtulerunt singuli principes mortariolum i. e. phialam plenam incenso; cf. Num. 4,7; 3 Reg. 7,50; 4 Reg. 25,14; 2 Par. 4,22; Ier. 52,18; 1 Mach. 1,23. Pertinebant phialae seu paterae ad vasa templi. Alias in Vulgata etiam כַּף, plur. כַּפּוֹת explicatur de phialis (cf. Ex. 25,29 : parabis et acetabula et *phialas,* thuribula et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo).

MORTICINUM. Cadaver animalis vel hominis vocatur saepe in Vulgata morticinum, qua voce plerumque hebr. נְבֵלָה exprimitur. Morticina animalium immundorum vitanda sunt; qui ea tetigerit, polluetur et erit immundus usque ad vesperam; etiam vasa, vestimenta, pelles, si quid morticini in ea ceciderit, immunda erunt (cf. Lev. 11, 11. 24-35); qui comederit morticinum vel captum a bestia, lavabit vestimenta sua et se aqua et immundus erit usque ad vesperam (Lev. 17,15); immo : morticinum et captum a bestia non comedent nec polluentur in eis (Lev. 22,8). Qui tetigerit humanae animae morticinum, aqua expiationis debet aspergi; quodsi neglexerit, polluet tabernaculum Domini et peribit ex Israel (Num. 19,13). Morticinum quod ipsis Israelitis non licuit

comedere, alienigenae dare aut vendere poterant, ut ille comederet (Deut. 14,21).

In poenam peccatorum cadavera seu morticina populi in Deum rebellis facta sunt quasi stercus in medio platearum (Is. 5,25), et Ieremias minatur : et erit morticinum populi huius in cibos volucribus caeli et bestiis terrae et non erit qui abigat (7,33; cf. 9,22; 34,20). Psalmista autem conqueritur : posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus caeli (Ps. 78,2). Apud Ieremiam (16,18) Deus populo exprobrat : contaminaverunt terram meam morticinis idolorum suorum (abominationum suarum), scil. idolis quae sunt cadavera detestabilia, uti recentiores explicant; veteres plerumque intellegunt cadavera animalium quae idolis immolata erant, vel etiam corpora filiorum quos diis sacrificaverant.

MORUS (ἡ συκάμινος) memoratur semel tantum in Scriptura Luc. 17,6 : dicetis huic arbori moro etc. In Vulgata quidem etiam legitur Ps. 77[78],47 : et occidit in grandine vineas eorum et moros (LXX τὰς συκαμίνους) eorum in pruina; sed vox hebraica שִׁקְמָה, quam LXX alias quoque συκάμινος interpretantur, potius vertenda est sycomorus (v. s. v.). Fructus vero arboris mori (morum, τὸ μόρον) memoratur 1 Mach. 6,34; in pugna ad Bethzacharam Syri elephantis ostenderunt sanguinem uvae et mori (μόρων) i. e. vinum rubrum et sucum mori, quo magis incitarentur ad proelium. — Secundum Talmudicos morus in Palaestina frequens erat; cf. *Mishna*, Maaseroth 1,2; *Buxtorf*, Lex. chald. talm. rabb. col. 2579. *Morus nigra* Linné (ex ordine Urticacearum) ex Persia et regionibus Asiae minoris oriunda iam Graecis erat notissima, deo Pan sacra, symbolum prudentiae; in Europa meridiana et occidentali per mille fere annos familiaris est. *Morus alba* Linné ex China oriunda est et in regionibus maris Mediterranei inde a saeculo 12. p.Chr. culta; eius folia bombyci nutrimentum exquisitum praebent.

Cf. *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées 1883 p. 119-122; *V. Hehn*, Kulturpflanzen u. Haustiere *ed.* 6, Berlin 1894, p. 373-379; *P. Cultrera*, Flora biblica 1861, p. 399 ss.; *F. Hamilton*, Botanique de la Bible 1871 p. 72; *L. Fonck*, Streifzüge durch d. bibl. Flora 1900, p. 46; *E. Post*, Flora of Syria 1896 p. 729.

MOSA (מוֹצָא, Μοσά, Μαισά, Μασσά).

1. Filius Caleb filii Hesron ex Epha concubina (1 Par. 2,46).

2. Filius Zamri e stirpe Ionathae filii Saul (1 Par. 8,36. 37; 9,42. 43).

3. Mosa (מֹוצָא, Μισά), Beniaminita, filius Saharaim de Hodes uxore genitus in terra Moab (1 Par. 8,9).

MOSEL (מְאוּזָל, LXX ἐξ Ἀσήλ, Syrus et Aquila : de Uzal; Chald. turmatim) legitur Ez. 27,19 in descriptione commercii Tyriorum cum Arabia. S. Hieronymus ad h. l. animadvertit Mozel sicut Dan et Iavan apud LXX de Theodotione esse addita et Symmachum pro Mozel transtulisse : *deferens*, ut sit sensus : Dan et Graecia *detulerunt* in nundinis tuis ferrum fabrefactum et caetera. Punctatio massorethica exhibet participium Pual, quod Gesenius explicat de lino neto, de filis, de textis scil. *quod netum est;* atque haec explicatio admitti posset, si Dan de urbe et emporio Aden accipere liceret; hoc autem omnino dubium esse vidimus s. v. DAN 4. Unde melius legendum videtur מְאוּזָל de Uzal, ut LXX, Syrus, Aquila legerunt et plerique legendum censent. Vide igitur UZAL.

MOSERA (מוֹסֵרָה, Μισαδαί) Deut. 10,6 seu **MOSEROTH** (מוֹסֵרוֹת, Μασουρούθ) Num. 33,30. 31 recensetur inter stationes Israelitarum in deserto.

Duplex de ea oritur difficultas. Prior in eo cernitur, quod Deut. 10,6 legitur : Mosera ubi Aaron mortuus ac sepultus est, dum Num. 20,22-30 et 33,38 Aaron in montem Hor ascendisse et ibi mortuus esse dicitur. Sed ex critica textuum comparatione colligitur Moseram stationem in vicinia montis Hor fuisse; unde consequitur Aaronem rectissime in Mosera mortuum dici potuisse, sicuti e converso ipsa statio tacito nomine Mosera a solo monte Hor nominatur (Num. 20,22; 33,37). In commentario in Num.

1899 p. 366 *F. de Hummelauer* adnotaverat : « Admirationem facit ante Hebraeorum adventum in Cades Num. 33, 36 excursio illa v. 35 in Asiongaber ad caput sinus Aelanitici... Fieri utique potuit, ut aliqua nostri elenchi pars loco excideret suo, ut stationes v. 30-35 primitus legerentur post v. 40. Elenchus quippe stationum inter montem Hor et fines Moabitarum utique incompletus est ». Consentit *M. J. Lagrange* ordinem primitivum stationum Num. 33 ita restituens, ut versus 36ᵇ-41ᵃ legantur post v. 30ᵃ : Profecti de Hesmona venerunt Cadesam, egressi de Cades castrametati sunt in monte Hor, profecti de monte Hor venerunt in Moseroth, Beneiaacan, Gadgad, Ietebatha, Hebrona, Asiongaber (Revue bibl. IX. 1900, p. 273 ss.). Erat igitur Mosera statio prope montem Hor vel etiam una eademque statio cum monte Hor, qui probabilius quaerendus est aquilonem versus a Cades in extremitate occidentali vel septemtrionali terrae Edom (v. HOR 1).

Altera difficultas oritur ex ordine, quo stationes enumerantur scil. Num. 33, 30-35 : Moseroth, Beneiaacan, mons Gadgad, Ietebatha, Hebrona, Asiongaber, sed Deut. 10,6. 7 : Beroth filiorum Iacan, Mosera, Gadgad, Ietebatha. Stationes certe eaedem sunt in utroque textu, ordo diversus est. Concedit *M. J. Lagrange* istos duos ordines absolute posse esse veros, si Beneiaacan (Beroth filiorum Iacan) supponatur statio maxime aquilonaris, a qua Israelitae Moseram redierint (Revue bibl. IX. 1900, p. 282). Aliam solutionem profert *F. de Hummelauer*, Comm. in Deut. p. 265 : istos duos versus 6 et 7 evidenter esse fragmentum itinerarii Hebraeorum correspondens Num. 33,30-33, esse eius textus non nudam repetitionem, sed alteram recensionem, pericopae 9,25-10,11 perquam inepte et praeter omnem contextum assutam, omnino dubiae auctoritatis; idem interpres l. c. exponit, quomodo hi duo versus a proximo contextu penitus alieni sint.

MOSOBAB (מִשׁוֹבָב, Μοσωβάβ), unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui tempore Ezechiae regis pascua terrae Gador occuparunt (1 Par. 4,34).

MOSOCH (1 Par. 1,17) vide s. v. MES.

MOSOCH (מֶשֶׁךְ, Μοσόχ, Μεσόχ), filius Iapheth, semper una cum Thubal nominatus, quare v. THUBAL.

MOSOLLAM (מְשֻׁלָּם; Μεσολλάμ, Μοσολλάμ, Μεσουλάμ, Μεσουλλάμ, Μεσολάμ, Vulgata etiam Messulam, Mesollam).

1. Messulam ex maioribus Saphan scribae (4 Reg. 22,3).

2. Mosollam filius Zorobabel (1 Par. 3,19).

3. Gadita, qui eo tempore in Basan degebat, quo genealogiae in diebus Ioatham regis Iuda recensebantur (1 Par. 5,13).

4. Beniaminita de filiis Elphaal (1 Par. 8,17).

5. Beniaminita, filius Oduia (1 Par. 9,8).

6. Beniaminita, filius Saphatiae (1 Par. 9,8).

7. Sacerdos de genere Sadoc, pater Helciae pontificis (1 Par. 9,11; Neh. 11, 11 et v. HELCIAS 1).

8. Sacerdos ex posteris Emmer (1 Par. 9,12).

9. Levita de filiis Caath, Iosiae regis tempore praepositus operariorum in restauratione templi (2 Par. 34,12).

10. Princeps, quem Esdras misit ad Eddo (Esdr. 8,16).

11. Levita tempore Esdrae (Esdr. 10, 15; Vulgata Mesollam).

12. Unus de filiis Bani, qui uxorem alienigenam duxerant (Esdr. 10,29).

13. Filius Barachiae, in muris Ierusalem reaedificandis occupatus (Neh. 3, 4. 30), qui filiam suam uxorem dedit Iohanan filio Tobiae Ammonitae (Neh. 6,18).

14. Filius Besodia (Neh. 3,6).

15. Unus e viris, qui Esdrae legem recitanti a latere steterunt (Neh. 8,4).

16. Sacerdos, signator foederis (Neh. 10,7).

17. Princeps populi, signator foederis (Neh. 10,20).

18. Pater Sellum incolae Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,7).

19. Princeps familiae sacerdotalis Esdrae in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,13).

20. Princeps familiae sacerdotalis Genthon in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,16).

21. Levita, custos portarum in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,25).

22. Unus e principibus Iuda tempore Nehemiae (Neh. 12,33).

MOSOLLAMIAS v. MESELEMIA.

MOSOLLAMITH (מְשֶׁלֶמִית, B Μασελμώθ, A Μοσολλαμώθ), sacerdos ex posteris Emmer (1 Par. 9,12). Idem Neh. 11,13 vocatur Mosollamoth (מְשִׁלְמוֹת, א Μασαλαμίθ).

MOSOLLAMOTH (מְשֶׁלֶמוֹת). **1.** Pater Barachiae principis in tribu Ephraim (2 Par. 28,12; Μοσολαμώθ).

2. Idem ac Mosollamith.

MOYSES (מֹשֶׁה, Μωϋσῆς, etiam quandoque Μωσῆς), magnus ille propheta, legislator, dux, qui populum ex Aegypto eduxit, rexit, leges ei condidit. Eius pater vocatur Amram ex tribu Levi et familia Caath, mater Iochabed ex eadem tribu (Ex. 6, 20; cf. 2,1). Fratrem habuit Moyses, Aaron, natu maiorem annis tribus (Ex. 7,7) et sororem, Mariam, pluribus annis natu maiorem (cf. Ex. 2,4. 7). Natus est Moyses, cum iam decretum regis editum esset, ut omnis masculus apud Hebraeos interficeretur (Ex. 1,16. 22). Regem illum oppressorem esse Ramessen II. fere communis est opinio. Mater videns puerulum elegantem nullo modo induci potuit, ut eum permitteret interimi (Ex. 2,2); fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem et non timuerunt regis edictum (Hebr. 11, 23). Sed cum iam celari non posset, puerulus in canistro e papyro expositus est in iuncis ripae fluminis. Hanc cistellam advertit filia Pharaonis quae ad lavandum descenderat, eamque sibi afferri iussit, cernensque infantulum vagientem miserta eius est. Soror infantuli prudenter efficit, ut mater eius a filia Pharaonis statuatur nutrix. Puer adultus adoptatur a filia Pharaonis et appellatur Moyses : quia de aqua tuli eum (Ex. 2,3-10).

Haec facta sunt in urbe Ramesses, quae vocabatur Tanis (Zoan), in qua rex saepe residebat. Filia Pharaonis vocatur Thermuthis (*Flav. Ios.* Ant. II. 9,5), apud Eusebium (Praep. ev. 9,27; *M.* 21, 729) appellatur Merris, quod utrumque nomen censet *Ebers* revocari posse ad nomen T-mer-en-mut, Tmermut (dilecta a dea Mut), quo nomine in monumentis aliqua uxor Ramessis regis designatur. Potest itaque haec filia Pharaonis esse filia Seti regis, soror Ramessis, quam Ramesses rex more aegyptiaco simul in uxorem assumpserat (cf. *Ebers,* Durch Gosen zum Sinai p. 82. 525; *F. de Hummelauer*, Com. in Exod. p. 39). Legitur Ex. 2,10 : quem illa adoptavit in locum filii vocavitque nomen eius Moyses dicens : quia de aqua tuli eum, מֹשֶׁה... מְשִׁיתִהוּ (משׁה trahere). Quae explicatio non est etymologica, sed obvie ad sonum accommodata. Nomen est certe aegyptiacum; refert *Ebers* (l. c. p. 526) משׁה ad aegyptiacum mes, mesu (infans puer), cuius notio perhibetur : extractus scil. e vulva matris. Alia explicatio subesse videtur formae nominis apud LXX Μωϋσῆς, « aquam Aegyptii vocant μῶυ, ἐσῆς eos qui ex aqua salvantur » (*Flav. Ios.* Ant. II. 9,6).

In aula regia eruditus est omni sapientia Aegyptiorum (Act. 7,21) et annos 40 natus visitavit fratres suos filios Israel (v. 23); vidit afflictionem eorum et forti animo percussit Aegyptium virum qui quendam de Hebraeis affligebat. Verum iam sequenti die expertus est Israelitas minime velle agnoscere suam auctoritatem. Aegre tulit Pharao Moysen defensionem Hebraeorum suscepisse; unde quaerebat eum occidere; quare Moyses relicta aula sese recepit in terram Madian, in paeninsulam sinaiticam; ibi commorabatur apud Raguel, sacerdotem Madian, cuius puellis opem praestiterat in ovibus adaquandis, acceptaque una ex eis, Sephora, in uxorem duos genuit filios Gersam et Eliezer. Tandem post annos quadraginta apparitione angeli in rubo ardenti divinitus edocetur ad montem Horeb de munere a Deo sibi impo-

sito, ut liberet populum ab oppressione eumque ex Aegypto educat. Titubantem et renuentem Deus confortat signis exhibitis, quibus populo probet se missum esse a Deo eique adiungit fratrem Aaron, qui sit dux verbi (Ex. 3,1-4,27). Primo adierunt seniores Israel; signis coram populo exhibitis sibi fidem conciliarunt, « et credidit populus; audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel et quod respexisset afflictionem eorum et proni adoraverunt » (Ex. 4,31). Dein afferunt ad regem mandatum Domini, ut populus pergat itinere trium dierum in desertum ad sacrificia offerenda « ne forte nobis accidat pestis aut gladius » (Ex. 5,3). Abnuit rex; immo augeri iubet onus populi, qui praeter laborem consuetum paleas quoque sibi pro lateribus conquirere debet, et ab exactoribus regis mox filii Israel qui praeerant operibus flagellati sunt, quia mensura laterum non implebatur. Quare exsurgit clamor populi contra Moysen, qui molestias auxerit. Deus autem alloquio Moysen et populum solatur certissima spe liberationis proposita (Ex. 5, 4-7,9).

Exinde sequitur longum illud certamen contra contumaciam regis qui bene perspexit populum non solum ad sacrificandum abiturum esse et qui plebem adeo numerosam et operibus addictam minime voluit dimittere. Plagis decem acerbioribus affligitur terra aegyptiaca, quae quidem singulae ab illa regione non plane alienae sunt, at certa annuntiatione, magnitudine et subita cessatione rationem miraculorum clare tamen prae se ferunt. Computatione facta omnino verisimile est integros novem menses praecessisse ultimam et exitialem plagam (cf. *F. de Hummelauer* l. c. p. 85). Cum iam immineret ultima plaga, lex promulgata est de celebratione paschatis; sanguine agni signabantur postes ac superliminaria, quod erat indicium liberationis a plaga. Mortuis primogenitis Aegyptiorum, rex et populus urgebant Israelitas, ut exirent velociter; hi postulabant ab Aegyptiis vasa argentea et aurea vestemque plurimam, qui libenter dabant, quo citius populus, tantorum malorum causa, abiret (Ex. 12,35). Moyses tulit ossa Ioseph secum eo quod adiurasset filios Israel dicens : visitabit vos Deus; efferte ossa mea hinc vobiscum (Ex. 13,19).

Egressos ex terra Gessen Moyses non duxit recto itinere in terram Chanaan; eo enim itinere statim fuisset congrediendum cum Philisthaeis bellicosis, quam pugnam populus suscipere non potuisset. Profecti itaque sunt de Ramesse in Socoth, inde in Etham, ubi castrametati sunt in extremis finibus solitudinis. Inde autem iubentur reverti aliquamdiu per eandem viam et meridiem versus proficisci et castra ponere in Phihahiroth. Ubi quaerenda sint loca Magdalum, Beelsephon (Ex. 14,2), dubium est; aliqui nos remittunt ad lacum *Timsāḥ* aut ad eius lacus meridiem (cf. *F. de Hummelauer* l. c. p. 143), alii multo magis ad meridiem lacuum amarorum, Phihahiroth esse hodiernum *Qalchat ʿAgrūd*, Beelsephon montem *ʿAtāqa* (cf. *Ebers* l. c. p. 97 s.; *Riess*, Bibel-Atlas, *ed.* 3 Tab. 2). Cum mutato itinere ab Etham reversi per loca satis deserta pergerent versus mare, rex nuntio accepto existimavit eos in incertum errare; « coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum » (Ex. 14,3). Quare cum magno exercitu eos persequebatur. Israelitae Aegyptiis appropinquantibus valde timuerunt; alii ad dominum clamabant, alii acerbe in Moysen invecti : forsitan, inquiebant, non erant sepulcra in Aegypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine! Iam experitur Moyses, quali populo durae cervicis sit praepositus. Ipse autem animo invicto spe in Dei promissis collocata timidos et ignavos erigit : Dominus pugnabit pro vobis. Ita factum est. Nube tenebrosa inter Israelitas Aegyptiosque interposita hi impediebantur quominus aggrederentur Israelitas; interea aestu minuente et vento urente aperitur vadum in summa maris parte; transeunt Israelitae; insequuntur Aegyptii, at redeuntibus fluctibus merguntur. Quo eventu divinitus concesso auctoritas Moysis apud plebem confirmatur; « crediderunt Domino et Moysi servo eius » (Ex. 14,31).

Successor Ramessis erat filius eius

Mernephtan, a quo Moyses populi dimissionem postulavit et obtinuit et cuius exercitus in mari Rubro periit. Ipse rex nullibi in narratione diserte affirmatur obiisse, neque id necessario sequitur ex Ps. 135,15 : et excussit (נָעַר) Pharaonem et virtutem eius in mari Rubro i. e. impulit eum et exercitum eius in mare.

Periculo adeo mire remoto cecinit Moyses et filii Israel carmen Domini, cuius carminis auctor merito ipse Moyses censendus erit (Ex. 15). Verum populus auxilium a Deo praestitum mox oblitus est. Itinere trium dierum facto deerat aqua; populus murmurat contra Moysen; in deserto Sin, die 15. mensis secundi iterum conqueruntur de penuria cibi; in Raphidim irascuntur contra Moysen ob defectum aquae. Forti animo contumacem plebem sustinet Moyses et oratione ad Dominum fusa ab eo impetrat remedium : in Mara aquae reddunturdulces; esurienti populo mittit Deus coturnices et manna, sitienti aquam e petra elicit (Ex. 15,22-17,7). Etiam contra hostes Moyse orante populus praevalet; ita contra Amalecitas, quam victoriam Moyses litteris mandare iubetur (Ex. 17, 8-16). Circa idem tempus venit ad Moysen socer eius, eique adduxit uxorem duosque filios et cernens nimium laborem Moysis in litibus populi dirimendis ei suasit, ut pro causis minoribus iudices constitueret; cui Moyses acquievit constitutis tribunis, centurionibus, quinquagenariis, decanis (Ex. 18,1-27).

In solitudine montis Sinai Moyses Deo dirigente et inspirante eas promulgavit leges, quibus res religiosae, civiles, familiares optime constituerentur. Sollemni modo foedus populi cum Deo conclusum est; « assumens volumen foederis legit audiente populo, qui dixerunt : omnia quae locutus est Dominus faciemus et erimus oboedientes, ille vero sumptum sanguinem (sacrificalem) respersit in populum et ait : hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his » (Ex. 24,7. 8). Moyses in monte cum Domino versatur per quadraginta dies, per quos accuratius de sanctuario eiusque ornatu, de sacerdotum vestibus et consecratione, de instrumentis sacris etc. divinis alloquiis edoctus est (Ex. 24,15-31,17) et completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai dedit Dominus Moysi duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei (Ex. 31,17). Interea autem populus idololatria peccaverat; Deo supplicat Moyses, ne populum interimat (Ex. 32,7-14); ipse vero Moyses advocatis ad se piis Dei cultoribus, filiis Levi, idololatras punivit; tria millia gladio levitarum interierunt. Dein iterata intercessione implorat et obtinet, ut Deus propitius sit populo et ipse mira Dei manifestatione donatur (Ex. 32,15-33,23), et denuo per 40 dies versatur cum Domino in monte et scripsit in tabulis verba foederis decem; reversus a monte, faciem prae se ferebat splendentem (Ex. 34,1-35).

Reconciliatione cum Deo perfecta Moyses iam apparatum sacrum faciendum curat potissimum per Beseleel et Ooliab; paratur tabernaculum, arca, altare, candelabrum, vestimenta sacerdotalia etc. quibus peractis Moyses erigit sanctuarium et sacra unctione consecrat (Ex. 35,30-40,36). Mox Aaron quoque et filii eius a Moyse ritu sacro ad sacerdotium initiantur et series legum de munditia, de expiatione, de sanctitate, de poenis scelerum, de festis etc. promulgatur (Lev. 8-27). Prima autem die mensis secundi anno altero egressionis ex Aegypto Moyses numerat viros bellicos tribuum duodecim; filiis Levi cura deferendi tabernaculum eiusque vasa attribuitur et quo ordine tribus singulae castra ponant determinatur (Num. 1-10).

Proficiscuntur a monte Sinai anno secundo mense secundo, vigesima die mensis et Moyses precibus ac promissis impetrat, ut Hobab, frater Sephorae uxoris Moysis, Hebraeis iungatur et partes in itinere agat exploratoris (Num. 10, 11-33). Sed vix per tres dies a monte Domini in desertum Pharan iter instituerunt, et iam exoritur murmur populi de labore itineris; insuper conqueruntur de manna, memores cuppediorum in Aegypto et sat magnam creant Moysi molestiam, ita ut graves querelas coram Domino fundat (Num. 11,1-15). Deus

pro sua clementia et Moysi assignat adiutores septuaginta et populo mittit coturnices. Verum prae intemperantia multi mortui sunt et loco reliquerunt nomen: sepulcra concupiscentiae. Exinde profecti sunt in Haseroth. In qua statione contra Moysen ipse eius frater et soror insurgunt ei exprobrantes uxorem ex Madianitis quam per contemptum Cushitam vocant et sua quoque iactantes charismata. Honorem servi sui egregie tuetur Deus et Maria lepra punitur exclusa ex castris septem diebus (Num. 12). De Haseroth profecti veniunt prope Cadesbarne; monet Moyses, ut fortiter incolas terrae aggrediantur. At illi timidi et pusillanimes exploratores praemitti volunt. Id Deus eorum ignaviae ac diffidentiae concedit; sed in poenam diffidentiae male cedit. Exploratores enim reduces talia narrant quibus animi plane concidunt. Vehementer insurgunt contra Moysen; frustra Iosue et Caleb obnituntur rei veritatem declarantes; Moyses iterum exsistit intercessor pro populo, ne Deus eos feriat pestilentia; verum qui murmuraverant subibunt poenam moriendi in deserto (Num. 13. 14). De hac generatione et de eo temporis spatio fere nihil refertur, solum commemoratur nova contra Moysen rebellio Core, Dathan, Abiron et 250 virorum, qui honorem sacerdotii sibi quoque deferri procaciter postulabant. Frustra amico alloquio Moyses eos placare conatus, ad Dei arbitrium provocat et ut populus ab auctoribus rebellionis recedat a Deo impetrat. Dathan et Abiron cum familiis terra absorbuit; Core vero cum factione igne divinitus immisso interiit. Ex quo iudicio divino tamen nova pro Moyse exorta est molestia: omnis multitudo murmurat contra eum et Aaron: vos interfecistis populum Domini; Moyses et Aaron fugiunt ad tabernaculum foederis, Dominus vero incendio incipit rebelles delere, donec iubente Moyse Aaron sacrificio thuris et deprecatione plagam avertit; demum virga Aaron prae aliis familiarum virgis florente eius sacerdotium signo divino confirmatur (Num. 16,17). Non obstantibus hisce signis divinis populus iterum penuria aquae pressus contra Moysen insurgens acerbe conqueritur de liberatione et egressu ex Aegypto. Interpellat Moyses Dominum et iubetur virga percutere petram; at ipse coram populo non dat gloriam Deo, verum rebellibus et incredulis exprobrans: num de petra hac, inquit, vobis aquam poterimus eiicere? Unde Dominus ad Moysen et Aaron: quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis (Num. 20,10 s. cf. Deut. 1,37). Mox Moyses mortem fratris lugere debet, qui luctus evadit acerbior ob verbum Domini repetitum de causa mortis: non enim intrabit terram, eo quod incredulus fuit ori meo ad aquas contradictionis; Moyses Eleazarum, filium Aaron, vestibus sacerdotalibus Aaron induit. De monte Hor, ubi mortuus est Aaron, profecti ab Edomitis prohibebantur, quominus per Edom transirent; unde coacti sunt circumire regionem Edom (cf. Deut. 2,8) et populum taedebat itineris longioris et consueto more murmurabant contra Moysen; puniti sunt serpentibus ignitis, quorum morsus inflammationem efficiebat. Plaga afflicti ad Moysen accurrunt, qui toties ab iis offensus tamen iterum pro iis ad Deum orat et remedium impetrat (Num. 21,4-9). Ipsum autem aditum ad terram promissam armis sibi parare debebant, pugnis scil. contra Sehon, regem Amorrhaeorum et Og regem Basan (Num. 21, 21-35; Deut. 2,26-3,12). Victoriis hisce Israelitarum perterritus rex Moab per Balaam Israelitis maledictiones infligere tentavit; at frustra (Num. 22-24). Verum pessimo Balaam consilio Israelitae seducti sunt cultu Beelphegor, et Moyses iubente Domino: occidat, inquit unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor (Num. 25,1-18).

Generatione illa priore demum exstincta Moyses iterum summam filiorum Israel numerare iubetur et ulcisci filios Israel de Madianitis. Bello hoc quinque reges Madianitarum et Balaam quoque interfecti sunt et mulieres etiam Moyses interfici iussit, quippe quae deceperant Israelitas ad suggestionem Balaam (Num. 26,1-61; 31,54); insuper ingens capta est praeda. Regiones autem quas Moyses

Sehon et Og regibus bello eripuerat, Moyses attribuit tribubus Gad et Ruben et dimidiae tribui Manasse, postquam illi spoponderunt se velle alias tribus fortiter adiuvare in expugnatione terrae transiordanicae (Num. 32; Deut. 3,12-20). Ita demum Israelitae pervenerunt ad limen terrae promissae. In campestribus Moab prope Iordanem Moyses ultimo alloquio populo in memoriam revocat beneficia accepta, pietatem et observantiam mandatorum Dei inculcat multiplici benedictione observantibus promissa, sed etiam maximis maledictionibus intentatis, si transgressi fuerint. Renovatur foedus cum Iahwe; Moyses Iosuen sibi sufficit ducem, tradit canticum memoriale populi, singulis tribubus benedicit de futuris quoque praenuntians et considerata e vertice montis Nebo omni regione terrae promissae diem obiit supremum et sepultus est in valle terrae Moab. Moyses aetatem attigit annorum 120, « non caligavit oculus eius nec dentes illius moti sunt » (Deut. 34,7), i. e. uti ex ultimis eius rebus gestis apparet, robore et vigore valebat usque ad ultimos vitae dies. Luctus funebris celebrabatur per dies triginta. Laus maxima tribuitur ei et operi ab eo perfecto : non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis quae misit per eum (Deut. 34,10. 11).

Ex brevi hoc rerum gestarum conspectu iam apparet id fere in universum verum esse quod una in adversitate de Moyse dicitur Num. 12,3 : erat autem Moyses afflictus (עָנָו cf. Ps. 10,17; 76,10) valde, magis quam omnes homines qui sunt super faciem terrae. Dux erat populi durissimae cervicis, laborum impatientis, qui non obstantibus tot portentis iterum iterumque omni fiducia abiecta in acerbas querelas prorumpit, Moysen omnium malorum auctorem accusat, in eum et Deum rebellis fit neque minis parcit. Modo integer quasi populus in eum insurgit, modo aliquae familiae; immo ab iis ipsis qui maxima necessitudine ei coniuncti erant convicia experiri debuit. Quali animi fortitudine opus erat, ut in tot gravissimis adversitatibus firmus consisteret? Quid mirum, si una alterave vice impatientia quadam abreptus in querelas prorumpit? Potius admiratione dignum est, quod sua utilitate et gloria posthabita Deum precatur : dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti (Ex. 32,31), et iterum, postquam Deus ei promisit deleto populo : te autem faciam principem super gentem magnam et fortiorem quam haec est (Num. 14,12), ipse et aemulator exsistit pro Dei gloria et intercessor pro populo rebelli et contumaci. Defectum firmae in Deum fidei semel admisit apud aquas contradictionis, quem defectum Deus acerbe satis in eo punivit; nam opus illud pro quo tot labores ac molestias per annos 40 sustinuit ad felicem exitum perducere ei non licuit; a longe salutata terra promissa diem obiit; coronam operi eius imponit alius.

Corpus quoque demortui in honore fuisse, vide in epistula Iudae v. 9.

I. KNABENBAUER.

MULUS, MULA (פֶּרֶד, פִּרְדָּה, ἡμίονος), hibrida asini et equae vel equi et asinae. Sicuti Israelitae tempore Davidis equos alere coeperunt (v. EQUUS), ita muli quoque ab eodem fere tempore in Palaestina apparent. Filii David regis vehebantur mulis (2 Sam. 13,29) et Absalom mulo insidens ex pugna in saltu Ephraim prope Mahanaim commissa aufugit (18,9). Super mulam regis David Salomon adducebatur in Gihon, ut rex ungeretur (3 Reg. 1, 33. 38. 44). Inter tributa Salomoni quotannis offerebantur equi et muli (3 Reg. 10,25; 2 Par. 9,24). Achab rex habebat equos et mulos (3 Reg. 18, 5). Oneribus quoque ferendis muli adhibebantur (1 Par. 12,40; 4 Reg. 5,17 Vulg. burdo; Iudith 2,17; 15,11 graece). Iuxta Is. 66,20 legati Messiae adducent omnes ex gentibus credentes ad montem sanctum in equis et in quadrigis et in lecticis et in mulis et in carrucis (Is. 66, 20; LXX ἐν λαμπήναις ἡμιόνων μετὰ σκιαδίων). Exsules cum Zorobabel reversi in Palaestinam adducebant equos 736, mulos 245, camelos 435, asinos 6720 (Esdr. 2,66; Neh. 7,68). Tyrii equos et mulos

ex Thogorma (Armenia) coemebant (Ez. 27,14). Zacharias propheta hostibus theocratiae praedicit ruinam equi et muli et cameli et asini et omnium iumentorum in castris (Zach. 14, 15). Una denique nominantur Ps. 31[32] 9 et Tob. 6,17 equus et mulus, quibus non est intellectus. Ex Iudaea Sennacherib multos mulos, asinos, camelos, equos abduxit (cf. Prisma hexagonum Sennacherib 3,18 ss.).

Lege Lev. 19,19 cautum erat : « Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus ». Hanc legem utique critici moderni haud pauci ad tempora post exsilium reiiciunt. Sed alia plura consideranda sunt. Fieri poterat, ut haec lex minoris momenti aevo regum ob aliquam rationem non amplius valuerit. Insuper non constat Israelitas ipsos feturam mulorum procurasse; poterant ab alienigenis mulos coemere v. g. a Tyriis (Ez. 27,14). Animadvertit denique *F. de Hummelauer* ad Lev. 19,19 loco parallelo Deut. 22,10 haberi : « Non arabis in bove simul et asino » et emendatione textus adhibita censet sensum Lev. 19,19 esse : « Non arabis in disparatis » animalia diversae speciei eidem simul submittens iugo.

Cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 124 s.; *P. Cultrera*, Fauna biblica 1880 p. 75-78; *J. G. Wood*, Bible animals 1892 p. 285-291; *H. O. Lenz*, Zoologie der alten Griechen u. Römer 1856 p. 211 s.

MUNDITIA, MUNDUS. Adhibetur vox de puritate a sordibus; ita si dicitur : lana munda, aqua munda, linum mundum etc.; quandoque exprimi videtur praeter puritatem venustas quaedam ac rei splendor : aurum mundum, mundissimum. Frequenter autem designatur mundities legalis i. e. esse purum vel liberum ab omni impedimento vel naevo vel immunditie legali, ita ut quis nulla indigeat lotione, expiatione ad res sacras peragendas, vel ad se ab aliqua impuritate contracta purgandum (vide s. v. IMMUNDITIA); cf. Lev. 7,19; praesertim cap. 13. 14. 15. 17. Peculiares leges munditiae legalis statuuntur sacerdotibus, ne scil. contaminentur in mortibus civium suorum, ne matrimonia contrahant quae eos dedeceant, ne defectu quodam corporali laborent (Lev. 21,1-24); item lege cautum est de munditia victimarum enumeratis defectibus, quibus victima non potest esse acceptabilis (Lev. 22,18-30). Pariter lege accurate determinatur, quaenam animalia sint munda, quaenam immunda i. e. quae comedere liceat, quae a comestione excludantur (Lev. 11,1-45; Deut. 14). Quod tamen discrimen animalium mundorum et immundorum lege mosaica antiquius multo est (cf. Gen. 7,2. 8; 8, 20). Inculcatur lege, ut differentias noveritis mundi et immundi (Lev. 11,47); reprehenduntur sacerdotes : inter pollutum et mundum non intellexerunt (Ez. 22,26); iubentur sacerdotes populum docere, quid sit inter mundum et immundum (Ez. 44,23).

Notione morali dicitur mundus, qui a peccato immunis est, innocens, purus moribus. Ita mundus a sanguine appellatur qui minime reus est occisionis alterius (cf. 2 Reg. 3,28); mundus ab iuramento est qui solutus est ab iuramento promissionis ita ut innocens sit si illud minime servaverit; cf. Ios. 2,20. Mundities manuum est innocentia in opere; unde coniunctim effertur Gen. 20,5 : in simplicitate cordis mei et munditia manuum mearum feci hoc; 2 Reg. 22,21 secundum munditiam manuum mearum retribuet mihi. Munditia cordis, cor mundum appellatur puritas ab omni peccato et sensus hominis pronus ad bonum et promptus in omne obsequium Dei. Semel videtur mundities adhiberi ad designandam conditionem ab omni contagione materiae liberam; ita de sapientia dicitur Sap. 7,24 : attingit autem ubique propter suam munditiam.

MUNDUS (Κόσμος). **1.** *Variae significationes vocis.* Mundus saepe adhibetur pro terra. Ita v. g. Iob 28,24 : ipse enim fines mundi intuetur, ubi in hebr. אֶרֶץ *terrae* fines leguntur; item si de regnis mundi sermo est, vel de evangelio annuntiando in toto mundo etc. Eo nomine homines quoque in terra viventes designantur. Eo modo quippe apostoli dicuntur lux mundi (Matth. 5, 4) et Christus ipse, ego sum, inquit, lux mundi (Ioan. 8,12); pariter Rom. 3,19 :

ut subditus fiat omnis mundus Deo. Qua notione capi quoque potest Eccli. 14,12: testamentum enim huius mundi: morte morietur i. e. statutum omnibus hominibus est: morte morientur. Eo sensu etiam dicitur hyperbolice: ecce mundus totus post eum abit (Ioan. 12,19). Quandoque legitur in Vulgata mundus, ubi in hebr. עולם, quae vox in s. litteris saeculum, perpetuitatem, aeternitatem, non autem mundum significat; haec notio mundi indita est voci posterioribus temporibus. Quare Hab. 3,6 colles mundi i. e. colles ex antiquissimo tempore, a saeculo constituti et Eccl. 3,11 habet Vulgata: mundum tradidit disputationi eorum, sed ex hebr.: dedit perpetuitatem in cor eorum.

Sensu generaliore mundus dicit creaturam universam, id quod caelo et terra exprimitur et continetur. Ita si Deus vocatur κτίστης creator mundi (2 Mach. 13,14), si dicitur, Deum uno nutu posse universum mundum delere (2 Mach. 8, 18), si appellatur Deus magnus mundi δυνάστης (2 Mach. 12,15; cf. 7,9). Eadem notio erit agnoscenda in dictione: a constitutione mundi, ante constitutionem mundi, praeterit figura huius mundi etc. Cf. Eph. 1,4; 1 Cor. 7,31; Matth. 13,35; Ioan. 17,5: priusquam mundus esset.

In sermonibus Christi apud Ioan. videtur mundus saepius significare temporalem hanc et terrestrem conditionem, quae opponatur statui aeterno ac caelesti; veni in mundum, iterum relinquo mundum (16,28); ego non sum de hoc mundo; vos de mundo hoc estis (8, 23); venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo (13,1).

Verum multo frequentius mundus dicitur presse sensu malo de regno, quod Deo opponatur et Deo inimicum sit, de pravis hominibus qui malis cupiditatibus obsequuntur. Ea ratione diabolus dicitur princeps mundi huius (Ioan. 12, 31; 14,30; cf. 2 Cor. 4,4 deus huius saeculi); et Christus ait: non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt (Ioan. 7,7); nunc iudicium est mundi (l. c. 12,31); Spiritum veritatis mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit; arguet mundum de peccato (l. c. 14,17; 15,18; 16,8); sapientia huius mundi stultitia est apud Deum (1 Cor. 3,19); ut non cum hoc mundo damnemur (1 Cor. 11,32); amicitia huius mundi inimica est Dei (Iac. 4,4); fugientes eius quae in mundo est concupiscentiae corruptionem (2 Petr. 1,4); nolite diligere mundum... omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae (1 Ioan. 2,15. 16) etc. — Aliquoties adhibetur vox mundi notione non mala, sed ad notandam hominis facultatem mere naturalem, quae a gratia nondum sit sanata et adiuta; ita: non quomodo mundus dat, ego do vobis pacem (Ioan. 14,27) et saepius, ubi fere notionem induit hominum qui suis viribus relinquuntur (Ioan. 17,25; 1 Cor. 1,20 etc.).

2. *Creatio mundi.* Mundum i. e. naturam rerum adspectabilium non esse ab aeterno, clare enuntiatur. Loquitur Christus de claritate quam habuit, prius quam mundus esset (Ioan. 17,5); mentio fit constitutionis mundi: a constitutione, ante mundi constitutionem (Matth. 13,35; Eph. 1,4; Hebr. 4,3). Deum esse creatorem mundi, saepius asseritur: Gen. 1,1; 2,4; 4 Reg. 19,15: tu es Deus solus omnium regum terrae; tu fecisti caelum et terram; 2 Par. 2,12: benedictus Deus qui fecit caelum et terram; item Iudith 13,24; Esth. 13,10; Ps. 31, 6; 88,12; 95,5; 101,26; 113,15; 123,8; 133,3; 134,6 etc. unde vocatur κτίστης τοῦ κόσμου (2 Mach. 13,14) et Act. 17,24 Deus fecit mundum et omnia quae in eo sunt; Hebr. 1,2; 11,3 etc.

De ratione qua mundus conditus sit, praeprimis agitur Gen. 1, ubi operatio divina sex diebus distinguitur et a rerum inchoatione et imperfectione ad perfectiora proceditur. Idem ordo creationis eleganter describitur in Ps. 103, et Iob 38,4-11 poetice illustratur institutio et quasi aedificatio orbis terrarum: ubi eras, quando ponebam fundamenta terrae? quis posuit mensuras eius, quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatae sunt aut quis demisit lapidem angularem eius? In aedi-

ficatione ac praeparatione terrae ibidem exhibentur filii Dei i. e. angeli Deum laudantes et iubilantes; gaudent scil. de habitaculo pro hominibus praeparando eorumque pro hominum commodo et salute cura ac sollicitudo amica iam praeclare praeformatur.

Secundum S. Scripturam terra a Deo creata erat inanis et vacua; deinde Deus hanc massam informem divisit in firmamentum, aquas, terram; tum terram instruxit plantis et animalibus. Prius igitur tempore creata est materia informis, postea formatio materiae successive facta est. « Iam antiquitus (inquit *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 83) distinguebantur Cosmogoniae partes tres praecipuae : opus creationis 1,1 s., quo caeli et terrae confusa indigestaque moles creabatur; opus sex dierum 1,3-31, quo suis quaeque ordinibus res creatae absolvuntur, opus completionis 2,1-3, quo consecrato die septimo creata omnia cultui divino subordinantur.

Rursum sex dierum opus iure merito in duos trinorum dierum ternarios secernitur, quorum prior 1,3-13 opere distinctionis tenebras coercet, aquas distribuit, terram ex undis attollit plantisque instruit; alter 1,14-31 opere ornatus caelos sideribus, aquas et aera reptilibus avibusque, terram quadrupedibus et homine frequentat. — Duo hi ternarii in sex proxime dies resolvuntur, qui singuli clauduntur formula : Et factum est vespere et mane dies..... Sex autem horum dierum octo sunt opera, cum ultimus cuiusque ternarii dies duplex opus habeat. Singulorum item operum insignis est symmetria. Ordiuntur ea a divino edicto v. g. Fiat firmamentum etc.; cf. v. 3. 9. 11. 14. 20. 24. 26. Edictum illico impletum demonstratur brevi formula : Et factum est ita; cf. v. 3. 7. 9. 11. 15. 24. 30. Inde impletum describitur : Et fecit Deus firmamentum etc.; cf. v. 3. 12. 16 ss. 21. 25. 27. Descriptionem in priore ternario consequitur appellatio, qua luci et tenebris, firmamento, aridae et mari nomen divinitus impositum v. 5. 8. 10 narratur. Subiicitur singulorum operum laudatio : Et vidit Deus quod esset bonum v. 4. 10. 12. 18. 21. 25 atque v. 31 generali laudatione concluditur. Tandem pro animantibus et homine v. 22. 28 ss. adiicitur benedictio : Benedixitque eis dicens etc. ». Hexaemeri structuram optime illustrat conspectus (l. c. p. 84), qui insignem symmetriam eamque secundum LXX in quibusdam magis absolutam ob oculos ponit; vide col. 283-4.

Varia systemata, quibus successio formationum in primo capite Geneseos proposita explicatur, paucis adumbranda sunt :

Diluvianismus defendit strata geologica cum suis fossilibus esse formata post creatum hominem scilicet diluvio vel aliis catastrophis postadamiticis. Sed haec theoria contradicit geologiae, quae multo longiores periodos formationum postulat; gratuito supponit violentam perturbationem, dum fossilia in stratis geologicis potius successivum progressum formationum postulant; non explicat cur inter fossilia, si sunt postadamitica, numquam inveniantur ossa humana; plane insufficiens est ad explicandam formationem siderum.

Restitutionismus strata geologica non post, sed ante hexaemeron formata esse contendit scilicet immensa tempora inter primam creationem Gen. 1,1 et Tohu-va-bohu Gen. 1,2 intercessisse, iis attribuendam esse stratorum geologicorum originem, in Cosmogonia biblica nobis describi orbis reformationem, non formationem. Imprimis haec theoria est mera hypothesis neque ullo fundamento nititur. Dein vero difficultatibus geologicis, quas vitare vult, opprimitur. Magnam aliquam catastrophen, qua tota formatio terrae per millia annorum iam exsistentis in Tohu-va-bohu redacta esse a Restitutionistis asseritur, geologia ignorat, immo negat. Fossilia enim ut plurimum non per violentam catastrophen, sed per lentam et continuam conversionem effecta apparent, praesertim cum permultae species plantarum et animalium, quae in stratis geologicis inveniuntur, hodiedum exsistant. Evidens denique est plantis et animalibus praeadamiticis opus fuisse luce ac sole, antequam diebus secundo et quarto Hexaemeri lux et sol crearentur.

	EDICTUM	IMPLETIO	DESCRIPTIO	APPELLATIO	LAUDATIO	BENEDICTIO
I. *Dies* : a) lux v. 3-5.	Dixitque Deus : Fiat lux.	Et facta est lux		Et vidit Deus lucem etc. appellavitque etc.		
II. *Dies* : b) firmamentum v. 6-8.	Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum	(Et factum est ita). καὶ ἐγένετο οὕτως.	(Et fecit Deus firmamentum etc.) καὶ ἐποίησε κ. τ. λ.	Vocavitque Deus etc.	καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν.	
III. *Dies* : c) mare et arida v. 9-10.	Dixit vero Deus : Congregentur etc.	Et factum est ita.	καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ κ. τ. λ.	Et vocavit Deus aridam terram etc.	Et vidit Deus quod esset bonum.	
d) plantae v. 11-13.	Et ait : Germinet terra etc.	Et factum est ita.	Et protulit terra etc.		Et vidit Deus quod esset bonum.	
IV. *Dies* : e) luminaria v. 14-19.	Dixit autem Deus : Fiant luminaria etc.	Et factum est ita.	Fecitque Deus duo luminaria etc.		Et vidit Deus quod esset bonum.	
V. *Dies* : f) aquatilia et volatilia v. 20-23.	Dixit etiam Deus : Producant aquae etc.	καὶ ἐγένετο οὕτως.	Creavitque Deus cete etc.		Et vidit Deus quod esset bonum.	Benedixitque eis dicens etc.
VI. *Dies* : g) animalia terrestria v. 24-25.	Dixit quoque Deus : Producat etc.	Factumque est ita.	Et fecit Deus bestias etc.		Et vidit Deus quod esset bonum.	
h) homo . 26-31.	Et ait : Faciamus hominem etc.		Et creavit Deus hominem etc.			Benedixitque illis Deus etc.

Interperiodismus opinatur in Cosmogonia biblica exprimi quidem sex dies vulgares, at non necessario continuos; fuisse in rerum natura sex periodos evolutionis, sed primum tantum diem ex singulis periodis efferri. Sed sensus obvius sacri textus, si indicat dies vulgares, indicat sane dies continuo se excipientes, quorum singuli non desierint, prius quam opus illis attributum quoad magnam partem exsecutioni mandaretur.

Periodismus censet dies Cosmogoniae mosaicae de longioribus periodis accipi posse, quod concedendum est, et accipi debere ob insignem concordiam inter epochas geologicas et dies hexaemeri. Periodistarum alii sunt Catastrophistae, qui in stratis geologicis sex epochas distinxerunt catastrophis quibusdam distinctas, alii Quietistae, qui praetermissis catastrophis affirmant sex epochas geologicas nonnisi generali quadam ratione diebus hexaemeri respondere. Verum imprimis videtur a revelatione divina alienum esse anticipare systema geologiae. Praeterea de concordantiis inter sex dies mosaicos et periodos geologicas hucusque stabilitis dicere licet Periodistas rem satis desperatam agere, testimonia stratorum ad sua placita detorquere, omni denique vento hypotheseon geologicarum et palaeontologicarum circumferri. Nec felicius cum geologia concordat Periodismus ille, qui in hexaemero agnoscit sex dies cosmicos, singulos 43200 annorum, mathematice aequales!

Allegorismus negat sex dies genesiacos esse ullo modo reales et adstruit creationem caeli et terrae Gen. 1,1 a Moyse synthetice referri, in sequentibus autem 34 versibus analytice explicari per metaphoram continuatam.

Poetismus fingit Cosmogoniam mosaicam poema a Moyse in Genesin transumptum, carmen non epicum, cuius narratio et poetica et vera esset, sed lyricum, hymnum sacrum, quo Deus sex diebus operans, septimo quiescens humano modo repraesentaretur.

Idealismus statuit sex dies genesiacos non esse accipiendos de temporali successione, sed de logica distinctione; per

sex dies non significari sex creationis tempora seu periodos, sed sex momenta logica seu sex principales classes operum Dei sive simul sive successive factorum. Idealistae igitur Cosmogoniam dicunt documentum mere religiosum seu dogmaticum, quo sabbatismus Dei proponeretur velut prototypus sabbati humani et praeceptum sabbaticum fulciretur.

Liturgismus expositionem idealem ita modificat, ut hexaemeron mosaicum asserat esse carmen liturgicum, quo singuli dies hebdomadae ad laudanda singula opera Dei referantur, sicut apud gentiles singulis diis planetaribus consecrati fuerint. Designari solet hic Liturgismus poeticus. Simili ratione excogitatus est Liturgismus historicus, qui dies hexaëmeri dicit esse dies successivos hebdomadae hebraicae institutos in memoriam singulorum operum Dei et hebdomadam affirmat esse aliquam imitationem operum divinorum, quae logice in sex partes dividantur.

Visionismus proficiscitur a principio Cosmogoniam nonnisi revelatione divina hominibus innotescere potuisse et hexaëmeron mosaicum interpretatur sex visiones, quibus Deus Adamo opus creationis revelaverit. « Adam in visione constitutus videbatur sibi sex dies naturales totidemque noctes in divinorum operum contemplatione transigere » (*F. de Hummelauer,* Comm. in Gen. p. 80. 81). Visionistae igitur textui sacro vindicant sex dies naturales scilicet in visione ab Adamo conspectos et rerum naturalium studiosis concedunt immensas formationum periodos. Theoria visionis admitti potest, dummodo concedatur sex diebus visionis obiective respondere opera divina secundum gradus perfectionis in sex classes distincta, quae sint prototypus hebdomadae secundum Ex. 20,11 : « Sex enim diebus fecit Deus caelum et terram et mare et omnia, quae in iis sunt et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum ».

Theoria visionis eo quoque sensu defendi potest, ut vocabulo diei in primo capite Genesis dicantur respondere diuturnae temporis periodi (licet non pe-

riodi geologicae). « Facillima via explicandi primum caput Genesis multis haec vel similis videtur » inquit *Ch. Pesch* (Praelect. dogm. *ed.* 3 III. p. 44) : « Revelatio creationis facta est per visionem (cf. *S. Ioan. Chrysost.* in c. 1 Gen. *M.* 53, 28), in qua per vicissitudinem tenebrarum et lucis ostendebantur singula opera Dei, quae sunt exemplar hebdomadae humanae. His visionibus respondet obiectiva successio operum Dei. Modus autem narrandi est is, qui prophetis est proprius, quique in eo consistit, quod propheta, cum prima initia alicuius eventus annuntiat, cum iis statim totum progressum usque ad finem coniungit (e. g. saepe prophetae cum intimatione alicuius magnae poenae a Deo infligendae coniungunt praedictionem ultimi iudicii). Itaque hoc quoque loco homo a Deo inspiratus, ubi primum videt apparere unam classem rerum, statim totum illud genus creaturarum describit, quamvis forte progressus huius partis formationis mundi simul fuerit cum aliis, quae postea nominantur. Ergo opera sex dierum inter se non excludunt, ut unum necessario fuerit omnino perfectum, antequam aliud inchoetur; sed primae origines rerum eo ordine enumerantur, quem natura rerum postulat. Hoc modo Moyses enuntiat prius opus divisionis ante opus ornatus, quia in statu primi *tohu-vabohu* non poterant apparere organismi. Post opus divisionis prius veniunt plantae, quibus animalia indigent pro nutrimento, dein inferiora animalia, tum superiora, demum homo, id quod plane respondet factis (cf. *Leunis*, Geognosie [Hannover 1876], p. 742 s. 755 s. 785 s.). Quod autem sol apparet post primas plantas iam productas, non creat difficultatem. Nam potuit terra prius esse circumdata densissimis vaporibus, quos nulla lux posset penetrare. Postquam vero hi vapores sufficienter disparuerunt, poterat lux diffusa pervenire ad terram et sufficere ad vitam infimarum plantarum, sive haec lux veniebat a sole iam formato, qui tamen propter densas nebulas nondum poterat secundum suam figuram videri, sive erat alia lux cosmica, antequam sol perfecte formatus esset. His quoque nebulis dispersis sol perfecte formatus erat vel saltem primum apparebat (*C. Braun*, Kosmogonie *ed.* 3 Monaster. 1905, p. 324 ss.). Haec autem generalis concordantia ad populi captum accommodata et sacro textui et disciplinis naturalibus plane satisfacit ».

3. *Finis mundi.* Mundus hic adspectabilis uti initium habuit, ita finem habebit; erit consummatio (τέλος) huius saeculi (Matth. 13,39 s.; 24,3. 14; 28, 20). « Caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero caelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat » (2 Petr. 3, 10-13); cf. Is. 65,17; 66,22; Rom. 8,21; Apoc. 21,1.

Haec fient quando venerit dies secundi adventus Domini universalisque iudicii, qui in igne revelabitur (1 Cor. 3, 13), revelatio (ἀποκάλυψις) Domini Iesu de caelo cum angelis virtutis eius in flamma ignis (2 Thess. 1,7. 8), adventus (ἐπιφάνεια) Domini nostri Iesu Christi (1 Tim. 6,14), eius παρουσία (Matth. 24,3). Diem autem illum omnibus esse incognitum ipse Christus iterato testatur (Matth. 24,36; Marc. 13,32) et S. Paulus iterato inculcat (1 Thess. 5,2. 3; 2 Thess. 2,2).

Ante consummationem mundi praedicabitur evangelium in universo orbe terrarum, ubicunque aliqua gens vitam degit (Matth. 24,14); attamen evangelium in toto orbe praedicatum nequit simpliciter dici signum adventus Domini, quia certum quidem est evangelium prius esse omnibus gentibus annuntiandum, incertum autem manet, an simulatque praedicatum fuerit finiendus sit mundus (*Maldonatus*). Secundum Domini adventum praecedet antichristus (vide s. v.) et magna a fide defectio seu apostasia, quae antichristi vias praeparat eiusque adventum sequitur (2 Thess. 2,3 s.). Antichristo resistent duo

testes Christi (Apoc. 11,3 ss.), quorum prior satis clare in S. Scriptura indicatur Elias (Mal. 4,5. 6; cf. Eccli. 48,10; Matth. 17,10 s.), alter censetur esse Henoch (cf. Eccli. 44,16). Post gentium plenitudinem etiam plenitudo Israelis particeps fiet messianae salutis (Rom. 11,25-32 et cf. textus de Elia allatos).

Propinquum autem finem mundi annuntiabunt signa prodigiosa in caelo et in terra (Ioel 2,30. 31; Matth. 24,29 ss.; Marc. 13,24 ss.; Luc. 21,25 ss.); accedunt plagae, quae in Apocalypsi describuntur fieri aperto sexto sigillo (6, 12 ss.), aperto septimo sigillo (8,7. 8. 10. 12; 9,2. 18), effusione phialarum 16,2-21).

MUNIM (מְעוּנִים, Esdr. 2,50 Μοουνίμ, Neh. 7,52 Μεϊνών), familia Nathinaeorum, quae cum Zorobabel ex captivitate rediit (Esdr. 2,50; Neh. 7,52). Videntur Munim referendi esse ad gentem nomadum, qui scribuntur 1 Par. 4, 41 *Qeri* מְעִינִים, Vulgata habitatores, 2 Par. 20,1 הָעַמּוֹנִים, Vulgata Ammonitae, 26,7 הַמְּעוּנִים, Vulgata Ammonitae; LXX his locis οἱ Μιναῖοι. Unde probabiliter Munim sunt Minaei (*Strabo* XVI. 4, 2; *Diod. Sic.* III. 42,5), gens Arabiae, Sabaeorum contermini. Neque obstat, quod Munim ex ll. cc. S. Scripturae colliguntur terram Edom incoluisse. Etenim Minaeorum inscriptiones etiam repertae sunt in Arabia aquilonari vergente ad occidentem, ubi Minaei colonias habebant iuxta Edom (*Hilprecht*). Principalis sedes gentis Munim videtur fuisse *Ma'ān* ad orientem Petrae (cf. *M. Hagen*, Atlas biblicus Tab. 3 F 2).

De Minaeis cf. *Buhl*, Die Edomiter 40 ss.; Zeitschr. d. D. Morgenl. Ges. XLIV. 1890, 505; *Fr. Hommel*, Aufsaetze und Abhandl. 2 ss. 48 ss.; *idem*, Süd-Arabische Chrestomathie... Minäische Inschriften, München 1893; *Otto Weber*, Das Alter des minäischen Reichs, in Mitteil. d. vorderasiat. Gesell. 1901 p. 1-60; *J. H. Mordtmann*, Beiträge zur Minäischen Epigraphie, Weimar 1897; *H. V. Hilprecht*, Explorations in Bible Lands during the 19th Century, Philadelphia 1903, p. 728.

MUNUS, MUNERA. Ea voce saepius designantur dona quae sponte alteri dantur ad eius captandam benevolentiam, ad animum gratum exhibendum, ad honorem alicui deferendum. Generatim donum seu munus offerebatur, si quis vir nobilis erat adeundus. Ita Iacob patriarcha filiis suis mandat: sumite de optimis terrae fructibus in vasis vestris et deferte viro munera (Gen. 43,11). Ut Iacob fratrem Esau sibi propitium reddat, larga munera ei obviam mittit (Gen. 31). In signum amicitiae dat Ionathan Davidi vestimenta sua, balteum, gladium, arcum (1 Reg. 18,4). Plurima munera mittit Benadad rex Syriae per Hazael ad Eliseum quem de morbo suo consulere vult (4 Reg. 8,8). Praeter res ad vitam necessarias dono dabantur vasa aurea, argentea, inaures, armillae, vestes pretiosae (cf. Gen. 24,22; 2 Reg. 18,11; 3 Reg. 10,2. 25; 15,19; 4 Reg. 16,18; Matth. 2, 11 etc.).

Tributa quae solvenda erant etiam munera quandoque vocantur. Ita miserunt munera filii Israel ad Eglon regem Moab, cui servierunt subiecti (Iud. 3,15. 17. 18). Qui Saulem regem agnoscere nolebant, non ei attulerunt munera (1 Reg. 10,27); Moabitae servi facti David offerebant munera, Syria quoque serviebat et offerebat ei munera (1 Par. 18,2. 6) et Ammonitae appendebant munera Oziae (2 Par. 26,8; cf. 2 Par. 17, 5. 11 etc.).

Munera accipere severe prohibetur iudicibus, ne scil. corrumpantur; Ex. 23,8: nec accipies munera (שֹׁחַד) quae etiam excaecant prudentes et subvertunt verba iustorum; item vox eodem sensu habetur Deut. 10,17 et 16,19 et 27,25: maledictus qui accipit munera; Samuel profitetur se numquam munus accepisse 1 Reg. 12,3, sed filii eius declinaverunt post avaritiam et acceperunt munera (1 Reg. 8,3); largis muneribus Asa inducere studet Benadad regem Syriae, ut irritum faciat foedus cum Baasa rege Israel (3 Reg. 15,19). Laudatur, qui munera super innocentem non accepit Ps. 14,5; dum e contra: in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus (Ps. 25,10) et: munera de sinu impius accipit, ut per-

vertat semitas iudicii (Prov. 17,23; cf. Eccli. 20,31). Isaias conqueritur : principes tui socii furum, omnes diligunt munera; iustificatis impium pro muneribus (Is. 1,23; 5,23) et pariter Michaeas : principes eius in muneribus iudicabant (Mich. 3,11) etc.

Uti vox מִנְחָה pro dono et pro sacrificio adhibetur, ita munus quoque et pro ea voce sensu sacrificali ponitur, et etiam pro קָרְבָּן, נֶדֶר, נְדָבָה; ita sacrificia Cain et Abel munera dicuntur; praesertim autem fertum ea voce designatur (cf. Lev. 2,14. 16; 1 Reg. 2,29; 3,14; Mal. 1,11 etc.); alias vox redditur in Vulgata oblatio; adhibetur de donis quae principes offerebant Num. 7,3. 11 etc.; de votis spontaneis Deut. 12, 11; Esdr. 3,5 et generatim de sacrificio seu oblatione Neh. 13,5; Matth. 5,13; 8,4; 15,5 (quod parentibus debebatur, tamquam *munus, qorban* Deo offerebatur); Luc. 22,1 de oblatione pecuniae; Hebr. 8,3. 4; 9,9; 11,4 etc.

MUREX legitur Bar. 6,71 : a purpura quoque et murice (τῆς μαρμάρου), quae supra illos tineant, scietis [itaque], quia non sunt dii. Explicatur ἡ μάρμαρος pannus rubro colore tinctus, rutilus marmoris instar, splendidus. Sensus est : scietis idola non esse deos vel a vestibus purpura muriceque tinctis, quae istos deos splendidissime ornant, sed a putredine praeservari nequeunt. Color iste procurabatur ex muricum speciebus, quarum praecipua erat *murex brandaris*, prope Tyrum frequens. Cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 1889, p. 297-8. Ceterum v. PURPURA.

MUS. 1. Mus in Vulgata hebraico עַכְבָּר respondet, de cuius significatione et veteres interpretes et auctores recentiores omnino consentiunt. Nomen autem hebraicum; sicut μῦς et *mus* penes Graecos et Latinos, et *fār* Arabum, saepe potius genericum est variasque species ex familia *Muridae*, immo probabiliter etiam species similes ex affinibus familiis designat. In catalogo animalium palaestinensium *H. B. Tristram* 25 murium species enumerat, quae ad genera *Mus* (germ. *Maus* et *Ratte*), *Acomys*, *Cricetus*, *Nesokia*, *Gerbillus*, *Psammomys*, *Arvicola* pertinent. Ex quibus communissimae fere sunt *Mus decumanus* Pallas (*Wanderratte*), *M. alexandrinus* Geoffroy, *M. musculus* Linné (*Maus*), *Cricetus phoeus* Pallas (*Hamster*), *Arvicola arvalis* Gmelin (*Feldmaus*); accedunt *Dipus aegyptius* Lichtenstein (*Springmaus, Ierboa*) cum duabus aliis speciebus ex familia *Dipodae, Myoxus glis* Schreber aliaeque ex fam. *Myoxidae* etc.

Cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, p. 122-4; *id.* Fauna and Flora of Pal. p. 10-17; *A. E. Brehm*, Tierleben, *ed.* 3, *Pechuel-Loesche* II. p. 490 — 526; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I., 1, p. 327-32; *J. Leunis*, Synopsis I. 1, *ed.* 3, *H. Ludwig*, p. 215-24. — De nomine arabico et aethiopico cf. *Fr. Hommel*, Namen der Säugethiere, p. 336-9. 384. — De muribus penes Graecos et Romanos cf. *H. O. Lenz*, Zoologie der alten Griechen u. Römer, p. 151-5; de Aegyptiis v. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs of the Anc. Eg. III. p. 294; *Ad. Erman*, Aegypten p. 590 (ex Papyro Anastasi); de Talmude v. *L. Lewysohn*, Zoologie des Talmuds, p. 105-9. 345-7.

2. In S. Scriptura mus hoc sensu generali imprimis occurrit in catalogo parvorum animalium immundorum (Lev. 11,29), ubi secundum locum occupat. Etiam in alio textu sacro, ubi Dominus per Isaiam increpat eos « qui comedebant carnem suillam et abominationem et murem » (Is. 66,17), aliqui interpretes nomen muris eodem sensu generali exponunt. At maxime de illis speciebus hic intellegendum videtur, quae antiquitus in cibum adhibebantur. Ad quas imprimis pertinebant glires, (*Myoxus glis* Schreber), quos ideo S. Hieronymus imprimis nomine muris designatos censet (in Is. 66,17. — Cf. *Varro*, de re rust. 3,15; *Plin.* VIII. 57,223 s. etc.). Praeter hanc speciem, etiam in Palaestina, praesertim in valle Iordanis, communissimam (*Tristram*, Fauna p. 15), in Oriente etiam *Cricetus* et *Dipus*, atque alicubi aliae quoque Muridarum species (cf. *Oedmann*) cibum incolis acceptum praebent.

Cf. *Sam. Oedmann*, Vermischte Samml. 2, p. 43-50; *Lenz* o. c. 150; *Lewysohn* o. c. 108 s.

3. Paulo accuratius in mures Philisthinorum (1 Reg. 5 et 6) inquirendum est. Imprimis quoad textum notare iuvat, in Vulgata clementina murium mentionem iam in capite quinto (1 Reg. 5,6) occurrere ubi legimus : « *et ebullierunt villae et agri in medio regionis illius et nati sunt mures et facta est confusio mortis magnae in civitate* ». At in antiquioribus meliorisque notae exemplaribus (A, D, E, H, I, K, L 6., M, N, O, Q, U etc. ap. *Vercellone*) haec verba a textu hebraico aliena etiam in Vulgata desiderantur atque etiam a censoribus textus sixtini expuncta fuerunt; neque ab ipso S. Hieronymo in textum recepta, sed recentiore aetate ex textu graeco mediante antiqua versione latina in Vulgatam videntur transvecta. Sola translatio alexandrina, exceptis aliquibus codicibus et editionibus complutensi et regia antverpiensi, additamentum illud exhibet atque ex parte cap. 6,1 iterum repetit (καὶ ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μύας).

Unica igitur mentio murium in textu hebraico et in hieronymiano Vulgatae invenitur cap. 6,5 : « *facietisque... similitudines murium qui demoliti sunt terram* »; quae similitudines aureae in piaculum a Philisthinis datae rursus v. 11 et v. 18 commemorantur, et in textu massorethico etiam v. 4.

Cf. *C. Vercellone*, Variae Lectiones Vulgatae in 1 Reg. 5,6; *J. Wellhausen*, Der Text der Bücher Samuelis, in 1 Reg. 6,4 (p. 62-4); *S. R. Driver*, Notes on the Hebrew Text of the Books of Samuel p. 47 s.; *N. Peters*, Beiträge zur Text-und Literarkritik, sowie zur Erklärung der Bücher Samuel, p. 105 s. 121-3;

De authenticitate additamentorum graecorum, quam defendit *N. Peters*, et pro 6,1 etiam *A. Klostermann* annuente *K. Budde*, iudicium ferre non huius loci censemus.

4. Quoad interpretationem textus citati sententia communior iuxta obvium sensum verborum duplicem plagam Philisthinorum admittit : alteram ulcerum pestiferorum (עֳפָלִים, de quo v. Comment. et Lex.), quibus plurimi misere peribant, alteram murium, qui agros devastabant. Qui quidem mures ad tres potissimum species pertinuisse supponendi sunt, *Mus silvaticus* Linné, *Cricetus phoeus* Pallas et *Arvicola arvalis* Gmelin, in Palaestina communes agrorumque prae ceteris devastatores (*Tristram*, Fauna, p. 11. 13). Multa de damnis ingentibus istorum murium exempla ab antiquis et recentioribus auctoribus afferuntur (*Aristoteles*, Hist. Anim. 6,30 al. 37; *Plin.* X. 65,186; *Aelian.* Nat. Anim. 6,41 etc. Cf. *Bochart*, *Oedmann*, *Lenz* al.).

Post *F. Hitzig* praesertim *J. Wellhausen* (l. c.) aliique recentiores unicam ulcerum plagam admitti debere opinati sunt, cuius symbolum fuissent mures illi aurei in piaculum dati; verba autem « *qui devastant terram* » nil aliud significare quam « mures *agrestes* ». Concedunt tamen, non modo in versionibus antiquis, verum etiam in ipso textu massorethico (6,18 cf. v. 17) duplicem plagam distingui.

At critici illi praepostere modico veri fundamento nimis altum aedificium videntur superstruere. Nam intimus quidam nexus inter utramque plagam murium ulcerumque pestiferorum omnino admittendus videtur, qui non symbolicus tantum, sed verissimus et realis est, et utramque plagam distinctam supponit. Etenim iam scriptores veteres profani nexum aliquem inter mures luemque pestiferam indicant. Ita *Strabo* de Iberis loquens « neque illis solis, inquit, peculiaris est murium multitudo, quam saepe pestifera lues subsecuta est » (οὐδὲ τὸ τῶν μυῶν πλῆθος ἴδιον, ἀφ' οὗ καὶ λοιμικαὶ νόσοι πολλάκις ἠκολούθησαν. III. 4,18, *ed. Casaub.* p. 165) idque Romanis in Cantabria accidisse narrat. Eodem fortasse pertinet quod interitus exercitus Assyriorum in obsidione hierosolymitana, quem angelo Domini percutienti tribuunt s. litterae (4 Reg. 19,35; Is. 37,36. Cf. Tob. 1,21; Eccli. 48,24; 1 Mac. 7,41; 2 Mac. 8,19) a *Josepho* pestiferae lui, ab *Herodoto*, rem confuse ex auditu referente, muribus armorum partes ex corio factas corrodentibus adscribitur (*Flav. Jos.* Ant. X. 1,4 s., *ed. Niese* n. 1921; *Herod.* 2,141). Atque similiter mures hostibus incolisque perniciosos fuisse auctores saepius narrant (cf. *Strabo* XIII. 1, 48, *ed. Casaub.* p. 604 s.

Aelian. Nat. Anim. 6,41; 12,5 etc.). Nostra vero aetate praesertim post tristissimam pestis indicae calamitatem (18 6-1900) experimento compertum est, varias murium species et facillime peste infici et quam maxime luem propagare et saepissime morbum in homines transfundere.

Quodsi igitur interpretes quidam textus sacri cum *S. Gregorio M.* (in 1 Reg. Exp. III. 3,5. *Migne* 79,175 D), *Petro Comestore* (Hist. Scholastica l. 1. Reg. c. 8. *M.* 198,1301 A), *Alph. Tostato* (in 1 Reg. 5, qu. 15. Cf. *Drusius* in 1 Reg. 5,6; *Munsterus* in 1 Reg. 6,5 etc.), mures momordisse incolas atque intestina eorum corrosisse tradunt, recte nexum verum inter murium et ulcerum plagam supponunt, licet indebite illum exaggerent. Atque ita vere cum codice hebraico taurinensi 16. (ap. *Vercellone*) mures non modo terram (אֶת־הָאָרֶץ tex. mas.), verum etiam populum terrae (אֶת־עַם הָאָרֶץ) demoliti esse dici poterunt.

Cf. pro sententia communi *Sam. Bochart*, Hieroz. III. 34, *ed. Rosenm.* II. p. 429-35; *Sam. Oedmann*, Vermischte Samml. 2, p. 43-50; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, p. 223 s.; *Tristram*, Nat. Hist. l. c.; *Ad. Kinzler*, Bibl. Naturgesch., *ed.* 9, p. 43-5; *P. Cultrera*, Fauna bibl., p. 216-8; *H. Ch. Hart*, Animals ment. in the Bible, p. 157-9; *J. G. Wood*, Bible Animals, p. 91-6; *H. J. van Lennep*, Bible Lands 1, p. 232-6; *M. L. Cl. Fillion*, Atlas d'hist. nat. de la Bible p. 95, n. 272.

Vulgata de incolis Bethuliae milites Assyrios per contemptum dixisse refert : « *egressi mures de cavernis suis* » (Judith 14,12); quod in textu graeco non legitur (cf. 1 Reg. 14,11). « *Muscipula* » ab eadem Vulgata in libro Sapientiae (14,11) commemoratur, ubi in textu graeco legitur παγίς, laqueus.

L. FONCK.

MUSACH (מוֹסָךְ *Qeri*). Vox hebraea est ἅπαξ λεγόμενον 2 Reg. 16,18 notionis incertae; quare in Vulgata vox eadem retenta est. LXX eo loco praebent τὸν θεμέλιον τῆς καθέδρας (?). Ex ratione etymologica explicant vocem tectam viam seu porticum, et intellegunt de loco quodam tecto in atrio templi, destinato pro rege eiusque aulicis, si diebus sabbati sacris caerimoniis interesse volebat. Unde Musach sabbati. Obscurum est, cur propter regem Assyriorum Achaz eiusmodi porticum removerit. Alii putant ornamenta inde desumpta dono missa esse regi Assyriorum (cf. 2 Par. 28,20 ss.).

MUSCA (זְבוּב, μυῖα) legitur Eccle. 10,1 : muscae morientes perdunt suavitatem unguenti vel potius (hebr.) foetere et corrumpi faciunt oleum pigmentarii, et Is. 7,18 : sibilabit Dominus muscae, quae est in extremo fluminum Aegypti; ad h. l. notat *Knabenbauer* : « Muscas Aegyptios vocat, cum in regionibus aegyptiacis, utpote Nili inundationibus humidis, innumerabiles earum copiae generentur; unde fortasse factum est, ut signum hieroglyphicum inferioris Aegypti imagine vespae exprimeretur (cf. *Ebers*, Aegypten u. d. Bücher Mose's 1868 p. 73 s.). Insuper animalcula haec sordida sordibusque cuncta maculantia et importunitate sua atque impudentia omnibus molesta et exosa apte depingunt et quasi in imagine exprimunt vel Aegyptiorum idololatriam sordidam moresque impudicos vel crebros importunosque incursus vel stridorem atque copiam ». Eadem muscae designatio in nomine Beelzebub seu Baal muscarum merito cernitur; v. s. v. BEELZEBUB.

Praeterea S. Hieronymus in quarta plaga aegyptiaca Ex. 8,21 ss. interpretatur muscas, quae hebr. 8,17 ss. appellantur עָרֹב (LXX ἡ κυνόμυια). Ad eundem eventum referuntur Ps. 77[78], 45; 104 [105], 31 (עָרֹב, ἡ κυνόμυια, Vulgata coenomyia) et Sap. 16,9; 19,10.

Voce ערב antiqui interpretes designari censebant muscarum colluviem, miscellam turbam (Graec. Venet. σύγχυσις, Aquila πάμμυια, Vulgata omne genus muscarum). Contra quam opinionem *Bochart* (Hieroz. II. l. 4, c. 15; ed. Francofurti 1675, II. 555 s.) arguit ea voce non significari mixturam aut colluviem, sed speciale aliquod animal scil. muscam caninam (LXX κυνόμυια), canibus maxime infestam atque ob id

ipsum magis odiosam Aegyptiis, a quibus colebantur canes; musca canina ad canis aures potissimum se applicat, sed et reliqua animalia invadit. Minus feliciter alii *blattam orientalem* Linné praeferendam esse opinati sunt, uti *Sam. Oedmann* (Vermischte Samml. II. 7 p. 150-160) et *I. D. Michaelis* (Suppl. ad lex. hebr. p. 1962). Etiam voce זבוב certam quandam muscarum speciem intellegi voluit *Oedmann* (l. c. VI. 9 p. 79-83). Sed deficientibus indiciis positivis vix aliud quidquam dici poterit, quam vocibus ערב et זבוב designari vel Muscidas vel Tabanidas vel Oestridas, quae ad ordinem Diptera pertinent.

Muscae, tabani, oestri in Aegypto abundant ibique multo plures ac vehementiores sunt quam in Syria, ubi Arabes hodierni voce *dthebab* (= זבוב) appellare solent oestros sanguinem sugentes, in valle Iordanis frequentissimos.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. l. 4, c. 9 De musca; ed. Francofurti II. p. 496-501); *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 327; *J. G. Wood*, Bible Animals 1892 p. 632-4.

MUSCIPULA. Adhibetur vox sensu metaphorico i. e. παγίς, laqueus, Sap. 14,11. Et in Vulgata quidem legitur: quoniam creaturae Dei in odium factae sunt et in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium. At ex graeco et ex contexta oratione elucet, *creaturae* intellegi de idolis, quae fiant in tentationem et laqueum hominibus insipientibus. Nam ita graece; καὶ ἐν εἰδώλοις ἐθνῶν ἐπισκοπὴ ἔσται, ὅτι ἐν κτίσματι θεοῦ (in creatura Dei, inter res a Deo creatas, vel tamquam res a Deo creata scil. aurum, argentum, ex quo consistunt idola) βδέλυγμα ἐγενήθησαν καὶ εἰς σκάνδαλον ψυχαῖς ἀνθρώπων καὶ εἰς παγίδα ποσὶν ἀφρόνων. Annuntiatur l. c. idolis destructio. Vulgata: « non erit respectus » i. e. iis non parcetur; graece: erit visitatio iudicii divini contra illa.

MUSI (מוּשִׁי, Μουσί et Ex. 6,19 Ὁμουσεί), filius Merari et frater Moholi (Ex. 6,19; Num. 3,20; 26,58; 1 Par. 6, 19. 47; 23,21. 23; 24,26. 30); ab illis duobis fratribus Moholi et Musi duae familiae Meraritarum descendunt.

MUSICA. Ante diluvium iam musices mentio fit; Iubal enim, filius Lamech et Adae, pater fuit canentium cithara i. e. instrumento chordis instructo et organo i. e. fistula (Gen. 4, 21). Tempore patriarcharum cantica cum tympanis et citharis memorantur ad gaudii significationem (Gen. 31,27). In tota denique vita tum profana tum religiosa Israelitarum magnae erant partes musicae cum choris et saltationibus.

1. Ut a vita profana exordiamur, iam in deserto tubis argenteis signa dabantur varia ad varia peragenda (Num. 10,2 ss.); clangore tubarum circuierunt moenia Iericho et clangentibus tubis corruerunt moenia (Ios. 6,4-20); et cum David reverteretur percusso Goliath, « egressae sunt mulieres cantantes chorosque ducentes in tympanis laetitiae et in sistris et praecinebant ludentes et dicentes : percussit Saul mille et David decem millia » 1 Reg. 18,6. 7. Clangore tubae signum datur ad bellum (Is. 18,3) et victoria parta revertuntur cum psalteriis et citharis et tubis (2 Par. 20,28). Quandocumque spiritus malus arripiebat Saul, David tollebat citharam et percutiebat manu sua et refocillabatur Saul 1 Reg. 16,23; et cum caneret psaltes, facta est super Eliseum manus Domini 4 Reg. 3,15. Salomon fecit sibi cantores et cantatrices (Eccl. 2,8); impiorum felicitatem describit Iob inter alia : tenent tympanum et citharam et gaudent ad sonitum organi (Iob 21,12) et Isaias : cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris (Is. 5,12) et Amos : qui comeditis agnum de grege, qui canitis ad vocem psalterii (Am. 6,5). Sollemnitates publicae et privatae cantu et musica celebrabantur; cum Salomon unctus esset rex, ascendit universa multitudo post eum et populus canentium tibiis et laetantium gaudio magno (3 Reg. 1,40); item ad celebrandas nuptias : sponsus processit et amici eius et fratres eius obviam illis cum tympanis et musicis (1 Mach. 9,39). Quare in signum vindictae Domini ces-

savit gaudium tympanorum, conticuit dulcedo citharae (Is. 24,8; cf. Ier. 16,9; Lament. 5,15); sed tempus instaurationis et gratiae Dei annuntiatur : adhuc ornaberis tympanis tuis et egredieris in choro ludentium (Ier. 31,4; 33,11). Ad luctum quoque exprimendum cantus lugubres ac lamentationes adhibebantur (2 Par. 35,25; Ier. 9,17; Matth. 9,23).

2. Verum longe maior usus musicae in re sacra et cultu divino nobis refertur. Postquam Aegyptiis submersis filii Israel periculo erepti sunt, cecinerunt Moyses et filii Israel carmen Domino et Maria soror Moysis et prophetissa sumpsit tympanum in manu sua, egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus praecinebat dicens : cantemus Domino etc. (Ex. 15,1. 20). Et Moyses praecepit ut sacerdotes diebus festis et calendis tubis argenteis canerent super holocaustis et pacificis victimis (Num. 10,10). Tempore Samuelis prophetae prophetabant, dum audiretur psalterium et tympanum et tibia et cithara (1 Reg. 10,5). Cum arca Dei de domo Abinadab adduceretur, David et omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis et citharis et lyris et tympanis et sistris et cymbalis (2 Reg. 6,5); pariter cum de domo Obededom in civitatem David transferretur, erant cum David septem chori et David saltabat totis viribus ante Dominum et ducebant arcam in iubilo et in clangore buccinae (2 Reg. 6,12-15; cf. 1 Par. 13,8; 15, 16). Et in pompa sollemni primo loco incedunt cantores, dein psallentes in medio iuvencularum tympanistriarum (Ps. 68, 26 hebr.).

Verum David musicam sacram certo ordine constituit. Iam in translatione arcae ex domo Obededom dixerat David principibus levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet et lyris et cymbalis; sacerdotes autem clangebant tubis (1 Par. 15,16-24). Ibi iam tres ordines levitarum recensentur, qui ludebant cymbalis, nablis, citharis. Sollemni facta translatione arcae David constituit levitas, qui canerent et instrumentis musicis luderent (2 Par. 16,5 ss.), quorum ministerium sacrum prophetare appellatur, quia ad Dei laudes canendas refertur (1 Par. 25,1). In hoc sacrum munus segregavit David filios Asaph, Heman, Idithun, qui viginti quattuor ordinibus distributi numerabantur ducenti octoginta octo, « universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant in cymbalis et psalteriis et citharis » (1 Par. 25,2-31); pro cantu autem David constituit quattuor millia levitarum (1 Par. 23,5). Ordines illi 24 sorte ducta certo quodam ordine accedebant ad ministerium in domo Domini. Tubis canere autem proprium erat sacerdotum (cf. 1 Par. 15,24; 16,6; 2 Par. 5,12; 7,6; 29,26). David itaque, egregius psaltes Israel (2 Reg. 23,1) non solum musicam sacram constituit, sed etiam hymnos ad Dei laudem canendos composuit; quare mentio infertur de organis carminum, quae fecerat David, et de hymnis David in dedicatione templi salomonici (2 Par. 7,6) et de organis David eiusque hymnis tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,26-30). Exsilio soluto cantores quoque revertuntur in patriam (Esdr. 2,70; Neh. 7,1) et iuxta praeceptum David iterum suis funguntur officiis (Neh. 12,45); ita fundato templo Domini steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis et levitae, filii Asaph, in cymbalis ut laudarent Deum per manus David regis Israel (Esdr. 3,10), item in dedicatione muri Ierusalem (Neh. 12,27). Pari modo tempore Machabaeorum cultus Dei et sacrificia instaurata sunt in canticis et citharis et cinyris et cymbalis (1 Mach. 4,54) et arce urbis demum feliciter occupata agunt celebritatem in cinyris et cymbalis et nablis et hymnis et canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel (1 Mach. 13,51).

Sed si quaeritur de modo et ratione musices, rem esse plane incognitam fatendum est. Aliqua ad eam elucidandam fortasse latent in psalmorum inscriptionibus, quae tamen ipsae valde sunt obscurae et iam tempore graeci interpretis non intellegebantur. Putant iis quandoque indicari varios canendi modos ad normam aliorum canticorum quae nota fuerint, indicari quoque vocem gravem et vocem acutam (basso, soprano); cf. *Cornely*, Introd. II. 2, p. 92 ss. Idem pleri-

que designari censent 1 Par. 15,19-21 : in cymbalis aeneis לְהַשְׁמִיעַ ut facerent audire, i. e. ut cantum regerent instrumentorum pulsu; in nablis עַל עֲלָמוֹת more virginum (? soprano?); in citharis עַל הַשְּׁמִינִית pro octava (LXX Ps. 6,1; 11,1 ὑπὲρ τῆς ὀγδόης). Aliqui etiam putarunt accentibus massorethicis notas contineri musicas.

3. Iam pauca de instrumentis musicis, quae dicebantur כְּלֵי־שִׁיר, vasa cantici 2 Par. 34,12; Am. 6,5 et simpliciter כֵּלִים 1 Par. 23,5.

Instrumenta pneumatica, quae inflata sonum edunt commemorantur haec : עוּגָב seu עֻגָב, fistula pastoricia ex arundine parata (σῦριγξ) vel instrumentum duabus vel pluribus fistulis compositum; Vulgata organum (Gen. 4,21; Iob 21,12; 30,31; Ps. 150,4). Simile instrumentum censetur Dan. 3,5. 7. 10.15 fistula (מַשְׁרוֹקִיתָה).

חָלִיל tibia, quasi instrumentum perforatum, quod parabatur ex ligno, arundine, cornibus et ossibus (1 Reg. 10,5; 3 Reg. 1,40; Is. 5,12; 30,29; Ier. 48,36; Matth. 9,23); cf. *Plin.* XVI. 36,164. 165.

חֲצֹצְרָה seu חֲצֹצְרָה, σάλπιγξ, tuba, instrumentum ex aere confectum (Num. 10, 3-10; 31,6; 4 Reg. 11,14; 12,13[14]; 1 Par. 13,8; 15,24. 28; 16,6. 42; 2 Par. 5, 12 s.; 15,14; 23,13; 29,26-28; Esdr. 3,10; Neh. 12,34[35]. 40[41]; Ps. 97[98],6; Os. 5,8). Tubae quae in arcu triumphali Titi repraesentantur rectae sunt, non incurvae: hoc itaque videtur esse discrimen inter tubam et buccinam. Tubam ita describit Flavius Iosephus : est longitudine paulo minus cubitali, fistula (σῦριγξ) eius angusta est, tibia aliquantulum crassior, ea vero oris amplitudine quae ad spiritum excipiendum idonea sit, similiter τοῖς σάλπιγξι in campanulam (κώδωνα) desinens, hebraice vocatur ἀσωσρά (Ant. III. 12,6).

שׁוֹפָר, σάλπιγξ, κερατίνη, buccina a S. Hieronymo ad Os. 5,8 (*Migne* 25,86) ita describitur : « buccina pastoralis est et cornu recurvo efficitur, unde et proprie hebraice sophar, graece κερατίνη appellatur ». Erat igitur cornu arietinum vel bovillum. Eius clangore edebatur signum bellicum (Ios. 6,4 ss.; Iud. 7,18; 1 Reg. 13,3; 2 Reg. 2,28; 18,16; 20,1. 22; Iob 39,24. 25; Ier. 4,19. 21; Os. 5,8), convocabatur populus ad festivitates profanas (2 Reg. 15,10; 3 Reg. 1,34. 39. 41; 4 Reg. 9,13) ac religiosas (Ex. 19,13. 16; Lev. 23,24; Num. 29,1; Ps. 80,4), indicebatur annus iubilaei (Lev. 25,9); unde vocabatur etiam buccina vel cornu iubili (הַיּוֹבֵל) Ios. 6,4-13 et יֹבֵל Ex. 19,13.

Instrumenta fidicularia seu chordis instructa nominantur :

כִּנּוֹר, κινύρα, κιθάρα, cithara (Gen. 4,21; 31,27; 1 Reg. 10,12; 1 Par. 13,8; 15,28; Is. 5,12; 16,11; 23,16; 24,8; Ez. 26,13; Iob 30,31; Ps. 33,2; 43,4; 49,5; 57,9; 71,22; 137,2; 149,3; 150,3). Vox graeca κίθαρις redditur aram. קִיתָרוֹס Dan. 3,5. 7. 10. 15. Distinguuntur 1 Mach. 4,54 κιθάρα et κινύρα. In nummis Hasmonaeorum cernuntur chordis tribus vel octo instructae. Octo chordis citharam esse instructam aliqui ex inscriptione psalmorum 6. 12 et 1 Chron. 15,21 (שְׁמִינִית) concluserunt, quae tamen explicatio valde incerta est; *Iosephus* ei tribuit decem chordas; pulsabatur manu (1 Reg. 16,23; 18,10), plectro (*Flav. Ios.* Ant. VII. 12,3).

נֵבֶל, νάϐλα, ναῦλα, etiam ψαλτήριον; Vulg. nablium, psalterium, etiam lyra. Est harpa, instrumentum triangulare. Cf. 1 Reg. 10,5; 2 Reg. 6,5; 3 Reg. 10, 12; 1 Par. 13,8; 15,16 ss.; 16,5; 25,1. 6; 2 Par. 5,12; 9,11; 20,28; 29,25; Neh. 12, 27; Ps. 57,9; 71,22; 81,3; 92,4; 108,3; 150,3; Is. 5,12; 14,11; Am. 5,23; 6,5. In Ps. 33,2 et 144,9 ei decem chordae attribuuntur : in psalterio decem chordarum psallite illi; Iosephus l. c. ἡ δὲ νάϐλα δώδεκα φθόγγους ἔχουσα digitis pulsatur. Discrimen harpae a cithara S. Augustinus saepius ita effert : psalterium lignum illud concavum, unde canorae chordae redduntur, in superiore parte habet; deorsum feriuntur chordae, ut desuper sonent; in cithara vero haec eadem concavitas ligni partem inferiorem tenet (in Ps. 80,3; *Migne* 37,1036; cf. in Ps. 42,4; 56,9; 70,22).

סַבְּכָא seu שַׁבְּכָא, σαμβύκη, sambuca (Dan. 3,5. 7. 10. 15) est harpa a nablio haud multum diversa, chordis quattuor instructa, quae digitis tangebatur.

פְּסַנְתֵּרִין seu פְּסַנְטֵרִין, ψαλτήριον, psalterium (Dan. 3,5. 7. 10. 15) est harpa, quae habebat chordas saltem decem in alveo concavo ac perforato extensas.

Instrumenta crepitantia, pulsatilia seu manibus pulsata :

תֹּף τύμπανον, tympanum; est circulus ligneus vel aeneus latitudine palmae, pendulis annulis aeneis instructus et pelle vel membrana obductus; manu sinistra tenetur et agitatur, digitis manu dexterae pulsatur (*Tambourin, Adduffa*). Erat maxime usitatum in celebrationibus publicis (1 Reg. 10,5; Iob 21,12; Is. 30,32) et fere semper a mulieribus saltatricibus pulsatum (Ex. 15,20; Iud. 11, 34; 1 Reg. 18,6; Ps. 68,26; Ier. 31,4).

מְצִלְתַּיִם, צְלְצְלִים, κύμβαλα, cymbala erant aenea magna et lata (*Flav. Ios.* Ant. VII. 12,3), duae patinae quae inter se ad numerum musicae concussae tinnitum edunt (1 Par. 13,8; 15,16 ss.; 16,5.42; 25,1. 6; 2 Par. 5,12 s.; 29,25; Esdr. 3,10; Neh. 12,27).

שְׁלִשִׁים 1 Sam. 18,6 triangula probabilissime, annulis mobilibus instructa, quae ferro plectebantur a mulieribus.

מְנַעֲנְעִים, σείστρα, sistra (2 Sam. 6,5), baculi ferrei duo in capite rotunditate quadam coniuncti annulis mobilibus instructi, qui agitati vel ferro concussi sonum edunt.

4. Uti convivia celebrabantur cum vario musices genere (cf. Eccli. 32,5 ss.; 40,20; 49,2), ita publica laetitia etiam saltationibus chorisque demonstrari solebat; choros feminarum cum tympanis ducebat Maria soror Aaron Ex. 15,20; chori ducebantur in adoratione vituli Ex. 32,19; parta victoria patri obviam ibat filia Iephte cum tympanis et choris Iud. 11,34; cf. Iud. 9,27; 21,21; cum David reverteretur percusso Goliath, mulieres choros ducebant et cantabant 1 Reg. 29,5; ipse David in signum laetitiae totis viribus saltabat ante arcam 2 Reg. 6,14. Tamquam documentum gaudii saltatio designatur Ps. 30,12 (hebr. convertisti planctum meum in saltationem mihi) et Ps. 150,4 : laudate Iahwe in tympano et choro (saltatione), in chordis et fistula (hebr.), et inter laeta promissa habetur : rursum aedificaberis virgo Israel; adhuc ornaberis tympanis tuis et egredieris in choro ludentium Ier. 31,4. Quod laetitiae genus pueri quoque suis imitabantur lusibus : cecinimus vobis et non saltastis (Matth. 11,17; Luc. 7,32). Saltatio illa filiae Herodiadis inter convivium non ad mores Iudaeorum, sed ad mores Graecorum referenda est. Meretrices quoque cum cithara et cantu quandoque circuisse civitatem exemplum habes Is. 23,16.

Cf. varias monographias in *Bl. Ugolini*, Thesaurus XXXII.; *A. Calmet*, Diss. in mus. veterum et potissimum Hebr. (Prolegomena et diss. I. p. 403 ss.; *Praetorius*, Syntagma musicae 1614; *Kircher*, Musurgia, Romae 1650; *Bonnet*, Hist. de la musique, Paris 1715; *P. de Bretagne*, Tract. de excellentia musicae antiquae Hebr., Monachii 1718; *G. Martini*, Storia della musica, Bologna 1751-81; *Burney*, General history of music, London 1776; *C. de la Molette du Contant*, Traité sur la poésie et la musique des Hébreux, Paris 1781 (in *Migne*, Cursus Script. S. XXVII. p. 131-192); *A. F. Pfeiffer*, Musik der alten Hebräer, Erlangen 1799; *J. L. Saalschütz*, Gesch. u. Würdigung der Musik bei den Hebräern, Berlin 1829; *P. J. Schneider*, Bibl. gesch. Darstellung der hebr. Musik, Bonn 1834; *C. Engel*, Music of the most ancient nations, London 1864; *Franz Delitzsch*, Physiologie u. Musik in ihrer Bedeutung, besonders die hebräische, Leipzig 1868; *F. A. Gevaërt*, Histoire et théorie de la musique dans l'antiquité, Gand 1875-81; *Stainer*, The music of the Bible, London (1879?); *A. Jacquot*, Dictionnaire des instruments de musique, Paris 1886; *B. v. Sokolowski*, Die Musik des griech. Altertums u. des Orients, Leipzig 1887, p. 404-424 (*A. W. Ambros*, Gesch. der Musik I. Band); *Brown*, Musical instruments and their homes, New-York 1888; *J. Weiss*, Die musikalischen Instrumente in den hl. Schriften des A. Test., Graz 1895; *H. Gressmann*, Musik u. Musikinstrumente im A. Test., Giessen 1904; *F. W. Davies*, Sacred Music among the ancient Hebrews and in the Christian church, London 1904; *F. Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *éd.* 6, Paris 1896, IV. p. 305-322; *idem*, Les instruments de musique dans la Bible (cf.

Bessarione, 1902, p. 257-280 et La Sainte Bible Polyglotte 1903 IV. p. 631-656).

MUSTELA. 1. Mustela primo loco recensetur inter immunda animalia minora, quae moventur in terra (Lev. 11, 29). Nomen hebraicum חֹלֶד, quod hoc uno loco occurrit, ab interpretibus antiquis communiter *mustela* exponitur : LXX γαλῆ, Peshitta ככושתא, Targ. hieros. כרכושתא; Onkelos et versio samaritana חולדא et חלדה retinent, quod apud talmudicos doctores plerumque eandem mustelam designat (v. textus cit. a *Bochart*).

Contra hunc veterum consensum cl. *Bochart* multis argumentis ostendebat, חלד non esse mustelam, sed talpam, ea maxime ductus ratione quod חולדא Syris et *khuld* Arabibus manifeste est talpa. Atque tali successu doctissimus vir thesin suam defendebat, ut quam plurimis cum perfecta certitudine eam probasse (*Oedmann*) et extra omne dubium posuisse (*Rosenmüller*) visus sit; neque recentissimi lexicographi hebraici ullam mustelae mentionem declarationi vocis *khōled* = talpa addendam censuere (*Gesenius-Buhl*, *Siegfried-Stade*).

At rationes a *Bochart* adductae rem non videntur evincere, neque vocis *khōled* in linguis syriaca et arabica usus unanime veterum pro *mustela* testimonium infringere poterit. Probabilius igitur huic significationi traditae cum pluribus recentioribus (*Tristram, Kinzler, Cultrera, Fillion, Hart, Wood, Brown* etc.) standum esse censemus.

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. III. 35, *ed. Rosenm.* II. p. 435-53; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 761; *Sam. Oedmann*, Vermischte Samml. 2, p. 50-3; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, p. 225-7; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, p. 151; *Ad. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, p. 68; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 219; *M. L. Cl. Fillion,* Atlas d'hist. nat. de la Bible, p. 96; *H. Ch. Hart*, Animals of the Bible p. 219; *J. G. Wood*, Bible Animals p. 68; *Siegfried-Stade*, Hebr. Wörterbuch p. 202 a; *Gesenius-Buhl*, Hebr. Handwörterbuch, *ed.* 14, p. 207 b; *Fr. Brown,* Hebr. and Engl. Lex. p. 317 b.

2. Nomine mustelae imprimis designatur *Mustela vulgaris* Brisson (= *Putorius vulgaris* Richardson; germ. *Wiesel*, angl. *weasel*, gall. *belette*), quae in Palaestina non invenitur. Sed in Scriptura nomen *khōled,* sicut γαλῆ et *mustela* penes Graecos et Romanos, generaliore aliquo sensu videtur adhiberi pro variis familiae *Mustelidae* gĕneribus, ex quibus *Mustela putorius* Linné (= *putorius foetidus* Gray; germ. *Iltis,* angl. *polecat,* gall. *putois*), *M. boccamela* Bechstein, *M. foĭna* Brisson (= *Martes foĭna* Gmelin; germ. *Hausmarder,* angl. *marten*, gall. *fouine*), *Lutra vulgaris* Erxleben (germ. *Otter*, gall. *loutre*) etiam Palaestinam inhabitant. Multo frequentiores vero ibidem duae speciēs ex affini familia *Viverridae* occurrunt, scil. *Viverra genetta* Linné (= *Genetta vulgaris* G. R. Gray) et praesertim *Herpestes ichneumon* Wagner, quae nomine mustelae biblicae simul videntur comprehendi.

Variae mustelidarum et viverridarum species penes antiquos cicures in domibus alebantur, ut muribus capiendis incumberent. A Graecis etiam nomine αἴλουρος appellabantur, quod in epistula Ieremiae prophetae occurrit (Baruch 6, 21, Vulg. *catta*); v. CATTA.

Cf. *H.O. Lenz*, Zoologie d. alt. Griechen u. Römer, p. 92-4; *L. Lewysohn*, Die Zool. des Talmuds, p. 89-97; *H. B. Tristram,* Fauna and Flora of Pal. p. 20. 22 s.; *J. Leunis*, Synopsis I. 1, *ed.* 3, *H. Ludwig,* p. 192-6. — De nomine arabico et aethiopico cf. *F. Hommel,* Namen der Säugethiere p. 331. 335 s. 363. 365 s.; de assyriaco *Fr. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen p. 60. — Penes Aegyptios mustela divinis honoribus fruebatur; cf. *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs of the Anc. Egypt. III. p. 272.

L. FONCK.

MUSTUM. In Vulgata (Iob 32,19) vinum יין quod fervescit bene redditur mustum — mustum absque spiraculo quod lagunculas novas disrumpit. Mustum dulce est עסיס Is. 49,16 et Cant. 8,2; alias haec vox redditur etiam *dulcedo,* ita Ioel 1,5; 3,18; Am. 9,13 (montes stillabunt dulcedinem); Act. 2,13 γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσίν, musto pleni sunt; est γλεῦκος sucus dulcis ex uvis expressus; Cant. 8,2 mustum malorum

granatorum, sucus ex malis granatis expressus. Eadem voce musti etiam explicatur תירוש Mich. 6,15, ubi mustum exprimere dicuntur Israelitae, at « non bibes vinum », uti « calcabis olivam et non ungeris oleo »; in poenam scelerum fructibus laborum spoliabuntur.

MYGALE, i. e. mus araneus, graeco nomine (μυγάλη) cum LXX in Vulgata exponitur animal hebr. אֲנָקָה dictum, quod semel tantum in Scriptura commemoratur et inter reptilia immunda quartum occupat locum (Lev. 11, 30). Eandem interpretationem tueri dicendus foret Onkelos, si loco lectionis hodiernae וִילָא (s. וִילָא s. וִילָא), quod Talmudicis est sanguisuga et ericius) cum *Bochart* פְּלָא supponere idque iuxta sensum arab. *al-fala* explicare liceret. Expositioni illi antiquissimae favere dicitur etymologia vocis hebraicae, quae gemitum designat (Ps. 12,6; 79,11 hebr.) : muris enim aranei vox est acutissima. In contextu Levitici autem iuxta hunc sensum *ănāqā* potius tertium locum occupare et muri (עַכְבָּר) statim addi, non vero lacertae specie צָב (v. CROCODILUS) ab eo seiungi deberet. Ex familia muris aranei (*Soricidae*) *Tristram* quinque species palaestinenses (et sextam non satis notam) enumerat.

Cf. *H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palestine, London 1888, p. 24 s. : *Sorex araneus* De Selys; *S. tetragonurus* Desmarest; *S. pygmaeus* De Selys; *S. crassicaudus* Lichtenstein; *S. fodiens* Schreber. — Cf. *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, *Pechuel-Loesche*, II. Leipzig und Wien 1890, p. 388-99; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1 p. 98-104; *J. Leunis*, Synopsis I. 1 *ed.* 3, *H. Ludwig*, p. 208 s. Sorex penes Aegyptios inter deos colebatur. Cf. Herod. 2,67; Strabo XVII. 1.40 *ed. Didot*, p. 690, 30); *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs of the Ancient Egyptians III. p. 270 s. — Cf. *H. O. Lenz*, Zool. d. alten Griechen u. Römer p. 84-85.

2. Loco muris aranei Peshitta (אמוקתא), interpres Samaritanus (סמביתא), Arabs Erpenii (*al-warlo*) aliusque in Polyglottis editus (*al-warko*, pro quo rectius *al-warlo* legendum monet *Bochart*) lacertae speciem interpretantur; quam expositionem etiam ex targumico אקמיתא confirmant, licet non in textu Levitici, sed in Prov. 30,28 pro שְׁמָמִית (v. STELLIO) occurrat. Alteri huic sententiae plerique recentiores cum *Bochart* calculum adiciunt, tum ob auctoritatem veterum, tum propter contextum, qui *ănāqā* mediam inter varias lacertae species exhibet, tum ex eadem iam dicta etymologia vocis, quae pluribus lacertis acerbi stridoris convenire poterit (cf. *Plin.* XXIX. 4,90). Ex huiuscemodi lacertis, nomine indico *gecko* dictis, communissima in Palaestina est *Ptyodactylus Hasselquisti* Schneider, quam Arabes superstitiose *abu bureis* « patrem leprae » appellarunt, quasi contactu suo corporibus lepram iniciat. V. etiam LACERTA.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. IV. 2, *ed. Rosenmüller* II. 487-93; *Fr. Hasselquist*, Reise nach Palaestina, *ed C. Linnaeus*, Rostock 1762, p. 356-8; *P. Forskal*, Descriptiones animalium p. 13; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 256-9; *P. Cultrera*, Fauna biblica p. 338 (= *Tupinambis niloticus* Daudin s. *Lacerta nilotica* Linné); *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, p. 265 s.; *Ad. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, p. 123 s. (= *Monitor*, arab. *warran*); *H. Ch. Hart*, Animals of the Bible, London 1888, p. 93 s.; *J. G. Wood*, Bible Animals, new ed., ib. 1892, p. 69 s.

Alias veterum opiniones v. ap. *Bochart*.

L. FONCK.

MYNDUS (Μύνδος), urbs Cariae, recensetur inter illas regiones, quibus Romani anno 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur (1 Mach. 15,23). Erat colonia dorica ad sinum Iassicum sita, in occidentali termino illius paeninsulae, quae inter sinum Iassicum et sinum Ceranicum protenditur. Cum praeter Cariam l. c. Myndus enumeretur, eo tempore urbs independens erat. Sita erat ibi fere, ubi hodie *Gumushli*.

Cf. *Herod.* Hist. 5,33; *Strabo* XIV. 2,18. 20; *Arian.* Anab. 1,21.

MYRA (τὰ Μύρρα vel Μύρα forma neutr. plur. vel etiam fem. sing.), urbs nobilissima Lyciae ad ostium Andriaci

(*Andraki*) fluminis, ubi Iulius centurio pro navi Adrumetina, qua Paulus vehebatur, navem Alexandrinam invenit (Act. 27,5); Vulgata mendose legit: *Lystram* pro Myra. Etiam in descriptione reditus ex tertio itinere apostolico Act. 21,1 post Pataram additur in cod. cantabrig. (Bezae) και μυρα, item in aliquibus codd. Vulgatae : et deinde Myram. — Sita erat Myra 20 stadiis supra mare in excelso colle (*Strabo* XIV. 3,3. 7); cf. *Ptol.* V. 3,6 [*ed. Müller-Fischer* 3,3]; VIII. 17,23.

MYRICA i. e. tamaricis species vocatur a S. Hieronymo arbor deserti hebraice עֲרֹעֵר (Ier. 17,6) et עֲרוֹעֵר (ib. 48, 6) dicta; cum idem S. Doctor in commentario etiam in loco priore *aroer* legi asserat, fortasse haec posterior forma alteri praeferenda est. At notandum est, LXX interpretes qui in cap. 17 ἀγριομυρίκη vertunt, in secundo textu non עֲרוֹעֵר, sed עֲרוֹד ὄνος ἄγριος legisse, idque haud male contextui convenire : « Fugite, salvate animas vestras et estote quasi *onager* in deserto ».

Plures tamaricis species in Oriente crescunt; ex novem palaestinensibus, quas *G. E. Post* enumerat, quinque in deserto australi inveniuntur (*Tamarix tetragyna* Ehrenberg, *T. nilotica* Ehr., *T. mannifera* Ehr., *T. articulata* Vahl, *T. macrocarpa* Bunge; familia *Tamariscineae*). Pleraeque altitudinem quinque metrorum non excedunt, praeter T. articulatam, quae duplo maior evadit. Verbis prophetae haec ultima species certe minus convenit, cum iste frutex deserti in figuram hominis derelicti et omni ope destituti adducatur. Atque huic fini etiam aliae species fortasse haud ita aptae invenientur, cum arbores trium, quinque atque etiam octo metrorum (T. nilotica), dulcique suco incolis gratissimae (T. mannifera) et semper virentibus ac pulcherrime florentibus ramis periucundae exsistant.

Quare nomen *ʿarʿār* vel *ʿarōʿēr* potius de alio deserti frutice videtur exponendum, scilicet de *Iunipero phaenicea* Linné (fam. *Coniferae*), quae est humilis arbuscula in deserto *Wādi el-ʿAraba* frequens. Quae et verbis prophetiae magis videtur congruere, atque etiam ex eo commendatur quod species affinis *Iuniperus oxycedrus* L. eodem nomine arabico *ʿarʿar* ab incolis vocetur; at cum haec potius montium ac collium incola videatur esse, in textu prophetico magis altera species desertum inhabitans intellegenda erit.

Tamarix autem seu myrica non ideo a S. Scriptura exsulare cogetur, cum altero nomine אֶשֶׁל designata sit, quod in Vulgata *nemus* explicatur. V. TAMARIX.

De iunipero cf. *E. Boissier*, Flora orient. V. 705-11; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 917-20; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 1,101 s.; *G. E. Post*, Flora of Syria 748 s. — Praeterea cf. *J. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 162. 166-9; *G. W. Wedel*, De Sabina Scripturae, Jenae 1707; *J. J. Baier*, De iunipero, Altdorfi 1719; *M. Hiller*, Hierophyt. 186-8; *O. Celsius*, Hierobot. II. 195-8; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible ed. nova, 28 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 358; *J. Smith*, Bible Plants 211 s.; *I. Löw*, Aram. Pflanz. p. 64. 425; *W. H. Groser*, Trees and plants ment. in the Bible 60 s.. — *Juniperus sabina* L., quam *Balfour*, *Tristram* al. supponunt, in flora palaestinensi non invenitur. — De aliis v. IUNIPERUS.

L. FONCK.

MYRRHA. 1. *Nomen.* Myrrha explicatur hebraicum nomen מוֹר seu מֹר et graecum σμύρνα, cuius alia forma est μύρρα. Communiter *myrrha*, μύρρα et *mōr*, atque etiam assyriacum *murru*, aramaicum *mōr*, arabicum *murr*, identica censentur atque a radice מרר derivantur, cui notio *amaritudinis* competit. Alii vero radicem aliquam *marra* statuunt, cui notio *profluendi* tribuitur.

Cf. *J. Halévy*, Revue semitique II. 95; Wiener Ztschr. f. Kunde d. Morgenl. VIII, 2. 162 s.; *P. de Lagarde*, Uebersicht über d. Bildung d. Nomina 1889, 40; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 224.

2. *Significatio nominis.* Myrrha communiter appellatur aroma resinosum, odore gravi, gustu amaro, quod in forma lacrimae ex certis arboribus profluens, aeri expositum mox arefit atque durescit. Unde dubium de specie aromatis nomine *mōr* in S. Scriptura

designati ortum est. Nam licet pluribus in locis *mōr* simul cum aloe, calamo, cassia, cinnamomo, thure, aromatibus scilicet siccis, recenseatur (Ex. 30,23; Ps. 44[45], 9; Prov. 7,17; Cant. 3,6; 4, 14) atque *pulveri pigmentario* (אַבְקַת רוֹכֵל Cant. 3,6) adnumeretur, in aliis tamen textibus omnino velut aroma liquidum exhibetur, velut cum Sponsa in Cantico ait : « Manus meae stillaverunt myrrham, digiti mei pleni myrrha probatissima » (Cant. 5,5) et « labia eius lilia distillantia myrrham primam » (ib. v. 13), et cum in libro Esther oleum myrrhae (שֶׁמֶן הַמּוֹר) commemoratur, quo uxores regiae ungebantur (Esth. 2,12 Vulgata *oleum myrrhinum*). Praeterea nulla odoris myrrhini gravis ratione habita *mōr* potius cum aromatibus iucundis ac suaviter olentibus enumeratur. Quibus permotus cl. *G. Schweinfurth* ac post ipsum *A. Engler* contendit *mōr* in S. Scriptura non myrrham illam amaram et siccam odorisque minus grati, sed *balsamum* esse.

Quae sententia viri clarissimi ac de re herbaria orientali et maxime aegyptiaca optime meriti minus nobis probatur, quamvis in foliis publicis iam quasi cum certitudine demonstrata laudata fuerit. Nam utraque ratio rem non videtur evincere : non odor ille gravis myrrhae, quia etiam galbanum, odore solo minime commendabile, inter aromata una cum *mōr* recensetur (Ex. 30,23), et σμύρνα, quam nemo ipsam myrrham esse negabit, antiquis etiam propter odorem accepta erat (*Diosc.* Mat. med. 1,77). Neque etiam status ille aridus myrrhae textibus S. Scripturae de *mōr* agentibus contrarius est : etenim uti ex aliis aromatibus siccis addito oleo unguenti species componebatur, ita etiam myrrha, de se quidem sicca et arida, oleo admixta in statu fluido conservari poterat, atque huic oleo myrrhino tum nomen שֶׁמֶן הַמּוֹר tum etiam in lingua poetica Cantici simplex appellatio מוֹר optime conveniebat.

Quare cum opinione communi, atque cum omnibus versionibus antiquis, tum *mōr*, tum σμύρνην veram esse myrrham censemus.

Cf. *G. Schweinfurth*, Ueber Balsam und Myrrhe, in Berichte d. pharmaceut. Gesellschaft III. 1893, 218-32. 237-52, praesertim p. 223 s.; *A. Engler* in *Engler-Prantl*, Die natürl. Pflanzenfamilien III. 4,256. — « *Germania* » 1896, n. 264, Beilage.

3. ***Usus myrrhae.*** Iam in lege mosaica ad unctionis oleum sanctum praeter alia « myrrha prima et electa » (מָר־דְּרוֹר, myrrha sponte profluens) sumenda praecipitur (Exod. 30,23). Cum aliis aromatibus etiam in usu profano frequens adhibebatur tum in unguentis (Esth. 2,12; Cant. 5,5. 13), tum in suffitu (Ps. 44[45], 9; Prov. 7,17; Cant. 3,6), eiusque suavitati, cum ceteris aromatibus coniunctae, Sponsus in Cantico ac divina Sapientia assimilatur (Cant. 1,12; Eccli. 24,20). Una cum auro et thure inter regia dona nominatur, quae Magi divino Infanti obtulerunt (Matth. 2,11), pariterque inter ultima dona Domino iuxta crucem atque in sepulcro oblata myrrha locum habuit, cum eius ori « myrrhatum vinum » (ἐσμυρνισμένον οἶνον) obtulerint, antequam crucifigeretur Marc. 15,23), et Nicodemus « mixturam myrrhae et aloes quasi libras centum » pro eius sepultura donaverit (Io. 19,39). Simile vinum myrrhatum apud Graecos atque Romanos in usu erat ad reficiendas vires (cf. *Diosc.* Mat. med. 5,65 οἶνος ἀρωματίτης ἐκ σμύρνης etc.), ac praesertim apud Aegyptios myrrha tum ad condienda cadavera (cf. *Herod.* 2,86), tum ad suffitum adhibebatur atque in celebri illo aromate *kyphi* dicto aliis substantiis admiscebatur.

Cf. *H. O. Lenz*, Botanik d. alten Griechen u. Römer 213. 669-71; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aegypten 354-61; *V. Loret*, La Flore pharaonique, *ed.* 2, n. 163.

4. ***Origo et patria myrrhae.*** « Myrrha est lacrima arboris in Arabia nascentis, quae similis est spinae aegyptiacae ». Ita iam *Dioscurides* (Mat. med. 1,77) haud male originem ac patriam myrrhae describit, addens, optimam myrrhae speciem ex terra Troglodytarum afferri, quae hodie regio *Somali* appel-

latur (cf. *Theophr.* Hist. plant. IX. 4,1 ss.; *Plin.* XII. 15,66 etc.). At circa veram huius lacrimae arborisque myrrhiferae naturam usque ad nostram aetatem omnia obscura atque erroribus plena remanserant. Postquam hoc ultimo saeculo *Chr. G. Ehrenberg, I. M. Hildebrandt* aliique floram Arabiae meridionalis atque oppositae regionis africanae explorarunt et arborem *Balsamodendron Myrrha* Nees ab Esenbeck ex familia *Burseracearum* tamquam veram arborem myrrhiferam designarunt, denique studio *A. Deflers* et *Georgii Schweinfurth* satis videtur constare, non quidem hanc arborem, cui potius nomen *Hemprichia erythraea* Ehrenberg vel *Commiphora Myrrha* (Nees) Engler convenit, sed varias species generis *Commiphorae* ex eadem familia Burseracearum veram myrrham praebere. Ex 63 huius generis speciebus notis praesertim in Arabia meridionali et in Abyssinia *Commiphora abyssinica* (Berg) Engler et *C. Schimperi* (Berg) Engl., illa arabice *Qafal* et *Khaddash*, haec *Gataf* dicta, ac praeterea in regione Somali *Commiphora Playfairii* (Hook fil.) Engl., *C. Hildebrandtii* Engl., *C. serrulata* Engl. et fortasse aliae species myrrhiferae inveniuntur. Pleraeque sunt frutices sive arbores humiles, ex quibus *C. abyssinica* altitudinem decem metrorum attingit, frutici balsamifero satis similis, sed spinis praesertim ac foliis ab illo distincta. Incisione in cortice facta sucus lacteus, subflavus ex vulnere stillat, qui mox arescit et resinam myrrhinam siccam constituit. Species myrrhae arabica africanae praefertur, atque in mercatu principali *Hodeida* mille grammata huius myrrhae arabicae 2,50-3 francis prostant. In Asia anteriore et Aegypto atque in India myrrha etiam nunc magni aestimatur ac praesertim in variis remediis ad curanda vulnera aliosque usus adhibetur.

Apud antiquos eandem fuisse originem ac patriam myrrhae ex verbis *Theophrasti*, *Dioscuridis*, *Plinii* (ll. cc.) aliorumque apparet. At in Palaestina, probabiliter in hortis Engaddi prope mare Mortuum, una cum thure ac balsamo et cypro (*Lawsonia alba* L.) etiam arbores myrrhiferae videntur cultae fuisse; nam Sponsa in Cantico « montem myrrhae et collem thuris » in horto regio commemorat (Cant. 1,6) et Sponsus in horto se myrrham suam cum balsamo messuisse dicit (ib. 5,1; cf. 1,12. 23). Neque mirum in illa regione, quae ex magna infra reliquam orbis superficiem depressione aeris temperie fere tropica gaudet, una cum balsamo pariter ex Arabia meridionali oriundo etiam myrrham in hortis plantatam crevisse.

Cf. *P. Forskal*, Flora aegypt.-arab. p. 80; *Ad. Afzelius*, De origine Myrrhae controversa, Dissert. I-V, Upsaliae 1825-29; *Chr. G. Ehrenberg*, De Myrrhae et Opobalsami in itinere per Arabiam et Abessiniam detectis plantis, Berolini 1841 (ex parte inedit., v. *G. A. Pritzel*, Thes. Litterat. botan., ed. nova, Lipsiae 1872-77, n. 2638); *W. Dymock*, Note on Myrrh and its allied gum resins, in The pharmaceutical Journal and Transactions 3. ser. 1876, 661; *I. M. Hildebrandt*, über Weihrauch und Myrrhe, in Sitzungsberichte d. Gesellsch. naturforsch. Freunde zu Berlin 1878, 195-7; *L. Haynald*, A szentírási mézgág és gyanták termönövényei (de plantis gummiferis S. Script.), Kolozsvárt 1879, 11-15 (cum tab. picta arboris *Balsamodendron Ehrenbergianum* Berg); *E. Boissier*, Flora orient. II. p. 2; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 354; *G. Schweinfurth* l. c.; *A. Engler* l. c. 251-6; *J. Th. Bent*, The land of frankincense and myrrh, in The Nineteenth Cent. XXXVIII. 1895, 595-613.

Cf. praeterea *Garcia ab Horto*, Aromatum historia, *ed. C. Clusius*, L. 1. c. 7., Antverpiae 1593, p. 29. 35; *J. D. Major*, De myrrha, locustis etc., Kilonii 1668; *J. H. Ursinus*, Arboreti biblici Continuatio, Norimbergae 1699, p. 212-9; *M. Hiller*, Hierophyticon I. 235-50; *O. Celsius*, Hierobotanicon I. 520-35; *J. F. Cartheuser*, De eximia Myrrhae genuinae virtute, in Dissert. select., Francof. 1775, 28-55; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1, 159-62; *J. H. Balfour*, The plants of the Bible, ed. nova, 121 s.; *P. Cultrera*, Flora biblica 360-7. 448; *H. B. Tristram*, The Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, 364 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 203 s.; *J. Smith*, Bible Plants 183-5; *R. Sigismund*, Die Aromata, Leipzig 1884, 12 s.; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 223 s.; *G. Henslow*, The plants of the Bible 69-71; *W. H. Groser*, The trees and plants mentioned in the Bible 214-7.

L. FONCK.

MYRTUS (הֲדַס, μυρσίνη), arbustum odoriferum ac semper viride. Nomen הֲדַס idem est ac nomen myrti hodiernum in Arabia australi *hadaṣ*, quod secundum *Jensen* (Wiener Ztschr. f. Kunde d. Morgenlandes VI. 1892, 209-212) cohaeret cum assyriaco *ḥadāshūtu* (= sponsa). Communius nomen arabicum myrti est *'ās*, cui correspondet aramaicum *'āsā'* (*Loew*, Aram. Pflanzennamen p. 50. 51, n. 25); neque minus usitatum est nomen arabicum *rīḥān*, a quo appellatur *Djebel el-Rīḥān* in Libano australi ob copiam myrtorum. A myrto quoque nomen habebat Esther scil. Edissa (הֲדַסָּה).

Tempore Nehemiae ad festum tabernaculorum celebrandum afferebantur etiam frondes myrti (Neh. 8,15). Verum quidem est in lege Lev. 23,40 non explicite nominari frondes myrti; sed praeter spatulas palmarum et salices de torrente ibidem praescribuntur rami ligni densarum frondium, quae est expressio generalis. Iam Flav. Iosephus refert Hebraeos eo festo gestasse manibus fasciculum e myrto et salice cum spadice palmae compositum, addito Perseae pomo (Ant. III. 10,4; cf. XIII. 13, 5). Et in Mishna (Succa 3,4) « Rabbi Ismael dicit : tres sint (rami) myrtorum et duo (rami) salicum... Rabbi Akiba dicit : sufficit una myrtus et una salix ».

In describenda exaltatione populi Dei Isaias utitur imagine solitudinis in regionem arboribus consitam mutatae : dabo in solitudinem cedrum et spinam et myrtum et lignum olivae (Is. 41,19); simili modo instaurationem messianicam declarat symbolo e rerum natura deprompto : pro saliunca ascendet abies et pro urtica crescet myrtus (55, 13) i. e. pro re vili substituitur praeclarior. In prima sua visione Zacharias propheta vidit equos cum equitibus stantes inter myrteta, quae erant in profundo (Zach. 1,8. 10. 11; hebr. inter myrtos, sed LXX ἀνὰ μέσον τῶν ὀρέων legentes ההרים pro הדסים).

Myrtus communis Linné, frequens est ad litora maris Mediterranei; altitudinem 2-3 m. attingit. Iam ab antiquis temporibus erat notissima et magni aestimabatur. Aetate graeco-romana myrtus adhibebatur symbolum adulescentiae ac pulchritudinis; deae Veneri sacra erat. Cf. *Pausan.* VI. 24, 7; *Plin.* XV. 29 (36), 119 ss. Hodie myrtus communis crescit in vallibus circa Ierusalem, Bethlehem, Hebron, iuxta Carmelum et Thabor montes et passim in Palaestina centrali, sicuti etiam in vallibus Galaad.

Cf. *O. Celsius*, Hierob. II. p. 17-22; *M. Hiller*, Hierophyticon I. p. 232-235; *F. Hamilton*, Botanique de la Bible 1871 p. 74-75; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible 1885 p. 62-64; *F. Woenig*, Pflanzen im alten Aegypten 1886 p. 349; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 365-6; *V. Hehn*, Kulturpflanzen u. Haustiere 1894 p. 229 s.; *E. Boissier*, Flora orient. III. p. 736.

MYRUM dicitur Iudith 10,3 unguentum, retento nomine graeco. V. UNCTIO, UNGUENTUM.

MYSIA (Μυσία) commemoratur in descriptione secundi itineris apostolici, quod S. Paulus assumptis Sila et Timotheo suscepit (Act. 16,7. 8). Cum in Phrygia et Galatia praedicassent, profecti versus (κατὰ) Mysiam i. e. ad confinia Mysiae inde in Bithyniam tendere volebant, sed a spiritu Iesu prohibiti Mysiam pertransierunt (i. e. vel iuxta fines Mysiae profecti sunt vel Mysiam permearunt non praedicantes) et Troadem descenderunt.

Mysiae fines erant a septemtrione Propontis et Hellespontus, ab occidente mare Aegaeum, a meridie Lydia, ab oriente Phrygia et Bithynia. Sed iam teste Strabone (XII. 4,4) « difficile est distinguere fines Bithynorum, Mysorum, Phrygum, Dolionum circa Cyzicum, Mygdonum et Troum, quamvis in confesso est gentes istas a se invicem esse dividendas. Ac de Phrygibus quidem et Mysis etiam proverbium fertur : *Mysorum sunt seorsim fines et Phrygum*, definire autem eos difficile est ». Distinguebantur partes quinque : Mysia minor seu Hellespontiaca, Mysia maior, Troas, Aeolis, Teuthrania. Attamen non omnibus temporibus Troas Mysiae adscribebatur. Tempore Persarum sola regio iuxta Propontidem nomine Mysiae designabatur. Aetate romana Mysia ad pro-

vinciam Asiae pertinebat, tempore vero imperatorum christianorum maior pars Mysiae ad provinciam Hellesponti, tractus vero meridianus ad provinciam Asiae (*Hieroclis Synecdemus, ed. Parthey*, p. 17 ss. 20).

Fortasse de Mysia agitur 1 Mach. 8,8 (Vulgata : Medi); v. s. v. IONIA.

MYSTERIUM. Ea voce generatim notio continetur rei arcanae, arcani consilii, quod ab aliis nequeat explorari seu intellegi. Prov. 20,19 סוֹד (colloquium familiare, consilium) vertitur mysterium : ei qui revelat mysteria... ne commiscearis. Alias ea voce declaratur רָז Dan. 2,49. 27. 28. 29. 47; dicitur enim mysterium somnium illud Nabuchodonosor, quod alios plane latebat, eiusque significatio abdita (Dan. 2,19); item 2,27; Deus in caelo est revelans mysteria i. e. res arcanas, homini impervias (Dan. 2, 28. 29. 47). Abdita consilia et res quae hostibus debebant manere occultae etiam mysteria dicuntur 2 Mach. 13,21. Graece (non in Vulg.) haec vox quoque usurpatur de cultu arcano, de sacris opertaneis (Sap. 14,15. 23, simili modo sicut sermo fit de mysteriis eleusiniis aliisque). Praesertim autem vox transfertur ad ea quae divina revelatione, non ratione humana, innotescunt. Discipulis datum esse nosse mysteria regni caelorum, ait Christus explicaturus parabolas de regno Dei, parabolam de semine iacto in agro etc. (cf. Matth. 13,11 ; Marc. 4,11 ; Luc. 8,10).

Haec vox praecipue sollemnis est apud S. Paulum, et adhibetur vel de tota oeconomia salutis per Iesum gentibus quoque communicandae, vel de una aliqua re speciali divina revelatione nobis nota, ad cuius cognitionem humana ratio non potuisset pertingere et quae revelata divinitus aliquam nobis excitet admirationem. Ita vocat mysterium, caecitatem ex parte contigisse in Israel, donec plenitudo gentium intraverit et sic omnem Israel salvum fieri (Rom. 11,25. 26) vel non omnes esse morituros, verum subito in incorruptionem esse mutandos (1 Cor. 15,51 ex textu genuino graeco). Ita loquitur S. Paulus de mysterio Christi, de mysterio evangelii, apostolos praedicatores evangelii vocat dispensatores mysteriorum Dei; se loqui ait Dei sapientiam in mysterio, i. e. rem arcanam docendo; glossolalus loquitur in spiritu i. e. altiore Spiritus S. vi correptus, mysteria i. e. res aliis occultas, non intellegibiles, nisi adsit qui interpretetur (1 Cor. 14,2). Ceterum cf. 1 Cor. 2,7; 4,1; 13,2; Eph. 3,4; 6,19; Col. 1,26; 2,2; 4,3. Et 2 Thess. 2,7 mysterium iam operatur iniquitatis : occulte iam serpit iniquitas et arcanum consilium a principe improbitatis excogitatum iam tendit in opus prodire.

N

NAALOL (נַהֲלֹל, נַהַלֹל), urbs tribus Zabulon (Ios. 19,15; LXX Ναβαάλ), ex qua Chananaei non sunt exterminati (Iud. 1,30; LXX Δωμανά). Erat urbs levitica filiis Merari attributa (Ios. 21,35; LXX Σελλά?); loco parallelo 1 Par. 6,77 [62] inter urbes Zabulon filiis Merari concessas nominatur Thabor, ubi propter Ios. 21,35 potius exspectandum erat nomen Naalol; leguntur enim duo tantum nomina urbium leviticarum Remmono et Thabor pro illis quattuor Ios. 21,34. 35 recensitis Iecnam, Cartha, Damna (= Remmono), Naalol (= Thabor?). *Movers* opinabatur montem Thabor designari i. e. regionem montis Thabor pro tribus urbibus eiusdem regionis; e contra *Bertheau* censebat textum esse corruptum, nomina trium urbium excidisse, vocem *Thabor* esse reliquiam additamenti cuiusdam, quod situm illarum urbium accuratius determinasset ac simul excidisset; utramque explicationem *Keil* (ad 1 Par. 6,62) respuit, ipse tamen a nova coniectura abstinet. Situs est incertus. A nonnullis (*Schwarz, Van de Velde, Guérin, Buhl*) agnoscitur in *Maʿlūl* unius fere horae spatio occidentem versus a Nazareth et provocant ad Talmud hierosol., Megilla 70 a, ubi priscum nomen urbis explicatur per nomen recentius Malhul (*Reland, Neubauer*).

Sed maiore cum probabilitate Naalol componitur cum *ʿAin Māhil* inter aquilonem et orientem a Nazareth, praesertim cum nomen *Māhil* sit radicaliter idem ac Malhul talmudicum; hunc situm praeferunt exploratores anglici, *Zanecchia, G. A. Smith.*

Cf. *J. Schwarz,* Das hl. Land, Frankfurt 1852, p. 137; *Van de Velde,* Memoir, Gotha 1858, p. 335; *V. Guérin,* Galilée I. 387-390; *F. Buhl,* Alt. Pal. 1896, p. 215; *Reland,* Palaestina p. 717; *A. Neubauer,* Géogr. du Talmud, Paris 1868, p. 188. 189; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 365; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui, Paris 1899, II. 675; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI.

NAAMA (נַעֲמָה). **1.** Naama (LXX Ναμά, Νοομμά), uxor Salomonis, mater Roboam regis Iuda, Ammanitis seu de filiabus Ammon (3 Reg. 14,21. 31; 2 Par. 12,13); Roboam a Naama genitus est adhuc superstite Davide, siquidem Salomon 40 annos regnavit et Roboam 41 annos natus regnum capessivit. In additamento LXX 3 Reg. 12,24 eadem asseritur filia Anae (Ἀνα = Hanon) filii Naas regis Ammon; quod si verum supponitur, dicendum videtur post bellum ammoniticum ab Hanon excitatum et Ammonitis maxime exitiosum amicitiam inter Hanon et David restitutam esse.

2. Naama (LXX Νωμάν), urbs in campestribus Iuda, in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,41). Censetur esse vicus *Nāʿane* austrum versus a Lydda. Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 408; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui, Paris 1899, I. p. 103.

NAAMAN (נַעֲמָן, Νοεμάν, Νοαμά, Νοομά). **1.** Inter filios Beniamin quintus recensetur Naaman (Gen. 46,21); sed LXX h. l. eum faciunt filium Bela primogeniti Beniamin. Item filiis Bela adnumeratur Num. 26,40 (Vulg. Noeman) et 1 Par. 8,4. Naaman quoque legitur 1 Par. 8,7 princeps cognationis beniaminiticae in Gabaa, quae duce et au-

ctore Nera Beniaminita in Manahath translata est.

2. Naaman Syrus, princeps militiae regis Syriae Benadad II., vir magnus apud dominum suum et honoratus, fortis et dives, per quem Dominus salutem Syriae dederat (4 Reg. 5,1 ss.). Lepra infectus apud Eliseum prophetam sanationem quaerit. Indolem viri militaris per totam narrationem prae se fert. In indignationem prorumpit, ubi primum gloriam patriae suae vel semetipsum contemptui haberi existimat; at servorum suorum verbis permulsus non minus promptus est, ut postulatis Elisei obtemperet; sanatione impetrata animum vere gratum ostendit; Deum Israel unum verum Deum agnoscit atque onus duorum burdonum de terra israelitica secum aufert, ut in Syriam redux nihilominus super humum israeliticam Iahwae holocaustum offerat. Hoc unum per Elisei apud Deum deprecationem rogat, ut sibi in posterum quoque liceat regi in templo Remmon adoranti adsistere et officia muneris sui praestare v. g. procumbere cum rege procumbente; cui Eliseus : Vade in pace; unde alii inferunt Eliseum directe permisisse, alii eum tacite approbasse, alii eum ab omni approbatione abstinuisse. — Christus exemplo Naaman Syri Nazarethanis ostendit nequaquam iis quasi iure quodam proprio deberi beneficia divina et miracula, eo quod contribules sui sint (Luc. 4,27).

NAAMATHITES (נַעֲמָתִי), nomen gentilicium Sophar amici Iob (Iob 2,11; 11,1; 20,1; 42,9); incertum autem est, sitne Sophar oriundus ex Naama urbe in campestribus Iuda (Ios. 15,41) an ex alia nobis ignota. LXX 2,11 Μιναίων βασιλεύς, aliis locis ὁ Μιναῖος, quae lectio supponit hebr. מִינִי = de gente מְעוֹנִים (v. MUNIM).

NAARA (נַעֲרָה, B Θοαδὰ, A Νοορά), altera uxor Assur patris (possessoris) Thecuae (1 Par. 4,5); eius quattuor filii recensentur (4,6; LXX nomina uxorum confundunt).

NAARAI (נַעֲרַי, B Νααραΐ, A Νοορά), filius Asbai, heros in exercitu Davidis (1 Par. 11,37); idem 2 Reg. 23,35 scribitur Pharai de Arbi, quae lectio praeferenda videtur.

NAARAI (1 Par. 11,39) v. NAHARAI.

NAARATHA (נַעֲרָתָה cum He locali, LXX καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν ac si legerent בְּנֹתֶיהָ), urbs in termino orientali tribus Ephraim et prope confinia Beniamin (Ios. 16,7). Eadem censetur quae 1 Par. 7,28 Noran (נְעָרָן, Νοαράν). Tempore Eusebii et S. Hieronymi vocabatur Νοορά0, Naorath, villa 5 mil. pass. a Iericho distans (Onom. *ed. Lag.* 283,11; 142,21). Eiusdem vici mentionem facit Flav. Iosephus (Ant. XVII. 13,1) : Refecit etiam (Archelaus ethnarcha, filius Herodis Magni) Hierichunte palatium magnifice et dimidiam aquam, qua Neara vicus (Νεαρὰν τὴν κώμην) irrigabatur, ductu ei facto in campum divertit, quem palmetis totum conseverat. — Hodie *Khirbet el-Samiye* prope *ʿAin el-Samiye*, 2½ fere horarum itinere a Iericho inter septemtrionem et occidentem (*Guérin*, Samarie I. 210-213 et cf. 226. 227, quamquam concedit hanc distantiam longiorem esse illa 5 mil. pass. ab Eusebio indicata; *Legendre*, Carte de la Palestine); aliis praeplacet *Khirbet el-ʿAudje* Iordanem versus a *Samiye* et prope ripam septemtrionalem *Wâdi el-ʿAudje* ad Iordanem decurrentis (*G. A. Smith*, Hist. Geogr. of. the Holy Land, Plate I. IV. V; cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 391. 392).

NAARIA (נַעַרְיָה, Νωαδειά, Νωαδιά).

1. Filius Semeiae ex posteris David (1 Par. 3,22. 23).

2. Unus ex principibus Simeonitarum, qui tempore Ezechiae regis expeditionem in montem Seir contra reliquias Amalecitarum susceperunt (1 Par. 4,42).

NAAS (נָחָשׁ, Νάας, Ναάς). **1.** Rex Ammonitarum, qui tempore Saulis urbem Iabes Galaad aggressus, sed a Saule in fines suos reiectus est (1 Reg. 11,1 ss.), quo eventu maxime Israelitae permoti sunt, ut a Samuele regem sibi postularent (1 Reg. 12,12). Postmodum

vero Davidi amicitia se coniunxit et gratiam facto quodam praeclariore exhibuit (2 Reg. 10,1. 2; 1 Par. 19,1. 2); quam gratiam Naas Davidi exhibuerit, ignoramus; videtur Naas similiter atque reges Moab (cf. 1 Reg. 22,3 ss.) et Geth (cf. 1 Reg. 27) Davidem fugitivum tamquam inimicum Saulis considerasse et adiuvisse (*F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 10,2). Hanc amicitiam Hanon filius Naas nefando scelere turbavit, sed lasciviae suae poenas luit insigni clade Ammonitarum (2 Reg. 10,1 ss.; 1 Par. 19,1 ss.).

2. Inter eos qui Davidem ab Absaome debellatum et in Mahanaim residentem cibariis oblatis adiuverunt, recensetur Sobi filius Naas de Rabbath Ammon (2 Reg. 17,27); utrum fuerit Israelita in urbe Rabbath Ammon a Davide subacta habitans an forte filius Naas regis Ammonitarum defuncti et frater Hanon regis a Davide devicti, diiudicari nequit; putant nonnulli hoc alterum esse probabilius et loco Hanon devicti eius fratrem Sobi a Davide constitutum esse principem tributarium.

3. De Naas 2 Reg. 17,25 : Abigail filia Naas vide s. v. ABIGAIL 2.

4. Urbs Iuda, cuius pater (possessor) nominatur Tehinna (1 Par. 4,12). Fortasse *Deir Nakhkhas* prope *Beit Djibrīn* seu Eleutheropolim inter aquilonem et orientem. Cf. *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 258.

NAASSON urbs (Vulgata Tob. 1,1; LXX 1,2 Ἀσήρ) v. ASOR 1.

NAASSON filius Aminadab v. NAHASSON.

NABAIOTH (נְבָיוֹת, נְבָיוֹת; Ναβαϊώδ, Ναβαιώθ, Ναβεώθ), filius primogenitus Ismael (Gen. 25,13; 1 Par. 1,29), frater Maheleth (Basemath) uxoris Esau (Gen. 28,9; 36,3 et cf. *F. de Hummelauer* ad 36,3), progenitor gentis pastoriciae, quae gregibus abundabat (Is. 60,7). Inter omnes tribus ismaeliticas praecipuae erant Nabaioth et Cedar; sicut Is. 60,7 una nominantur, ita etiam in inscriptionibus cuneiformibus coniunguntur *Nabaitai* et *Qidrai* (*Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 133) et apud *Plinium*, Nat. Hist. V. 11,65 Nabataei et Cedrei. Nabaioth alias in S. Scriptura non leguntur, sed 1 Mach. 5,25 et 9,35 Nabuthaei (Ναβαταῖοι) erga Iudam et Ionatham Machabaeos amici fuisse perhibentur.

Iam probabilissimum est, Nabaioth tribum arabicam eosdem esse ac Nabataeos aetatis hellenisticae. Hoc supponere videtur Flav. Iosephus (Ant. I. 12,4), idem sentiunt S. Hieronymus (Quaest. in Gen. 25,13) et recentiores plerique. Ineunte Diadochorum aevo gens arabica Nabataeorum occupabat sedes antiquas Edomitarum inter mare Mortuum et sinum Aelaniticum cum Petra (סֶלַע) urbe principali (*Diodor. Sic.* 19, 94-100).

Eo tempore Nabataei teste Diodoro erant nomades, qui neglecta agricultura pecora pascebant et negotiationem agebant. Paulatim vero regia potestas apud ipsos introducta est et eorum regnum versus meridiem et septemtrionem extendebatur. Primus nobis innotescit Aretas ille tyrannus (Aretas I.), apud quem Iason impius Iudaeorum pontifex frustra refugium sibi quaesivit anno 169 a. Chr. (2 Mach. 5,8); circa idem tempus iam in terra transiordanica et deserto Syriae sedes fixerant, ut ex eorum amico congressu cum Iuda Mach. a. 164 a. Chr. et cum Ionatha a. 160 a. Chr. apparet (1 Mach. 5,25; 9,35). Duo illi Arabes, qui circa a. 146-145 a. Chr. fuerunt, Zabdiel (1 Mach. 11,17) et Emalchuel (11,39) probabilius erant principes minoris ordinis, non tyranni gentis Nabataeorum. Quo magis potestas Ptolemaeorum et Seleucidarum decrescebat, eo latius Nabataeorum fines extendebantur. Conditor regiae potestatis Nabataeorum haud dubie est Erotimus rex Arabum, qui circiter 110-100 a Chr. teste Trogo Pompeio (*Iustin.* 39,5) divisis exercitibus nunc Aegyptum nunc Syriam infestabat magnumque nomen Arabum, viribus finitimorum exsanguibus, fecerat. Aretas II. Arabum rex urbi Gaza ab Alexandro Iannaeo a. 96 a. Chr. obsessae opem promiserat; urbs autem expugnata est, antequam Aretas opem ferret (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 13,3). Circa

a. 90 a. Chr. Obedas I. Arabum rex Alexandrum Iannaeum in terra transiordanica devicit (Ant. XIII. 13,5; Bell. iud. I. 4,4). Paucis annis post Aretas III. Arabum rex Coele Syria et Damasco potitus est et Alexandrum Iannaeum apud Adidam in fugam coniecit (Ant. XIII. 15,1. 2; Bell. iud. I. 4,7.8). Ipsa igitur Damascus circa a. 85 a. Chr. regibus nabataeis parebat, etsi non toto tempore usque ad occupationem romanam in ditione Arabum permanserit. Primum congressum hostilem Nabataeorum et Romanorum enarrat Flav. Iosephus (Ant. XIV. 1,4; 2,1 ss.; Bell. iud. I. 6, 2 s.). Ex his colligitur Aretam III. circiter a. 85-60 a. Chr. et forte diutius regnasse. Alii reges Nabataeorum erant Malchus I. (c. 50-28 a. Chr.), Obodas II. (c. 28-9 a. Chr.), Aretas IV. (c. 9 a. Chr. — 40 p. Chr.), Abias tempore Claudii Imperatoris, Malchus II. (c. 48-71 p. Chr.), Rabel (c. 71-106 p. Chr.). A Traiano denique *Arabia quae ad Petram* provincia romana facta est, cuius urbes praecipuae erant Petra in meridie et Bostra in Auranitide. — De Areta I. et IV. vide s. v. ARETAS.

A Nabaioth-Nabaitai tribu arabica tam ethnologice quam geographice distinguendi sunt *Nabatu*, qui in inscriptionibus Theglathphalasar II., Sargon et Sennacherib leguntur et potius ad *Aramu* (*Arumu, Arimu*) i. e. Aramaeos babylonicos pertinent (*Schrader*).

Generatim cf. *Reland*, Palaestina p. 90 ss.; *Quatremère*, Mémoire sur les Nabatéens, in Nouveau Journal asiatique XV. 1835, p. 5 ss. 97 ss. 209 ss.; *Ritter*, Erdkunde XII. 111 ss.; *Schrader*, Keilinschr. u. Geschichtsforschung 1878 p. 99-116; *Marquardt*, Röm. Staatsverwalt. I. 1881, p. 404 s. 431 s.; *Mommsen*, Röm. Gesch. V. 1885, p. 467 ss.; *Clermont-Ganneau*, Recueil d'archéologie orientale I. 1888, p. 39-47; II. 1896, p. 185-219; *H. Vincent*, Les Nabatéens, in Rev. bibl. VII. 1898, p. 567-588; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 I. 726-744; *M.-J. Lagrange*, Études sur les religions sémitiques, Paris 1905, p. 70 ss. 501 ss. 209 s.

Quoad inscriptiones Nabataeorum cf. praesertim : *De Vogué*, Syrie centrale, Inscriptions sémitiques, Paris 1868, p. 100-124; *Euting*, Nabatäische Inschriften aus Arabien, Berlin 1885; Corpus Inscr. Semit. P. II. 1, n. 157-348, ubi inscriptiones nabataeae usque ad annum 1893 repertae habentur; *Clermont-Ganneau*, Recueil d'archéologie orientale II. 1896, p. 128-133; 362-381; IV. p. 99-112; *Marquis de Vogüé* et *M.-J. Lagrange*, Recherches épigraphiques à Pétra, in Rev. bibl. VII. 1898 p. 165-182; *R. E. Brünnow et A. v. Domaszewski*, Die Provincia Arabia, Strassburg 1904, I. p. 508-510 (bibliographia).

NABAL נָבָל i. e. stultus, Νάβαλ), incola oppidi Maon in monte Iuda, qui apud oppidum vicinum Carmel habebat possessionem et in pascuis tria millia ovium ac mille capras; eius uxor erat Abigail prudentissima et speciosa, postea uxor Davidis (1 Reg. 25,2 ss.; 27,3; 30,5; 2 Reg. 2,2; 3,3). *Keil* putat *Nabal* fuisse merum cognomen propter stultitiam vel potius malitiam viro inditum; sed merito reponit *F. de Hummelauer* (ad 1 Reg. 25,3), num solo cognomine appellari dicamus virum illis locis, quibus ex officio Davidis familia recensetur (2 Reg. 2,2; 3,3). Describitur durus moribusque malus (hebr.), ergo malitiosus tum dispositione naturali tum acquisita. Erat de genere Caleb (*Qeri* כלבי, Vulgata, Chald.); haec interpretatio commendatur prae altera, quae praeter vitia moralia iam indicata addi censet fuisse insuper moribus caninis, canibus similem, rabidum (*Kethib* כלבו, LXX, Arabs, Syr. derivantes a כֶּלֶב *canis*). Eius stultitia apparuit, cum in festivitate tonsurae gregum suorum Davidem aliquid doni gratuiti sibi suisque requirentem sperneret. Pro illata iniuria David ira abreptus poenam vi armisque exigere conatus est. Communiter ab interpretibus hoc Davidis consilium peccati arguitur, quoniam eius regia unctio a populo ignorabatur et Saul nondum regno privatus erat. Feliciter autem accidit, ut Abigail, prudens viri uxor, Davidi occurrens et annonam offerens iratum demulserit, ut vindictae renunciaret. Nabal interim incurius epulabatur et pro stoliditate sua ebrietati indulgebat.

Altero mane de periculo averso certior factus Nabal ictu apoplexiae tangitur et post decem dies e vivis sublatus est. Qua re tantopere animo perculsus?

— vel propter periculum, in quo fuerat, ne ebrius occideretur (*Sanctius*), vel ob animi aegritudinem, quod sola uxoris prudentia stultitiae poenam evasisset (*Keil*), vel ob indignationem, quod frustrata videret quaecunque animo avaro et praefracto secum statuerat.

« Divinae providentiae gubernatio mirabiliter in hoc facto eluxerat. Cum enim David coram Saule protestatus esset, se totum suae causae iudicium Deo permittere (1 Reg. 24,13. 16) cumque, ne hoc exciderat proposito, Abigailis adventu esset praeventus, illico Nabal apoplexia correptus corruit, quo se momento David sua manu ulcisci decreverat et ita causam Davidis iudicavit Deus » (*F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 25,39).

NABAT (נְבָט, Ναβάτ), pater Ieroboam I. regis Israel, Ephrathaeus de Sareda; eius uxor erat Sarva, mulier vidua, cum eorum filius Ieroboam adhuc adolescens conatum rebellionis contra Salomonem faceret (3 Reg. 11,26 et passim : Ieroboam filius Nabat).

NABATH (Ναβάς), amicus et consobrinus (ἐξάδελφος) Tobiae senioris (Tob. 11,20; LXX 11,17). Eius nomen etiam scribitur Ναβάς, Itala legit Nabal, Syrus : Laban. — De eodem dici videntur, quae 14,10 LXX narrantur, sed in Vulgata desunt scil. Nadab (ita cod. ℵ, alii plerique Ἀμάν, Itala : Nabad, Syrus : Acab) ab Achiacharo enutritum esse, sed benefactori suo insidias parasse; Dei autem providentia factum esse, ut Achiacharus ex pernicie eriperetur et Nadab in laqueos mortis ipse incideret. *Grotius* hanc narrationem ut spuriam reiecerat propter similitudinem cum narratione libri Esther de Mardochaeo et Aman; verum *Gutberlet,* Das Buch Tobias, Münster 1877, p. 283. 284 ostendit neque ex nominibus neque ex re narrata evinci posse eadem narrari.

NABLUM v. MUSICA.

NABO v. NEBO.

NABOTH (נָבוֹת, Ναβουθαί), Iezrahelites, qui vineam possidebat ad orientem urbis Iezrahel sitam (v. IEZRAHEL 4). Achab rex vineam illam sibi expostulavit pretio oblato, Naboth autem regi obtemperare renuit ob religionis motivum, siquidem venditio possessionis hereditariae lege prohibita erat (cf. Lev. 25,23-28; Num. 36,7 ss.); sed impiis consiliis Iezabel (vide s. v.) effectum est, ut Naboth capitis damnatus ac lapidatus sit (3 Reg. 21,1 ss.) ac simul cum ipso etiam filii eius interierint (4 Reg. 9,26). Qua ratione ultio divina Achab regi 3 Reg. 21,17 ss. intimata effectum habuerit in diebus Ioram filii Achab, narratur 4 Reg. 9,21 ss. Ioram a Iehu sagitta confossus in agrum Naboth proiicitur, et canes comederunt carnes Iezabel in agro Iezrahel (3 Reg. 21,23 בְּחֵל intra antemurale seu pomerium urbis Iezrahel; 4 Reg. 9,10. 36. 37 בְּחֶלְקַ in territorio urbis); Iezabel igitur non in vineam Naboth proiecta esse legitur sicut Ioram, attamen vinea Naboth omnino vicina erat palatio Achab et Iezabel prope portam urbis orientalem (cf. s. v. IEZRAHEL 4).

NABUCHODONOSOR. 1. Nabuchodonosor (Ναβουχοδονόσορ), rex commemoratur in libro Iudith et rex Assyriorum dicitur et regnasse in Ninive. Victoria reportata contra Arphaxad, regem Medorum, cor eius exaltatum est voluitque omnem regionem usque ad Aethiopiam sibi subici. Verum cum legati eius ab istis gentibus sine honore essent remissi, anno 13. (graece 18.) regni sui bellicam expeditionem ad honorem suum vindicandum commisit Holoferni, principi militiae (Iudith 1,1-2,5) simulque postulabat, ut ipse a nationibus agnosceretur deus (3,13; 5,29; 6,2). Qui rex eo nomine designetur, ne inter eos quidem constat, qui librum Iudith vere res gestas narrare censent. Opinio satis probabilis est designari Asurbanipal, ad cuius annales tempusque satis congruunt quae in libro narrantur (cf. *Robiou,* Deux questions d'histoire et de chronologie éclaircies par les Annales d'Asurbanipal, Paris 1875; *Vigouroux,* La Bible et les découvertes mod. *ed.* 6, IV. p. 99; *Delattre,* Le livre de Judith, Paris 1884; *Cornely,* Introd. II. 1, *ed.* 2,

p. 404 ss.; *Palmieri*, De veritate historica libri Iudith, 1886). Iidem Arphaxad esse Phraorten regem Medorum autumant.

2. Nabuchodonosor (נְבוּכַדְנֶאצַּר, 4 Reg. 24. 25.; etiam נְבוּכַדְרֶאצַּר Ier. 21; Ez. 36,7; in inscriptionibus cuneiformibus *Nabu-kudurri-nasur* i. e. Nebo coronam tuere), rex Babylonis, filius Nabopalassar; anno quarto Ioakim regis Iudae Nabuchodonosor vicit Nechao regem Aegypti ad flumen Euphraten in Charcamis (Ier. 46,2), eumque, uti ex Berosi narratione consequitur, usque ad Aegyptum est persecutus; eadem expeditione etiam Icrusalem urbem aggressus Ioakim regem sibi subiecit (4 Reg. 24,1) et partem vasorum sacrorum et captivos nobiles (cf. Dan. 1,2 ss.) in Babyloniam abduci iussit. Ipse enim, uti Iosephus ex Beroso narrat, accepto nuntio de morte patris celeriter Babylonem est reversus, captivos autem Iudaeorum, Phoenicum, Syrorum, Aegyptiorum quibusdam ex suis amicis tradidit qui eos Babylonem adducerent (cf. *Flav. Ios.* c. Ap. I. 19; *Richter*, Berosi Chaldaeorum historiae p. 65. 66; idem refertur apud *Euseb.* Praep. evang. 9,40; *Migne* 21,760). Haec evenerunt an. 605 a. Chr. Eo quoque anno patri suo in regno successit; dicitur autem iam in narratione antecedente (cf. Dan. 1,2) rex proleptice, vel ut alii censent, quia iam ab anno 607 in regni consortium a patre erat assumptus. Ioakim rex post tres annos rebellavit; quare regio a copiis Chaldaeorum eorumque sociis varie fuit infestata (4 Reg. 24,2) et eo mortuo et Ioachin regnante Nabuchodonosor rebellionis poenas exegit; venit cum exercitu ad civitatem oppugnandam octavo anno regni sui (4 Reg. 24,12). Ioachin cum principibus sese ad Nabuchodonosor contulit eique thesauros domus regiae et templi tradidit; ipsum vero et nobiles et robustos viros, septem millia, et artifices traduxit Nabuchodonosor captivos in Babyloniam; regem vero constituit Matthaniam, patruum Ioachin, cui in signum subiectionis nomen Sedeciae imposuit. Ieremias propheta iam anno quarto Ioakim et deinceps annuntiaverat verbum Domini, electum esse Nabuchodonosor servumque a Domino assumptum qui populi flagitia puniret et cui subiecti esse deberent (Ier. 25,1 ss.). Verum Ieremias surdis praedicabat auribus regis et principum; immo ipse ab iis non semel male habebatur. Etiam Sedecias rebellis fuit in Nabuchodonosor regem. Quare is anno nono Sedeciae urbem Ierusalem obsidione cinxit (4 Reg. 25,1); Ieremias frustra repetitis vicibus regem Sedeciam hortatur, ut se tradat in oboedientiam Nabuchodonosor (Ier. 21. 27. 34. 37. 38). Urbs post duos annos expugnata est; Sedecias in fuga comprehensus adducitur ad Nabuchodonosor in Reblatha (in terra Emath); filii eius ipso cernente occiduntur, ipse oculis effossis et catenis vinctus Babylonem ducitur; urbs incendio vastatur, itemque templum; incolae plerique et vasa sacra pariter Babylonem transportantur (4 Reg. 25,2-21; Ier. 39). Ieremiam qui a suis in carcerem erat missus, Nabuzardan iubente Nabuchodonosor liberum dimisit ut quo vellet abiret (Ier. 39,11-40,5).

Obsidionem Tyri urbis molitus est Nabuchodonosor; urbs illa maritima, insularis non sine maxima molestia obsideri poterat. Capitibus decalvatis et humeris attritis Ezechiel labores illos designat, qui ad ducendum e terra per mare aggerem requirebantur in gestatione saxorum, lignorum, terrae ad implendum maris alveum. Nam ut urbs illa oppugnari posset, eiusmodi aggere opus erat. Eius vestigia deprehendi possunt in eo quod *Arrianus* refert, cum Alexander ad expugnandam urbem aggerem duceret, longo spatio inventum esse locum vadosum ac limosum (cf. *Arrian.* Anab. 2,18; *Movers*, Phoenizier II. 1 p. 447). Eius aggeris mentionem faciunt S. Hieronymus (ad Ez. 29,19), S. Cyrillus Alex. (ad Is. 23), Guillelmus, archiepiscopus tyrensis (Historia rerum transmar. 13,4; *Migne* 201, 552). Verum cum urbs non omni ex parte cingi posset, Tyrii, uti obsidionem tredecim annorum commeatu e mari adducto sustinere valebant, ita quoque opes ac divitias in tuto collocabant vel ad colonias transferebant. Unde pro labore obsidionis non est reddita merces exercitui Nabuchodo-

nosor (cf. Ez. 29,18). Quare pro servitute qua servivit Nabuchodonosor Domino adversus Tyrum, Deus ei concessit spolia larga in Aegypto (Ez. 29,19. 20). De expeditione Nabuchodonosor in Aegyptum vaticinatus est Ieremias quoque (43,9-13); de ea quidem tacent Herodotus et Diodorus; quare non deerant qui contenderent Ieremiam et Ezechielem falso praedixisse (cf. *Duncker*, Geschichte des Alterthums I. p. 841, *Hitzig, Graf* in commentariis). Sed ex monumentis et aegyptiacis et babylonicis expeditio illa iam certo constat (cf. Aegypt. Zeitschrift 1878 p. 2. 87; 1879 p. 45; *Pinches* in Transactions of the Society of Bibl. Archaeology VII. 2 p. 240; *Wiedemann*, Aegypt. Geschichte p. 641; plura vide apud *Knabenbauer*, Comm. in Ierem. p. 495). Eam expeditionem suscepit Nabuchodonosor anno regni 37. et usque ad Syenen progressus est.

Alia quaedam de Nabuchodonosor nobis narrantur apud Danielem. Ex pueris nobilibus, qui mox post pugnam ad Carchemis factam Babylonem captivi adducti erant, Nabuchodonosor aliquos ad obsequia aulica erudiendos curavit, inter quos erat Daniel. Anno secundo regni habuit Nabuchodonosor somnium, quod cum sapientes Chaldaeorum indicare et explanare non possent, Daniel et indicavit et explicuit somnium de statua ex auro, argento, aere confecta, cuius pedes partim ferrei, partim fictiles erant, quam lapis de monte avulsus percussit ac prostravit (Dan. 2,1-46). Explanatione de quattuor regnis et regno uno aeterno cetera comminuente data Daniel summis honoribus est affectus et princeps constitutus super provincias Babylonis (2,47-49). Secundum LXX et Theodotionem Nabuchodonosor decimo octavo anno regni statuam illam magnam erexit, ut bellis feliciter gestis diis tutelaribus gratias sollemniter ageret et monumentum gloriae sibi erigeret. Ex veterum scriptorum testimoniis et recenti monumentorum exploratione constat ab Assyriis et Babyloniis statuas eximiae magnitudinis esse erectas (cf. *Herodotus* 1,183, *Diodorus Sicul.* 2,9; *Smith*, Assyrian discoveries, 1875 p. 428 ss.; *Perrot et Chipiez*, History of art in Chaldea and Assyria II. p. 86. 131. 132. 204. 208. 220; *Payne Smith*, Daniel 1886 p. 57; *Lenormant*, La divination chez les Chaldéens, p. 192; varia exempla vide apud *Knabenbauer*, Comm. in Dan. p. 102). Quare hodie concedunt nihil esse improbabile in eo quod Nabuchodonosor eiusmodi statuam erexisse narratur (cf. *Oppert*, Expédition en Mésopotamie I. p. 239). In campo Dura statuam seu simulacrum Bel eum erexisse Hieronymus (ad Hab. 1,15. 16; *Migne* 25, 1287) dicit, et in columna 60 cubitos alta et sex lata collocavit simulacrum dei, quem ab omnibus adorari iussit poena ignis recusantibus obsequium proposita. Gloriatur Nabuchodonosor in magna inscriptione, se cultum dei Marduk propagasse, terras longinquas, montes altos a mari superiore (Mediterraneo) usque ad mare inferius (Persicum) in eius veneratione continuisse; unde quae Dan. 3,2 ss. narrantur, bene illustrantur; suum cultum omnibus imperat, ut se omnium et animorum et corporum dominum profiteatur. Poenam ignis infligi satis in usu erat apud Babylonios; cf. Ier. 29,22; insuper *Smith* (History of Asurbanipal p. 157) refert ex cylindri inscriptione virum quendam qui diis maledixerit fuisse iniectum in fornacem et combustum. In adorando numine quod Nabuchodonosor regi victoriam praestitisse credebatur, singuli ex alienigenis profiteri censebantur, illud numen esse potentius diis gentium devictarum. Quare iuvenes hebraei eam adorationem recusabant. Quos cum rex super opera provinciae Babylonis antea praeposuisset (Dan. 2,49), vehementer iratus iussit mitti in fornacem solito valentius incensam. Divina ope cum illi incolumes servarentur, rex rei magnitudinem admiratus Dei maiestatem agnovit et gentibus annuntiavit poena severa proposita, si quis locutus esset blasphemiam in Deum excelsum (Dan. 3,1-97).

Alterum somnium Nabuchodonosor regi esse oblatum de arbore magna ab angelo succisa narratur Dan. 4, quod Daniel de ipso rege explicat, qui ob superbiam a Deo percussus morbo insaniae, insania scil. zoanthropica seu boanthropica, per aliquod tempus laboraturus sit

id quod revera ei contigisse perhibetur. Eius morbi vestigium et memoria subesse videtur narrationi quam ex Abydeno affert Eusebius (Praep. evang. 9,41; *Migne* 21,761), a Chaldaeis tradi Nabuchodonosor regem expeditionibus bellicis peractis, cum palatium conscendisset (ἀναβὰς ἐπὶ τὰ βασιλήια; cf. Dan. 4,26), oraculum fudisse divinitus afflatum, quo adversario persico et medo eundem morbum zoanthropicum imprecatus esset et: « haec effatus hominum ex oculis repente sublatus evanuit ». Praeterea mentione dignum est, quod *Oppert* (Expédition en Mésopotamie I. p. 187) proposuit, Neriglissor, qui erat gener Nabuchodonosor regis et rex post Evilmerodach, designare patrem suum in monumentis publicis regem Babylonis; at pater eius *Bel-zikir-uskum* nullibi in serie regum nominatur neque filius censeri potest sine ulla ratione ei hunc attribuisse titulum; unde concluseris eundem gubernasse durante morbo Nabuchodonosor regis. Eo morbo rex iterum maiestatem Dei caeli agnovit et publico documento omnibus innotescere voluit (Dan. 3,98-4,43).

Atque haec fere sunt quae in s. litteris de Nabuchodonosor rege habentur. Ex historia profana habemus eum regnasse 605-562. Ex monumentis apparet eum templa aedificasse aliaque aedificia magna pompa erexisse; item se diis devotum profitetur, se esse generatum a Marduk, Marduk vitae suae germen in sinu matris posuisse; dirigit supplicationes ad deos, ait se ab iis dirigi, eorum mandata exsequi, eorum cultum propagare (cf. *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 252; *Vigouroux*, La Bible et les découvertes mod. *éd.* 6, IV. p. 141 ss.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 47 ss.).

I. KNABENBAUER.

NABUSEZBAN (נְבוּשַׁזְבָּן, LXX omittunt), unus ex principibus regis Nabuchodonosor (Ier. 39,13). Eius nomen assyr. est *Nabu-sizib-anni* i. e. Nebo liberat me; cf. שֵׁיזִיב aram. liberavit (*Schrader-Whitehouse* ad h. l.). Eius titulus est רַב־סָרִים *princeps eunuchorum*, quem titulum Vulgata nomen proprium fecit: Nabuszeban et Rabsares. — Hic princeps eunuchorum non necessario idem est cum Sarsachim Rabsares (v. SARSACHIM), ut *Knabenbauer* ad h. l. ostendit.

NABUTHAEI v. NABAIOTH.

NABUZARDAN (נְבוּזַרְאֲדָן, Ναβουζαρδάν), princeps militiae seu regiae cohortis Nabuchodonosor (4 Reg. 25,8-20; Ier. 39,9 ss.; 40,1; 41,10; 43,6; 52,12-28). Eius nomen assyr. est *Nabu-zir-iddina* i. e. Nebo posteritatem donat (*Schrader-Whitehouse* ad 4 Reg. 25,8). A rege missus Hierosolyma venit uno mense post expugnatam urbem seu anno 19. Nabuchodonosor mense quinto die mensis septima (4 Reg. 25,8) vel decima (Ier. 52,12); hanc discrepantiam *Knabenbauer* (ad Ier. 52,12) explicat errorem agnoscens scribarum in alterutro loco, scil. commutationem inter ז *septem* et י *decem*, quae mutatio in litterarum forma antiquiore facile contingere poterat; aliis placet Nabuzardan Hierosolyma venisse die septima, at mandata non explevisse nisi die decima; plura vide apud *Knabenbauer* l. c. Putarunt aliqui (cum *Thenio*) a Nabuzardan demum totam urbem expugnatam esse, etiam montem Sion et Acropolim, in quibus munitionibus Iudaei diutius restitissent; sed hoc admitti vix poterit, quia cum Sedecia rege etiam bellatores eius ex urbe aufugisse leguntur 4 Reg. 25,4 et Ier. 52,7. Nabuzardan urbem incendio delevit et exsecutioni mandavit, quaecunque Nabuchodonor contra Iudaeos decreverat. Solutionem discrepantiae apparentis inter Ier. 39,14 et 40,1 indicavimus s. v. GODOLIAS. — Demum quinto anno post urbem expugnatam Nabuzardan iterum in Iudaeam venit et Iudaeorum 745 in captivitatem abduxit (Ier. 52,30; apud LXX haec non leguntur), fortasse quia Iudaei seditiones moverant, cum Chaldaei bellis in Ammonitas, Tyrios aliasque gentes distinerentur; de computatione annorum Nabuchodonosor Ier. 52,28-30 quae a v. 12 discrepat, cf. *Knabenbauer*.

NACHON v. Area Chidon s. v. AREA 2.

NACHOR (נָחוֹר, Ναχώρ). **1.** Patriarcha ex generatione Sem, filius Sarug, pater Thare, avus Abrahae (Gen. 11, 22-25; 1 Par. 1,26; Luc. 3,34). De computatione annorum Nachor vide tabellas apud *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 342. 347.

2. Filius Thare, frater Abram et Aran (Gen. 11,26. 27; Ios. 24,2), matrimonio iunctus cum Melcha filia Aran fratris sui aetate sane maioris (Gen. 11,29). Ex Melcha uxore genuit octo filios, ex Roma uxore secundaria quattuor (Gen. 22,20-24). Ex filiis Melchae Bathuel Aramaeus (cf. 28,5) est pater Rebeccae (24,15. 24. 47) et Laban (qui proin 29,5 vocatur filius i. e. nepos Nachor). Reliquorum filiorum aliqui sunt prorsus ignoti; sed quae ab interpretibus notantur de Hus primogenito, Buz, Maacha, omnino suadent Nachoridas plerosque ex Mesopotamia occidentem versus profectos circa Hauran incoluisse et usque ad montem Galaad (Gen. 31,53; v. etiam MAACHA 1.), immo in viciniam Idumaeae se extendisse. Posteri Nachor sedes quoque fixerunt in Haran quae urbs Nachor vocatur (24,10; cf. 27,43 et v. HARAN); sed nulla mentio fit ipsius Nachor 11,31 ubi narratur Thare, Abram et Lot de Ur Chaldaeorum egressos in Haran pervenisse. — Contradictionem quam recentiores deprehendunt in eo, quod Hus et Aram (Camuel pater Aram) 22,21 a Nachor deriventur, dum 10,22. 23 Hus filius Aram et Aram filius Sem scribatur, succincte enodat *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 436. 437.

NADAB (נָדָב, Ναδάδ). **1.** Filius primogenitus Aaron et Elisabethae (Ex. 6, 23; 24,1. 9; 28,1; Lev. 10,1; Num. 3,2. 4; 26, 60. 61; 1 Par. 6,3; 24,1. 2), qui igne caelesti devoratus est una cum Abiu fratre suo; vide s. v. ABIU.

2. Filius Semei, pater Saled et Apphaim ex posteris Ierameel (1 Par. 2,28. 30).

3. Beniaminita, filius Iehiel possessoris Gabaon seu Abigabaon nuncupati (1 Par. 8,30; 9,36).

4. Nadab (Ναδάτ), filius Ieroboam I. regis Israel eiusque in regno successor (3 Reg. 14,20; 15,25-31). Regnavit anno secundo et tertio Asa regis Iuda; ambulabat in viis Ieroboam patris sui faciens malum in conspectu Domini; cum Gebbethon seu Gabathon urbem Philisthaeorum in tribu Dan obsideret, interfectus est a Baasa, qui omnem domum Ieroboam exterminavit et ipse regnum arripuit.

NADABIA (נַדַבְיָה, B Δενεθεί, A Ναδαδίας), unus ex filiis Iechoniae filii Ioakim (1 Par. 3,18).

NAGGE (Ναγγαί), unus ex maioribus Iesu Christi in genealogia Luc. 3,25.

NAHABI (נַחְבִי, B Ναβεί, A Ναβά), Nephthalita, unus ex duodecim exploratoribus terrae promissae (Num. 13,15 [14]).

NAHALIEL (נַחֲלִיאֵל i. e. torrens Dei, vallis Dei; Ναλιήλ), statio Israelitarum in itinere anni quadragesimi, inter stationes Matthana et Bamoth sita (Num. 21,19). Onom. (*ed. Lag.* 282,91; 141,29): iuxta Arnonem. Etiam a nonnullis interpretibus (*Knobel, Keil, Ewald*) Nahaliel coniungitur cum *Wādi Enkeile* seu superiore Arnonis cursu, quem recentiores *Wādi el-Sfoiy* dicunt. Attamen quia Nahahiel iam est tertia statio Israelitarum, postquam Arnonem transgressi sunt, magis aquilonem versus ab Arnone quaerenda est. Unde ab aliis Nahaliel agnoscitur *Wādi el-Wāle* tributarius Arnonis a parte aquilonari (*Dillmann* ad Num. 21,19), ab aliis *Wādi Zerqā Maʿīn* (*G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I). Cf. dicta s. v. BAMOTHBAAL.

NAHAM. 1. Naham (נַעַם, in pausa נָעַם; B Νόομ, A Νάαμ), tertius ex filiis Caleb filii Iephone (1 Par. 4,15).

2. Naham (נַחַם, B Ναχέθ, A Ναχέμ, rec. Lucian. Ναούμ), vir ex posteris Iuda, pater urbis Ceilae (1 Par. 4,19); ceterum de textu valde obscuro vide s. v. GARMI.

NAHAMANI (נַחֲמָנִי, B Ναεμανεί, A Νάεμανί, rec. Lucian. Ναιμανί), princeps, qui cum Zorobabel et Iosue ex captivitate rediit (Neh. 7,7). Loco parallelo Esdr. 2,2 omittitur.

NAHARAI (נַחֲרַי, Γελωρέ) Berothites, armiger Ioab (2 Reg. 23,37). Idem 1 Par. 11,39 scribitur in editionibus Vulgatae etiam Naarai (נַעֲרַי, B Ναχώρ, A Ναραί).

NAHASSON, NAASSON (נַחְשׁוֹן, Ναασσών, Ναασών) filius Aminadab, frater Elisabeth, uxoris Aaron (Ex. 6,23), princeps in tribu Iuda et unus ex maioribus Davidis (Num. 1,7; 2,3; 7,12. 17; 10,14; Ruth 4,20; 1 Par. 2,10. 11), in genealogiis Iesu Christi enumeratus (Matth. 1,4; Luc. 3,32).

NAHATH (נַחַת). **1.** Filius Rahuel filii Esau (Gen. 36,13 A Νάχομ; 36,17 A Νάχοθ; 1 Par. 1,37 B Νάχες, A Νάχεθ).

2. Levita de stirpe Caath (1 Par. 6,26 [11]; Καΐναθ, rec. Lucian. Νάαθ); censetur idem esse ac Thohu (1 Par. 6,34; 1 Reg. 1,1).

3. Unus ex levitis, qui ab Ezechia rege primitiis et decimis templo votis praepositi sunt (2 Par. 31,13; B Μάεθ, A Νάεθ).

NAHUM. 1. Nahum (נַחוּם, Ναούμ), princeps, qui cum Zorobabel et Iosue ex captivitate rediit (Neh. 7,7). Loco parallelo Esdr. 2,2 scribitur Rehum (רְחוּם, A Ἰρεούμ, rec. Lucian. Ῥεσούμ).

2. Nahum (נַחוּם i. e. consolator, Ναούμ), propheta, qui inter prophetas minores septimum locum occupat. Cognominatur Elcesaeus i. e. oriundus ex vico Elcesi (vel Elqosh) in Galilaea, hodierno vico *el-Kauze* prope *el-Rāme* in Nephthali (v. ELCESAEUS). Erat igitur ex illis incolis regni Israel, qui aut transportationi in Assyriam fuga se subtrahere aut mox in patriam reverti potuerant. Quo tempore Nahum vixerit, olim controvertebatur, sed hodie inscriptionibus cuneiformibus satis certo definiri potest. Sine dubio vaticinium suum edidit ante regni assyriaci destructionem, quam praedicit, i. e. ante annum 625 vel 608. Ex Nah. 3,8-10 autem colligitur vaticinium editum esse brevi post Thebas (No Amon, Vulgata Alexandriam gentium) in Aegypto superiore ab Assyriis expugnatas i. e. post annum 664; nam Asurbanipal, filius Asarhaddon, in inscriptionibus cuneiformibus tradit, brevi post mortem Tharacae regis Aegypti, quae anno 664 evenit, Thebas ab Assyriis esse expugnatas. Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Insc. and Old Test. II. p. 151. 152. Prophetavit igitur Nahum circa annum 660 seu temporibus Manassis regis. Ad idem tempus prophetiam refert traditio quaedam Iudaeorum in Seder Olam cap. 20 : « Nahum et Habacuc vaticinabantur tempestate Manassis; at quoniam improbus erat Manasses, subticuerunt eius nomen » (cf. Chronologia Hebraeorum maior, quae Seder Olam Rabba inscribitur... interprete *Gilb. Genebrardo,* Lugduni 1608 p. 21). Vaticinium prae oculis habet regnum Iuda et inscribitur : *Onus Ninive* i. e. oraculum minax contra Niniven. Eo igitur tempore, quo Ninive et regnum assyriacum praepotens florebat, propheta superbam illam Assyriorum metropolim acerbe corripit, ei idololatriam, iniustitiam, rebellionem contra Deum, oppressionem populi electi exprobrat atque ruinam praedicit, quae demum post 50 circiter annos accidit.

3. Nahum (Ναούμ), unus ex maioribus Iesu Christi (Luc. 3,25).

NAIM (Ναΐν), urbs Galilaeae inferioris, ante cuius portas Iesus filium viduae a mortuis resuscitavit (Luc. 7,11 ss.). Hodie quoque exsistit viculus *Nain* amoene situs in descensu aquilonari Hermon minoris (*Nebī Duḥī*), occidentem versus ab Endor et circiter 7 km a monte Thabor. Eusebius urbem 12 mil. pass., S. Hieronymus 2 mil. pass. a monte Thabor contra meridiem iuxta Endor collocant (Onom. *ed. Lag.* 285,42; 143,23); prior distantia iusto maior, altera iusto minor est. Viculus hodiernus est exiguus, sed maioris quondam urbis indicia cernuntur cisternae, cavernae ex rupibus excavatae, sepulcra e saxo excisa ad orientem et occidentem viculi, quae ruinae ad ipsam Christi aetatem referri creduntur. Cf. *Guérin,* Galilée I. 115-117; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 86; *W. M. Thomson,* The Land and the Book, Central Pal. 1882, p. 205-207.

NAIOTH v. Ramatha.

NAMSI (נִמְשִׁי, Ναμεσθεί, Ναμεσσεί, Ναμεσσείας), pater Iosaphat patris Iehu (3 Reg. 19,16; 4 Reg. 9,2. 14. 20; 2 Par. 22,7); Iehu designari solet filius Namsi.

NAMUEL (נְמוּאֵל, Ναμουήλ). **1.** Rubenita, filius Eliab, frater Dathan et Abiron (Num. 26,9).

2. Namuel progenitor Namuelitarum v. IAMUEL.

NANEA (Ναναία), numen Persicum, in cuius templo Antiochus IV. Epiphanes occisus est in Elymaide provincia Persiae (2 Mach. 1,13. 15). Eadem dea esse censetur, quae in inscriptionibus babylonicis appellatur *Na na a* vel etiam *Na na nai* et in Arach (*Warka*) praesertim colebatur; eius nomen saepius legitur in tabulis contractuum ex tempore regis babylonici Hammurabi (*Strassmaier,* Altbabylonische Vertraege von Warka p. 349). Eius imago ex Arach in Aelam abducta Susisque erecta est per regem aelamiticum Kudurnanhundi et nonnisi 1635 annis postea in Babyloniam et in urbem Arach ab Asurbanipal reducta est; hinc eius cultus in Perside explicatur (*Tiele,* Babylon.-Assyrische Geschichte p. 98. 394). Eiusdem nomen Nanaia adhuc legitur in nummis Sassanidarum (*Movers,* Phoenizier I. 626). Flavius Iosephus (Ant. XII. 9,1) templum dicit ἱερὸν Ἀρτέμιδος (Dianae). Videtur Nanea eadem esse quae Anaitis dea apud Persas, Medos, Armenos, Cappadoces (*Scholz,* Goetzendienst und Zauberwesen, 1877, p. 358 ss.). — Praeterea cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 159; *Lagarde,* Gesammelte Abhandlungen, Göttingen 1866, p. 16. 143. 157. 295.

NAPHEG v. NEPHEGH.

NAPHIS (נָפִישׁ, Ναφές) recensetur undecimus inter 12 filios Ismael (Gen. 25,15; 1 Par. 1,31). Tribus ab eo descendentis mentio fit in historia Agareorum, qui cum Ismaelitis Ietur, Naphis, Nodab foedere iuncti erant, sed a Rubenitis, Gaditis, Manassitis transiordanicis ingenti clade affecti sunt (1 Par. 5,19; LXX μετὰ τῶν... Ναφισαίων). Erat igitur tribus Naphis Israelitis transiordanicis vicina; ceteroquin ignota est. Ad eam fortasse referendi sunt Nephusim seu Nephussim, qui Esdr. 2,50; Neh. 7,52 Nathinaeis accensentur.

NAPHTHA (νάφθα) legitur semel tantum in S. Scriptura Dan. 3,46; fornacem, in quam iussu regis Babylonis tres iuvenes iniecti erant, ministri non cessabant succendere naphtha et stuppa et pice et aridis palmitibus. Antiquis notissimum erat naphtha seu terrae oleum, bitumen liquidum, transparens, odoratu sentiendum, concipiendo igni aptum. Notum est hodie abundare petroleum in Persia et praesertim ad mare Caspium et ad Caucasum. In Babylonia abundantiam naphthae testantur auctores antiqui, uti Strabo (XVII. 1,15) : « In Babylonia etiam bitumen multum nascitur, de quo Eratosthenes dicit, liquidum, quod naphtham vocant, in Suside nasci, siccum vero, quod durescere potest, in Babylonia; huius vero fons est prope Euphraten, quo inundante ex liquefactione nivium fons quoque impletur et effusionem in fluvium facit, ubi glebae magnae coeunt ad aedificia idoneae, quae ex coctilibus lateribus fiunt. Sunt qui liquidum etiam in Babylonia nasci dicant. De sicco iam dictum est, quantus sit eius ad aedificia usus; dicunt vero etiam navigia contexi, quae bitumine illita solidentur. Liquidi bituminis, quod naphtham vocant, admirabilis est natura; nam igni admotum corripit ignem et si corpus eo illitum igni admoveris, deflagrat nec aqua ullo pacto exstingui potest (sed magis etiam exardescit), nisi valde multam superinfuderis, sed caeno et aceto et alumine et visco oppressum exstingui dicunt ». Cf. *Dioscur.* Mat. med. 1,102; *Diodor. Sic.* 2,12; *Plin.* II. 105 (109), 235.

NARCISSUS (Νάρκισσος). S. Paulus Rom. 16,11[10] salutat eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domiño i. e. Christianos. Narcissus ipse non salutatur; num sit idem, qui in Martyrologio Romano discipulus Apostolorum dicitur, non constat; certe ex nobilioribus viris erat. Iam antiquiores aliqui conie-

cerunt Narcissum hunc esse potentissimum illum libertum Claudio imperatori tam gratiosum, ut ei summam rerum permitteret (*Tacit.* Ann. 11,29 s.); brevi post mortem Claudii (a. 54 p. Chr.) Narcissus ille occisus est (Ann. 13,1). Unde opinantur nonnulli, familiam Narcissi, postquam per Agrippinam Neronis matrem occisus est, per confiscationem familiae Caesaris aggregatam esse et eos, qui sunt ex Narcissi domo, intellegendos esse servos libertosque, qui prius quidem Narcissi fuerint, eo tamen tempore, quo Paulus scripsit, iam ad Caesaris familiam pertinuerint. Cf. s. v. ARISTOBOLUS 2 et praeterea *Cornely* ad Rom. 16,11.

NARDUS explicatur hebr. נֵרְד et graec. νάρδος. Nomen manifeste identicum ex lingua sanscritica derivatur, in qua *naladā* plantam aliquam odoriferam designat; cum nomen hoc Persis sit *nārdīn,* putant vocem et rem ab Indis per Persiam ad Orientem anteriorem et Occidentem venisse. Gf. *I. Löw,* Aram. Pflanzennamen n. 316; *P. de Lagarde,* Mittheilungen 2,25 ss.

Nomen designat imprimis ipsam plantam odoriferam, quae in statu sicco ex India in alias regiones afferebatur; quare cum in Cantico dicatur « nardus mea dedit odorem suavitatis » (Cant. 1, 11) et cum ibidem nardus cum cypro, croco aliisque aromatibus enumeretur (ib. 4,13 s.), opus non est, ut ipsam plantam in hortis regiis dicamus cultam fuisse, quamvis cum balsamo, cypro, myrrha, thure etiam nardum in hortis Engaddi prope mare Mortuum inventam esse haud adeo difficile videri debeat. Sed fortasse etiam de oleo vel unguento nardino illi textus explicandi sunt. Nam ex hac planta oleum odoriferum extrahebatur, quod apud antiquos magno in pretio erat atque a muliere in Evangelio ad ungendos pedes et caput Domini afferebatur (Marc. 14,3; Io. 12, 3). Additis variis aromatibus ex illo oleo unguentum nardinum parabatur, quod minoris pretii erat. Quare cum Evangelistae ex aestimatione Iudae Iscariotae libram graecam (λίτραν) illius nardi pretiosi trecentis denariis venumdari potuisse referant (ll. cc. v. 5), *Plinius* vero libram romanam centum denariis constare dicat, differentia ex varia olei et unguenti nardini specie facile explicatur. Dicitur autem in Evangelio νάρδος πιστική (Vulg. Marc. *spicati,* Ioan. *pistici*), vel quod erat unguentum purum et non falsatum (a πίστις, πιστός) vel (a πίνω) quod oleum nardinum etiam vino admiscebatur (*Plin.* XIV. 16,107; *Diosc.* Mat. med.) et per modum potus sumebatur (*Athen.* 15, 689).

De nardo apud veteres cf. *Theophr.,* Hist. pl. IX. 7; *Horat.* Carm. II. 11,16; IV. 12, 17; *Dioscurid.* Mat. med. 1,6-8. 75; 5,67. 69; *Plin.* XII. 12,42-46. XIII. 1, 10. 15. 16; 2,18. XVI. 32,135; *Athen.* 15, p. 686 etc. Cf. *C. Sprengel,* Comment. in Diosc. 1,6-8; *H. O. Lenz,* Botanik d. alt. Griechen u. Römer 465-7.

Planta illa odorifera a recentioribus communiter ad familiam *Valerianacearum* dicitur pertinere. Quamquam enim nomine *nardi* et *spica nardi* variae apud antiquos plantae odoriferae comprehensae videntur fuisse, proprie tamen nardus vera et pretiosa erat planta indica, cui recentiores nomen *Nardostachys Jatamansi* De Candolle (= *Valeriana Jatamansi* Jones = *V. spica* Vahl) tribuunt. *Linnaeus* minus bene aliam plantam ex familia *Graminearum, Andropogon nardus* L., esse nardum antiquorum censuit, et ipsum nomen nardi ad aliud prorsus genus transtulit. Aliam nardi speciem minoris pretii, ab antiquis *celticam* seu *gallicam* appellatam, *Valeriana celtica* Linné praebet. *Syriaca* vero nardus videtur ipsa indica appellari, eo quod per Assyrios et Syros occidentalibus afferebatur (cf. *Horat.* Carm. II. 11,16).

Cf. *Garcia ab Horto,* Aromatum historia, *ed. C. Clusius,* L. 1. c. 33, Antverpiae 1593, p. 128-31; *Joh. Faber,* De Nardo et Epithymo adv. Ios. Scaliger., Romae 1607; *B. Otto,* De nardo pistica ex historia passionis dominicae, Lipsiae 1673; *G. Eckard,* De nardo pistica ex Marc. 14,3 et Joh. 12,3, Wittebergae 1681; *G. W. Wedel,* De unguento nardino, Jenae 1687; *J. H. Ursinus,* Arboreti bibl. Continuatio, Norimbergae, 1699, 247-53; *M. Hiller,* Hierophyticon II. 64-7; *O. Celsius,* Hierobotanicon II. 1-11; *E. F. K. Rosenmüller,* Handb. d. bibl. Al-

terth. IV. 1,165-8; *Blanc*, Account of the Nardus indica or spikenard, in Philos. Transact. LXXX. 284-92; *W. Jones*, On the spikenard of the ancients, in Transact. of the Soc. of Bengal II. 405-17; *Ch. Hatchett*, On the spikenard of the ancients, London 1836; *J. H. Balfour*, The Plants of the Bible, ed. nova, 226-8; *P. Cultrera*, Flora bibl. 89-93; *F. Hamilton*, Botanique de la Bible 8 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8,484 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch., *ed.* 9, 204 s.; *J. Smith*, Bible Plants 77 s.; *G. Henslow*, Plants of the Bible 76 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 751 s. 817. 861; *R. Sigismund*, Die Aromata, Leipzig 1884, 32 s.; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 229 s.; *W. H. Groser*, The Trees and Plants mentioned in the Bible, 217 s. — Imaginem optimam plantae *Nardostachys Jatamansi* habes inter tabulas a Card. *Haynald* de plantis gummiferis biblicis editas.

L. FONCK.

NASIA (נְצִיחַ, Νασούς, Ἀσειά), princeps familiae Nathinaeorum, quae duce Zorobabel ex captivitate rediit (Esdr. 2, 54; Neh. 7,56).

NATATORIA Siloe v. SILOE.

NATHAN (נָתָן, Νάθαν). **1.** Propheta Davidis et Salomonis aetate florens (Eccli. 47, 1), quos reges consilio suo regebat et auctoritate. Rationem enim descripsit divini cultus constituendi (2 Par. 29,25). Porro Davidem, cum templum aedificare moliretur, quamquam primo consenserat, postea tamen divinitus admonitus, ut hanc rem filio committeret, adduxit, vaticinio autem solacii pleno, quo regnum familiae perpetuo remansurum esse promittebatur, mirifice recreavit (2 Reg. 7,1-17; 1 Par. 17,1-15). Ex quo Messiam et prophetae significabant et tota gens exspectabat filium David. Impavidus semper Nathan officiis suis fungebatur; multa enim cum libertate regem, cum in Bethsabee et Uriam peccasset (2 Reg. 11), pulcherrima illa parabola, quam turpe ac vile esset duplex illud scelus, edocuit, familiari, sed gravi reprehensione ad poenitentiam evocavit, de futuris domus regiae calamitatibus fecit certiorem (2 Reg. 12, 1-15; Ps. 50,2). Neque tamen favoris quicquam amisit. Laetiorem nuntium postea attulit, cum mandatu Dei iam placati Salomoni e Bethsabee orto nomen ידידיה imponeret (2 Reg. 12,25). Ad hunc educandum aliquantum videtur habuisse momenti illamque rei publicae administrandae rationem, quam primis annis ille sequebatur, ex hac disciplina profectam esse licet opinari. Eidem postea fidelitate et sollertia regnum servavit; coniurationem enim Adoniae, qui regnum appetebat, primus aperuit animique praesentia et fortitudine periculo propulsato Salomonem ungendum curavit (3 Reg. 1). Res gestas regum, quibus consiliorum minister adfuerat, ipse conscripsit libellis, qui chronistae praesto erant (1 Par. 29,29; 2 Par. 9,29). E vivis decessisse videtur ante templum aedificatum. Cuius filios Azariam et Zabud Salomone rege praefuisse summis honoribus notatu dignum est (3 Reg. 4,5).

2. Filius Davidis Hierosolymis (2 Reg. 5,14; 1 Par. 14,4) e Bethsabee natus (1 Par. 3,5). Is originem videtur dedisse domui Nathan, quae Zach. 12,13 commemoratur, et in progenie Christi nominatur (Luc. 3,31).

3. Homo de Soba, pater Igaalis (2 Reg. 23,36) et frater Ioelis (1 Par. 11,38).

4. Unus ex posteris Hesron de tribu Iuda, descendens ab Oholai filia Sesan, quae Ieraa Aegyptio servo Sesan nupserat (1 Par. 2,36).

5. Unus de principibus, quos Esdras, ut levitas arcesserent, ad Eddo misit (Esdr. 8,16).

6. Homo de familia Bani, qui mulierem alienigenam duxerat (Esdr. 10,39).

H. WIESMANN.

NATHANAEL (נְתַנְאֵל, Ναθαναήλ).

1. Princeps tribus Issachar (Num. 1,8; 2,5; 7,18. 23; 10,15).

2. Quartus filius Isai, frater Davidis (1 Par. 2,14).

3. Unus de sacerdotibus, qui tubis clangebant, cum arca Dei de domo Obededom Hierosolyma deduceretur (1 Par. 15,24).

4. Pater Semeiae levitae tempore Davidis (1 Par. 24,6).

5. Quintus filius Obededom (1 Par. 26,4).

6. Unus ex principibus, quos Iosaphat rex misit ad erudiendum populum (2 Par. 17,7).

7. Princeps quidam levitarum tempore Iosiae regis (2 Par. 35,9).

8. Sacerdos de filiis Pheshur (Phassur), qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,22).

9. Princeps familiae sacerdotalis Idaiae in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,21).

10. Levita quidam tempore Nehemiae (Neh. 12,35[36]).

11. Unus ex maioribus Iudith (8,1) apud LXX, sed Vulg. Nathanias.

12. Vir a Cana Galilaeae, qui a Philippo invenitur et ad Iesum adducitur (Io. 1,45-51) et in narratione miraculosae piscationis post resurrectionem Christi medius inter apostolos enumeratur (21,2). Valde probabile est eundem esse Bartholomaeum (vide s. v.). Ex Io. 1,45-51 indoles Nathanael optime elucet : Libere et aperte proloquitur, quod sentit; animum habet sincerum; annuntiatione a Philippo facta et novitate rei allicitur; minime obstinatus neque suae opinioni inhaerens Philippum sequitur; a Iesu per annuntiationem occultorum ad fidem trahitur; magna promptitudine ac simplicitate animi gratiam oblatam amplectitur; Iesum Messiam et regem Israel profitetur; ab ipso Iesu ob fidei promptitudinem laudatur atque promissionem accipit fidei in posterum augendae ac perficiendae. Eum iam tum divinam Messiae naturam perspexisse, quam discipuli diu non agnoverunt et Petrus divinitus revelatam habuisse Matth. 16,16 asseritur, ex textu erui nequit. Quid sub ficu egerit, ubi a Domino visus est, antequam a Philippo vocaretur, ignoramus; at certum est cum illa commoratione sub ficu aliquid notabile esse coniunctum, quia illa mentione facta statim ad fidem adductus est. Erat « vere Israelita », verus imitator Iacob (Israel) patriarchae antiqua probitate ac simplicitate conspicui, « in quo dolus non est » i. e. simplex, rectus, sincero animo Deum colens.

NATHANIAS (נְתַנְיָה, נְתַנְיָהוּ; Nαθανίας saltem plerumque). **1.** Pater illius Ismahel, qui Godoliam interfecit (4 Reg. 25,23. 25; Ier. 40,8. 14. 15; 41,1-18).

2. Unus de filiis Asaph, praefectus quintae classis cantorum (1 Par. 25,2. 12). Fortasse idem est ac Mathanias 4. ut dictum est s. v. IAHAZIEL 2.

3. Levita, quem Iosaphat misit ad docendum populum in civitatibus Iuda (2 Par. 17,8; B Μανθανίας).

4. Pater Iudi (Ier. 36,14); v. CHUSI 3.

5. Unus ex maioribus Iudith (Iudith 8,1; sed LXX Ναθαναήλ).

NATHANMELECH (נְתַן־מֶלֶךְ; B Νάθαν βασιλέως voce מֶלֶךְ a nomine proprio abscisa), eunuchus, cuius nomine designabatur exedra quaedam seu cella ad partem occidentalem atrii exterioris templi adstructa (4 Reg. 23,11).

NATHINAEI (הַנְּתִינִים, Ναθιναῖοι, Ναθινείμ, οἱ δεδόμενοι). Ipso nomine dicuntur *donati*. Et quidem legitur simili modo Num. 8,19 de levitis : tradidi eos dono נְתֻנִים i. e. donatos Aaron et filiis eius de medio populi. Verum in libris posterioribus recensentur Nathinaei velut ordo proprius post sacerdotes et levitas (1 Par. 9,2), ex qua enumeratione iam colligitur eos destinari ad viliora munera in templo obeunda. Similis quidam ordo hominum cernitur in Gabaonitis. Hi enim postquam fraude et mendacio foedus pacis a Iosue impetrarunt, in poenam fraudulentiae opera servilia peragere debebant : « in usus universae multitudinis ligna caedant aquasque comportent — sub maledictione eritis et non deficiet de stirpe vestra ligna caedens et aquas comportans in domum Dei mei » (Ios. 9,21.23). Porro ex Esdr. 8,20 comperimus, David et principes dedisse ad ministeria levitarum Nathinaeos; qui sane fuerint bello capti a Davide et tamquam spoliorum pars levitis donati servi; nam ex lege Num. 31, 28-31 praeda bello capta et captivi etiam tribuebantur sacerdotibus et levitis. Simul cum Nathinaeis recensentur filii servorum Salomonis (Esdr. 2,55. 58; Neh. 7,57. 60; 11,3), qui filii servorum Salomonis aliis locis etiam nomine Nathinaeorum comprehendi videntur. Enu-

meratione enim facta dum singulorum habitationis locus nominatur, soli Nathinaei nominantur (Esd. 2,70; Neh. 7, 73; 11,21); servi Salomonis ex ipso enumerationis ordine l. c. certe deputati erant ad ministeria levitis praestanda. Ex exsilio duce Zorobabel redierunt Nathinaei et filii servorum Salomonis 392 (Esd. 2,58; Neh. 7,60), cum Esdra 220 (Esdr. 8,20). Decreto Artaxerxis regis Nathinaei quoque liberi erant a vectigalibus et tributis (Esdr. 7,24); habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad orientem et turrim (Neh. 3,26) et in aliis quoque civitatibus simul cum sacerdotibus et levitis (Esdr. 2,70; Neh. 7, 73). Eos ex captivis iure belli factis esse assumptos videtur confirmari, quia inter eos recensentur filii Munim, filii Nephusim, quos aliqui ad gentes devictas (Iud. 10,12; 2 Par. 26,7 et 1 Par. 5,19) secundum nomina gentium hebraea pertinuisse existimant. Qualia munera iis fuerint attributa, nullibi dicitur, nisi id satis colligi putaveris ex Ios. 9,21. 23 et ex eo quod levitis tamquam servi donati erant. Apud Flavium Iosephum (Ant. XI. 5,1) ἱερόδουλοι dicuntur.

NATIVITAS. Quid infanti modo nato fieri consueverit, ostenditur Ez. 16,4, quo loco effert propheta per modum allegoriae quam abiecta in conditione populus olim fuerit : et quando nata es, in die ortus tui, non est praecisus umbilicus tuus et aqua non es lota in salutem, nec sale salita nec involuta pannis. Edito enim foetu umbilicus seu ductus ille loro similis quo foetus in utero matris sucum vitalem traxit, obligatur ac sub ligatura scinditur; quod si non factum fuerit, actum est de vita recenter nati. Recenter nati lavantur, ut a sordibus et sanguine purgentur; sale autem perfricantur etiamnum in oriente, ut tenera corpora sicciora sint et restringantur (ut S. Hieronymus scribit ad l. c.); secundum veteres haec salis aspersio ad sanitatem confert et cutis evadit densior et solidior. Pannis involvuntur infantulorum corpora, ut sale siccetur corpus, ne sal defluat, et ut membra ne facile depraventur. — Ortus initium Sapiens quoque paucis tangit : et ego natus accepi communem aerem et in similiter factam decidi terram et primam vocem similem omnibus emisi plorans (Sap. 7,3); Iob vero ait : quare exceptus fui genibus, cur lactatus uberibus? Videtur haud improbabile patrem recenter natum in signum amoris et agnitionis genibus excepisse; nam etiam Gen. 50,22 legimus : filii quoque Machir nati sunt in genibus Ioseph.

Mos erat antiquus aliqua sollemnitate diem nativitatis celebrare. Ita Pharao die natalitio fecit grande convivium aulicis suis et gratiam quoque et veniam concessit (Gen. 40,20); die natali Antiochi regis sollemnia instituebantur sacrificia, ad quae inviti quoque ducebantur, ut pompae interessent et pro salute regis offerrent (2 Mach. 6,7); Herodes pariter die natali coenam fecit principibus et tribunis et primis Galilaeae, in qua festivitate filia Herodiadis saltavit (Matth. 14,6; Marc. 6,21).

NATURA. In Vulgata aliquoties haec vox maioris explicationis gratia additur; ita Deut. 23,12; Iud. 3,22; 19, 24; Esth. 16,6. Ita quoque Sap. 19,19 : aqua exstinguentis naturae (δυνάμεως) obliviscebatur, ignis enim in aqua valebat supra suam virtutem. Verum recte legitur Sap. 7,20 ut sciam... naturas (φύσεις) animalium, i. e. indolem, proprietates nativas, consuetudines inde ortas, et quasi mores; similiter Iac. 3,7. Saepius ea voce utitur S. Paulus; ita Rom. 2,14 dicit gentes habere φύσει id quod Iudaeis sit lex; Iudaeos lege scripta erudiri et edoceri, gentes uti natura magistra et ita facere τὰ τοῦ νόμου. Unde docet hominem ipsa natura duce discere et cognoscere bonum et malum, et impelli ad bonum faciendum et malum vitandum; homines sibi ipsis esse legem et habere opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Aliter vocem adhibet Gal. 2,15 : nos natura Iudaei i. e. ipsa nativitate, prognati a Iudaeis genere, non ex alienigenis assumpta circumcisione Iudaei effecti. Aliter Gal. 4,8 : iis qui natura non sunt dii serviebatis; scil. iis qui nihil habent numinis divini, nullam vim, virtutem qualem Deum habere

deceat. In oppositione ad id quod gratia divina nobis obtingit, natura sumus filii irae, ipsa nativitate constituimur ob peccatum originale peccatores (Eph. 2,3), sicut etiam ex nobis ipsis prava desideria sequentes iram Dei provocamus. Uti gentes ex natura, ipsa sua origine, praeputium sunt i. e. alieni a Dei foedere, (Rom. 2,27), ita Iudaei κατὰ φύσιν ipsa sua origine pertinent ad illud foedus eiusque bonis fruuntur; huic vero foederi gentes aggregantur παρὰ φύσιν, quia κατὰ φύσιν nascuntur extra populum illum a Deo peculiari foedere electum (Rom. 11,21-24), id quod apostolus comparatione declarat de oleastro et oliva.

Regnum messianum, seu regnum caelorum esse omnino aliquid longe excedens naturam humanam, apertissime declarat Iesus : nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; nam quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est (Ioan. 3, 6); i. e. hominem esse nullatenus sufficit, ut quis introeat in regnum Dei; nasci debet ex Spiritu i. e. altiorem naturam accipere, quam esse consortium quoddam naturae divinae Petrus docet (2 Petr. 1,4).

NAVE (Ναυή), pater Iosue (Eccli. 46,1), alias NUN.

NAVIGATIO. Terra quam Israelitae incolebant parum praebebat opportunitatis ad navigationem et commercium maritimum instituendum. Nam non solum litus plerumque carebat bonis portibus, insuper fluctibus maris infestabatur, verum etiam maxima litoris pars a Philisthaeis et Phoenicibus occupabatur. Tribus tamen Zabulon prope litus marium, prope litus navium (Gen. 49,13) sedes habebat et abundantiam marium sugere dicitur (Deut. 33,19) i. e. mercibus mari advectis ditari. Tribui Dan exprobratur a Debbora : Dan quare in navibus degebat (Iud. 5,17 hebr.); videntur itaque Danitae in Ioppe, portu satis frequente, aliquam exercuisse mercaturam. Tribus Aser quoque habitabat in litore maris et in portibus morabatur (Iud. 5,17). Salomonis tempore commercio cum Phoenicibus inito naves maiores cum navibus Phoenicum ibant in Ophir, indeque semel in tribus annis afferebant aurum, argentum, ebur, simias, pavones (cf. 3 Reg. 10,22 hebr.; 2 Par. 8,18; 9,51). Iosaphat rex quoque naves construxit in Asiongaber, ut irent in Ophir, quae tamen confractae sunt tempestate in ipso portu (3 Reg. 22,49; 2 Par. 20, 36). Frequens navigatio solum instituebatur in lacu Genesareth piscationis gratia et transitus in alterum litus, uti ex evangelicis narrationibus patet; ex Vetere tamen Testamento eius navigationis non fit mentio. Quotiescumque de navibus sermo fit, eae ad exteras nationes pertinent. Ita Isaias commemorat naviculas Aegyptiorum partim ex papyro (*Cyperus papyrus* L.) super carinam ligneam constructas « vasa papyri super aquas » Nili (Is. 18,2); pariter Chaldaeos nobis exhibet in navibus gloriantes (43, 14); navibus Tharsis, magnis illis quibus Phoenices Tartessum navigabant, interitum annuntiat (2,16); de Tyri vastatione naves maris ululare iubet (23,14). Magnificentiam negotiationis et opum Tyri Ezechiel imagine navis summa pompa exstructae nobis ob oculos ponit : tabulis cypressinis duplici ordine dispositis corpus navis compingebatur; malus navis ex cedro de Libano conficiebatur; remos faciebant de quercubus Basan; tabulatum navis ex buxo exornabant ebore; byssus acu picta et versicolor adhibebatur ad vela navalia et vexilla; operimentum quo nautis umbraculum praebebatur a calore solis, de hyacintho et purpura erat confectum; habitatores Sidonis et Aradii erant remiges, gubernatores vero sapientes Tyrii; aderant quoque senes ex Byblo qui si quid rimosum, dirutum in navi esset id resarcirent (Ez. 27,5-9). Etiam navis illa quam Ionas invenit in Ioppe, paratam ad eundum in Tharsis, erat alienigenarum, Phoenicum; hi enim iter in Tartessum instituere solebant. Pretio soluto i. e. naulo dato Ionas in navim recipitur ad iter illud conficiendum; tempestate oborta sese confert in interiora navis, dum nautae contra vim tempestatis obniti conantur proiicientes vasa in mare ad navem alleviandam (Ion. 1,3-5). Eodem modo de navibus ex-

terarum nationum sermo est Num. 24, 24; Dan. 11,30; 1 Mach. 1,18; 8,28; 11, 1; 15,3. 14. 37; 2 Mach. 4,20; 12,9; 14, 1. Simon Mabachaeus Ioppen cepit portumque fecit (1 Mach. 14,5); quare eo tempore Iudaei quoque naves habuisse censendi sunt; eos posse aliquando naves habere, videtur supponi 1 Mach. 8, 26. Triremes i. e. naves tribus remorum ordinibus instructae commemorantur 2 Mach. 4,20.

Documentum rei navalis ex antiquitate pretiosissimum iudicatur narratio de navigatione Pauli apostoli a Caesarea Romam versus Act. 27,1 ss. (cf. *Breusing*, Die Nautik der Alten, Bremen 1886). Mare navigationi clausum erat eo anni tempore quo maximae tempestates oriri solebant. *Vegetius* (De re milit. 5,9) ait: post diem octavum decimum Kalendarum octobrium usque in tertium idus novembris incerta navigatio est et discrimini propior. Quare Paulus suasit, ne ultra Boniportum navigarent (Act. 27,8-10); verum nauclerus i. e. dominus navis et gubernator, qui ad clavum sedens navem dirigebat et nautarum primus ac princeps erat, aliter censebant volentes portum attingere ad hiemandum aptiorem (v. 11). At mox ventus procellosus irruit in navem tanto impetu, ut navis plane vento flanti committeretur. Ut periculum quantum possent imminuerent, nautae duo praestiterunt: scapham, seu linterem, qui navi alligatus trahebatur post navem, non sine magno labore in navem sustulerunt, et navem ipsam succinxerunt i. e. circumligarunt navem funibus, ut licet concussa fluctibus non discerperetur eiusque asseres adstricti rudentibus et catenis non ita facile hiscerent. Dein ne vi tempestatis in syrtim, locum arenosum, impellerentur, cursum navis retardare studebant non solum velis collectis, sed potissimum funibus a puppi in mare demissis, ad quos destinatae erant vel ancorae vel glomera magna, quae cum traherentur aquae paulum resistebant; navem dirigere ope gubernaculi quantum poterant conati syrtim feliciter vitarunt. Sed intumescentibus undis periculum erat, ne navis nimium immersa fluctibus obrueretur; quare ad navem alleviandam merces et onera proiecerunt in mare et mox etiam utensilia navis et apparatum, supellectilem.

Cursum navis veteres dirigebant (usu acus magneticae nondum reperto) ex situ et aspectu astrorum; quare tempestate oborta quo iam ferrentur ignari erant. Demum die decimo quinto navigationis factae (a Boniportu) nautae media nocte, suspicati sunt apparere sibi aliquam regionem, et summittentes bolidem i. e. perpendiculum nauticum ad explorandam maris profunditatem invenerunt passus viginti, mox quindecim; unde certum iam aderat indicium terrae non longe distantis. Ne nocte in loca scopulosa inciderent, de puppi missis quattuor anchoris navem sistebant diem exspectantes. Erant in navi nautae, milites, captivi, in universum ducenti septuaginta sex (Act. 27,36); fortasse numerus tum initus est, quia iam fere certo naufragium prospicientes vellent postea scire, num omnes salvi essent. Numerus hic non debet videri iusto maior. Nam veteres habebant naves sat magnas. Iosephus in suo itinere romano narrat sexcentos in navi fuisse (Vita n. 3) et Plutarchus in navi Philopatoris potuisse contineri virorum septem millia quadringentos scribit (Demetrius n. 43).

Die facto advertebant se haud longe abesse a sinu qui habebat litus apertum, ad quod navem appellere possent. Navem etiam magis leviorem reddebant frumento in mare proiecto, ut quam proxime litus accedere possent; praeparabant ad navigandum gubernacula et artemonem. In maioribus navibus duo erant gubernacula; solvebant itaque vincula illa, quibus gubernacula adstricta et navi adnexa tenebantur; iis laxatis gubernacula descendunt in mare et aptantur ad navem dirigendam; dein in altum sustulerunt velum (supparum?) idque ad ventum recipiendum expanderunt. Quibus factis ferebantur in locum bimarem, in vadum, et ita quidem ut prora fixa et immobilis maneret illisa vado, puppis autem fluctibus percussa dissolvi inciperet. Brevi itaque navis erat frangenda. Quare centurio eos qui possent natare iussit sese mittere in mare et ad terram evadere, reliquos in

tabulis, asseribus, trabibus tentare ut ad terram pertingerent.

In insula Melita navis alexandrina hiemaverat; ei erat insigne Castorum i. e. in prora navis imago erat Dioscuridarum, Castoris et Pollucis, qui erant dii patroni navium; ex eiusmodi imagine naves quoque nominabantur. Ex Melita (*Malta*) navigabant Syracusam, oram Siciliae orientalem circumlegentes devenerunt Rhegium, in extremam Italiae urbem ad fretum Siculum; inde flante austro secundo die iam appulerunt Puteolos, emensis circiter 250 milliariis a Rhegio Puteolos usque.

Istud naufragium ad Melitam insulam expertus est Paulus, qui iam antea ter naufragium fecit, uti scripsit Corinthiis in altera epistula (11,25).

Cf. *Hans Balmer*, Die Romfahrt des Apostels Paulus und die Seefahrtskunde im röm. Kaiserzeitalter; *D. Parodi*, La nautica nei libri santi, Genova 1902; *Herzfeld-Karpeles*, Handelsgeschichte der Juden des Altertums, Braunschweig 1894.

NAZARAEUS (נָזִיר). Vox hebraea dicit segregatum, separatum; inde, cum talis concipiatur segregatus a profano et rei sacrae addicatur, consecratum. Dicitur de eo qui certis quibusdam votis se adstrinxit, de quibus agitur Num. 6; vide s. v. VOTUM. Adhibetur vox etiam de Ioseph qui dignitate sua longe fratres suos superabat adeoque excellentia longe ab iis erat segregatus; quare appellatur Nazaraeus inter fratres suos (Gen. 49,26, LXX κορυφὴ ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν; Deut. 33,16 κορυφὴ δοξασθέντος ἐν ἀδελφοῖς). Legitur denique Matth. 2,23 de Iesu : quoniam Nazaraeus vocabitur; vide s. v. NAZARETH.

NAZARENUS vide s. v. NAZARETH.

NAZARETH (Ναζαρέθ, in codd. subinde -ρέτ, -ράθ, -ρά, quas scripturas omnes *Zenner*, Zeitschr. f. kath. Theol. XVIII. 1894 p. 744 ss., ad formam aram. נְצָרַת revocat, quacum syr. *Nāçrat* et arab. *en-Nāṣira* congruant), oppidum Galilaeae, neque in Vet. Test. neque apud Fl. Iosephum neque in Talmud usquam commemoratum est, sed sola vita Christi Domini innotuit ac claruit. Is enim illic a Maria virgine conceptus (Luc. 1,26; 2, 4), post praesentationem in templo (ib. 2,39) iterumque post exsilium aegyptiacum eo relatus (Matth. 2,23) ibi parentibus subditus adolescebat (Luc. 2,51 s.; cf. Matth. 21,11; Luc. 4,16; Ioan. 1,46; Act. 10,38) usque ad baptismum (Marc. 1,9). Post ieiunium eodem reversus, mox hanc civitatem reliquit et Capharnaum concessit (Matth. 4,12 s.). In docendo cum primum urbis patriae synagogam ingressus se Messiam declarasset, eum sui cives ad montis vicini supercilium eductum praecipitaturi erant (Luc. 4,16-30). Ex hoc oppido Iesus cognomen *Nazareni* traxit (plerumque Ναζωραῖος — a forma נוֹצְרִי, evang. Hierosol. Luc. 1, 46 — Matth. 26,71; Luc. 18,37 al., alibi Ναζαρηνός Marc. 10,47; Luc. 24,19); etiam Iesu asseclas Iudaei contemptim tempore apostolorum (Act. 24,5) et Tertulliani (adv. Marcion. 4,8) Ναζωραίους, *Nazaraeos* appellabant. Ad quaestionem, ubi, quo sensu Christus futurus a prophetis Ναζωραῖος appellatus sit (Matth. 2,23), planum et evidens responsum non habetur. Interpres Vulgatae, qui l. c. scripsit *Nazaraeus* (quod vocabulum ceteroqui in Vet. Test. pro נזיר « naziraeus » ponitur), iis astipulari videtur, qui explicant, prophetas praedixisse Christum fore naziraeum i. e. sanctum (Hieron. in l. c. et eius sequaces). Sed cum philologia et res ipsa hanc explicationem respuat, neque reliquae opiniones prolatae sint meliores (v. *Knabenbauer* in l. c.), adhuc ea sententia ceteris praestat, quae nomen Nazareni, quod Iesus a Nazareth nactus est, ad titulum Messiae נֵצֶר « germen » (Is. 11,1) ipsis litteris assonare eumque in memoriam revocare censet (ita *Schanz*, *Knabenbauer*, *Fillion*, *Crampon*, alii in l. c. Matth.).

Sita est civitas Nazareth in extremo tractu montium Galilaeae, ubi hi in planitiem Esdrelon desinunt, fere in medio itinere a monte Carmelo ad lacum Genesareth. Cum etiamnum unus toti oppido fons aquam praebeat eique aegre sufficiat (est qui vocatur *'Ain Maryam* « fons Mariae »), Nazareth plus quam 7-8000 incolarum vix unquam habuerit.

Attamen ultimis hisce annis (1900-1907) numerus incolarum a 7-8000 iam usque ad 11000 crevit. Usque ad Constantinum M. soli Iudaei eam inhabitabant; ex quo S. Helena ibi sanctuarium exstruxit, Christiani eam visitare et incolere coeperunt; nunc incolarum duae partes sunt Christiani, reliqui Mahometani, Iudaei nulli. Tempore expeditionum sacrarum Nazareth sedes episcopi evasit, sed post clades Christianorum esse desiit. Illud praecipitium, per quod Nazareni Iesum deiicere volebant, certo non est « mons praecipitationis » qui dicitur (is fere 5 km distat ab urbe), sed probabiliter declivitas quaedam quae est proxime Maronitarum aedem, 40-50 pedes alta.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 275 ss.; *W. M. Thomson*, The Land and the Book, Central Pal. 1882 p. 310-322; *V. Guérin*, Galilée I. p. 83-102; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte, *ed.* 4, III. p. 90 ss.; *J. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. p. 165 ss.; *Guide hist. et prat.* La Palestine, Paris 1904, p. 420-440; *G. Le Hardy*, Hist. de Nazareth et de ses sanctuaires, Paris 1905.

F. ZORELL.

NEAPOLIS (Νέα Πόλις), urbs maritima in *Macedonia adiecta* seu parte Macedoniae maxime orientali sita, quam S. Paulus in secundo itinere apostolico attigit: navigantes a Troade recto cursu venimus Samothraciam et sequenti die Neapolim (Act. 16,11). Verum pro more suo Neapoli, quae erat urbs minoris momenti, non substitit, sed ad nobiliorem urbem Philippos properavit. In tertio itinere apostolico eadem via scil. per Troadem in Macedoniam profectus est (Act. 20,1; 2 Cor. 2,12) et ex Macedonia Troadem revertit (Act. 20,5. 6); sed urbis Neapolis explicita mentio non fit.

Sita erat in sinu Strymonico e regione Thasi insulae (*Dio Cass.* 47,35). Eam regionem describit *Strabo* VII. 36: « In maritima Strymonis ora tum Datenorum urbs est Neapolis tum ipsum Datum, arva habens frugifera et portum et fluvios et navium fabricas et auri fodinas quaestuosas; unde proverbio ferunt: Datum bonorum ». Ante pugnam ad Philippos Brutus et Cassius triremes suas in portu Neapolitano collocarunt (*Appian.* Bell. civ. 4,106). *Plinius* IV. 11,42 Neapolim Thraciae adscribit, *Strabo* VII. 32. 33 et *Ptolemaeus* III. 13,9 (*ed. Müller-Fischer* 12,7) Macedoniae; tota enim illa regio Thraciae inter Strymonem et Nestum fluvium inde a Philippi Macedonis tempore Macedoniae attribui coepta est (*Strabo* VII. 7,4), unde etiam *Macedonia adiecta* audiebat. Situm Neapolis hodie occupat urbs *Kawalla*.

NEBAHAZ (נִבְחַז; LXX Luc. Ἐβλαιεζέρ, B Ἐβλαζέρ, A duplici forma idem nomen praebet: Ἀβααζὲρ καὶ τὴν Ναιβάς) nomen est idoli, quod Hevaei secum attulerunt in regionem Samariae, cum a rege Asarhaddon (vide s. v.) ibi collocarentur (4 Reg. 17,31). De isto idolo nihil notum est neque eius nomen alibi repertum nisi in libris sacris Mandaeorum. « In Codice Nasaraeo, ut scribit *Norbergius*, est nomen cacodaemonis, domini caliginis, qui solio in terra collocato insistens pedibus imum tartarum pertingit poteratque idoli nomen ad daemonem referri, sed incertum tamen est, num idem nomen sit » (*Gesenius*, Thesaurus p. 842; cf. *M. Norberg*, Onomasticon Cod. Nasaraei cui liber Adami nomen, 1817, p. 99-101). Rabbini idolum formae caninae fuisse imaginantur (Talmud hieros. Aboda Sara 3,243; Talmud bab. Sanhedrin 62 b); derivant igitur vocem a נבח = latrare et praeferunt scriptionem נבחן. Ceterum canes velut sacros cultos fuisse in Syria vel in regionibus assyro-babylonicis non constat.

Cf. *Corn. Iken*, Dissert. de Nibchas idolo Avvaeorum (Bremae 1726), in Dissertationes philol.-theol. Lugduni Batav. 1749 I. p. 143-176; *P. Scholz*, Götzendienst u. Zauberwesen bei den alten Hebraeern, Regensburg 1877, p. 399. 400; *Wolf Baudissin* apud *Herzog-Hauck*, Real-Encycl. f. prot. Theol. *ed.* 3, XIV. (1904) p. 8. 9.

NEBAI (נוֹבַי, *Qeri* נִיבִי; B Βωναί, A Νωβαί), signator foederis, unus de principibus populi (Neh. 10,19[20]).

NEBALLAT (נְבַלָּט, Ναβαλλάτ), urbs quam post captivitatem Beniaminitae habitabant (Neh. 11,34); nominatur cum Hadid (Adiada), Lod (Lydda), Ono urbibus, quae a Beniaminitis post captivita-

tem incolebantur. Hodie *Beit Nebālā* 5 km a *Ludd* (Lydda) inter septemtrionem et orientem ac proinde in territorio antiquitus tribui Dan assignato; hunc situm indicant *Guérin*, Samarie II. 67; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 296; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV. V; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; alii.

NEBO, NABO (נְבוֹ Ναβαύ, Ναβαῦ).

1. Urbs moabitica, quae Sehon rege Amorrhaeorum ab Israelitis devicto tribui Ruben attributa est (Num. 32,3. 38; 1 Par. 5,8). Ex inscriptione Mesa lin. 14-18 discimus hanc urbem ex mandato dei Chamos a Moabitis recuperatam esse impetu nocturno et ab aurora usque ad meridiem protracto. Commemoratur ut urbs moabitica etiam posteriore tempore oraculis propheticis contra Moab editis (Is. 15,2; Ier. 48,1. 22). Situs agnoscitur in ruinis *Nebbe* seu *Nebā* orientem versus ab ostio Iordanis, quibus etiam situm montis Nebo determinavimus s. v. ABARIM.

2. Nebo mons in montibus Abarim (Num. 33,47; Deut. 32,49) vel in montanis Phasga (Deut. 34,1); v. ABARIM.

3. Idolum babylonico-assyriacum. Isaias casum deorum Bel et Nebo opprobriis plenum annuntiat, quo excidium ipsius regni Babyloniorum declaret (Is. 46,1). Ex numero deorum Babel isti duo nominantur, quorum prior potentia, alter sapientia quam maxime pollere credebatur. In formulis magicis Chaldaeorum Nebo invocatur tamquam mens sublimis Bel (*Lenormant*, La magie chez les Chaldéens p. 16. 105. 115); apud Zabios, qui ex cultu Chaldaeorum multa mutuati sunt, Nebo laudatur maximus deorum et omniscius (*Fürst*, Lexicon s. v.). — Sargon rex Assyriorum magna reverentia commemorat Bel et Nebo, praemittit tamen deum Assur (Records of the Past VII. 25). Praecipue autem Nebo, filius Merodach, in Babylonia colebatur; magnum templum ei exstructum erat Borsippae; eius nomen frequenter reges gerebant v. g. Nabopalassar, Nabonidus, Nebucadnezar (Nabuchodonosor); in inscriptione Borsippensi Nabuchodonosor eum appellat fidelem filium Merodach atque moderatorem agminum caeli et terrae; alia eiusdem epitheta sunt dominus princeps, ordinator mundi, deus scientiae, deus auctor amicitiarum, scriptor universi (*Shrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. ad Is. 46,1). Etiam in cylindro Cyri de occupatione Babylonis Bel et Nebo dii Babyloniorum a rege invocantur, ut ipsius dies prolongent ac prosperitatem augeant (cf. *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. p. 167).

4. Nebo oppidum Iudaeae, cuius incolae quinquaginta duo cum Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,29; Neh. 7, 33). Legitur Neh. 7,33 : Viri Nebo alterius 52, forte ut distinguatur a Nebo moabitica; LXX ἄνδρες Ναβία ἑκατὸν πεντηκονταδύο, sed priore loco Esdr. 2,29 υἱοὶ Ναβοὺ πεντηκονταδύο. Situs incertus est, fortasse *Nūbā* ab Eleutheropoli orientem versus et prope Ceilam (*Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. III. 309) vel secundum alios *Beit Nūbā* iuxta *Yālō* seu Aialon in valle Aialon; alii (ut *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3) cogitant de Nobe beniaminitica, quae apud Flav. Iosephum (Ant. VI. 12,1. 4 *ed. Niese*) Ναβά scribitur (v. NOBE 3).

5. Inter eos, qui tempore Esdrae uxores alienigenas duxerant, enumerantur Esdr. 10,43 septem de filiis Nebo; hoc nomen aliqui de oppido Iudaeae supra memorato accipiunt.

NEBSAN (הַנִּבְשָׁן cum articulo, Ναφλαζών) enumeratur inter sex civitates deserti Iuda (Ios. 15,62). Est ignota. *Wellhausen* (Prolegomena 344) legere mavult הַכִּבְשָׁן respiciens Gen. 19,28.

NECEB urbs v. ADAMI.

NECHAO (נְכֹה, נְכוֹ, Νεχαώ), filius Psammetichi, rex Aegypti (610-594 a. Chr.). Iam secundo anno regni sui, 608 tempore verno suscepit expeditionem, ut pristinum regni splendorem restitueret et imperium aegyptiacum in Asia quoque confirmaret. Cum in fines palaestinenses transisset, ei sese opposuit Iosias rex Iuda. Frustra Nechao missis ad Iosiam nuntiis declaravit, se non venire pugnaturum contra regnum iudaicum; Iosias vero aciem instruxit, sed

sagitta percussus in campo Mageddo rediit Ierusalem ibique mortuus est. Nechao autem perrexit usque ad Charcamis neque tamen ausus est ulterius progredi, sed nullo certamine facto reversus est. Interea in locum Iosiae suffectus est rex Iuda Ioachaz; verum post tres menses Nechao redux vindictam cepit de illa Iosiae oppositione et saltem Iudaeam sibi subiectam habere voluit; quare regem Ioachaz ad se venire iussit in Rebla (in terra Emath) eumque in vincula coniecit, fratrem eius Eliakim mutato nomine Ioakim regem instituit et terram condemnavit centum talentis argenti et talento auri; ipsum Ioachaz abduxit in Aegyptum (4 Reg. 23,29 s.; 2 Par. 35,20-36,4; Ier. 22,11. 12; Ez. 19,3-5). Eo tempore regnum babylonicum sub Nabopalassar incrementum cepit. Magno exercitu ex Libya, Aethiopia aliisque regionibus collecto Nechao iterum ascendit ad Euphraten, at a Nabuchodonosor, filio Nabopalassar, ad Charcamis penitus devictus est et celerrime relicta Syria et Palaestina in Aegyptum se recepit (cf. s. v. NABUCHODONOSOR 2). Neque ultra ausus est sese imperio babylonico opponere et frustra reges Iuda ab eo auxilium exspectabant contra Nabuchodonosor (4 Reg. 24,7; Ier. 46,2-26; 37,4-6).

De rebus gestis aliis veteres narrant, voluisse Nechao maria illa duo, Rubrum et Mediterraneum per canalem coniungere, quem in finem ab urbe Patumos ex Nilo canalem ducere tentasse usque ad sinum Arabicum, ut ita per Nilum duo illa maria coniungerentur ad commercium fovendum; at opus mansit infectum; narrant centum viginti millia Aegyptiorum labore illo molestissimo periisse *Herod.* 2,158; 4,42; *Strabo* XVII. 1,25; *Diodor.* 1,33). Alteram quoque viam explorari voluit commercii causa; iussit nautas Phoenices navigare ex mari Rubro ita ut per columnas Herculis reverterentur in mare Mediterraneum; revera tertio anno attigerunt mare Mediterraneum; Africam igitur circumnavigarant, narrantes se habuisse quoque solem ad dexteram. Id quod Herodoto quidem incredibile videbatur, nobis autem testimonio est eos revera aequatorem transgressos esse (*Herod.* 4,42).

Cf. *Lenormant-Babelon*, Hist. ancienne de l'Orient, *ed.* 9, Paris 1882, II. 390 ss.; *G. Maspero*, Hist. ancienne des peuples de l'Orient classique III. (1899) p. 513 ss.; *Wiedemann*, Aegypt. Gesch. p. 626 s.; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. p. 133 ss.; *Flinders-Petrie*, A History of Egypt from the 19. to 30. Dynasty, London 1905, p. 335 ss.

NECODA (נְקוֹדָא, Νεκωδά). **1.** Familia Nathinaeorum, quae cum Zorobabel ex captivitate rediit (Esdr. 2,48; Neh. 7,50).

2. Princeps familiae, quae cum Zorobabel ex captivitate rediit et originem suam israeliticam ex genealogiis demonstrare non poterat (Esdr. 2,60; Neh. 7,62).

NEGOTIATORUM URBS. Eo nomine designatur Ez. 17,4 Babylon, in quam urbem Ioachin rex Iuda a Nabuchodonosor translatus est. Babylonem autem merito tali nomine designari patet; erat enim maximum totius Asiae emporium (cf. *Movers*, Phoenizier II. 2 p. 244; II. 3 p. 239 ss.). Eodem loco Ez. regio babylonica appellatur terra Chanaan i. e. terra quae mercaturam exercet.

NEHELAMITES v. SEMEIAS 12.

NEHELESCOL torrens v. ESCOL 2.

NEHEMIAS (נְחֶמְיָה, Νεεμίας). **1.** Nehemias, Helchiae filius et animi et corporis virtutibus insignis, Artaxerxis I. regis Persarum (465-424) a cyatho erat. Is anno 445 cum Susis versaretur, populares quosdam, qui ex Palaestina modo advenerant, de conditione patriae percontatus, ubi mœnia Hierosolymorum (quae Esdras aedificaverat) disiecta, valvas igni combustas, cives miseria oppressos esse comperit, multis diebus plangendo, ieiunando, precando consumptis domum redire, ut suis consuleret, animum induxit. Sed quoniam huius rei potestas omnis in rege sita erat, Deum multis precibus obsecravit, ut voluntatem eius ad consilia sua inclinaret (Neh. 1). Res ex sententia evenit; nam tribus mensibus post cum pocula

ministraret, rex simulatque puerum de lugenda patriae sorte contristatum esse cognovit, facultatem redeundi urbisque restituendae libenti animo dedit, quin etiam Iudaeae provinciae eum praefecit. Simul Asaphum saltus regii custodem ligna, quibus opus esset, praebere iussit. Nehemias igitur spatio commeatus constituto per litteras officialibus Syriae commendatus stipatusque equitum peditumque praesidio in Palaestinam descendere maturavit (Neh. 2,1-9).

Fide legationi facta redditis litteris se incommode civitatis suae adversariis venire statim perspexit. Quare Hierosolyma ingressus (a. 444), quid in animo sibi esset, primo celavit, ut omnia bene perquireret. Trium denique dierum mora interposita paucis sed fidelibus hominibus comitatus nocte urbem circumequitavit, ut, qualis esset murus, oculis perlustraret. Postridie autem contione totius civitatis facta conditionem urbis ignominiosam descripsit omnesque amore patriae imbutos incitavit, ut huic rei finem imponerent; facultatibus regis propositis consilia sua aperuit gratiaque Dei monstrata omnes summa spe complevit, ita ut alacriter ad moenia aedificanda aggrederentur. Hanc autem rem Sanaballat Horonites, Tobias Ammonites, Gosem Arabs « contristati, quod venisset homo, qui quaereret prosperitatem filiorum Israel » (Neh. 2,10) omnibus viribus disturbare coeperunt. Et primum quidem suspicionem rebellionis moverunt, qua Iudaei a coeptis deterrerentur. Nehemias autem : « Deus caeli, inquit, ipse nos iuvat, vobis autem non est pars et iustitia et memoria in Ierusalem » (Neh. 2,9-20).

Ut studium aedificandi cupiditasque famae stimularetur totum opus ita distributum est, ut singulae gentes vel tribus vel vici suas partes exstruerent monumentumque quoddam perpetuum sibi collocarent. Quo factum est ut opus undique simul coeptum mirum in modum promoveretur. Hostes facetiis quidem acerbis Iudaeos deridebant neque tamen a consiliis eos revocabant; sed ubi murum dimidiam partem confectum esse cognoverunt, et irati et perterriti ad vim et arma descenderunt : manu enim non mediocri coacta aedificantes nec opinantes opprimere statuerunt. Nehemias autem hoc edoctus dispositis die noctuque praesidiis omnibusque, qui arma ferre poterant armatis impetum praeoccupavit. Illi igitur cum vidissent a civibus, quid molirentur, perspectum esse, spe succedendi deiecti incepto destiterunt. Tum Iudaei aedificare perrexerunt, ita tamen, ut operantibus aliis alii, qui hostes, si forte improviso adorirentur, extemplo propulsarent, continenter in armis essent. Itaque dies noctesque sine intermissione desudatum est. Nehemias autem cum suis exemplum omnibus praebuerunt; ne noctu enim quidem vestimenta ponebant (Neh. 3-4).

Externis his molestiis adiectae sunt internae. Diuturnis enim laboribus collataque ad aedificationem stipe pauperes ad inopiam redacti erant. Qui cotidiano quaestu victum antea comparare consueverant, cum pecuniam, qua vectigalia regis solverent vitamque sustentarent, mutuam sumpsissent, aere alieno obruti agros, domus, vineas foeneratoribus oppigneraverant, quin etiam filios filiasque servituti addixerant. Horum omnium indignatio caritate annonae exorta subito exarsit. Qua re audita Nehemias vehementer indignatus optimatibus animi duritatem exprobravit contionemque, ut tumultus sedaretur, statim convocavit. Ubi divites diligenter admonendo adduxit, ut non solum iniquo faenore remoto res pignori acceptas redderent, sed etiam cibaria egenis praeberent. In hac quoque re ipse omnibus exemplo fuit; tributa enim, quorum ius habebat, exigere omisit atque 150 homines suo impendio cotidie aluit (Neh. 5).

Hoc tanto periculo remoto moenia continuata sunt. Hostes autem cum se vi nihil proficere intellexissent, ad fraudes confugientes Nehemiae laqueos posuerunt. Causa enim foederis interposita ad colloquium in campo Ono habendum eum evocaverunt. Has autem insidias pro sua prudentia fugit. « Opus grande, inquit, ego facio et non possum descendere, ne forte neglegatur, cum venero et descendero ad vos ». Quater invitatus quater idem respondit. Tandem Sana-

ballat epistulam misit, qua ad pristinum dolum refugit. Inter gentes enim aiebat rumorem serpere, quo Iudaeos defectionem moliri significaretur; ad id murum exstrui prophetasque ad animos excitandos incumbere. Quare ipse consilii, quo hic rumor extingueretur, ineundi causa ad se veniret. Nehemias vero, quid ageretur, facile perspexit. Itaque omnia eiusmodi conata non minus quam iniqua suorum, qui ad temere agendum sollicitabant, consilia conturbavit. Id unum effectum est, ut operi ardentius instaret. Et quamquam multi optimates necessitudine coniuncti cum adversariis colluderent rerumque mutationem gravati varias difficultates procrearent, tamen omnibus, quae obstabant, remotis moenia 52 diebus consummavit. Tum demum hostes perterriti a vexationibus destiterunt (Neh. 6).

Ut in posterum quoque gentes finitimae ab incursionibus prohiberentur et civitas tamdiu agitata tandem pacaretur, urbem praefectus haud securus custodiis munivit, ita ut ianitores templi, cantores, levitae duce Hanani portas, cives proximi moenia suam quisque partem custodirent. Cui rei numerus par non erat; neque enim urbi frequentia suppetebat. Itaque ut huic necessitati subveniret, censum habuit, quo quanta esset populi multitudo perspiceret. Qua in re invenit librum census eorum, qui Zorobabel duce redierunt. Contione vocata deliberatum est, quomodo numerus oppidanorum augeretur, decretumque, ut praeter principes populi et eos, qui sponte se obtulerunt, decimus quisque et clericorum et laicorum sorte ductus in urbe consideret (Neh. 7 et 11). Cum toto temporis spatio, quo moenia aedificabantur, cives salute rei publicae suis commodis praelata multa graviaque sustinuissent, Nehemias ut hos labores laetitia compensaret consecrationem moenium quam sollemnissimam reddidit populoque iucundissimam. Qua re id quoque opinari licet effectum esse, ut non solum omnibus sua sacra cariora fierent bonaque domestica pluris aestimarentur, sed etiam ut omnes rerum mutationem indignati placarentur et animi inter se contrarii recolligerentur (Neh. 12,27-42).

Civitate undique munita praefectus rebus civitatis magis domesticis operam navabat. Id autem potissimum agebat, ut mores civium corruptos ad praecepta divina componeret. Qua in re ab Esdra adiuvabatur. Sed cum pars legis mosaicae studiosa in praesentia superior esset omniumque animi praeclaro successu optime praeparati viderentur, sibi maturandum esse censebat. Itaque in initium mensis Tishri (a. 444) totus populus in urbem convocatus est. De congregatis quidam ex pacto, ut videtur, Esdram rogaverunt, ut legem Moysis sibi legeret. Hic igitur de suggestu, postquam Deo gratias egit, clare recitavit, cum levitae circumfusi singula capita interpretarentur. Qua re audientium animi mirifice commoti sunt; neque enim lacrimas ac lamentationem tenere poterant. Sed hoc a consiliis ducum alienum erat; quare consolati populum admonuerunt, ut hunc diem domino sacrum luctu abiecto laetissimum agerent. Obtemperatum est. Postridie cum Esdras principibus familiarum, sacerdotibus, levitis legere perrexisset, festum tabernaculorum mense septimo celebrandum esse cognoverunt. Quod tempus cum instaret, constituerunt, ut singula praecepta tum ipsum quam accuratissime observarentur. Quorum voluntati obsecutus populus, quidquid praescriptum erat, diligenter paravit diemque festum agebat, quo ab aetate Iosue civitas non viderat sollemniorem ac laetiorem. Per singulos autem dies lex recitabatur (Neh. 8).

Dies festum insequens populo dies poenitentiae extraordinarius concessus est. Omnes igitur ieiunium servabant et humo capiti imposita atrati squalebant. Qua in re provisum est, ut externi a contione retinerentur. Quater in die pars legis recitata est, quater peccata confessi sunt, quater precationibus usi. Denique Esdras oratione longiore, qua totam populi historiam persecutus et pertinaciam perfidiamque maiorum professus, gratiis beneficiorum Deo actis praesentem servitutem efferebat, animos ad foedus cum Deo renovandum paravit. Quae fidelitatis sponsio magno

cum apparatu facta est, memoriae causa litteris mandata praecunteque Nehemia a proceribus subscripta. Qua re omnes cum universam legem se servaturos esse tum a connubiis mixtis se abstenturos, praecepta anni iubilaei se secuturos, dies festos se religiose obituros, tributa, quibus res sacra et clerus sustentarentur, accurate se soluturos esse promiserunt (Neh. 9-10). His tributis, quae in gazophylacium congregabantur, custodes viri fide digni impositi sunt (Neh. 12,43). Ut civitas in posterum a contagione accolarum sincera servaretur, nixi illa lege Deuteronomii (23,5), qua Ammonitae et Moabitae « in ecclesiam Dei introire » vetabantur, omnem alienigenam ab Israele separaverunt. Haec separatio qua in re constiterit, non satis constat (Neh. 13,1-3).

Omnibus rebus Nehemiam prospexisse referunt Iudaei hierosolymitani fratribus alexandrinis in epistula altera libro 2 Mach. praefixa. Ignis enim sacer, cum populus urbe capta in exsilium ageretur, a sacerdotibus in puteum altum et siccum abditus erat. Ad hunc ignem requirendum cum illorum sacerdotum nepotes Nehemias misisset, crassam tantum aquam repperit. Nihilominus hac aqua adspergi sacrificia iussit. Quo facto sol oriens magnum ignem accendit, qui sacrificia consumpsit. Rex autem Persarum hac de re certior factus puteum illum tamquam locum sacrum circumsaepsit (2 Mach. 1,18-36). Etiam de libris sacris colligendis Nehemias optime meritus est (2 Mach. 2,13). — Omne igitur commeatus spatium in civitate ordinanda et stabilienda videtur consumpsisse. Id potissimum opinari licet eum studuisse, ut animi legis praeceptis assuefacti coalescerent et omnia rite composita bene procederent. Annos autem duodecim in urbe commoratus ad aulam regiam rediit (Neh. 13,6).

Novella autem res publica cura praesidis carere nondum potuit; eo enim absente mala quaedam obrepserunt. Quo audito Nehemias Hierosolyma repetiit. Ubi inimicissimum suum Tobiam Horoniten ab Eliasib sacerdote adiutum parte gazophylacii uti horreo vidit; praeterea dies sabbati parum observari et clericos, cum tributa non solverentur, officiis deesse cognovit. Magno dolore affectus rem restituere coepit. Tobiam simpliciter eiecit cellamque suo usui reddidit. Item res pessimi exempli correxit omnesque pro sua fortitudine et prudentia ad officium praestandum reduxit (Neh. 13,4-22). Neque urbi solum, sed etiam locis longinquioribus curam impendit; imprimis valde interdixit, ut matrimonia mixta in futurum inirentur. Quae inita erant, ea permanere passus est; nepotem vero Eliasibi summi sacerdotis, qui filiam Sanaballat duxerat, e civitate eiecit. Ita universam civitatem perpetuo tuebatur. « Memento mei, Deus meus, in bonum ». His verbis commentarios suos terminat (Neh. 13,23-31). Iosephus senectute eum diem supremum obiisse testatur (Ant. XI. 5,8).

Nehemias inter maximos Israelitarum viros non solum propter praeclara in rem publicam merita, sed etiam ob suae ipsius personae dignitatem eximium locum obtinet. Patriae enim amantissimus prae commodis civium suorum omnia post esse putat viresque omnes pro salute rei publicae profundit. Ab aliis postulat aequa, ipse praestat maiora. Ut ad ea, quae cuique rei expediunt, excogitanda ingeniosissimus est, ita ad ea, quae convenire cognovit, suscipienda et exsequenda peritissimus. Quamvis pertinaciter ad idem semper contendat, sollerter tamen, quaecumque sunt rerum conditiones, tempora, personae, iis se accommodat. Cum prudens et providus in agendo est, tum manu fortis et sermone ingenuus. His tantis virtutibus adiungit antiquam vitae religionem et insignem pietatem — vir igitur sane dignus, qui summo in honore habeatur. Et quanti aestimaverint eum posteri, colligitur ex libro Ecclesiastici, ubi scriptum videmus (49, 15) : « Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos et stare fecit portas et seras, qui erexit domus nostras ».

Cf. *I. Nikel,* Die Wiederherstellung des jüdischen Gemeinwesens nach dem babylonischen Exil, Freiburg 1900, ubi

ceteros, qui de hac re agunt, libros invenies. — De Chronologia v. s. v. ESDRAS 1.

H. WIESMANN.

2. Princeps, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Esdr. 2,2; Neh. 7,7).

3. Filius Azboc, princeps dimidiae partis vici Bethsur, in muris Ierusalem exstruendis occupatus tempore Nehemiae (Neh. 3,16).

NEHIEL (נַעֲלִיאֵל; B Ἰναήλ, A Ἀνιήλ), urbs in confinibus Zabulon et Aser, septemtrionem versus a Cabul (Ios. 19,27). Fortasse *Khirbet Yanīn* ab Accho orientem versus (*Legendre,* Carte de la Pal.; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. et VI.).

NEMRA urbs v. BETHNEMRA.

NEMRIM (מֵי נִמְרִים, Vulg. aquae Nemrim; τὸ ὕδωρ τῆς Νεμηρείμ Is. 15,6; τὸ ὕδωρ Νεθρείν Ier. 48,34). Isaias et Ieremias sortem Moab miserantes describunt aquas Nemrim desertas i. e. ab hostibus obstructas et regionem florentissimam aquis interceptis in desertum versam. *Knabenbauer* in Is. 15,6 monet, cum fuga Moab fiat meridiem versus, nihil obstare quominus Nemrim idem oppidum intellegamus, quod Num. 32, 36, Ios. 13,27 Bethnemra et Num. 32,3 Nemra appellatur et in depressione Iordanis orientali situm est; fugiunt enim Moabitae, quia regio septemtrionalis iam devastata est. Eiusdem opinionis sunt *Winer* s. v., *Kneucker* in *Schenkel,* Bibellex. s. v., *Rohling.* Plerique Nemrim magis meridiem versus quaerunt et nomen agnoscunt in *Wādi Numeira* inter *Kerak* et *Wādi el-Ḥaṣā* (terminum Moab) vel etiam in *Bordj el-Numeira* ad mare Mortuum iuxta ripam australem torrentis *Numeira.* Huic opinioni favet Onomast. (*ed. Lag.* 143,11 cf. 284,32) : « Nemerim... nunc autem est vicus nomine Bennamerium ad septemtrionalem plagam Zoarae » (Segor).

NEMROD (נִמְרֹד, Νεθρώδ), potens in terra, robustus venator coram Domino, a Chus filio Cham genitus (Gen. 10, 8; 1 Par. 1,10). Textus non dicit Nemrod fuisse filium immediate ex Chus genitum; Gen. 10,7 enumerantur quinque filii Chus, qui sunt totidem populi, Nemrod autem est individuum et in ipso textu seorsum ponitur tum propter eminentiam suam tum forte quia mediate tantum ex Chus originem trahebat. Perperam *Schrader-Whitehouse* (Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 69-71) adstruit Nemrod fuisse de gente babylonica Kassu seu Cossaeorum, qui probabilissime iidem sunt ac Kasdu seu Chaldaei stricte dicti, et sacrum auctorem confudisse Kassu cum Cushitis Aegypti ac Nubiae, cum scriberet Nemrod filium Chus; verum ex Gen. 11 discimus progeniem Noe ante dispersionem in regione Sennaar (Babylonia) una habitasse; quid igitur mirum, quod Cushitae, postmodum in Aegypto habitaturi, sedes habuerint in Sennaar aetate Nemrod?

Inter heroas postdiluvianos eminet Nemrod primum venatione, dein imperio. Erat robustus venator coram Domino (Gen. 10,9) i. e. vere et eximie, utpote iudicio Dei; unde homines cum alicuius fortitudinem celebrare vellent, dicebant per modum proverbii eum esse alterum Nemrod. Venatio intellegitur ea potissimum, quae feras devincit hominesque ab illis protegit; talis autem venatio facile viam parabat ad imperium apud eius aevi homines, qui nondum inter se, sed contra feras bella gerebant. — Principium regni Nemrod erat Babylon, Arach, Achad, Chalanne in terra Sennaar seu Babylonia (Gen. 10,10).

Progressus regni Nemrod enarratur Gen. 10,11. 12; de Sennaar egressus est Assur (accusativus loci ex communiore sententia recentiorum), quam vocem *F. de Hummelauer* interpretatur urbem Assur, cuius nomen utique ad provinciam etiam circumiacentem extendebatur; ibi aedificavit Niniven, Rechoboth-Ir, Chale, Resen, ex quibus quattuor urbibus simul sumptis efficiebatur Ninive latiore sensu accepta, novum regni caput, dum antiquitus Assur (*Qal'at Sherkat*) sedes regni fuerat. Terra Nemrod Mich. 5,6[5] est regnum assyriacum inclusa Babylonia.

Nemrod communiter idem esse censetur atque heros ille ac venator baby-

lonicus Izdubar (*Smith-Delitzsch*, Chald. Genesis 150 s. 311 s.; cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 75). Interpretes pauci (*S. Ephraem, Abenesra, Kimchi*) de Nemrod benigne sentiunt, longe plures severe iudicant. Flav. Iosephus (Ant. I. 4,2 s.) inducit eum inimicum Dei, iniuste tyrannide potitum, auctorem turris babylonicae exstruendae. Ps. Ionathan et Targum hieros. eum dicunt rebellem coram Domino (a מָרַד = *rebellis fuit*); sed vix credibile est eius significationis nomen filio ab ipso patre inditum esse et praeterea ignoramus, qualis prima forma nominis fuerit; in inscriptionibus cuneiformibus eius nomen nondum repertum est. Chronicon Paschale (*Migne* 92,145) refert Nemrod post mortem inter deos esse relatum iamque inter astra conspici Orione venatore repraesentatum et addit *Cedrenus* (Histor. Compend. *Migne* 121, 53) ob hanc rationem Orioni additum esse sidus, quod *Canis* vocatur; unde coniiciunt aliqui (cf. *Budde*, Die biblische Urgeschichte) credidisse homines atque proverbio expressisse, Nemrod in poenam impietatis a Iahwe in firmamentum esse translatum atque ibi inter astra venationem exercere. Sed haec omnia certo fundamento carent. Ad summum ex eo aliqua coniectura fieri posset, quod Nemrod heros postdiluvianus comparari videtur illis heroibus antiquis et diluvio prioribus, qui Gen. 6,4 Deo exosi describebantur. Cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in Gen. p. 317-322; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, I. 344 ss.

NEMUS tribus in locis hebraico אֹשֶׁל respondet (Gen. 21,33; 1 Reg. 22,6; 31, 13), quo nomine probabilissime *tamarix* intellegenda est. V. TAMARIX.

NENDI ARS iam memoratur ut feminarum propria Ex. 35,25. 26 (טָוָה nevit, מַטְוֶה netum). Allusionem ad opus muliebre aliqui interpretes etiam cernunt Matth. 6,28 et Luc. 12,27 : lilia non laborant (opus virorum) neque nent (opus mulierum). Instrumenta huius artis nominantur Prov. 31,19 : mulier fortis manum suam misit ad fortia (כִּישׁוֹר i. e. colus) et digiti eius apprehenderunt fusum (פֶּלֶךְ). Secundum *Gesenium* פֶּלֶךְ est orbiculus fusi muliebris, dein ipse fusus (Thesaurus II. 1105) et כִּישׁוֹר verticillus fusi muliebris, proprie dirigens (a כָּשַׁר rectus fuit), director fuso extremo adiunctus, ut netio dirigatur seu certa et aequabilis fiat (l. c. p. 722). Probabilius autem voce כִּישׁוֹר designatur colus; sed advertendum est antiquis ignotum fuisse rhombum, cuius ope stamina nentur. In monumentis aegyptiacis saepius repraesentantur tam viri quam praesertim mulieres stamina nentes. Cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs of the ancient Egyptians 1878 I. 316; II. 169 ss.

NEOMENIAE. 1. *Neomeniae generatim.* Sicuti dies singuli sacrificiis Deo oblatis sanctificandi erant, sabbatis vero sacrificia augebantur, ita singuli quoque menses Deo dicandi erant oblatis, quae Num. 28,11-15 praecipiuntur, sacrificiis. Novilunia haec Hebraeis dicebantur רָאשֵׁי חֳדָשִׁים seu principia mensium, graece νεομηνίαι, νουμηνίαι, in Vulgata neomeniae, calendae. Menses in calendario Iudaeorum erant lunares; cursus igitur lunae vitam religiosam ac civilem regebat.

Simplicissima haec et maxime naturalis de natura et fine calendarum sententia per se non excludit alium finem secundarium, quem *Jahn* (Archaeol. III. 340) tamquam primarium effert, ut superstitio gentium, quae lunae sacrificabant, excluderetur; neque illum, quem *Spencerus* (De leg. Hebr. l. 3 diss. 4. c. 1.) assignat, ut eas mensis cuiusque primitias, quas alii diabolo soliti erant, Deo et sacris eius in posterum devoverent. Sed notandum est neque in textu sacro neque in traditione iudaica istos alios fines indicari. Perperam vero eodem loco *Spencerus* probare conatur Hebraeorum neomenias a nominis eiusdem feriis inter gentes ex instituto vetere celebratis initia petiisse Deumque nec ipsas neomeniarum ferias nec celebrandi ritum aut modum praescripsisse, ut ex iis, quae de neomeniis celebrandis hic

subiicimus, inspicienti facile patebit.

In neomeniis praeter sacrificia quotidiana holocaustum maius pro mense offerebatur, עֹלַת חֹדֶשׁ scil. duo iuvenci, aries unus et septem agni anniculi immaculati cum ferto et libamine (Num. 28, 11-14), praeterea hircus pro peccatis ultimo mense commissis (Num. 28,25); cf. *Flav. Ios.* Ant. III. 10,1. Cum hac norma mosaica non esse confundendam alteram legem pro die primo cuiusvis mensis apud Ez. 46,6. 7 statutam patet ex eo, quod adnotat *Knabenbauer* ad Ez. 44-46, ibi sermonem esse de novo Dei cultu in templo novo exercendo deque visionibus aetatem messianicam spectantibus; unde visiones illas in quaestionibus mere archaeologicis iuremerito missas facimus.

Hos dies neomeniarum sacerdotes argenteis tubis sacris annunciabant Num. 10,10 : « Si quando habebitis epulum et dies festos et calendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri ». Intellegitur simplex tubarum clangor seu brevior flatus iteratis vicibus repetitus (תְּקִעָה = clangere), non vero strepitus tubarum protractus (הֲרִיעַ = tumultuari); cf. Num. 10,7 ubi תָּקַע et הֵרִיעַ diserte distinguuntur.

Ex lege praescripta erant holocausta, non vero cessatio ab opere neque sacrum convocatum; ex more tamen populari dies noviluniorum iam ab antiquo tempore inter dies festos habebatur (Is. 1, 13. 14). Hoc die populus ad templum accedebat, ut adoraret et sacrificiis assisteret (Ez. 46, 1. 3); hoc die pientiores Hebraei prophetas frequentabant (4 Reg. 4,23); plures sermones prophetici hoc die habebantur (Ez. 26,1; 29,17; 31,1; 32,1; Agg. 1,1); hoc die commercium mercatorum quiescebat (Am. 8,5); hoc die victimas sollemnes esse oblatas legimus apud 1 Reg. 20,2. 29, non utique ad calendas celebrandas, cum illud sacrificium sollemne fuerit annuum, non menstruum (cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 1,3. 20 et 20,2. 29), sed occasione saltem calendarum.

Die noviluniorum non ieiunabant (Iudith 8,6), sed lautas epulas habebant v. g. in aula regia Saul (1 Reg. 20,5. 24). Erat igitur dies festus et laetitiae sicut sabbatum. Unde neomeniae saepe simul cum sabbato commemorantur, ut 4 Reg. 4,23; 1 Par. 23,31; 2 Par. 2,4; 8,13; 31, 3; Esdr. 3,5; Neh. 10,33; Is. 1,13. 14; Os. 2,13; Ez. 45,17; 46,1. 3; Col. 2,16.

Durationem neomeniarum quod attinet, posteriore tempore per duos dies agebantur (cf. *Hamburger*, Real-Encycl. I. s. v. Neumond, II. s. v. Kalender). Neque desunt qui affirment iam inde a primis temporibus duos dies fuisse celebratos idque concludunt ex 1 Reg. 20,27 : « Cumque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Ionathan filium suum : Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum »? cf. 20,34; quid varii auctores de duorum dierum celebratione disputaverint, vide apud *Lundium* (Jüd. Heiligthümer V. 8,26 ss.).

De modo quo antiquitus calendae Hebraeorum determinatae fuerint, textus biblicus nihil refert. Ex aliis vero fontibus constat calendas a novilunio apparente incepisse i. e. non a coniunctione lunae cum sole, sed a visione figurae corniculantis; idque etiam « ex eo patet, quod lex mosaica omnem chronologiam non ex astronomia, sed ex eo, quod in terra conspicitur, ordinavit » (*Jahn*, Archaeol. III. 340); cf. Mishna, Rosh hashana 1,3-3,1; *Maimonides* de Consecratione Novilunii et *Selden* de anno civili Iudaeorum apud *Ugolini*, Thesaur. Antiq. XVII. Sub exitum mensis cuiuslibet diligentissime advertebatur, utrum in vespera, quae mensis elabentis diem undetrigesimum secuta trigesimum incohatura erat, luna e radiis solaribus emersa conspiceretur; et per totum diem trigesimum synedristae quidam congregati nuntios exspectabant, qui ex diversis Iudaeae regionibus adventuri figuram lunae corniculantem a se conspectam esse nuntiarent. Si phasis lunae sic habebatur, ille dies trigesimus dedicabatur et mensis elapsus erat undetriginta dumtaxat dierum seu mensis cavus, חֹדֶשׁ חָסֵר; sin minus dies ille trigesimus

exeunti mensi apponebatur, qui vocabatur plenus, מָלֵא, et dies insequens eo ipso erat dies neomeniae, nulla phaseos in illo habita ratione. Quod si per aëris nubila pluribus continuis mensibus phasis haberetur nulla, fas erat continuos inde facere menses plenos seu triginta dierum, modo per totum annum non minus quam menses quattuor pleni constituerentur nec plus quam octo; cf. Mishna, Erachin 2,2.

Qui de luna nova nuntiabant, eos tam fastidiose probare antiquitus moris non erat; sed cum interdum ab hominibus de natura divina prave sentientibus (*Maimonides* de Consecr. Novil. 2,2), qui in Mishna Baithosei vocantur et Karaitis adnumerandi sunt, frequentes pretio conducerentur, qui falso nuntiarent lunam nascentem a se conspectam esse, quam non viderant, constitutum est, ut ii demum ad testandum adhiberentur, quorum probitas synedrio perspecta esset; nec his quidem fides tribuebatur nisi diu multumque interrogatis, qua in parte mundi lunam conspexissent, aquilonari an australi, quorsum eius tendere cornua, quam altam a terris ferri, quam latam sibi eam videre visi essent; immo Rabbi Gamaliel II. phases lunae in tabula conclavis sui depictas habuisse perhibetur (Rosh ha-shana 2,4), quibus ostensis nuntios idiotas interrogaret, an lunam ita vel ita vidissent. Quodsi quae respondebant, cum astrologiae rationibus a synedrio antea perquisitis congruebant, eorum nuntius fide dignus habebatur; sin minus, respuebatur. Testimonium duorum, si congruebat, satis erat confirmatum, ita quidem ut ex reliquis testibus non nisi rerum capita exquirerentur, non quod eorum testimonio opus esset, sed ne domum redirent animo abiecto aegre nuntiatum redituri. Ceterum synedrium iis, qui consilio lunam novam nuntiabant, convivia opipare apparanda curabat, quo magis ad novilunium nuntiandum in posterum allicerentur. Confirmato iam testimonio synedrii princeps dicebat : Consecratus est, cui omnes respondebant : Consecratus, consecratus.

Calendis iam consecratis synedrium faces in iugis montium extollendas curabat, quo signo Israelitis longe dissitis calendarum consecratio indicaretur. Sic habet Rosh ha-shana 2,2 : « Olim ad novilunium indicandum flammas elevarunt. At cum Cuthaei (i. e. Samaritani) malitiose idem intempestivo tempore facerent, decretum est, ut nuntii ad illud significandum egrederentur ». Explicat *Bartenora* apud *Surenhusium,* Mishna II. p. 329 : « Synedrium non elevabat flammas nisi de novilunio, quod trigesimo die sanctificatum erat. Quando autem circa vesperam diei trigesimi non elevabant, omnes cognoscebant mensem completum esse; contigit autem semel, ut senatus impleverit mensem, attamen non elevari flammas iusserit circa trigesimi diei vesperam; at Cuthaei flammas elevarunt in suis montibus et Iudaeos captivos in errorem induxerunt, constituendo mensem deficientem ». Rosh hashana 2,3 : « Flammas autem sic extulerunt, accipiebant bacillos longos e cedro et cannas et ligna pinguia et stuppam lini et haec filo colligabant, deinde unus in fastigium montis Oliveti ascendebat, ignem admovebat atque flammam hinc illinc sursum deorsumque agitabat, usque dum videret alium idem in proximi montis cacumine facientem, sicque fiebat in monte tertio ». Et 2,4 : « Unde autem has flammas elevarunt? a monte sc. Oliveti usque ad Sartebam, tunc a Sarteba usque ad Gerophinam, a Gerophina vero usque ad Gauram, a Gaura usque ad Bet Baltin, a Bet Baltin non recedebant, sed hinc illinc sursum atque deorsum agitabat, usque dum videret ante se totam captivitatem instar taedarum » i. e. instar facum, ut apud *Surenhusium* Mishna II. p. 331 adnotatur « quas singuli, cum viderent in Bet Baltin faces esse accensas, in manibus sumebant, quibuscum verticem tecti ascendebant, atque eas hinc inde agitabant, ita ut tota civitas instar facum in oculis appareret ».

Ceterum determinatio calendarum est una ex illis quaestionibus, de quibus maxime dissonant inter se Rabbanitae et Karaitae; Rabbanitae scil. contendunt, postquam synedrium desierit, etiam desiisse ius neomeniarum ex phasi deter-

minandarum easque mere astronomice esse definiendas; Karaitae vero statuunt etiam post urbis gentisque excidium semper ex phasi neomenias esse decernendas et calculum astronomicum non nisi adminiculi gratia adhibendum.

2. *Neomenia mensis septimi.* Neomenia seu primus dies mensis Tishri in ordine festorum singulari dignitate insignitur et ab aliis neomeniis eo praesertim differt, quod indolem sabbati habet. Celebrabatur cessatione ab opere servili, convocatione sacra, sacrificiis superadditis. Praeter sacrificia quotidiana et neomeniarum offerebantur in holocaustum iuvencus unus, aries unus, agni anniculi immaculati septem cum suis fertis et libaminibus, pro peccato autem hircus in expiationem populi (Lev. 23,23-25; Num. 29,1-6). Ibidem hic diès vocatur dies clangoris (יוֹם תְּרוּעָה, ἡμέρα σημασίας Num. 29,1) et memoriale clangoris (זִכְרוֹן תְּרוּעָה, μνημόσυνον σαλπίγγων Lev. 23,24). Nomen explicatur ex strepitu tubarum protracto et tumultuante, quo per totum, ut videtur, diem sacerdotes clangebant, dum e contra in aliis neomeniis clangor tubarum erat simplex i. e. brevior flatus iteratis vicibus repetitus et inter sacrificia tantum adhibitus; cf. Num. 10,7. 10. Alii tamen existimant praeter tubas argenteas in neomenia mensis Tishri etiam buccinas fuisse adhibitas. Huic opinioni favent, quae habet *Relandus* (Antiq. Hebr. IV. 7,2; p. 440): « Clangebatur eo die in templo a mane ad vesperam buccina (שׁוֹפָר) sive cornu arietino incurvo, quum in aliis Noviluniis tantum uterentur tubis (sive חצוצרות), uti Num. 10,10 praecipitur (licet enim id in sacro codice diserte non exstet, buccinam fuisse adhibitam, colligunt tamen Iudaei ex Lev. 25,9 et antiqua traditione; vide Rosh ha-shana 3, 2). Quamobrem Ps. 81[80], 4 *Buccinate in Novilunio* de solo Novilunio Tishri i. e. festo novi anni intellegendum docent in Gem. Rosh ha-shana 8,2 ».

Sanctificato hac ratione die primo huius mensis sanctificatus erat totus mensis Tishri, in quo sollemnitates diei propitiationis et festi tabernaculorum occurrunt. In neomenia mensis septimi Israelitae ex exsilio reduces cultum sacrificiorum instaurarunt (Esdr. 3,1-6); iterum in neomenia mensis septimi Esdras legem prima vice sollemniter populo praelegit (Neh. 8,2).

Iudaeis post Christum neomenia mensis Tishri est festum novi anni. Huius rei in S. Scriptura vestigium nullum adest; ex quonam tempore mos invaluerit annum civilem a neomenia mensis Tishri incipiendi, non constat, ut s. v. ANNUS dictum est. Postmodum Iudaei non unum, sed duos dies festos initii anni celebrabant, qui dati sint quasi unus idemque dies et faciant unam sanctam sollemnitatem (*Mishna*, Shabbath 19,5 cum interpretatione Maimonidis); atque eundem morem hodie quoque observant.

NEPHATH DOR v. DOR.

NEPHEG (נֶפֶג, Νάφεκ). **1.** Filius Isaar filii Caath et frater Core (Ex. 6, 21).

2. Unus ex filiis David, natus Hierosolymis (2 Reg. 5,15; 1 Par. 3,7; 14,6); scribitur Napheg in Vulgata 1 Par. 14,6 (cod. B Νάφαθ, A Νάφαγ).

NEPHI v. NEPHTHAR.

NEPHTHALI (נַפְתָּלִי, Νεφθαλί, Νεφθαλεί, Νεφθαλεί(μ).

1. Nephthali filius sextus Iacob patriarchae et alter ex Bala, ancilla Rachel, genitus (Gen. 30,8; 35,25). Origo nominis traditur verbis Rachel: Contorsionibus Dei contorquebar (נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים נִפְתַּלְתִּי) cum sorore mea et invalui (30, 8) i. e. contorsionibus vehementissimis partus, quos in Bala patiebatur Rachel vel commodius machinationibus, quibus Rachel Balam in locum suum sufficiens fecunditatem demum assecuta est, unde Flav. Iosephus (Ant. I. 19,7) interpretatur Nephthali ἀμηχάνητος i. e. nullis dolis expugnandus; cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 30,8. Dan et Nephthali utpote filii ancillae Rachel cum Ioseph et Beniamin filiis Rachel maiore quadam ratione coniuncti erant. Tempore quo Iacob cum filiis suis in Aegyptum descendit, quattuor filii Nephthali recensentur Iasiel, Guni, Ieser, Sallem

seu Sellum (Gen 46,24; cf. Ex. 1,4; Num. 26,48-50; 1 Par. 7,13). Genealogia Nephthali breviter absolvitur 1 Par. 2,2; 8,13.

2. Nephthali tribus Israel. Sors Nephthali circumscribitur Ios. 19,32-39 enumeratis simul urbibus munitissimis; ex qua descriptione communiter colligitur eius terminos fuisse ab oriente Iordanem cum lacubus Semachonitide et Genesareth, a meridie tribum Issachar, ab occidente Zabulon et Aser, a septemtrione Libanum et Antilibanum. Septemtrionalem partem huius territorii a Libano et Antilibano usque ad lacum Tiberiadis implet mons Nephthali (Ios. 20,7), cui meridiem versus adnectuntur iuga collium et planities montanae, quibus gradatim descensus fit ad campum Esdrelon tribus Issachar. Verum aliter illam descriptionem finium Nephthali interpretatur *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. 435 ss.) : habetur 19,34 circumscriptio termini vix non completa, quem obtinebant Nephthalitae ad aquilonem tribus Zabulon et lacus Tiberiadis inter Iordanem et tribum Aser; ergo descriptio 19,33, quae diversa est ab illa, refertur ad alium quemdam pagum Nephthalitis postea concessum scil. pagum commutatorium inter montem Thabor, lacum Tiberiadis et Iordanem, qui pagus Nephthalitis oblatus est in compensationem pro finibus septemtrionalibus, quos iuxta montem Hermon Danitae sibi arripuerunt. Elenchum urbium munitissimarum Nephthali *F. de Hummelauer* l. c. interpretatur elenchum arcium Tyriorum per Galilaeam et transiordanicam atque huic elencho censet a collectore sacrorum textuum per errorem adscriptam esse summam (19) elenchi cuiusdam deperditi urbium Nephthali. Textui valde obscuro et manco haec nova interpretatio lucem affundere conatur. — In delineatione conspectus, quem Moyses de vertice Phasga supra terram promissam habebat, Nephthali nominatur pro terra cisiordanica aquilonari, sicut Ephraim et Manasse pro media, Iuda pro australi (Deut. 34,2).

Quae de fertilitate Galilaeae (s. v.) in genere diximus, de Nephthali in specie praedicta erant in benedictione Moysis : Nephthali cervus emissus et dans eloquia pulchritudinis (Gen. 49,21), quae *F. de Hummelauer* ex LXX interpretatur : Nephthali tenella planta in celsam et luxuriantem arborem excrescet. In vaticinio Iacobaeo Deut. 33,23 enuntiatur : Nephthali abundantia perfruetur et plenus erit benedictionibus Domini; mare et meridiem possidebit i. e. « fines duarum dimensionum, non tractum aliquem longum et angustum, incursibus undique patentem, sed longum simul et latum » (*F. de Hummelauer* ad h. l.); in hac interpretatione supponitur mare (scil. Mediterraneum) scribi generatim pro occidente.

Neque deerat Nephthalitis spiritus bellicus, ut ex conspectu historiae patebit.

Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Ahira filius Enan (Num. 1,15). Apud montem Sinai de Nephthali numerabantur 53400 viri bello apti (1,42. 43), qui numerus fere medium tenebat inter quinque tribus numerosiores et sex alias inferiores; postea in campestribus Moab solum 45400 Nephthalitae bellatores numerabantur (26, 48-50) et quattuor tantum tribus Ruben, Simeon, Gad, Ephraim inferiores erant. In castris Nephthalitae cum Dan et Aser ab aquilone tabernaculi constituti erant (2,29. 30); eaedem tribus in itinere per desertum novissimae gradiebantur (10, 27). Oblationes Ahira principis Nephthali in dedicationem altaris 7,78-83 recensentur. Inter duodecim exploratores terrae Chanaan erat de Nephthali Nahabi filius Vapsi (13,15[14]), inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos Phedael filius Ammiud (34,28). Post ingressum in terram promissam Nephthali cum Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan maledictionem in monte Hebal pronuntiavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,13). Distributione terrae peracta Iosue tres urbes refugii cis Iordanem designavit : Cedes in monte Nephthali, Sichem in monte Ephraim, Hebron in monte Iuda (Ios. 20,7). Filiis Gerson tres urbes leviticae de Nephthali concessae sunt Cedes, Hammoth Dor et Carthan seu Cariathaim (Ios. 21,6. 32; 1 Par. 6,62. 76 hebr. 6,47. 61). Chananaeos praesertim in urbibus munitis Bethsames et

Bethanath Nephthalitae exstirpare non valebant, sed postmodum tributarios fecerunt (Iud. 1,33). Celeberrimus ex Nephthalitis est Barac de Cedes montis Nephthali oriundus, qui adhortante Debbora cum 10000 peditum de Zabulon et Nephthali montem Thabor occupavit et exercitum Sisara apud torrentem Cison confecit, unde hae duae tribus in cantico Debborae celebrantur, quod morti se devoverint super altitudines campi i. e. in monte Thabor, ubi aciem instruxerant (Iud. 4,6. 10; 5,18). Gedeonem quoque contra Madianitas Nephthalitae fortiter secuti sunt (Iud. 6,35; 7,23). De expeditione Danitarum contra Lais urbem iuxta fines septemtrionales Nephthali sitam v. DAN 3.

Post interitum Isboseth filii Saul, cum David in Hebron ab universis tribubus rex agnosceretur, de Nephthali aderant principes mille, qui 37000 bellatorum clypeis et hastis instructorum praeerant (1 Par. 12,34) et ab iis, qui domi remanserant, cibariorum copiae ad augendam festivitatem transmittebantur (12, 40). Tempore Davidis regis princeps tribus Nephthali erat Ierimoth filius Ozriel (1 Par. 27,19). Praefecturam salomonicam Nephthali administrabat Achimaas maritus Basemath filiae Salomonis (3 Reg. 4,15). Nephthalitas sicut etiam Danitas habitatores Lais-Dan matrimonia cum Phoenicibus vicinis iniisse inferri videtur ex 3 Reg. 7,14 (cf. 2 Par. 2,14; v. HIRAM 3 et s. v. GALILAEA in vol. II. col. 357). — Incursionibus hostium a septemtrione Palaestinae primi expositi erant Nephthalitae. Regnante Baasa in Israel Benadad I. rex Damasci ab Asa rege Iuda vocatus omnem terram Nephthali percussit (3 Reg. 15,20; 2 Par. 16,4). In diebus Phacee regis Israel Theglathphalasar Israelitas septemtrionales ex Nephthali potissimum in Assyriam transtulit (4 Reg. 15,29). Inter exsules a Salmanassar (vel Sargon) in Assyriam abductos erant Tobias eiusque familia (Tob. 1,1. 4; 7,3). Postmodum Iosias rex Iuda in cultus instauratione altaria idolorum usque Nephthali subvertit (2 Par. 34,6).

Verum eadem regio Nephthali, quam Deus afflictionibus bellicis vilem reddidit in foederis violati castigationem, luce messianica illustris erit (Is. 9,1 [8, 23]; Matth. 4,13. 15). In symbolica descriptione terrae sanctae apud Ezechielem Nephthali locum suum a septemtrione templi et urbis occupat et uni ex portis occidentalibus novae Ierusalem nomen suum indidit (Ez. 48,3. 4. 34). Praeterea Nephthali commemeratur Ps. 67[68],28 et Apoc. 7,6.

NEPHTHAR (Νέφθαρ) appellatur in Vulgata locus ille, ubi ante exsilium pii sacerdotes ignem sacrum ab altari holocautomatum sumptum clam absconderant in cavitate putei habentis conditionem siccam vel locum siccum. « Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur purificatio (καθαρισμός). Vocatur autem apud plures Nephi (Νεφθαεί) » (2 Mach. 1,36). Attamen secundum textum graecum nomen Nephthar non refertur ad locum, sed ad aquam crassam seu liquorem quendam spissum et limosum, quem loco ignis repererunt posteri illorum sacerdotum a Nehemia iussi ignem absconditum requirere. Mandavit Nehemias (sacerdos, sed secundum textum graecum potius) sacerdotibus, ut carnes sacrificales et ligna isto liquore superfunderent. Mox sole nebulam dispergente cum omnium admiratione accensus est ignis, quo carnes sacrificales absumebantur. Sacrificio peracto iussit Nehemias residuam aquam superfundi lapidibus maioribus, ex quibus flamma accensa, sed igni ex altari effulgente absorpta est. Rex Persarum nuntio accepto locum obsaepiri iussit (Vulg. templum fecit) eumque sacrum declaravit.

Vocem Nephthar interpretari conati sunt *Benfey* et *Stern* (Ueber die Monatsnamen einiger alten Voelker 1836 p. 204 ss.) ex voce zendica *naptar, P. de Lagarde* (Gesammelte Abhandl. p. 177 cf. 224) ex voce bactrica *vidāv[a]tra* = purificatio. Sed advertit *Knabenbauer* ad 2 Mach. 1,36 : « Cum explicite dicatur προσηγόρευσαν οἱ περὶ τὸν Νεεμίαν τοῦτο Νέφθαρ, ipsum hoc nomen videtur debere explicari ex hebraeo vel aramaeo. Nam socii et comites Nehemiae

vix selegerint vocem zendicam vel bactricam, quare explicationes propositas a *Benfey*, *Stern*, *Lagarde* omittere possumus. Verum in hebraeo, aramaeo non reperitur vocabulum eius notionis; neque cernitur, quomodo populari quadam etymologia ex Nephthar extundi possit καθαρισμός. Quare dicere possumus cum *H. Herkenne* (Die Briefe zu Beginn des zweiten Makkabaeerbuches, 1904) coniecturam a *Grotio* factam simplici modo solvere quaestionem, legendum esse Νέχφαρ a כפר expiare, purgare ». — Alii vero praesertim ex altero nomine Nephi (Νεφθαεί) coniiciunt, Persas comites Nehemiae (Neh. 2,9) aquam crassam vocasse nomine medico Naphtha, quod est bitumen liquidum et etiam siccum; v. NAPHTHA. Exstat etiam traditio inde a 16. saeculo, quae puteum 2 Mach. 1,19 componit cum puteo Iob, *Bīr Eiyūb* in confluentibus vallium Cedron et Hinnom, « ubi celebris ille et nominatus puteus est, Nehemiae et ignis appellatus » (*F. Quaresmius*, Terrae S. Elucidatio l. 4, peregr. 7, c. 15; *ed. C. de Tarvisio* 1881 II. p. 206 ss.); cf. *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 I. p. 416. Sed qui huic traditioni adhaerent, non poterunt Nephthar de bitumine Naphtha explicare, quippe quod ibidem et generatim circa Ierusalem omnino desit.

NEPHTHUIM (נַפְתֻּחִים, Νεφθαλείμ) gens Chamitarum, quae inter septem populos a Mesraim descendentes quarto loco recensetur (Gen. 10,13; 1 Par. 1, 11). *Knobel* (Voelkertafel p. 287) et *Ebers* (Aegypten und die Bücher Moses's, 1868 p. 112 ss.) interpretantur *na-phthah* i. e. οἱ τοῦ Φθᾶ seu pertinentes ad Phthah deum Mempheos, unde Nephthuim incolae Aegypti mediae esse coniiciuntur. Quidquid est de hac coniectura, nomen gentis vel regionis nondum repertum est. Recte monet *F. de Hummelauer* fatendum esse cum Flavio Iosepho nos praeter nomen novisse nihil. *Dillmann* coniiciendo cogitat de Napata (Ptol. IV. 7,19 [*ed. Müller-Fischer* 7,6]) prope montem *Barkal* sita, quae antiquitus fuerat urbs princeps Meroe; etsi enim haec in regione Chus erat, tamen a consideratione non videtur excludenda, quoniam post Nephthuim statim adnectuntur Phetrusim seu incolae Aegypti superioris inter Mesraim (seu Aegyptum inferiorem)et Chus (seu Aethiopiam); sed huius quoque coniecturae fundamentum satis debile esse apparet. *M. Maspero*, Hist. ancienne des peuples de l'Orient *ed.* 4, 1886, p. 14 collocat Nephthuim (*No Phthah*) in Delta ad aquilonem Mempheos. Alii aliter.

NEPHTOA (נֶפְתּוֹחַ, Ναφθώ) nomen est fontis aquarum in confinibus Iuda et Beniamin a Ierusalem occidentem versus (Ios. 15,9; 18,15). Situm antiquum indicat hodiernus vicus *Liftā* inter septemtrionem et occidentem 4 km a Ierusalem in colle positus ad orientem *Wādi Hanīnā;* cernuntur ibidem ruinae aedificiorum antiquorum et fons magnus, cuius aquae in piscina muris consepta colliguntur, *ʿAin Liftā*. Ita censent plerique (*Barclay*, *Sepp*, *Riess*, *Guérin*, *Legendre* etc.). Merito relinquuntur opinio Talmudicorum (cf. *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud 1818, p. 146), quam *Conder* defendit Nephtoa esse Etam tribus Iuda seu *ʿAin ʿAtān* (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 43; Quart. Statements, 1879, p. 95-99) et aliae quaedam, quarum mentionem facit *Guérin*, qui addit in *Liftā* fortasse agnoscendam esse toparchiam Iudaeae Bethleptenpha, quam s. v. IUDAEA inter toparchias Emmaus et Idumaeae fuisse diximus.

Cf. *Guérin*, Judée I. p. 252 ss.; *Barclay*, The city of the great King p. 544; *Sepp*, Jerusalem u. das hl. Land. *ed.* 2, I. 74 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 351; *R. Riess*, Bibl. Geogr. 1872 p. 67; *Legendre*, Carte de la Palestine; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4, I.p. 159; *Guide hist. et prat.* La Palestine 1904 p. 275.

NEPHUSIM Esdr. 2,50 (*Kethib* נְפוּסִים, *Qeri* נְפִיסִים; Νεφουσίμ, B Ναφεισών, A Νεφουσείμ), sive

NEPHUSSIM Neh. 7,52 (*Kethib* נְפוּשְׂסִים, *Qeri* נְפִישְׂסִים; Νεφωσασί, A Νεφωσασείμ), familia Nathinaeorum, quae cum Zorobabel ex captivitate rediit. Fortasse Nephusim referendi sunt ad gentem ismaeliticam Naphis (vide s. v.).

NER (נֵר, Νήρ), Beniaminita, filius Abiel (1 Reg. 14,51), pater Abneri (1 Reg. 14,50. 51; 26,5. 14; 2 Reg. 2,8. 12; 3,6. 23. 25. 28. 37; 3 Reg. 2,5. 32; 1 Par. 26,28). Sed Ner etiam scribitur filius Iehiel (1 Par. 9,36) et pater Cis patris Saul (1 Par. 8,33; 9,39). Duas solutiones s. v. ABIEL indicavimus, quarum prior duplex par fratrum Cis et Ner fuisse conicit :



Altera solutio supponit Abiel alio nomine vocatum esse Ner :



Tertiam solutionem innuit *F. de Hummelauer* ad 1 Par. 8,33 : « Nisi mavis adstruere duos Ner, hanc facilem correctionem h. l. et 9,39 adhibebis : Et Ner genuit Abner et Cis genuit Saul ». Unde habebis :

NEREGEL SERESER (נֵרְגַל־שַׂראצֶר, babylonice *Nirgal-sarusur* i. e. Nirgal regem proteget) est nomen duorum principum in aula Nabuchodonosor regis (Ier. 39,3); priori titulus est Samgar, probabiliter custos thesauri vel gazae, praefectus aerarii; alteri titulus est Rebmag hebr. Rabmag i. e. praefectus magorum (ita plerique) vel vir multum sublimis (*Schrader*) vel summus sacerdos, princeps incantatorum (*Delitzsch*); LXX 46,3 nomen ac titulum prioris reddunt Μαργαναβὰρ καὶ Σαμαγώθ, nomen ac titulum alterius Ναγαργᾶς, Ναβερραβαμάθ praeter alias variantes scriptiones in codicibus. LXX igitur duo nomina diversa exhibent, dum textus massorethicus duos inter tres principes eodem nomine appellat. Verum nomina peregrina non esse fideliter transmissa ex 39,13 patet, ubi non tres, sed duo principes nominantur, ex quibus alter est Nergal Sharezer Rabmag, omisso priore Nergal Sharezer Samgar. — Idem nomen gerit rex Babylon Neriglissor (559-555), qui teste Beroso filiam Nabuchodonosor uxorem duxerat et postquam filium Nabuchodonosor Evilmerodach regno ac vita privavit, ipse per quattuor annos regnum obtinuit (*Flav. Ios.* Cont. Ap. 1,20; *ed. Niese* Νηριγλίσαρος). Sunt qui coniiciant eundem esse Neriglissor regem ac istum principem in aula Nabuchodonosor.

NEREUS (Νηρεύς), christianus Romae degens, quem S. Paulus Rom. 16,15 salutat.

NERGEL (נֵרְגַל, ἡ Ἐργέλ), idolum quod viri de Cutha secum in regionem Samariae transtulerunt (4 Reg. 17,30). In inscriptionibus cuneiformibus *Nirgal* est deus sepulcri, deus infernus, deus destructor, exterminator, deus belli vel etiam Mars planeta; appellatur giganteus, heros deorum, deus bellator, dominus potens, dominus proeliorum, rex proeliorum, altitonans. Eundem deum repraesentant leones alati capita humana ferentes, qui portas templorum et palatiorum exornant. Quod 4 Reg. 17,30 narratur viros Cuthaeos hoc idolum coluisse, egregie confirmant inscriptiones cuneiformes, quae cultum dei *Nirgal* referunt praecipue ad urbes *Duban* (*Dhuran*) et *Kutha*.

Cf. *Oppert*, Expédition en Mésopotamie II. 324; *Norris*, Assyr. Dict. p. 456. 688. 791. 935. 937; *Lenormant*, La Magie chez les Chaldéens p. 44. 45. 107; La divination etc. chez les Chaldéens p. 69 ss.; Les pre-

mières civilisations I. 186 ss.; *G. Smith*, Assurbanipal p. 216. 224. 230; *Menant*, Annales des rois d'Assyrie p. 44 s. 67. 97. 127. 190. 203. 246. 247. 290; *Sayce*, Lectures on the origin and growth of religion p. 194-199; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, III. p. 577. 578; *P. Scholz*, Götzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebräern 1877, p. 393 ss.; *M.-J. Lagrange*, Religions sémitiques, Paris 1903, p. 107-109.

NERI, NERIAS (נֵרִיָּה, נֵרִיָּהוּ; Νηρίας, Νηρείας), filius Maasiae, pater Baruch prophetae et Saraiae principis vel forte cubicularii Sedeciae regis (Ier. 32,12. 16; 36,4 ss.; 43,3. 6; 45,1; 51, 59; Bar. 1,1).

NERI (Νηρεί) in genealogia Christi Luc. 3,27 : Zorobabel qui fuit Salathiel qui fuit Neri. Discrepantia in eo est, quod Salathiel a Matthaeo 1,12 appellatur filius Iechoniae, a Luca autem filius Neri. Sed nihil obstat, quominus ad eandem leviratus legem recurramus, qua discrepantiam de Heli et Iacob, quorum uterque genuit Ioseph, explicavimus (s. v. HELI); poterat enim in decursu decem saeculorum, quae a Davide usque ad Christum defluxerunt, in eadem familia haec lex saepius locum obtinere. Cf. *Cornely*, Introd. III. *ed.* 2, p. 198 ss.; *Knabenbauer* ad Luc. 3,27.

NESIB (נְצִיב, Νασίβ), urbs in campestribus Iuda, in tertia provincia Sephelae (Ios. 15,43). Tempore Eusebii et S. Hieronymi erat vicus Nasib 9 mil. pass. (S. Hier. 7 mil. pass.) ab Eleutheropoli Hebron versus (Onom. *ed. Lag.* 283,8; 142,18); hodie *Beit Naṣîb* in ea fere distantia ab Eleutheropoli, quam S. Hieronymus indicat (*Guérin*, Judée III. 343-345), $6\frac{1}{2}$ leucas anglicas a *Beit Djibrîn* seu Eleutheropoli (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 314).

NESROCH (נִסְרֹךְ, Μεσεράχ, Νασαράχ), idolum Assyriorum, in cuius templo in Ninive Sennacherib occisus est (4 Reg. 19,37; Is. 37,38). Nomen apud LXX *Wellhausen* corrigendum putat Ἀσσαραχ. Flav. Iosephus (Ant. X. 1,5 *ed. Niese*) scribit Ἀράσκη. Ex inscriptionibus cuneiformibus idolum illud nondum innotescit neque certa nominis interpretatio stabiliri potest. *Schrader* cogitat de Assyriorum deo *Ashur* cum terminatione *aku* quomodocunque agglutinata; *J. Halévy* et *F. Delitzsch* suspicantur corruptionem nominis *Nusku*, qui etiam est deus Assyriorum. Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 13. 14. Recentius *T. G. Pinches* apud *Hastings*, Dict. of the Bible III. p. 555[a] duas nominis Nisroch (= Esorach) explicationes coniiciendo proponit : vel *Ashur* cum terminatione *aku* (cf. *Amaruduku* = *Marduk*) vel nomen *Ashur* dei gentilis compositum cum nomine accadico dei lunaris *Aku*.

NETAIM (נְטָעִים, Ἀταίμ), urbs, in qua habitabant figuli regii a Davide vel ab aliquo eius successore constituti (1 Par. 4,23 hebr. : habitantes in Netaim et in Gedera; Vulgata : habitantes in plantationibus et in saepibus). Situs Gederae (vide s. v.) quaeritur in prima (septemtrionali) provincia Sephelae. Situs Netaim ignotus est. Advertit ad h. l. *F. de Hummelauer* pro opere figulorum electa esse « sane loca argillam habentia neque valde dissita a Ierusalem : fragilia quippe cum sint opera figulorum, facilius longis itineribus detrimenta patiuntur..... Netaim non necessario quaerenda est prope Gederam; potuere esse duo loca minime contigua, argillam habentia ».

NETHUPHATI, NETOPHATHI v. NETUPHA.

NETUPHA (נְטוֹפָה, Νετωφά), in Vulg. etiam Netophathi, Nethuphati, erat urbs ad tribum Iuda pertinens (1 Par. 2,54) et patria duorum heroum ac principum davidicorum : Maharai seu Marai de stirpe Zarai et Heled seu Holdai de stirpe Gothoniel, rectius Othoniel (2 Reg. 23, 28. 29; 1 Par. 11,30; 27,13. 15). In Netopha eiusque finibus levitae habitabant (1 Par. 9,16), etsi in catalogis urbium leviticarum Ios. 21 et 1 Par. 6 Netopha non recensetur; ex Neh. 12,28 discimus levitas in villis ad Netopha pertinentibus commorantes fuisse cantores. Urbe Ierusalem a Chaldaeis destructa Saraia (Sareas; v. SARAIA 8) Netophathites

filius Thanehumeth et filii Ophi Netophathitae cum aliis ducibus populi dispersi ad Godoliam (vide s. v.) in Maspha confluxerunt (4 Reg. 25,23; Ier. 40,8). Post exsilium urbs Netopha denuo incolebatur (Esdr. 2,22; Neh. 7,26). — Eusebius et S. Hieronymus eam ignorant. Mishna commemorat oleam Netophathaeam (Pea 7,1. 2) et cinaras e convalle Betnetophae (Shebiith 9,5), sed nihil de situ innuit. Agnoscitur in *Beit Nettîf* quattuor circiter horis a Bethlehem occidentem versus (*Guérin*, Judée II. 374-377). Obiiciunt aliqui 1 Par. 2,54 et Neh. 7,26 Netopha cum Bethlehem iungi ac propterea magis in vicinia Bethlehem quaerendam esse, sed hanc obiectionem non magni valoris esse *Guérin* l. c. ostendit. In *Survey of West. Pal.* Mem. III. 52 proponitur vel *Beit Nettîf* vel *Khirbet Umm Tôba* inter Bethlehem et Ierusalem. *R. Conder*, Palestine, London 1889, p. 259 assignat *Umm Tôba* sine ulla dubii indicatione. Cum *Guérin* consentiunt *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud, Paris 1868, p. 128; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 194; *Stenning* apud *Hastings*, Dict. of the Bible III. 520.

NICANOR (Νικάνωρ). **1.** et **2.** Dux Syrorum, filius Patrocli. Tempore Antiochi IV. Epiphanis Lysias procurator regni constitutus Nicanorem et Gorgiam duces misit, qui cum Ptolemaeo praefecto Coeles Syriae et Phoenices Assidaeos ex Iudaea exstirparent (1 Mach. 3,32-41; 2 Mach. 8,8-11); prope Emmaus (hodie *'Amwâs*) seu Nicopolim Iudas Machabaeus cum illis conflixit; Nicanor dux maioris partis exercitus devictus est, castra Syrorum combusta, nocturnae insidiae Gorgiae delusae sunt (1 Mach. 3,42-4,25; 2 Mach. 8,12-29).

Idem forte est Nicanor, Cypriarches cognominatus, unus ex praefectis regionum, qui in Iudaeos saevire pergebant (2 Mach. 12,2), postquam Lysias, tutor Antiochi V. Eupatoris, pace cum Iuda Machabaeo composita in Syriam rediit (13,1; cf. 11,1-15). Haec pax composita est eo tempore, quo Lysias (vide s. v.) Antiochum IV. Epiphanem mortuum esse comperit et Antiochiam redire festinavit, ut loco Philippi ipse regnum pro Antiocho V. administraret i. e. anno 164 a. Chr. Hac temporis ratione considerata narratio S. Scripturae ex auctoribus profanis suppleri poterit. Ex Polybio (31,22) discimus apud Demetrium I., qui Romae obses erat et inde aufugiens thronum Antiochi V. occupavit, fuisse Nicanorem amicum et fugae socium; is vero secundum Flavium Iosephum (Ant. XII. 10,4) est idem ac dux belli a Demetrio I. contra Iudaeos missus. Post mortem igitur Antiochi IV. Epiphanis Nicanor rerum mutationibus non contentus Romam ad Demetrium videtur se contulisse. Ceterum nihil obstat, quominus Nicanor, qui 2 Mach. 12, 2 Cypriarches dicitur, a Nicanore filio Patrocli distinguatur.

Anno 161 a. Chr. Nicanor a Demetrio I. in Iudaeam missus est, ut Iudam Machabaeum opprimeret (1 Mach. 7,26; 2 Mach. 14,12. 13). Primum quidem Nicanor, postquam apud castellum Dessau Simonem fratrem Iudae reiecit, amicitias iunxit cum Iuda Machabeo; huius enim fortitudinem perspectam habebat et rem colloquio componere quam armis decidere maluit (2 Mach. 14,14-25). Sed pacem graviter ferens Alcimus pontifex ab Antiocho V. et Demetrio I. constitutus Antiochiam profectus est, ut de Nicanore apud regem conquereretur; mandato regio accepto, ut Iudam vinctum Antiochiam mitteret, Nicanor ad bellum renovandum sese accinxit (2 Mach. 14,26-29). Primum quidem dolo Iudam apprehendere studuit, sed frustra; dein a Iuda in pugna apud Capharsalama victus in templum hierosolymitanum ascendit et sacerdotes ludibrio habens templi eversionem minabatur, nisi Iudas vinctus traderetur; Raziam nobilem senem Iudaeum a militibus comprehendi iussit, sed ab eodem sene, qui nobiliter mori potius quam subditus fieri peccatoribus elegit, delusus est (1 Mach. 7,27-38; 2 Mach. 14,30-46). Tandem in pugna apud Bethoron Nicanor a Iuda insigni clade affectus ipse cecidit die 13. mensis Adar a. 161 a. Chr.; caput et manus dextera Nicanoris amputata sunt, ut Hierosolymis in memoriam divinae protectionis suspenderentur; lingua eius

blasphema praecisa et avibus particulatim data est. In memoriam perennem huius victoriae institutum est festum, quod dicitur, Nicanoris quotannis celebrandum pridie Mardochaei diei i. e. die 13. mensis Adar.

Erat Nicanor vir potens de primoribus, amicus Demetrii I. regis, non expers prudentiae, quam in amicitiis cum Iuda contrahendis et sincere fovendis ostendit, sed etiam dolis intentus, ira et odio abreptus, superbus, impius, nefarius.

3. Unus ex septem primis diaconis, quarto loco nominatus (Act. 6,5), Hellenista, origine Iudaeus (vide s. v. NICOLAUS). Eum ex numero 72 discipulorum fuisse ferunt Pseudo-Dorotheus (apud *Migne* 92,1061) et Pseudo-Hippolytus (*Migne* 10,953).

NICODEMUS (Νικόδημος, quod nomen uti apud Graecos, ita apud Talmudistas quoque reperitur; cf. *Lightfoot*, Horae hebr. et *Wetstein* in Io. 3,1), princeps Iudaeorum i. e. synedrista, membrum synedrii, qui nocte venit ad Iesum (Io. 3,1-21), ergo clam, occulte propter metum Pharisaeorum (cf. 12,42; 19,38). Agnoscit Iesum prophetam i. e. aliquem doctorem a Deo missum idque recte concludit ex signis a Iesu factis. Non eam igitur de Iesu sententiam concepit, quam Ioannes Baptista testimonio suo Iudaeis proposuit; nihilominus a Iesu non repellitur, sed benigne excipitur. Dicens : *Scimus* (3,2) innuit alios quoque inter Pharisaeos esse eiusdem sententiae, qui pariter metu Iudaeorum retinebantur. Iesus gradatim procedens ei adimit praeiudicatas opiniones Pharisaeorum, se iam natos esse filios regni, quoniam originem ducerent ab Abraham, et regnum Messiae esse regnum temporale; necessitatem simplicis fidei inculcat, se habere scientiam rerum caelestium exponit ac simul suam naturam divinam clare exprimit. Et Nicodemus in ipso colloquio aliquatenus proficit; nam prior eius responsio est fere negans : « Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci? » (3,4); deinde vero ignorans et quasi discere cupiens interrogat « Quomodo possunt haec fieri? » (3,9).

Alia occasione scil. ultimo die festo Scenopegiae in frequenti concilio sacerdotum et Pharisaeorum unus Nicodemus repertus est, qui Iesu patrocinaretur : « Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit, quid faciat? » (7,50. 51). Sunt, qui hoc loco Nicodemum timidum accusent, quippe qui non aperte se discipulum Iesu professus sit, sed immerito; nam valde prudenter in tanta animorum perturbatione loquitur, legem unice appellat. Nihilominus iniuriam a synedristis patitur : « Numquid et tu Galilaeus (ἐκ τῆς Γαλιλαίας) es? » (7,52) i. e. Numquid et tu oriundus es ex Galilaea ideoque ex amore patriae tueris Galilaeum? Attamen profuit Nicodemi consilium, ut dissoluta congregatione in suam quisque domum abiret (7,53).

Post mortem Christi denique omni metu seposito ferens mixturam myrrhae et aloes quasi libras centum amorem et reverentiam in Iesum palam demonstravit; ipse et Ioseph ab Arimathaea corpus Iesu de cruce deposuerunt et linteis cum aromatibus pro more Iudaeorum illud ligaverunt ac sepelierunt (19,39-42). Aromata corpori iungebantur et inter lintea recondebantur, immo totum sepulcri spatium replebant; quare magna aromatum copia requirebatur. Evangelista non narrat corpus Iesu unctum esse; cum sabbatum iam instaret, tempus ad unctionem deerat. Lotionem vero corporis cruentati factam esse omnino probabile est, quamquam eius mentio non fit. Contulit igitur etiam Nicodemus ad implendum vaticinium Is. 53,9 hebr. : dari sepulcrum Messiae *cum divite* post mortem eius.

Plura de Nicodemo refert apocryphum Evangelium Nicodemi.

NICOLAITAE (Νικολαΐται), asseclae sectae cuiusdam, quae iam tempore apostolico damnum Ecclesiae intulit. Laudatur angelus Ephesi ecclesiae : hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quae et ego odi (Apoc. 2,6). Vituperatur autem angelus Pergami ecclesiae : habeo adversus te pauca : quia habes

illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari, ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum (2,14. 15). Sicuti igitur suggerente Balaam Israelitae per mulieres Moabitarum et Ammonitarum ad fornicationem seducti sunt, per fornicationem ad epula esumque idolothytorum, per haec ad cultum superstitiosum, ita per doctrinam Nicolaitarum fideles Ephesi et Pergami ad fornicationem et esum idolothytorum pelliciebantur. Ad eandem sectam referuntur, quae tacito nomine Nicolaitarum angelo Thyatirae ecclesiae scribuntur : habeo adversus te pauca : quia permittis mulierem Iezabel, quae se dicit propheten, docere et seducere servos meos fornicari et manducare de idolothytis (2,20; cf. v. 24).

NICOLAUS (Νικόλαος), alienigena (προσήλυτος), Antiochenus, unus ex septem diaconis, qui a fidelibus hierosolymitanis electi et ab apostolis ad munus distribuendi subsidia deputati sunt (Act. 6,5). Eligebantur Hellenistae, quia priores ministri hebraei ansam murmurationis et querelarum dederant; reliqui origine Iudaei fuisse censendi sunt, cum unus Nicolaus dicatur alienigena, qui religioni iudaicae nomen dederit. Ipsa electione declaratus est vir boni testimonii, plenus Spiritu Sancto et sapientia (cf. 6,3). A Nicolao diacono originem ducere haeresin Nicolaitarum censent *S. Irenaeus* (adv. Haer. I. 21,3), *S. Epiphanius* (adv. Haer. 1,22); ita perhiberi refert *S. Augustinus* (de Haeres. 5); eundem esse haereticum declarat *Hippolytus* (Ref. Haer. 7,24). Alii vero eum ab hac accusatione defendunt et explicant, quomodo sine sua culpa occasionem illius haereseos praebuerit (*Clem. Alex.* Strom. 3,4; *Euseb.* H. E. 3,29).

NICOPOLIS (Νικόπολις), urbs, ad quam S. Paulus Titum advocat ibidem hiematurus (Tit. 3,12). Ex probabili opinione S. Paulus post priorem captivitatem Roma in Hispaniam profectus est et aestate vel autumno a. 64 ex Hispania in Orientem revertens fundamenta ecclesiarum in Creta insula posuit ibique Titum reliquit; visitatis deinde Asiae et Macedoniae ecclesiis, cum in Italiam reverti vellet, Titum Nicopolim Epiri ad se advocavit, ut reliquorum itinerum socium eum adhiberet pro Timotheo, quem Ephesi reliquerat (aestate a. 65); cf. *Cornely,* Introd. III. num. 185. — Sita erat ad ostium sinus Ambracii, e regione Actii, ab Augusto Caesare condita in memoriam victoriae, qua ad fauces sinus navali pugna Antonium et Cleopatram Aegypti reginam devicit (*Strabo* VII. 7,5. 6). Hodie eius locum occupat *Paleoprevyza.*

NIGER (Νίγερ) cognomen Simonis (Act. 13,1); v. SIMON 14.

NILUS, flumen Aegypti. In Vulgata semel tantum nomen *Nilus* legitur Is. 23,3 (שִׁחוֹר, LXX μεταβόλων). Eodem nomine hebr. designatur Nilus Ier. 2,18 (שִׁחוֹר, Β Γηών, cod. Marchalianus Σιών); Vulgata h. l. pro aquis Shikhor vertit aquam *turbidam* et S. Hieronymus ad h. l. notat « pro שִׁחוֹר nos *turbidam* interpretati sumus, quod verbum hebr. significat »; eodem modo etymon interpretatur *Gesenius* (Thesaurus p. 1393[a]) scil. a rad. שׁחר, sed etymon ex hebr. petendum esse non constat.

Nilum plerumque designat vox hebr. יְאוֹר, יְאֹר, semel Am. 8,8 corrupte אֹר, Vulgata fluvius, flumen, rivus, LXX ποταμός (Gen. 41,1 s.; Ex. 1,22; 2,3; 7, 15 ss.; Is. 19,7. 8; 23,3. 10; Ier. 46,7. 8 et addito genetivo Am. 8,8; 9,5 : fluvius Aegypti). In forma plurali eadem vox hebr. varias partes, in quas Nilus dividitur, et canales Nili designat (4 Reg. 19, 24; Ps. 77[78],44; Is. 7,18; 19,6; 37, 25; Ez. 29,3. 9; 30,12; Nah. 3,8[a]). Attamen haec vox non exclusive Nilum designat, etiam de Tigride dicitur (Dan. 12,5 ss.), sensu quoque appellativo legitur (v. g. Iob 28,10; Is. 33,21); censetur esse originis aegyptiacae (cf. Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XLVI. 1892, p. 108), assyr. *Yaru.*

Nilus etiam dicitur Gen. 15,18 נְהַר מִצְרַיִם, fluvius Aegypti et Is. 18,2; 19,5; Nah. 3,8[b] simpliciter mare, quoniam maris instar Aegyptum inundat. Flumina

denique Aethiopiae Is. 19,1 et Soph. 3,10 (נְהָרִי כוּשׁ, ποταμοὶ Αἰθιοπίας) merito explicantur Nilus albus (*Baḥr el-Abyaḍ*), Nilus caeruleus (*Baḥr el-Azraq*, Astapus), qui apud *Kharṭūm* confluunt, et *Atbara* (Astaboras), qui ab oriente in Nilum influit paulo supra Meroe; accedit Astasobas tributarius Astapi ab oriente.

Cf. *H. Brugsch*, Diction. géogr. de l'ancienne Égypte, p. 48 ss. 75. 84 ss. 142. 145. 483. 747. 811. 856. 1127. 1347 et p. 1401 ss. (Noms désignant le Nil et les eaux de l'inondation); *Élisée Reclus*, Nouvelle géographie X. (1885), p. 49-119; *Wilcoks*, Egyptian irrigation, London 1889; *Johnston*, The Nile question. London 1903; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. p. 102 ss. 314-318.

NINIVE (נִינְוֵה, Νινευή), superba Assyriorum metropolis ad orientalem ripam Tigridis sita. Condita est a Nemrod, qui de Sennaar egressus est, simul cum tribus aliis civitatibus vicinis Rechoboth-Ir, Chale, Resen, quae quattuor civitates simul sumptae constituunt Niniven latiore sensu acceptam, civitatem magnam (Gen 10,11. 12). In locum antiquae urbis regiae Assur (*Qal'at Sherkat*) suffecta est Ninive sedes regum assyriacorum (4 Reg. 19,36; Is. 37,37; Tob. 1,11; 7,3; 11,1; 14,2. 6. 14 et cf. 1,18. 24; Iudith 1,5). Prophetia vel potius narratio Ionae prophetae de sua ad Ninivitas missione eorumque conversione (Ion. 1,2; 3,2 ss.; 4,11) ex probabili coniectura refertur ad tempora *Asurdanil* regis Assyriorum (c. 770-752); Ninivitarum autem exemplum Christus ad condemnationem Iudaeorum valere dicit (Matth. 12,41; Luc 11,30. 32). In prophetia Nahum, quae *onus Ninive* inscribitur, acerbe reprehenditur Ninive eique ruina praedicitur (Nah. 1, 1; 2,8; 3,7); prophetavit autem Nahum, cum Asurbanipal filius Asarhaddon esset rex Assyriorum (v. NAHUM 2).

Ninive sensu latiore accepta seu territorium quattuor urbium illum angulum occupabat, quo confluunt Tigris eiusque tributarius orientalis Zabas superior. Ninive sensu artiore accepta, in inscriptionibus cuneiformibus *Ninua* seu *Nina*, agnoscitur in ruinis *Kuyundjik* et *Nebi Yūnus* (i. e. propheta Ionas scil. collis prophetae Ionae); inter *Kuyundjik* et *Nebi Yūnus* intermeat fluvius Khusur (*Khōser*), qui ab oriente in Tigridem influit fere e regione hodiernae urbis *Mosul* in ripa occidentali Tigridis sitae. Vestigium secundae urbis Rechoboth-Ir in monumentis repertum non est. Ab ostio Zabae superioris Niniven (*Ninua*) versus agnoscitur tertia urbs Chale in ruinis *Nimrūd*, deinde cum probabilitate quadam quarta urbs Resen in ruinis *Selāmiye*. Accedit denique quinta pars magnae civitatis Ninive scil. *Dur Sarrukin* i. e. arx seu urbs Sargonis hodie *Khorsābād* septemtrionem versus a *Ninua*.

Trium urbium *Ninua* (Ninive), *Nimrūd* (Chale), *Dur Sarrukin* (arcis Sargonis), quarum ruinae satis notae sunt, unaquaeque erat urbs in se conclusa et moenibus cincta. Utrum omnes simul muro communi munitae fuerint necne, hucusque ex monumentis non apparet. Teste Strabone (XVI. 1,3) Ninus (Ninive) multo maior erat Babylone et Diodorus Sic. (2,3) totius urbis ambitum 480 stadiorum fuisse refert. Indicium quoddam magnitudinis habetur Ion. 3,3 : « Et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum »; quae verba de territorio quattuor urbium eiusque ambitu et quasi circuitione, non de longitudine diametri videntur accipienda esse. Ex numero parvulorum plus quam 120 000 (usque ad quartum fere aetatis annum?), qui tempore Ionae in civitate magna Ninive erant (Ion. 4,11), coniicitur incolarum numerus c. 600 000 (*Calmet, Keil, Trochon*, alii) vel etiam 2 000 000 (ut aliis placet).

Ex quonam tempore Ninive fuerit sedes regia Assyriorum, certo dici nequit. Brevi ante 1100 a. Chr. Theglathphalasar I. in urbe Assur sedem regni constanter, ut videtur, habuerat. Ex inscriptionibus cuneiformibus colligitur regem *Asurnasirhabal* (c. 885-860 a. Chr.) sedem regni habuisse prius in Ninive proprie dicta (*Ninua*), postea in Chale (*Nimrūd*); idem de eius filio Salmanassar II. (c. 860-825) constat. Ex successoribus complures Chale (*Nimrūd*) ha-

bitabant. Sargon rex (722-705) palatia sua exstruxit in *Khorsābād* (*Dur Sarrukin*). Iterum in *Ninua* sedem regni habebant Sennacherib filius Sargonis, Asarhaddon, Asurbanipal; diversis temporibus diversa palatia incolebant Sargon, Sennacherib, Asarhaddon.

Cf. *Botta et Flandin*, Monuments de Ninive (1846-1850), 5 vol.; *V. Place*, Ninive et l'Assyrie (1866-1869), 3 vol.; *F. Jones*, Topography of Niniveh, 1855; *Oppert*, Expédition en Mesopotamie I. (1853), p. 287-357; *A. Layard*, Nineveh and its remains, 1848; Discoveries in the ruins of Nineveh and Babylon, 1853; *G. Rawlinson*, The five great monarchies *ed.* 2, I. 277 ss. II. 134 ss.; *J. Fergusson*, Palaces of Nineveh and Persepolis, 1851; *Duncker*, Geschichte des Altertums *ed.* 5, II. 406 ss.; *Kaulen*, Assyrien und Babylonien *ed.* 5, p. 274 et 284 ss. (Litteratur); *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 79 ss.; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, I. p. 347. 361; III. p. 492 ss.; IV. p. 153 ss.

NISAN (נִיסָן, Νισάν), mensis primus anni sacri (Neh. 2,1; Esth. 3,7 et in Vulgata Esth. 3,12; 11,5), interdum etiam Abib (vide s. v.) dictus. V. MENSIS.

NITRUM (נֶתֶר, νίτρον) est natron recentiorum, νίτρον seu λίτρον Graecorum, alcali fossile, quod una cum borith alcali vegetabili (v. BORITH) nominatur Ier. 2,22 : « si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me ». Acetum nitro infundere dicitur Prov. 25,20 idem esse atque cantica canere afflicto; etenim aceto infuso nitrum effervescit. Natrium carbonicum (Soda) passim invenitur efflorescens super lapidibus et saxis et solutum in multis fontibus, ex quibus fiunt lacus nitrosi seu nitrariae v. g. in Aegypto inferiore occidentali, in Asia minore, Armenia, Persia etc. Cf. *Plin.* XXXI. 10(46), 106 ss.

NIX. In regionibus montanis Palaestinae et in ipsa urbe Ierusalem nives decidere solent mensibus Ianuario et Februario, rarius Decembri; verum plerumque diu non permanent. Nunquam autem discedunt in locis altissimis montis Libani et Hermon; cf. Ier. 18,14 : numquid deficiet de petra agri nix Libani? Unde ex illis regionibus ad calores temperandos et ad potiones nivatas requirebantur nives; cf. Prov. 25,13 : sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis. Banaias, unus ex viris fortissimis David regis, percussit leonem qui ob nives densas in cisternam ceciderat (2 Reg. 23,20; 1 Par. 11,22). Vehementi nivium casu Tryphon impediebatur, quominus Syrorum praesidio in arce Ierusalem opem ferret (1 Mach. 13,22). Pertinet ad laudes mulieris fortis, ut domestici bene protegantur a frigoribus nivis : non timebit domui suae a frigoribus nivis; omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus (hebr. coccineis, dibaphis?). Deus praecipit nivi, ut descendat (Iob 37,6); nam habet thesauros nivis (Iob 38,22), unde nives densissime et largissime cadunt (Ps. 147,16 : qui dat nivem, sicut lanam) et imperio suo acceleravit nivem, et descensus nivium est ac si turbae locustarum sese demitterent (Eccli. 43,14. 19). Nivi vel aquis nivis adscribitur magna quaedam efficacia ad sordes eluendas; cf. Iob 9,30 : si lotus fuero quasi aquis nivis et fulserint velut mundissimae manus meae, etc.

Comparatione nivis color maxime albus ac splendidus declaratur et summa quaedam puritas designatur : lavabis me (a culpa) et super nivem dealbabor (Ps. 50,9); si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur (Is. 1,18); candidiores Nazaraei eius nive (Lam. 4. 7); vestimentum eius candidum quasi nix (Dan. 7,9) atque in Iesu transfiguratione vestimenta eius facta sunt alba sicut nix (Matth. 17,2; Marc. 9,2); angeli quoque vestimentum erat sicut nix (Matth. 28,3; cf. Apoc. 1,14).

Lepra quoque alba comparatione nivis exhibetur Ex. 4,6 : protulit manum leprosam instar nivis, et Num. 12,10 : ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix, et 4 Reg. 5,27 Giezi « egressus est ab eo leprosus quasi nix ».

NO sive **NO AMON** (נֹא אָמוֹן Nah. 3,8; נֹא Ez. 30,14-16; Vulg. Alexandria; LXX Ez. 30,14. 16 Διόσπολις, 30,13. 15 Μέμφις, Nah. 3,8 μερίδα Ἀμών), urbs Thebarum in Aegypto superiore. Nahum propheta casum Ninive praenuntians

provocat ad sortem urbis munitissimae aegyptiacae No-Amon, quae sedet in fluminibus i. e. ad Nilum Nilique canales, cuius virtus seu munimentum mare est i. e. Nilus fluvius praegrandis et ex mari murus eius (Nah. 3,8 hebr.). Eadem in oraculo contra Aegyptum Ez. 30,14-16 commemoratur una cum Phatures et Taphnis. De idolo, quod Ier. 46,25 אָמוֹן מִנֹּא, Amon de No designatur, v. AMON 1. S. Hieronymus ad Ez. 30,14 advertit : Alexandria, quae hodie sic vocatur, pristinum nomen habet No, quod Aquila, Symmachus et Theodotio, sicut in hebr. positum est, transtulerunt. Pro quo nescio quid volentes Septuaginta dixere Diospolim, quae Aegypti parva civitas est. Nos autem pro No Alexandriam posuimus per anticipationem ». Sed ex Nah. 3,8 indubie efficitur No Amon non esse Alexandriam, sed potius Thebas in utraque Nili ripa sitas circa 500 km (vel iuxta Nili flexiones 600 km) meridiem versus a Memphis. Ceterum etiam Thebae in Aegypto superiore vocabantur Diospolis magna, a qua distinguendae sunt Diospolis in Nubia et Diospolis in Aegypto inferiore (cf. *Brugsch,* Dictionnaire géogr. de l'ancienne Égypte, 1879, p. 27).

Ex inscriptionibus cuneiformibus constat urbem *Ni'a* expugnatam esse ab Asurbanipal in expeditione contra regem Aethiopiae *Urdamani,* successorem Tharacae anno circiter 664 vel 663. In signis hieroglyphicis nomen urbis est *Naï Amun* vel poetice *Nut en Amun* i. e. caelum Amon (*Brugsch* l. c. p. 28. 29), sed etiam *Tobe* vel *Tebe* (*Chabas*).

Cf. *Knabenbauer* ad Nah. 3,8; *Vigouroux,* La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, IV. p. 80 ss.; *Nowack,* Assyr.-babylonische Keil-Schriften p. 15; *J. Oppert,* Mémoire sur les rapports de l'Égypte et de l'Assyrie, in Mémoires de l'Académie des Inscriptions, Sujets divers d'érudition VIII. 1, 1869, p. 569; *Chabas,* Recherches sur le nom égyptien de Thèbes 1863, p. 35. 37; *Dümichen,* Geschichte des Alten Aegyptens, 1879, p. 70-76; *G. Smith,* History of Asurbanipal p. 47 ss.; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. II. 151. 152.

NOA. 1. Noa (נֹעָה, Νουά), una ex quinque filiis Salphaad de tribu Manasse, quae a Moyse impetrarunt, ut herede masculo deficiente ipsae in hereditatem patris succederent (Num. 26, 33; 27,1; 36,11; Ios. 17,3).

2. Noa (הַנֵּעָה, Μαθαραοζά per fusionem cum vocabulo praecedenti et corruptionem ipsius nominis), urbs in tribu Zabulon (Ios. 19,13), nominata inter Remmon et Hanathon, sed quoad situm accuratiorem nondum determinata. De textu Ios. 19,13 v. AMTHAR.

NOADAIA (נוֹעַדְיָה, Νωαδία), levita, filius Bennoi, adiuvans duos sacerdotes in appendendis argento, auro, vasis templi ex Babylone allatis (Esdr. 8,33).

NOADIA (נוֹעַדְיָה, Νωαδία), pseudoprophetissa (Neh. 6,14 hebr.; Vulg. propheta, LXX ὁ προφήτης), quae sicut ceteri prophetae Nehemiam terrere conabatur.

NOB v. NOBE 3.

NOBE. 1. Nobe (נֹבַח, Ναβαύ), dux bellicus de tribu Manasse, qui in expugnatione Palaestinae orientalis Canath pagum Auranitidis sibi subiecit et ex nomine suo Nobe (LXX Ναβώθ) appellavit (Num. 32,42). Vide CANATH.

2. Nobe (נֹבַח, Ναβαί), urbs transiordanica, cuius mentio fit in actis Gedeonis contra Zebee et Salmana Madianitarum reges (Iud. 8,11); nominatur una cum Iegbaa (vide s. v.) neque multum a Iegbaa et Rabbath Ammon abesse poterat. Ex contextu igitur patet hanc Nobe distinguendam esse a Nobe-Canath (v. CANATH). Aliqui (*Ewald, Knobel, Keil*) Nobe nostram putant eandem esse ac Nophe Num. 21,30; sed dubium est, sitne Nophe nomen alicuius urbis (v. NOPHE). Situs igitur Nobe determinari nequit.

3. Nobe, Nob (נֹב et 1 Sam. 21,2; 22, 9 נֹבֶה fortasse pro נֹבָה cum He locali; Νομβᾶ, Νόβ), urbs sacerdotum tempore Saulis, in qua tabernaculum (non vero arca foederis) erat et Achimelech pontificis munere fungebatur (1 Reg. 21,1 [2]; 22,9. 11. 19 et v. ACHIMELECH), in tribu Beniamin sita et a filiis Beniamin post exsilium denuo habitata (Neh. 11,

32), urbi Ierusalem tam vicina, ut Assur ab aquilone appropinquans et in oppido Nobe stans Ierusalem prospiciat eique manibus brachiisque agitatis interitum intentet (Is. 10,32 et cf. *S. Hieron.* ad h. l.). Ex his Isaiae verbis elucet, Nobe (cuius etymon explicatur *locus editus*) non in valle apud *el-ʿĪsawīye* inter Ierusalem et Anathoth quaerendam esse, ut *Raumer* aliique putarunt, verum in monte vel colle, unde pateat in urbem aspectus, ergo forte in parte septemtrionali vallis superioris Cedron in montis iugo apud Arabes *ṣadr* (pectus) nuncupato, ubi cisternae et sepulcra ex rupibus excavata situm antiquum indicant (*Valentiner, Mühlau* apud *Riehm-Baethgen,* Handwb. d. bibl. Altert. s. v.). — In Peregrinatione S. Paulae « Nobe urbs quondam sacerdotum, nunc tumulus occisorum » collocatur prope Lyddam (*Tobler et Molinier,* Itinera hieros. I. p. 31); invenitur quoque in illa vicinitate vicus *Beit Nūbā* prope *ʿAmwās* (Nicopolim) et *Yālō* (Aialon); attamen ex supra dictis hic vicus urbem sacerdotalem Nob repraesentare nequit, ut etiam animadvertit *Guérin,* Judée III. 349.

Onom. (s. v. Νομβά, Nabe sive Nobba) confundit Nobe Iud. 8,11 et Nobe, Nob urbem sacerdotum Saulis furore subversam (*ed. Lag.* 284,20; 142,29).

NOCTUA. **1.** Inter animalia immunda recensetur noctua (תַּחְמָס, γλαύξ) Lev. 11,16; Deut. 14,15. Praeterea idola Bar. 6,21 comparantur trabibus, quibus noctuae insident, corpus et caput idoli sordibus foedantes. *Bochart* (Hieroz. II. l. 2, c. 15; ed. Francofurti II. p. 231-7) תחמס esse struthionem marem demonstrare conatus est. Hirundinem interpretantur Saadias et Arabs Erpenius. Secundum *H. B. Tristram* (Nat. Hist. of the Bible 1889, p. 192) תחמס est species quaedam Strigidarum, probabiliter Strix flammea (germ. *Schleiereule,* gall. *effraie,* angl. *barn owl*).

2. Ad noctuas etiam pertinet illa avis, quae hebr. כּוֹס vocatur, sed in versionibus Lev. 11,17 bubo (νυκτικόραξ), Deut. 14,16 herodius (ἐρωδιός), Ps. 101[102], 7 nycticorax (νυκτικόραξ). Voce כּוֹס designari noctuam communiter sentiunt interpretes. *H. B. Tristram* (Fauna and Flora of Palestine, 1884, p. 91-93) enumerat noctuas ex familia Asionidarum, quae in Syria inveniuntur : Ketupa ceylonensis, Asio otus, Asio brachyotus, Syrnium aluco, Scops giu, Bubo ascalaphus, Athene glaux. Hanc ultimam speciem voci כּוֹס correspondere arbitratur *Tristram;* in Europa notissima est *Athene noctua* Gray; in Africa aquilonari, Syria, Persia frequens est eadem species paulo minor et minus vivide colorata.

NOD (נוֹד, Samar. נד, Ναΐδ), terra ad orientalem plagam Eden sita (Gen. 4,16), in quam egressus est Cain a facie Domini i. e. ab ea terra, ubi Deus faciem suam ostendere seu praesentiam suam declarare solebat. Vulgata vertit : profugus (a rad. נוד), item Chald., Symmachus, Theodotio adiectivum exprimunt.

NODAB (נוֹדָב, Ναδαβαῖοι), tribus ismaelitica, quae cum Ietur et Naphis Agareos adiuvit, qui Rubenitas, Gaditas, Manassitas transiordanicos aggressi sedibus pulsi sunt (1 Par. 5,19). *Franz Delitzsch* (Genesis 1887, p. 352) Nodab idem nomen esse censet ac *Nudeibe* regionis Hauran. Alii Nodab coniiciunt esse Nabataeos, de quibus s. v. NABAIOTH diximus.

NOE (נֹחַ, Νῶε; Flav. Ios. Νώεος sive Νῶχος) in serie primorum patriarcharum, quos liber Genesis recenset, decimus fuit; genitus anno patris sui Lamech 182, post Adamum creatum 1056 (secundum textum hebr.), assecutus est aetatem 950 annorum. Nascente puero pater : « Iste, inquit, consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus », illique a consolando נִחַם vel requiescendo נוּחַ nomen imposuit. Quo effato ac nomine vix dicendus est spem expressisse hunc infantem fore promissum illum primis generis humani parentibus Servatorem; sed utique, nescio qua fretus spe, exspectabat per Noë aliquomodo miserum rerum statum in melius mutatum iri. Plus illud verbum fuisse

quam spem aut praesagium eventus monstravit : nam reapse Noë, licet non eo ipso forte modo quo parens speraverat, « spes orbis terrarum » (Sap. 14,6) atque « in tempore iracundiae reconciliatio » (Eccli. 44,17) factus est. Nam praeter eum eiusque arcam in diluvio hominibus nulla usquam in terra spes salutis fuit, et post diluvium omnibus suis in futurum posteris hoc promissum a Deo impetrare meruit, « ne [iterum] deleri possit diluvio omnis caro » (Eccli. 44.19 .

Frequens et magna est huius viri virtutum laus in libris divinis. Extollitur enim eius fides (Heb. 11,7), qua « responso accepto de iis quae adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam », qua fide « damnavit mundum et iustitiae quae per fidem est heres est institutus » ; laudatur quod fuerit « vir iustus ac perfectus in generatione sua, cum Deo ambulavit » (Gen. 6,9 ; Eccli. 44,17) ; unde cum iam decrevisset Deus homines ex terra delere, « Noë invenit gratiam coram Domino » et foedere inito Deus eum a communi pernicie solum cum propinquis exemit (Gen. 6,8. 18) ; fuit, dum arcam aedificat, hominibus sceleratis « iustitiae praeco » (2 Pet. 2,5) mandatisque Dei vel difficilibus oboedientissimus (Gen. 6,22 ; 7,5 ; 8,18) nec oblitus est post diluvium hostias offerre expiationis et gratiarum actionis Deo gratissimas (Gen. 8,20. 21). Quare apud Ez. 14,14-20 una cum Daniele et Job ob summam iustitiam commendari meretur, idque tanto magis quanto ceteroqui peius « omnis caro corruperat viam suam super terram » (Gen. 6,12).

Memoria maxime digna visa sunt scriptori sacro haec ex eius vita. « Cum esset 500 annorum, genuit Sem, Cham et Iaphet ». Numerum « 500 » forte non esse exacte sed summatim dictum, patet ex Gen. 11,10, quoniam biennio post diluvium (i. e. anno 602. vel 603. vitae Noë) Sem dicitur fuisse 100 annorum (nisi hunc numerum 100 eodem modo summatim computatum esse dicas) ; porro hos esse unum post alium natos nec esse fratres trigeminos elucet ex Gen. 10,21 et 9,24 : Sem igitur natu maior quam Iaphet, Cham est natu minimus. Anno vitae Noë 480., si quidem 120 illos annos (Gen. 6,3) de spatio paenitentiae generi humano concedendo et non de vita humana ad hanc mensuram reducenda interpreteris, iam prima patriarchae diluvii futuri revelatio facta esse dicenda est. Natis, ut videtur, iam filiis et matrimonio iunctis (6,18) nova praedictio sequitur iubeturque arcam construere (6,13-21). Eum, cum in cassum homines scelestos ad meliorem frugem reducere conatus esset, cum mulieribus, filiis horumque coniugibus, veritum ne se necarent, in aliam regionem concessisse Flavius Iosephus (Ant. I. 3,1) auctor est. Dein iussam a Deo construi arcam (cf. art. « ARCA NOE »), multis procul dubio accitis operariis aedificat paratque ingressum. Annos natus 600, mense illius anni 2., intrare in arcam iubetur ac 7 post dies, die eiusdem mensis 17., diluvium incipit (v. ARCA NOE et DILUVIUM). Insequentis anni die 27. mensis 2. prorsus arefacta terra, iussu Dei arca excedit et accepto foedere, benedictione, legibusque divinis terram rursus incolere coeperunt. — Multo tempore post — iam enim Chamo erat filius Chanaan natu minimus, nisi hunc (Gen. 10,6) eiusque posteros (10,15) propter maledictum supponas positos esse loco extremo — praeter agrorum etiam in vitis culturam incubuit ; vino autem gustato quodam die ebrius factus est, in quo eum omni culpa vacare potuisse evidens est. Ebrium nudatumque ubi Cham dormientem vidit, pietatis pudorisque prorsus immemor fratribus rettulit quid acciderit ; qui eo modo quo decuit tam pios modestosque filios parentem pallio obtexerunt. Quae cum Noë rescivisset, iusta ira incensus Chamo vel potius filio eius minimo Chanaano, ut, in quo ille peccavisset, in hoc etiam puniretur, maledixit infimamque servitutem imprecatus est : aliis vero filiis benedixit. Ac suum effectum sortitam esse imprecationem illam, Chananaei ab Assyriis, Chaldaeis, Persis, Israëlitis victi, ac deinceps Graecorum (Tyrus), Romanorum (Carthago), Vandalorum imperiis obnoxii testantur. Ad alios vero filios Chami maledictionem pertinuisse demonstrari non potest ; quare nullius

praeterea gentis, quae non a Chanaano originem traxerit, adversa sors, servitus, corruptela ab hoc maledicto repetenda est. Summa bona e contrario filiis maioribus Noë apprecatus est, ac Semo quidem, ut Iahwe esset Deus eius ac posteri illius specialiter populus Dei : quam benedictionem cum plurimi Semitae iterum per cultum multorum falsorum deorum perdidissent, Deus in Abrahamo apud unum saltem populum servare voluit. Iapheto vero pater vaticinatus est, ut « dilatet Deus Iaphet et [Iaphet] habitet in tabernaculis Sem ». Ac profecto dilatavit Deus Iaphet, cum multi magnique populi ab eo orerentur, et habitavit in tabernaculis Sem, cum primitus per multa saecula inter Semitas et Iaphetitas nulla gererentur bella, cum postea gentiles proselyti se synagogae adiungerent, ac maxime cum populi occidentales eius salutis se participes redderent, quam Deus Sem homo factus toti mundo attulit. Sensum non esse « *Deus* habitet in tabernaculis Sem » concluditur ex eo quod probabiliter tota haec secunda benedictio ad Iaphet refertur, quod nomen divinum hic non est Iahwe sed Elohim, quod de tabernaculis multis agitur, non de unico illo tabernaculo foederis, quod hoc hospitale commercium aptissima remuneratio est illius actionis qua tam pie ac fraterne patris honorem simul tuiti sunt; et cum in tabernaculis eius habitet cuius Deus Iahwe est, particeps quoque erit specialis Semi benedictionis. — Neque in historia diluvii neque in benedictione ac maledictione natorum neque postea aliorum filiorum aut filiarum mentio fit.

Prorsus merito Noë pro typo Christi haberi potest in spe quam eius nativitas dedit, in virtutibus quibus claruit, in salute iis praestanda quos Deus servare voluit, atque eo quod ad paenitentiam homines cohortatus est, quod sacrificium Deo tam acceptum obtulit, quod mediator fuit novae legislationis divinae, quod denique suis pro ipsorum pietate aut improbitate aliis benedictioni aliis maledictioni fuit.

F. ZORELL.

NOEMA (נַעֲמָה, Νοεμά), filia Lamech Cainitae ex Sella, soror Tubalcain (Gen. 4,22).

NOEMAN (in Vulgata Num. 26,40) v. NAAMAN.

NOEMI (נָעֳמִי, B Νωεμείν, rec. Lucian. Νοομί), uxor Elimelech Bethlehemitae (Ruth 1,2 ss.; 2,6. 20; 3,18; 4,3 ss.), quae alio nomine Mara (vide s. v.) appellari voluit. Reliqua vide s. v. ELIMELECH et RUTH.

NOGA, NOGE (נֹגַהּ, Νάγαι, Νάγε), unus ex filiis David, qui in Ierusalem nati sunt (1 Par. 3,7; 14,6). Sed eius nomen desideratur 2 Reg. 5,14-16.

NOHAA (נֹחָה, B Ἰωά, A Νωά, rec. Lucian. Νουαά), quartus filius Beniamin (1 Par. 8,2).

NOHESTA (נְחֶשְׁתָּא, B Νεσθά, A Ναισθά, rec. Lucian. Νεεσθάν), filia Elnathan de Ierusalem, uxor Ioakim et mater Ioachin regum Iuda (4 Reg. 24,8), una cum Ioachin in captivitatem babylonicam abducta (24,12. 15).

NOHESTAN (נְחֶשְׁתָּן, Νεεσθάν), nomen serpentis (נָחָשׁ) aenei (נְחֹשֶׁת), quem Moyses fecerat (cf. Num. 21,8. 9) et Ezechias confregit utpote obiectum cultus idololatrici (4 Reg. 18,4). Secundum textum hebr., LXX et Vulgatae Ezechias serpenti aeneo hoc nomen contemptibile imposuit; sed secundum recensionem LXX Lucianeam erat potius nomen populare : καὶ ἐκάλεσαν αὐτὸν Νεεσθάν.

NOMEN. Nomine singulos designamus et ab aliis distinguimus; nomine alicuius audito ipse, eius figura, mores, indoles, quatenus eum novimus, mentibus nostris sistuntur. Inde explicari videtur peculiaris usus nominis qui in s. litteris deprehenditur. Saepe enim nomen ponitur pro ipsa persona, pro eius dignitate, excellentia, auctoritate, in quantum illa persona innotescit. Ita praeprimis sermo fit de nomine Dei; de angelo quem Deus populo comitem dare vult per desertum, dicit : et est nomen meum in illo (Ex. 23,21) i. e. meam gerit personam, mea auctoritate agit, in

eo mea potentia manifestatur. Quam admirabile est nomen tuum in universa terra (Ps. 8,2): ipse, eius maiestas et gloria ubique relucet et praedicatur. Deus se vocat Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Iacob : hoc nomen mihi est in aeternum (Ex. 3,15), talem se vult manifestare, talis vult agnosci. Et si Christus nos orare iubet : sanctificetur nomen tuum, efflagitamus ea petitione ut Deus eo modo honoretur et glorificetur qui respondeat (quantum fieri possit) eius perfectioni, quae nobis manifestatione multiplici et revelatione innotescit. Et si dicitur : ecce nomen Iahwe venit de longinquo (Is. 30,27), significatur id Deum effecturum esse quod qua Iahwe, Deus foederis, promisit. Item dicit Deus de templo : sanctificavi domum hanc, ut ponerem nomen meum ibi i. e. ibi me, potentiam meam, protectionem manifestabo, me ut Deum vestrum et largitorem beneficiorum exhibebo. Item invocare nomen Domini, est Deum invocare quatenus nobis promissionibus et revelatione notus est nosque confidimus preces nostras ab eo iri susceptum. Item : non est aliud nomen, in quo nos oporteat salvos fieri (Act. 4, 12) : unicus salutis auctor nobis datus nobisque annuntiatus Iesus.

Huic usui cognatum est : nomen tuum invocatum est super nos i. e. tui sumus, tibi sumus consecrati, tua quasi proprietas sumus (Ier. 14,9); supra templum invocatum est nomen Domini (3 Reg. 8,43) i. e. templum Deo est consecratum, est domus Dei; similiter Is. 4, 1 : septem mulieres apprehendent unum virum : tantummodo invocetur nomen tuum super nos i. e. assume nos et declara nos tuas uxores, quae a te protegantur. Exinde etiam explicatur locutio : in nomine alicuius agere, eius scil. auctoritate, dignitate, mandato; orare in nomine Iesu : in intentione, ex mente Iesu, interposita eius auctoritate, interpositis eius meritis, promissis, in intima cum ipso coniunctione; qui recipit prophetam in nomine εἰς τὸ ὄνομα prophetae (Matth. 10,41) i. e. ratione habita muneris prophetici, quia propheta est; baptizari εἰς τὸ ὄνομα Πατρός etc. i. e. Deo consecrari, Deo devoveri, eius fieri, in eius tradi possessionem; similis locutio erat vulgaris in Asia minore; v. g. emere εἰς τὸ τοῦ θεοῦ ὄνομα, emere ita ut res fiat propria deo (cf. *Deissmann*, Bibelstudien, 1895, p. 145).

Nomina imponi solebant ex ipsis rerum conditionibus : haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est (Gen. 2,23); uxor Adami vocatur Heva, quod mater esset cunctorum viventium; nomen Cain inditur, quia mater dicit : possedi hominem per Deum; et Seth accipit nomen, quia posuit Deus semen aliud pro Abel; nomen Noe originem ducit ex spe patris : Iste consolabitur nos etc. Eius rei exempla praebent uxores Iacob, quae singulis filiis nomina imponunt ex aliqua animi affectione vel spe et exspectatione (cf. Gen. 29,32-30,24; ita non semper ex etymologia sed ex quadam vocum similitudine explicantur Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Dan, Nephthali, Gad etc.). Ex alia quadam conditione imponuntur nomina Isaac, Esau, Iacob, Israel etc. Ex Dei promissione de Abram patre multarum gentium mutatur nomen in Abraham. Plurima virorum nomina simul testimonium reddunt pietati parentum, quia saepe nomina illa Deo laudem, gratiarum actionem, obsecrationem dicunt v. g. Michaeas (quis ut Iahwe?), Nathanael (Deus dedit), Isaias (salus Iahwe), Ezechiel (Deus confortat). In quibus nominibus id mentione dignum est, nullum posse reperiri apud Hebraeos quod a deo quodam vel idolo petitum sit, ita ut ipsa nomina testentur unum Deum semper fuisse cultum. Nomina quandoque prophetica ad res futuras designandas imponuntur; ita Is. 7,3 v. g. Shearjashub : reliquiae revertentur, et 8,3. Quandoque nomina deprompta sunt ab animalibus; ita duo viri Madian vocantur Zeb (lupus), Oreb (corvus Iud. 7,25); cf. Aia (accipiter, Gen. 36,24; 2 Sam. 3,7 etc.). Nomina mulierum petuntur saepe ex floribus, plantis : Thamar (palma), Susanna (lilium), Edissa (myrta) etc.; etiam ex animalibus : Lia (antilope), Rachel (ovis), Iemima (columba), Tabitha (dorcas). In signum subiectionis victor saepius nomen victi mutavit; ita Nechao vertit nomen Eliakim in Ioakim; Nabuchodo-

nosor Mathaniae imposuit nomen Sedecias (4 Reg. 23,34; 24,17). Cur Christus Simoni nomen attribuerit Petri, ipse declarat (Matth. 16,18); cur filios Zebedaei vocarit filios tonitrui, ex eorum indole ferventiore videtur explicari (Luc. 9,34). Nomina esse addita ex peculiari quodam eventu, exemplo est Simon zelotes; alia nomina petita sunt ex regione et patria, ut Iesus Nazarenus, Maria Magdalene, Iudas Iscariotes (vir ex Carioth?); alia sunt patronymica, v. g. Bartholomaeus, Bartimaeus, Ioseph Barsabas; quandoque duo nomina in usu fuisse, exemplo sunt Thomas Didymus, Ioannes Marcus; nomina hebraea quandoque ad nomina graeca esse transmutata, uti Iesus in Iason, ex consuetudine cum Graecis explicatur; inde quoque habetur, quod in libris Mach. et in Novo Testamento nomina graeca (et latina) frequentiora reperiuntur. Cognomina quoque esse adiecta, exemplum habes in quinque filiis Mathathiae (1 Mach. 2,2-5).

Nomen, ὄνομα, pro persona ponitur; ita Act. 1,15 ὄχλος ὀνομάτων ὡς ἑκατὸν εἴκοσι, et Apoc. 3,4 : habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, 11.13 : occisa sunt nomina hominum septem millia, qui usus etiam in hebraeo cernitur (cf. Num. 1,2. 18. 20; 3,40. 43) et apud profanos scriptores quoque reperitur (cf. *Wetstein* ad Act. 1,15). Consuetum quoque est, ut nomen significatione praegnanti, ut loquuntur, adhibeatur, ut famam, gloriam, dignitatem, celebrem apud homines memoriam exprimat. Ita iam Gen. 6,4 dicuntur gigantes viri nominis (hebr.; viri famosi, Vulg.); 11,4 faciamus nobis nomen; cf. 2 Sam. 7,23; Ier. 32,20; Soph. 3,19; unde nomen delere, i. e. memoriam alicuius apud posteros auferre, eius progeniem delere, ut nemo sit qui eius stirpis nomen, memoriam propaget; cf. 1 Sam. 24,22; 4 Reg. 14,27; Ps. 9,6; Iob. 30,8 (hebr., Vulg. filii ignobilium) etc.; quare lege leviratus statuitur, ut suscitetur nomen fratris defuncti in Israel, ne scil. deleatur nomen eius ex Israel (Deut. 25,6.7).

De nominibus propriis Israelitarum vide *F. Hommel*, Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung (München, 1897); *Buchanan Gray*, Studies in hebrew proper names (London 1896); *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 208 ss.

I. KNABENBAUER.

NOPHE (נֹפַח, LXX προσεξέκαυσαν quod lectionem נֹפְחוּ supponit) enumeratur Num. 21,30 una cum Hesebon, Dibon, Medaba urbibus quondam moabiticis, a Sehon rege Amorrhaeorum expugnatis, quas Iosue postea Rubenitis tradidit. Urbs nominis Nophe aliunde non innotescit. Putarunt aliqui (*Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, II. p. 291; *Keil* ad h. l.) Nophe eandem esse ac Nobe Iud. 8,11. Sed obstat quod Nobe (v. NOBE 2) certe non multum a Philadelphia (Rabbath Ammon) et a Iegbaa (*Khirbet Djubeihat*) abesse poterat; iamvero contextus Num. 21,28-30 urbem Nophe ab Hesebon potius meridiem versus quaerendam esse innuit, dum Nobe Iud. 8,11 aquilonem versus in territorio Gad quaeri debet. — Ceterum ipse textus est dubius. Lectio massorethica וַנָּשִׂים עָד־נֹפַח אֲשֶׁר עַד־מֵידְבָא vertenda est : et devastavimus usque ad Nophe quae usque ad Medaba scil. extenditur (Peshitta pro עָד־מֵידְבָא habet עַל־מֵידְבָא quae iuxta desertum est). Sed recentiores interpretes (*Delitzsch, Dillmann*) legere malunt : וַנָּשִׂים עַד נֹפַח אֵשׁ עַד־מֵידְבָא i. e. et devastavimus, usquedum ignis sufflaretur usque ad Medaba. Paulo aliter *F. de Hummelauer* : mulieres (LXX) eorum (deperierunt, defecerunt) usque ad sufflandum ignem in urbibus Moab i. e. ancillae factae sunt, humillimis funguntur officiis domesticis.

NOPHETH (שְׁלִשֹׁת הַנָּפֶת; Vulgata : et tertia pars urbis Nopheth, LXX καὶ τὸ τρίτον τῆς Μαφετά). Enumeratis sex urbibus, quae Manassitis occidentalibus in Issachar et Aser concedebantur, Ios. 17, 11 adduntur שְׁלִשֹׁת הַנָּפֶת i. e. tres clivi seu colles, Targum Ionathan : tres circuli seu regiones, Syrus : tres anguli, Symmachus : αἱ τρεῖς παραλίαι. Urbs vel

regio distincta et sex enumeratis superaddita agnosci nequit, cum in textu hebraico desit Waw copulativum, quod Vulgata et LXX expresserunt. A plerisque censetur esse appositio, communis appellatio trium praecedentium urbium : *Tricollis*, *Trilophus*, similiter ac *Decapolis* est decem urbium confoederatio (*Gesenius*, Thesaurus p. 866; *Keil*); cur autem illae tres urbes Endor, Thanac, Mageddo prae ceteris ea appellatione designentur, non facile intellegitur. Alii (cum *Bertheau*) tribus urbibus Ieblaam, Endor, Thanac e textu utpote interpolato deletis appositionem referunt ad Bethsan, Dor, Mageddo. *Dillmann* ad h. l. omnibus sex deletis legit : eratque (hereditas) Manasse in Issachar et in Aser שְׁלֹשֶׁת הַנָּפֹת et putat in istis tribus Naphoth fuisse Naphoth Dor seu Naphath Dor (Ios. 11,2; 12,23; 3 Reg. 4,11), etsi de duobus aliis nihil statui possit. Onom. (*ed. Lag.* 283,13; 142,23) solum dicit : Napheth in tribu Manasse. Verum *F. de Hummelauer* ad Ios. 17,11 verba sine copula adscripta non appositionem explicat, sed summam pagorum, qui ab Aser et Issachar ad Manassaeos translati sunt scil. Bethsan, Dor, Mageddo : *tres pagi*.

NORAN urbs 1 Par. 7,28 v. NAARATHA.

NUBES. In exitu ex Aegypto et in migratione per desertum Deus suam praesentiam et populi protectionem per nubem exhibuit. De exitu enim legimus: Dominus praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis (Ex. 13, 21; Num. 14,14; Neh. 9,19; Sap. 10,17; 19,7). Hac nube interposita inter castra Israel et Aegyptiorum Israelitae protecti sunt (Ex. 14,19. 20). In nube apparuit gloria Domini murmurante populo (Ex. 16,10). In monte Sinai Dominus venit in caligine nubis et nubes densissima operuit montem et Dominus descendit in igne et totus mons fumabat (Ex. 19,9. 16). Et cum Moyses ascenderet in montem ad tabulas legis accipiendas, operuit nubes montem et habitavit gloria Domini super Sinai tegens illum nube sex diebus, septimo autem die vocavit eum de medio caliginis (Ex. 24,15-17). Pariter columna nubis stabat ad ostium tabernaculi et ex ea loquebatur Dominus cum Moyse (Ex. 33,9. 10) et cum Moyses secundo ascendisset ad montem cum duabus tabulis, iterum Dominus descendit per nubem (Ex. 34,5). Dedicatione sanctuarii vasorumque sacrorum facta operuit nubes tabernaculum testimonii et gloria Domini implevit illud (Ex. 40,32). Quae nubes comes erat et directrix itineris : si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israel, et in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur (Ex. 40,34-36; Num. 9,15-23; 10,34).

Atque generatim Deus praesentiam suam et peculiarem manifestationem descendens in nube exhibebat (Num. 10,11; 11,25; 12,5; 14,14; 16,43) et in universum promiserat : in nube apparebo super oraculum (Lev. 16,2). Ceterum vide Deut. 1,33; 5,22; 31,15. In dedicatione quoque templi Salomonis, nebula implevit domum Domini (3 Reg. 8,10; 2 Par. 5,13) et merito dixit Salomon : Dominus dixit ut habitaret in nebula (3 Reg. 8,12; 2 Par. 6,1). Inde satis consuetum est in psalmis et apud prophetas, ut nubes sint comites apparitionum seu manifestationum Dei; ita Ps. 17,12; 67,35; 96,2 nubes et caligo in circuitu eius; 103,3 qui ponis nubem ascensum tuum; similiter Eccli. 24,7 thronus meus in columna nubis; quare Isaias eodem symbolo divinam protectionem depingit : et creabit Dominus super omnem locum... nubem per diem (4,5); Deus iudex ascendet super nubem levem et ingredietur Aegyptum (19,1); item Nah. 1,3; et Ezechiel quoque vidit, quomodo nubes impleverit atrium interius et templum repletum sit nube (10, 3. 4). Apud Danielem ille quasi filius hominis, cui omnia regna dantur, venit in nubibus caeli (7,13). Id quod adeo notum erat, ut impii quoque sese consolarentur : nubes latibulum eius nec nostra considerat (Iob 22,14).

Huic divinae manifestationi plane congruit, quod in transfiguratione vox de nube auditur, vox Patris: hic est Filius meus etc. (Matth. 17,5), quod Filius hominis veniet in nubibus caeli (Matth.

24,30; 26,64; Marc. 13,26; 14,62; Luc. 22, 27), quod eum ascendentem in caelum nubes suscepit (Act. 1,9); eodem modo cernitur in Apoc. 1,7; 14,14-16.

NUMENIUS (Νουμήνιος), filius Antiochi, legatus bis a Iudaeis Romam missus. Tempore Ionathae Mach. Numenius et Antipater Romam missi sunt, quo in itinere Spartam quoque venerunt, ut pristinam amicitiam inter Iudaeos et Spartanos renovarent (1 Mach. 12,16; 14,22). Tempore vero Simon Mach. a. 139 a. Chr. Numenius legatus clypeum aureum magnum pondo mnarum mille Romam attulit et foedus, quod iam Iudas Mach. cum Romanis pepigerat, renovavit (1 Mach. 14,24; 15,15); Numenii nomen etiam apud Flav. Iosephum (Ant. XIV. 8,5) commemoratur. Plura de altera legatione diximus s. v. LUCIUS 1.

NUMERUS. Vocabula propria apud Hebraeos solum habentur pro numeris 1-10, 100, 1000, 10 000. Ex quibus simul elucet Hebraeos saltem ex parte (de mensuris v. col. 167) systemate decimali usos esse. Numeri maximi leguntur Dan. 7, 10 : millies millia, et decies millies dena millia (χίλιαι χιλιάδες καὶ μύριαι μυριάδες) et Apoc. 5,11 μυριάδες μυριάδων, et 9,16 δισμυριάδες μυριάδων, vicies millies dena millia. Iam ipsa narratione de opere creationis hebdomas humana numerusque septenarius inducitur et consecratur : complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat, requievit die septimo et benedixit diei septimo et sanctificavit illum (Gen. 2,2. 3; cf. Ex. 20,11; 31,17). Cum itaque tempus seu cyclus septem dierum constituat temporis quandam partitionem obviam et communem, quam alias etiam ad numerum septenarium planetarum (veteribus notum) referunt, facile consequitur hunc numerum dierum usu ac consuetudine valde familiarem evasisse eumque saepissime reperiri; Gen. 7,4. 10 post septem dies aquae diluvii inundarunt; 8, 10. 12 septem dies, iterum septem dies Noe exspectat; 29,18 septem annis servit Iacob, et septem aliis pro uxoribus (29, 30); per septem dies urbem Iericho circuibant (Ios. 6,3); septem diebus exspectare Saul iubetur (1 Reg. 10,8); septem dierum spatium ut concedatur, petunt seniores Iabes (1 Reg. 11,3); septem diebus ieiunant (1 Reg. 31,13) etc. etc. Eodem modo per septem dies celebrabantur nuptiae (Gen. 29,27; Iud. 14,12. 17); per septem dies planctus funebris instituebatur (Gen. 50,10; 1 Reg. 31,13).

Frequentissime occurrit iste numerus in re sacra : septem diebus comedetis azyma (Ex. 12,15 s.), per septem dies Aaron et filii eius sacerdotes consecrabantur (Ex. 29,30. 35), expiabatur altare (29,37); septem lucernae erant faciendae (Ex. 37,23); septies altare erat aspergendum (Lev. 8,11); per septem dies durabat immundities (Lev. 12,2) et leprosus saepius per septem dies erat separandus, observandus (Lev. 13,4-14,9); item de lepra domus (Lev. 14,39); item de aliis immunditiis (Lev. 15,13. 19. 24. 28). Festivitates per septem dies celebrabantur (Lev. 23,34. 39. 41. 42). A septem diebus progressus fit ad septem hebdomadas; ab altero die paschatis numerabitis septem hebdomadas plenas (Lev. 23,15; Deut. 16,9) ad festum scil. pentecostes; fit progressus ad septem annos; servus hebr. in anno septimo egredietur liber gratis (Ex. 21,2); anno septimo requiescere facies terram (Ex. 23,11). In festivitatibus saepius septem agni erant offerendi (Num. 28,11. 19. 27. 29; 29,2. 4. 10. 12. 32. 36; 1 Par. 15,26; 2 Par. 29,21; Iob 42,8). Mensis septimus sacer erat die expiationis et festo tabernaculorum (Lev. 16,29; 23,34. 39; Num. 29,12).

In foedere ineundo Abraham septem agnos statuit seorsum (Gen. 21,28); septem aras exstruxit Balaam (Num. 23, 1. 4. 14. 29) et totidem vitulos et arietes sibi parari iussit. In expugnatione Iericho septem sacerdotes cum septem buccinis clangentes septies urbem circumire iubentur (Ios. 6,4. 6). Sapientia excidit sibi columnas septem (Prov. 9,1) et septem angeli adstant ante Dominum (Tob. 12,15); qui numerus septenarius frequens est in Apocalypsi quoque (1,4. 11. 12. 16; 3,1; 4,5; 5,1. 6; 8,2; 10,3 etc. septem ecclesiae, spiritus, candelabra, stellae, lampades, sigilla, cornua, an-

geli, tonitrua, capita, diademata, plagae, phialae, montes, reges).

Adhibetur quoque numerus septenarius modo loquendi proverbiali vel ad aliquam multitudinem designandam : septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies (Gen. 4,24); addam plagas vestras in septuplum (Lev. 26,21); percutiam vos septies; corripiam vos septem plagis (Lev. 26,24. 28); per septem vias fugient a facie tua; per septem vias fugias (Deut. 28,7. 25); multo tibi melior est, quam si septem haberes filios (Ruth 4,15); apprehendent septem mulieres virum unum (Is. 4,1); percutiet fluvium in septem rivis (Is. 11, 15); infirmata est quae peperit septem (Ier. 15,9); argentum purgatum septuplum (Ps. 11,7); sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias; septem nequitiae sunt in corde inimici (Prov. 26,16. 25); dimittam usque septies? non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies (Matth. 18,21. 22) etc. etc.

Quandoque numerus septenarius duplicatur : mulier si pepererit masculum, immunda erit septem diebus; si feminam, duabus hebdomadis (Lev. 12,2. 6); in sollemnitate mensis septimi a die 15. per septem dies debebant praeter alia offerri agni immaculati quattuordecim (Num. 29,12. 13,15. 17. 20 etc.). In dedicatione templi fecit Salomon festivitatem per dies quattuordecim (3 Reg. 8, 65). In genealogia Iesu evangelista ter enumerat quattuordecim generationes (Matth. 1,17). Tempus vitae autem generatim annis septuaginta determinatur (Ps. 89,10); tempus exsilii et iudicii eodem numero (Is. 23,15 pro Tyro; Ier. 25,11 omnes gentes servient regi Babylonis 70 annis; 29,10; Dan. 9,2; Zach. 1,12); tempus vero salutis ab exitu sermonis, ut aedificetur Ierusalem, Daniel ab angelo accipit describi septuaginta hebdomadis annorum. Praeterea numerus 70 saepius reperitur : omnes animae domus Iacob quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta (Gen. 46, 27); in Elim erant 70 palmae (Ex. 15,27; Num. 33,9); septuaginta viri seligebantur de senibus Israel, quibus Dominus spiritum dedit propheticum (Num. 11, 16. 25); totidem iam commemorantur Ex. 24,1. 9; totidem Ezechiel (8,11) vidit idololatriam exercentes; totidem erant synedristae, et Iesus quoque misit discipulos 70 (72) ad praedicandum. In communi apostasia reliquit sibi Deus septem millia qui non curvarunt genua ante Baal (3 Reg. 19,18; Rom. 11,4); peste abripiuntur 70 millia (2 Reg. 24,15).

Numerus denarius iam celeber est per decem patriarchas a creatione usque ad diluvium : Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusalam, Lamech, Noe — et per decem patriarchas a diluvio usque ad Abram : Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, Thare, Abram. Commendatur quoque decem praeceptis decalogi. In mensuris tabernaculi, vasorum sacrorum, templi iste numerus frequentissimus est. In tabernaculo foederis sanctum sanctorum dena cubita erat longum, latum, altum; sanctuarium latum et altum dena, longum bis dena; atrium decies dena longum et quinquies dena latum; tabulae tabernaculi longae erant dena cubita; in latere meridiano erant bis dena, pariter in latere ad aquilonem, quibus bases erant quater denae; cortinae erant conficiendae decem, et quinquies denas ansulas cortina habebat in utraque parte (Ex. 26 et 36); atrium cingebatur columnis sexies denis (Ex. 27,9 ss.; 38,9 ss.). In templo Salomonis sanctum sanctorum habebat secundum tres dimensiones cubita bis dena, sanctuarium autem longum erat quater dena, altum ter dena, latum bis dena cubita; porticus lata bis dena, longa vero dena cubita. Cherubim conficiebantur alta dena cubita; quorum alae extensae decem cubita habebant; in sanctuario erant decem candelabra et decem mensae pro panibus propositionis; in atrio interiore erat altare holocaustorum altum decem cubita, longum et latum bis dena; mare aheneum diametrum decem cubitorum et ambitum triginta cubitorum habebat, capiebat duo millia bath (cf. 3 Reg. 6. 7; 2 Par. 3. 4).

Modo proverbiali ad numerum indefinitum designandum etiam dicitur decies; ita Iacob conqueritur : Laban circum-

venit me et mutavit mercedem meam decem vicibus (Gen. 31,7) et ipse Dominus : tentaverunt me iam per decem vices (Num. 14,22) et Iob : decies confunditis me et non erubescitis (19,3); cf. Deut. 23,2. 3.

Numerus duodenarius cernitur in duodecim patriarchis populi Israel, unde duodecim tribus nominatae et ortae sunt; quare Moyses duodecim titulos erexit (Ex. 24,4), in rationali pontificis erant duodecim lapides pretiosi inscripta habentes duodecim nomina tribuum (Ex. 28,21; 39,14); Ismaeli promittebatur : duodecim duces generabis (Gen. 17,20; 25,16); duodecim erant panes propositionis (Lev. 24,4) pro numero tribuum, uti pro eodem numero erant principes duodecim (Num. 1,44) et Moyses posuit duodecim virgas in tabernaculo, ut ostenderet Dominus, quam tribum elegisset ad sacrum ministerium (Num. 17,2); similiter misit duodecim viros ad explorandam terram (Deut. 1, 23; Num. 13,3). In oblationibus cernitur quoque iste numerus (Num. 7,3. 84-88; 29,17; Esdr. 8,35). In templo Salomonis mare aheneum portabatur duodecim bobus aheneis (3 Reg. 7,25); et duodecim leunculi stantes super sex gradus erant ad thronum Salomonis. Civitas quam vidit Ezechiel (48,31 ss.) habebat duodecim portas, uti Ierusalem in Apocalypsi habet duodecim portas et angelos duodecim et duodecim fundamenta et extensio eius per stadia duodecim millia (Apoc. 21, 12 s.). Christus pro novo populo Dei etiam duodecim patriarchas, apostolos, elegit. Numerus iste duplicatus habetur in 24 ordinibus sacerdotum (1 Par. 24, 7 ss.), in 24 familiis cantorum (1 Par. 25, 9 ss.), in 24 senioribus (Apoc. 4,4); urbes levitarum assignabantur quater duodena (Num. 35,7) et numerus signatorum ex unaquaque tribu est 12 000 (Apoc. 7,4-8).

Frequentiore usu est quoque numerus quadragenarius. Moyses 40 annos natus visitavit fratres suos (Act. 7,23) et post 40 annos apparuit illi angelus in igne flammae rubi (Act. 7,30; Ex. 7,7) et post 40 annos diem obiit (Deut. 34,7). Alias quoque in rebus narratis reperitur; cf. Gen. 7,4. 12. 17; 8,6; 25,20; 26, 34; 50,3; Num. 13,26; 14,33. 34 : filii vestri erunt vagi in deserto annis 40, iuxta numerum 40 dierum quibus considerastis terram; Deut. 9,9. 11. 18. 25; 10,10; Ios. 5,6; 14,7. Periodi pacis et subiectionis saepius eo annorum numero designantur Iud. 3,11; 5,32; 8,28; 13,1. Heli quoque iudicavit Israel 40 annis; David regnavit 40 annis (2 Sam. 5,4; 3 Reg. 2,11), item Salomon (3 Reg. 11,42) et Iehu (4 Reg. 12,1). Verum ex hisce perperam quis concluserit, numerum eum esse confictum quia saepius recurrat. Non utique defuerunt qui hoc assererent; at similia in numeris annorum etiam alibi inveniri in rerum certissime gestarum historia exemplis demonstravit *Cornely*, Introd. II. 1, *ed.* 2, p. 304.

Personam numero designari, exemplum habes Apoc. 13,18 : qui habet intellectum, computet numerum bestiae; numerus enim hominis est et numerus eius 666; de cuius numeri explicatione sententiae quidem plurimae feruntur, sed quae est vera? estne computus faciendus ex litteris hebraeis, an graecis? ex graecis, si fit, iam Irenaeus meminit : sed et Λατεῖνος nomen habet 666 numerum. Coniecit *Bickell* ex hebraeo סותר, destructor, ut scil. bestia eodem nomine quo σωτηρ, verum contraria significatione designetur (ס 60, ו 6, ת 400, ר 200). De Gematria kabbalistica, qua vocabulorum litterae ceu numerorum signa considerantur, vide *Cornely*, Introd. I. *ed.* 2, p. 623.

In poesi hebraea numeri ad sententias acutas efferendas adhiberi solent, v. g. Prov. 6,16 sex sunt quae odit Dominus et septimum detestatur anima eius : oculos sublimes etc.; 30,15 tria sunt insaturabilia, et quartum quod nunquam dicit : sufficit; 30,18 tria sunt difficilia mihi et quartum penitus ignoro; 30,21 per tria movetur terra et quartum non potest sustinere; 30,29 tria sunt quae bene gradiuntur et quartum quod incedit feliciter; similiter Eccli. 25,9 novem insuspicabilia cordis magnificavi et decimum dicam in lingua hominibus; 26,5 a tribus timuit cor meum et in quarto facies mea metuit; 26,25 in duobus contristatum est cor meum et in tertio iracundia mihi advenit : vir bellator deficiens

per inopiam et vir sensatus contemptus et qui transgreditur a iustitia ad peccatum (cf. Am. 1,3. 9. 11. 13; 2,1 etc.).

Carminum strophas et antistrophas certo versuum numero constare, ostenditur disquisitionibus et exemplis prolatis a *Zenner* (Chorgesänge), *Hontheim* (Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1899. 1900. 1901), *Schloegl* (Ecclesiasticus 39,15-49,16), *Grimme* (Revue biblique 1900. 1901) et : Mètres et strophes dans le fragment hébreu de l'Ecclésiastique; et alii in iisdem investigandis laborant. In libro Iesu filii Sirach saepe una quaedam materia absolvitur distichis 10,20, 30, etc. (cf. *Knabenbauer,* Comm. in Eccli. p. 18 ss.).

In nummis machabaicis numeri ipsis litteris alphabeti exprimuntur. Et Iudaei א — ט indicant 1-9; י — צ 10-90; ק 100, ר 200, ש 300, ת 400; alii fiunt compositione v. g. ת״ר 600; א mille, ב 2000, ט 9000. Verum valde dubium est sitne iste modus adhibitus tempore antiquo, uti v. g. ante exsilium. Cum Dan. 8,14 locutio sit adeo insolita, coniici poterit esse emendandum עד יבוים בקר usque ad dies 2300 (ex qua scriptione origo textus mass. facile explicatur; cf. *Knabenbauer,* Comm. in Dan. p. 295).

Numeri qui in nostris textibus leguntur, saepius non sunt genuini. In genealogiis Gen. 5 et 11 alii leguntur in textu hebr. (Vulg.), alii apud LXX, alii in textu samaritano (cf. tabellas apud *F. de Hummelauer,* in Gen. p. 201. 342). Numeros incuria amanuensium esse corruptos multis exemplis et variorum textuum comparatione evincitur; sufficiet monere discrimina illa inter libros Regum et Paralipomenon.

Cf. quae de numeris bellatorum dicta sunt s. v. BELLUM.

I. KNABENBAUER.

NUMMULARIUS. Duobus nominibus graecis respondet haec vox in Vulgata. Nominantur Matth. 21,12; Marc. 11,15; Ioan. 2,14. 15 κολλυβισταί, quorum mensas Iesus evertit et quorum nummulos (κέρματα) effudit. Isti enim in atrio templi id negotii exercebant, ut nummos cum lucro suo permutarent. Tenebantur enim Israelitae quotannis dimidium siclum solvere pro templo (cf. Matth. 17,23); peregrinis itaque, quia alio genere pecuniae utebantur, adeundi erant argentarii seu nummularii, ut pro peregrina pecunia acciperent pecuniam sacram i. e. siclum, dimidium siclum; illi autem permutationem faciebant cum auctario et lucro, qui collybus vocatur (*agio*). Alterum nomen legitur Matth. 25,27 : oportuit ergo te committere pecuniam nummulariis (τοῖς τραπεζίταις) et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. Intelleguntur itaque argentarii qui pecuniam mutuo acceptam cum faenore reddunt, postquam ipsi pecuniam maiore faenore elocarint.

NUMISMATA, NUMMI v. PECUNIA.

NUN (נוּן, Ναυή), pater Iosue ducis Israelitarum (Ex. 33,11; Num. 11,28 ss.; Deut. 1,38 ss.; Ios. 1,1 ss.; Iud. 2,8; 3 Reg. 16,34; 1 Par. 7,27; Neh. 8,17); scribitur in Vulgata Eccli. 46,1 Nave.

NUNDINAE. Hac voce utitur S. Hieronymus in descriptione commercii Tyriorum (Ez. 27,12. 17. 19), ubi enarratur, quales merces exterae nationes attulerint Tyriis. Ceterum vox hebr. עִזְבוֹנִים ab ipso etiam vertitur non solum forum, mercatus, sed etiam thesauri (Ez. 27,27) et negotiationes (v. 33); LXX vertunt ἀγοράν, sed v. 27. 33 μισθόν (plura vide apud *Knabenbauer,* Comm. in Ez. p. 273). Quod habetur in Vulgata Ez. 46,11 : et in nundinis, hebr. est in diebus festis חַגִּים, qua voce saepius tres maiores sollemnitates designantur (Ex. 23,15; 34,25; Lev. 23,34; Deut. 16,10).

NUPTIAE vide s. v. MATRIMONIUM.

NUTRIX. Apud Hebraeos ipsas matres infantibus mammam praebuisse consuetum erat; attamen quandoque nutrices quoque admittebantur. Ita memoratur nutrix Rebeccae nomine Debora, quae Rebeccae sponsae cum iam in eo esset ut ad Isaac proficisceretur in Chanaan comes est adiuncta (Gen. 24,59) et cuius mors et sepultura 35,8 narratur : sepulta est ad radices Bethel subter quercum vocatumque est

nomen illius Quercus fletus. Unde ex tali luctu apparet quam cara fuerit familiae patriarchali. — Ioas filius Ochoziae, infantulus, simul cum sua nutrice a Iosaba sorore Ochoziae de communi caede filiorum Ochoziae servatus est (4 Reg. 11,2). In Vulgata etiam 2 Sam. 4,4 narratur de nutrice filii Ionathae; verum ex hebraeo non de nutrice, sed de famula custode est sermo; item de custode Num. 11,12 (אֹמֵן, non מֵנֶקֶת); item Ruth 4,16 Noemi non erat proprie nutrix, sed custos amans pueruli. Comparatione : tamquam si nutrix (τροφός) foveat filios suos (1 Thess. 2,7), utitur apostolus, ut declaret quanta benignitate, cura, teneritudine apud Thessalonicenses versatus sit.

Alias in Vulgata אֹמֵן (custos) explicatur nutritius (4 Reg. 10,1. 5; Esth. 2, 7; Is. 49,23); sed Os. 11,3 : et ego quasi nutritius Ephraim, hebr. ad litteram : docui gressus facere.

NUX. 1. Vulgata Ex. 25,33. 34; 37, 19. 20 vertit מְשֻׁקָּדִים in nucis modum, instar nucis. Sed vertendum est : instar florum amygdali (v. AMYGDALUS 2) scil. efflorescebant calices quattuor super hastile candelabri aurei et calices trini super sex calamos laterales.

2. Nux (אֱגוֹז) semel tantum in S. Scriptura legitur Cant. 6,10[11] : Descendi in hortum nucum (εἰς κῆπον καρύας). Vocis אֱגוֹז originem persicam tuentur *Gesenius, Roediger,* et lexicographi. In lingua persica est *ghauz,* in dialecto Ghilan *aghuz,* armen. *engoz,* syr. *gūzō, gauza,* arab. *djaus.* Eadem voce designatur nux seu fructus arboris in Mishna (Pea 1,5; Shebiith 7,3; Maaseroth 1,2; Shabbath 6, 7; 9,5; 17,2). LXX autem non fructum (τὸ κάρυον), sed arborem (ἡ καρύα) expresserunt.

Nux *Iuglans regia* Linné ex Persia oriunda iam antiquitus per Asiam occidentalem et Europam spargebatur. Tempore Flavii Iosephi (Bell. iud. III. 10,8) nuces abundabant in planitie Genesareth. In Aegypto quoque nuces repertae sunt v. g. in necropoli *Hawara.* Hodie coluntur in Syria, praesertim in regione Libani.

Cf. *Gesenius,* Thesaurus p. 20 et Addenda p. 64 (*Roediger*); *P. de Lagarde,* Ges. Abhandl. 25; Arm. Stud. 825; *I. Loew,* Aram. Pflanzenn. 1881 p. 84 n. 63; O. Celsius, Hierob. I. 28-34; *M. Hiller,* Hierophyticon I. p. 222-224; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible, 1889 p. 413-4; *V. Loret,* La flore pharaonique 1892 p. 45; *A. de Candolle,* L'origine des plantes cultivées 1883 p. 342-3; *F. Hamilton,* Botanique de la Bible 1871 p. 76-78; *J. H. Balfour,* Plants of the Bible 1885 p. 100-102.

NYCTICORAX legitur in Vulgata Ps. 101[102], 7 pro hebr. כּוֹס (v. NOCTUA 2) et Deut. 14,17, quo loco vix possibile est vocem correspondentem hebraicam designare ob turbatum vocabulorum ordinem.

NYMPHAS (Νυμφᾶς), vir Laodicenus christianus, in cuius domum fideles conveniebant, quem Paulus Col. 4,15 salutari iubet. De eius vita prorsus nihil aliud innotuit. In ecclesia graeca prid. kal. Mart. Nymphas et Eubulus nomine « sanctorum apostolorum » commemorantur. Codices ℵACP et versio boheir. salutari faciunt « Nymphan et ecclesiam in domo *eorum* (αὐτῶν) », ubi pronomen totam familiam subinnuit. — Sine ratione sufficienti nonnulli dubitare videntur de sexu Nymphae. Etenim solus cod. B ibi legit αὐτῆς, et versio Philoxeni puncto diacritico suffixum femininum indicat, sed in margine masculinum ponit, et Ambrosiaster « devotam » mulierem commemorat. Versiones vero Peshitta et gothica masculinam, latina et armeniaca ambiguam formam exhibent. Porro nomen doricum Νύμφα, ας in urbe Laodicena est prorsus improbabile (nec forma nominis aramaici Μάρθα, ας fit probabilior). E contrario Νυμφᾶς, ᾶ est nomen masculinum formae hypocoristicae (pro Νυμφόδωρος vel sim.) omnino regulare et occurrit ex. gr. in Corp. inscr. att. 3,1105. Graeci Nympham ut « virum magnum » laudare haud ambigebant.

F. ZORELL.

O

OBADIA (עֹבַדְיָה, Ἀβδιού), filius Izrahia de tribu Issachar (1 Par. 7,3).

OBDIA, OBDIAS (עֹבַדְיָה, Ἀβδία).

1. Unus ex posteris Zorobabel (1 Par. 3,21 et cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in 1 Par. p. 23. 91. 92.

2. Unus ex filiis Asel de posteris Saul (1 Par. 8,38; 9,44).

3. Levita, filius Semeiae de stirpe Idithun (1 Par. 9,16); idem Neh. 11,17 vocatur Abda filius Samua; idem videtur nominari Neh. 12,25 Obedia, si advertis ex v. 25 tria nomina priora ad v. 24 trahenda esse.

4. Gadita qui David in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,9).

5. Unus ex nobilibus (principibus), quos Iosaphat rex misit, ut urbes Iuda circuirent populumque docerent (2 Par. 17,7).

6. Sacerdos vel familia sacerdotalis inter signatores foederis, quod Nehemias renovavit (Neh. 10,5).

Idem nomen hebr. gerunt 1 Par. 7,3 Obadia, Esdr. 8,9 Obedia, demum quattuor illi, quibus in Vulgata nomen est Abdias (vide s. vv.).

OBED (עֹבֵד, sed in multis mss. עבר; Ἰωβήλ), pater Gaad, ducis cuiusdam Sichimitarum in rebellione contra Abimelech (Iud. 9,26 ss.).

OBED (עוֹבֵד, Ὼβήδ). **1.** Filius Booz et Ruth Moabitidis, pater Isai patris David (Ruth 4,17. 21. 22; 1 Par. 2,12; Matth. 1,5; Luc. 3,32).

2. Unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda; enumeratur quintus inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan descendunt, quae Ieraa Aegyptio, servo Sesan, nupserat (1 Par. 2,37. 38).

3. Unus ex heroibus Davidis (1 Par. 11,46 [47]; Ὼβήθ).

4. Levita, filius Semeiae, ianitor templi (1 Par. 26,7).

5. Pater Azariae centurionis tempore Ioiadae pontificis (2 Par. 23,1).

OBEDEDOM (עֹבֵד אֱדֹם, Ἀβεδδαρά, Ἀβδεδόμ, Ἀβεδώμ), nomen complurium virorum, qui certo inter se distingui nequeunt. Notissimus est ille Obededom Gethaeus, in cuius domo arca foederis tribus mensibus permanebat (2 Reg. 6, 10. 11. 12; 1 Par. 13,13. 14; 15,25). Inter levitas ianitores tempore Davidis recensetur Obededom (1 Par. 15,18), progenitor familiae ianitorum, quae portam templi australem custodiebat (1 Par. 26,15) et ianitores 62 (1 Par. 26, 4. 8) vel 68 (1 Par. 16,38) numerabat; eos Coritis adnumerandos esse ex 1 Par. 26, 1 ss. colligitur; eadem videtur esse familia, cuius custodiae regnante Amasia thesauri templi commissi erant (2 Par. 25,24). Inter levitas quoque, qui in citharis canebant, nominatur Obededom (1 Par. 15,21; 16,5), qui idem censetur ac ille Corita (1 Par. 15,18), quia tribus hisce locis nomen Obededom cum Iehiel coniunctum cernitur. — Praeter hunc 1 Par. 16,38 nominatur alius ianitor Obededom filius Idithun ac proin de stirpe Merari; sunt tamen interpretes, qui putent eundem Obededom in v. 38 bis nominari neque sermonem esse de Idithun illo Merarita, sed de alio quodam Idithun ceteroquin ignoto ex genere Coritarum. Quodsi Obededom Merarita et Corita, ut plerique censent, distinguendi sunt, id quoque dubium erit, uter sit ille ianitor arcae, cuius 1 Par. 15,24 mentio fit.

Imprimis vero quaeritur, num Obededom Gethaeus idem sit atque ille ianitor ex familia Coritarum. Si idem est, cognomen Gethaei habere poterat vel a Geth urbe philisthaea, in qua ille levita per longius tempus peregrinus fuisse supponitur vel etiam ab urbe patria Gethremmon in Dan, quae reapse levitis de stirpe Caath, a qua etiam Coritae descendunt, concessa erat. Si non idem vir est, suspicantur nonnulli eum fuisse Philisthaeum ex urbe Geth oriundum, forte unum ex cohorte Cerethi et Plethi, qui erant custodes corporis regis. In eius domum, ut ait *F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 6,10, « delata esse videtur arca ideo, quod omnium proxima esset ei loco, ubi percussus est Oza, fortasse etiam ut, si quae praeterea ex arcae praesentia accideret calamitas, ea non Israelitam, sed alienigenam affligeret ». Ubinam illa domus Obededom fuerit, certo dici nequit; eam aut in ipsa urbe Ierusalem aut certe haud procul ab ea fuisse *F. de Hummelauer* l. c. inde iuremerito infert, quod translatio arcae de domo Obededom in civitatem David i. e. arcem Sion unico die, uti narratio suadet, facta sit.

In tot tantisque obscuritatibus iuvat innuere, quomodo *F. de Hummelauer* in Comm. in 1 Par. distinguat tres Obededom : **1.** Obededom Gethaeum, oriundum e Geth urbe philisthaea, quem omnino censet sacra hebraea esse professum (l. c. p. 149); **2.** Obededom cantorem (1 Par. 15,18. 21; 16,5), quem tertiae classi musicorum, citharistis, accenset emendans 15,18 *tertios* pro *ianitores*; **3.** Obededom ianitorem Iduthunitam 1 Par. 15,24; 16,38 (quo loco alter Obededom expungitur); 26,4. 8. 15 et eiusdem familiam 2 Par. 25,24.

OBEDIA (עֹבַדְיָה, Ἀβδία), filius Iahiel, e captivitate redux cum Esdra (Esdr. 8,9).

OBOLUS (גֵּרָה, ὀβολός), vicesima pars sicli (Ex. 30,13; Lev. 27,25; Num. 3,47; 18,16; Ez. 45,12). Vide s. v. MENSURAE (PONDERA) et PECUNIA.

OBOTH (אֹבֹת, Ὠβώθ), statio in itinere Israelitarum (Num. 21,10; 33,43. 44). Ex locis citatis quaerenda est inter stationes Phunon (*Fenān*) et Iieabarim; situs hucusque determinari non poterat. Componitur Oboth cum *ʿAin el-Weibe* ad occidentem vallis *el-ʿAraba* vel forte melius cum *Wādi el-Weibe* aquilonem versus ab *ʿAin el-Weibe* et *Fenān* (*M.-J. Lagrange* in Revue bibl. IX. 1900 p. 286).

OCHOZATH (אֲחֻזַּת, Ὀχοζάθ), amicus Abimelech regis Gerarae (Gen. 26, 26). Apud LXX non amicus regis appellatur, sed ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ.

OCHOZIAS (אֲחַזְיָה, אֲחַזְיָהוּ, Ὀχοζίας).

1. Filius Achab, rex Israel, qui duobus fere annis regnavit. Erat impius et idololatra; unde propter foedus cum ipso initum Iosaphat rex Iuda naufragio classis a Deo punitus est (3 Reg. 22,40. 50. 52 ss.; 2 Par. 20,35-37). Cum per cancellos coenaculi sui Ochozias cecidisset et Beelzebub deum Accaron consuleret, Elias propheta ei mortem annuntiavit; defuncto, cum filium non haberet, successit Ioram frater eius (4 Reg. 1, 1-18).

2. Filius Ioram et Athaliae, rex Iuda per annum, socius Ioram regis Israel in bello contra Hazael regem Syriae; cum Ioram interfectus esset a Iehu in Iezrael, Ochozias fugam arripiens percussus est in ascensu Gaver prope Ieblaam et mortuus in Mageddo; ei successit Athalia (4 Reg. 8,24 ss.; 9,16 ss.; 10,13; 11,1 s.; 12,18; 13,1; 14,13; 1 Par. 3,11; 2 Par. 22,1 ss.). Idem 2 Par. 21,17; 25,23 scribitur Ioachaz (יְהוֹאָחָז) et in nonnullis codicibus hebr. 2 Par. 22,6 mendose Azarias.

OCHRAN (עָכְרָן, Ἐχράν), pater Phegiel principis tribus Aser (Num. 1,13; 2, 27; 7,72. 77; 10,26).

OCINA (Ὀκινά) recensetur Iudith 2, 28 graece inter urbes, quibus Holofernes terrorem iniecit. Coniiciunt esse Accho.

ODAIA (הוֹדַוְיָה). **1.** Vir in genealogia Iuda, qui genuit patrem urbis Ceila et patrem urbis Esthamo (1 Par. 4,19; LXX nomen mulieris esse rati vertunt τῆς Ἰδουΐας); de textu satis obscuro vide s. v. GARMI.

2. Levita tempore Esdrae (Neh. 8,7;

9,3; LXX omitt.; Vulgata 8,7 : Odia), signator foederis (Neh. 10,10[11]; Ὀδουΐα).

3. Levita, signator foederis (Neh. 10, 13[14]; Ὼδούμ).

4. Signator foederis, unus ex principibus populi (Neh. 10,18[19]; Ὼδουΐα).

ODARES (Ὀδοαρρής, var. Ὀδομηρά), princeps tribus nomadum, quam Ionathas Mach. in vicinia Bethbessen percussit (1 Mach. 9,66).

ODED (עֹדֵד, Ὼδήδ). **1.** Pater Azariae prophetae regnante Asa vaticinantis (2 Par. 15,1). Idem vaticinium 2 Par. 15,8 adscribitur ipsi Oded in textu massorethico et codice Vaticano (Ἀδάδ), sed Azariae in Vulgata, codice Alexandrino et Peshitta. Interpretes varia suggesserunt; alii in v. 1 legere malunt : Oded filius Azariae (*Movers*); alii in v. 8 : *Oded prophetae* velut glossam subreptitiam delent (*Bertheau*); alii in v. 8 supplendo legunt cum Vulgata : prophetiam Azariae filii Oded (*Clericus, Ewald* etc.).

2. Propheta Domini in Samaria, quo auctore in bello syro-ephraimitico Iudaei captivi, quos Phacee rex Israel abduxerat, libertate donati et remissi sunt (2 Par. 28,9).

ODIA (Neh. 8,7) v. ODAIA 2.

ODOIA (הוֹדַוְיָה, Ὀδουΐα), unus ex principibus tribus Manasse transiordanicae seu orientalis (1 Par. 5,24).

ODOLLAM, Ios. 12,15 Odullam, 15, 35 Adullam (עֲדֻלָּם, Ὀδολλάμ), urbs antiquissima (Gen. 38,1. 12. 20), cuius regulum Chananaeum Iosue percussit (Ios. 12,15), in superiore parte Sephelae seu campestrium Iuda (Ios. 15,35), a Roboam filio Salomonis munita (2 Par. 11,7), post exsilium a filiis Iuda denuo inhabitata (Neh. 11,30), aetate machabaica urbs (πόλις), in qua Iudas et eius exercitus post cladem Gorgiae sabbatum egerunt (2 Mach. 12,38). Probabilius eadem est, a qua spelunca Odollam nomen habebat; in ea spelunca David profugus refugium quaesivit (1 Reg. 22,1); inde tres fortissimi heroes per media castra Philisthinorum perrexerunt et Davidi aquam de cisterna Bethlehem attulerunt (2 Reg. 23, 13; 1 Par. 11,15); ad eandem speluncam refertur illud Mich. 1,15 : usque ad Odollam veniet gloria Israel i. e. nobiles principes Israel fugere et se abscondere cogentur uti olim David. — Tempore Eusebii et S. Hieronymi erat vicus non parvus 10 mil. pass. ad orientem Eleutheropoleos (Onom. *ed. Lag.* 220,2; 92,29); alibi Eusebius et S. Hieronymus Odollam confundunt cum Eglon, sed eandem distantiam 10 mil. pass. (S. Hieron. 12 mil. pass.) ad orientem Eleutheropoleos indicant (l. c. 253,45; 118,21). Correspondere videtur *Khirbet ʿĪd el-Mā* prope Eleutheropolim inter aquilonem et orientem.

Exstat traditio inde a saeculo 12. speluncam Odollam esse cavernam ingentem *Mughāret Khareitūn* circa 8 km a Bethlehem inter meridiem et orientem in *Wādi Khareitūn*, de qua traditione cf. *Guérin*, Iudée III. 133 ss. Attamen spelunca Davidis non in monte Iuda, sed potius prope Odollam urbem videtur quaerenda esse; etenim David de Geth urbe Pentapoleos philisthaeae in illam speluncam se contulit et illuc eius propinqui, omnis domus patris eius, de Bethlehem ad eum descenderunt (1 Reg. 22,1); Flav. Iosephus speluncam prope urbem Ἀδολλάμη fuisse dicit (Ant. VI. 12,3). Ceterum tota regio circa Eleutheropolim cavernis abundat. Neque ex 2 Reg. 23,13 et 1 Par. 11,15 seria difficultas oritur contra situm speluncae prope *Khirbet ʿĪd el-Mā*.

Cf. *V. Guérin*, Judée III. p. 338-339 (ubi describuntur ruinae *ʿĪd el-Mā*, quin cum Odollam componantur); *Clermont-Ganneau*, L'emplacement de la ville d'Adoullam, in Revue archéol. 1875 p. 231 ss.; 1895 p. 262; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4, II. p. 83. 84; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 193; *C. F. Seybold* in Mitteil. d. D. Pal.-Ver. 1896 p. 25; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 311. 361 ss.

ODOVIA v. ODUIA 3.

ODUIA. 1. Oduia (*Kethib* הוֹדַוְיָהוּ, *Qeri* הוֹדַוְיָהִי; Ὀδολία), filius Elioneai de stirpe regum Iuda (1 Par. 3,24). Censetur idem qui Matth. 1,13 Abiud et Luc. 3,26 Iudas vocatur (*Hervey*, Genealogies p. 118 s.).

2. Oduia (הוֹדַוְיָה, Ὼδουΐα), Beniami-

nita, ex cuius posteris erat Salo incola Ierusalem (1 Par. 9,7).

3. Oduia (הוֹדַוְיָה, Ὀδουΐα), progenitor familiae leviticae, quae duce Zorobabel ex captivitate rediit (Nah. 7,44 hebr. 43). Idem Esdr. 2,40 vocatur Odovia (הוֹדַוְיָה, Ὠδουΐα); fortasse etiam Esdr. 3,9 Odovia pro Iuda legendum est.

ODULLAM v. ODOLLAM.

OFFENSIONIS MONS dicitur in Vulgata collis hebraice הַר־הַמַּשְׁחִית appellatus (4 Reg. 23,13). LXX interpretes vocem hebraicam retinent, quae in codicibus modo Μοσοάθ (B et multi minusc.), modo Μοσθάθ (text. rec.), modo aliter scribitur (cf. *Holmes-Parsons*). Ex recentioribus aliqui montem olivarum (proprie unctionis, a radice מִשְׁחָה) exponunt, alii probabilius et verius interpreti latino consentiunt (a rad. שׁחת) atque eam montis olivarum partem australem designatam intellegunt, quae peregrinis usque hodie est *mons scandali,* incolis Arabibus *Djebel baṭn el-hawā*. Mons offensionis et scandali erat ex eo, quod Salomon ibidem « in conspectu Ierusalem » (עַל־פְּנֵי, Vulg. in Ierusalem), ad dexteram partem i. e. ad austrum, excelsa Astaroth, idolo Sidoniorum, et Chamos, offensioni Moab, et Melchom, abominationi filiorum Ammon, aedificaverat; quae polluit atque abominabiles reddidit rex Iosias (4 Reg. 23,13). Cf. OLIVARUM MONS.

L. FONCK.

OG (עוֹג, Ὤγ), Amorrhaeus de stirpe Raphaim gigantum, rex Basan, ab Israelitis in pugna apud Edrai percussus. Eius regnum complectebatur totum territorium, quod postea tribus Manasse transiordanica obtinebat scil. totam Basan (vide s. v.) et superiorem partem Galaad inter fluvios Iaboc et *Yarmūk*. Eius urbes praecipuae erant Astaroth sedes regia et Edrai. — Cf. Num. 21,33; 32,33; Deut. 1,4; 3,1 ss.; 4,47; 29,7; 31,4; Ios. 2,10; 9,10; 12,4; 13,12. 30. 32; 3 Reg. 4,19; Neh. 9,22; Ps. 134[135],11; 135 [136],20. — Monstrabatur lectus ferreus Og in Rabbath Ammon novem cubitos habens longitudinis et quattuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus (Deut. 3,11); ratio cur Moyses ingentem illum lectum commemoret, non ex eius antiquitate, sed ex eius magnitudine repetenda est, quia nimirum Dei speciale auxilium eo maxime commendatur, quod gigantis istius, qui resistere ausus sit, nihil nisi lectus ingens superesse cernatur.

OHAM (הוֹהָם, Ἐλάμ), rex Hebron, qui cum aliis quattuor regibus Gabaon oppugnavit, sed a Iosue interfectus est (Ios. 10,3).

OHOL (אָהֳל, Ὀσά), unus ex filiis Zorobabel filii Phadaia (1 Par. 3,20).

OHOLAI (אָהְלַי, Δαδαΐ), filia Sesan Ierameelitae, qui eam uxorem dedit Ieraa servo suo aegyptiaco (1 Par. 2,31).

OHOLI (אָהְלִי, Ἀχαιά), pater Zabad herois davidici (1 Par. 11,41).

OLEA, OLIVA (זַיִת, ἐλαία), nomine scientifico *Olea europaea* Linné. Distinguitur *Olea sativa* seu culta ubique per Palaestinam et Syriam et *Olea oleaster* seu agrestis in Syria boreali. Olea sativa arbor est salici similis, truncum habens nodosum, saepe aliquatenus curvum cum cortice rimoso, glauco; attingit altitudinem 8-12 m; plurimos habet iam ab inferiore parte ramos, folia semper viridia, cuspidata, in parte superiore viridia, in inferiore albescentia. Fructus similes sunt nostris prunis, longi 3-4 cm, initio virides, dein subrufi et nigricantes. Arbor est quam maxime longaeva; est planta perennis, quia ex radice relicta denuo germinat. Pulchritudine quidem arbor haec non commendatur, at quam maxime laudatur utilitate ac fertilitate, ad quam vix indiget cura hominum; quare facile intellegitur, cur arbor tamen laude pulchritudinis non careat (Ier. 11,16; Eccli. 24,19 ἐλαία εὐπρεπής).

Cum Israelitae terram occupare inciperent, iam plurima invenerunt oliveta; nam Dominus dedit eis, uti domos quas non exstruxerunt, ita vineta et oliveta quae non plantarunt (Deut. 6,11; Ios. 24, 13) et terra eis datur, in qua oliveta

nascuntur (Deut. 8,8); frequens mentio fit olivetorum : 1 Reg. 8,14 oliveta optima tollet rex et dabit servis suis; 4 Reg. 5,14 accepisti argentum ut emas oliveta; 4 Reg. 18,32 promittit Rabsaces plebi inter alia terram olivarum, ut se regi Assyriorum dedant; 1 Par. 27,28 inter ministros thesaurorum regiorum recensetur qui super oliveta erat positus; reduces quoque ex exsilio possederunt oliveta (Neh. 5,11; 9,25).

Uti populo, fideli cultori Dei, promittebatur fertilitas olivarum (Deut. 32,13), ita inter poenas infidelitatis ac peccatorum enumeratur sterilitas ac corruptio olivarum : olivae defluent et peribunt (Deut. 28,40); oliveta vestra comedit eruca (Am. 4,9); mentietur opus olivae (Hab. 3,17); lignum olivae non floruit (Agg. 2,20).

Fructus arborum eodem nomine latino olivarum designantur. Commendatur in messe colligenda : si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas, sed relinques advenae, pupillo ac viduae (Deut. 24,20; hebr. si percuties olivam; baculo arboris fruges decutiebantur et similiter Is. 17,6 excussio oleae). Fruges collectae, olivae, pilo contusae vel mortario seu torculari expressae suppeditant oleum, quod si sponte ex olivis effluit pretiosissimum censetur (vide OLEUM).

Lignum olivarum magni aestimatur, est firmum ac diuturnum. Secundum Vulgatam in templo Salomonis duo cherubim confecta erant de lignis olivarum (3 Reg. 6,23); pariter in ingressu oraculi duo ostiola erant de lignis olivarum, sicuti duo ostia et postes in introitu templi (3 Reg. 6,31-33). Hisce in locis hebr. legitur lignum שֶׁמֶן pinguedinis; sed hanc arborem non esse olivam iam colligitur ex Neh. 8,15, ubi frondes olivae et frondes ligni pinguedinis ad conficienda tabernacula requiruntur (LXX φύλλα ἐλαίας καὶ φύλλα ξύλων κυπαρισσίνων, Vulg. frondes olivae et frondes ligni pulcherrimi). Istud lignum pinguedinis non est oleaster veri nominis, sed oleaster recentiorum, seu *Elaeagnus,* de quo dictum est s. v. LIGNUM PULCHERRIMUM.

In sermone metaphorico olivae praestantia variis comparationibus effertur ad excellentiam et benedictionem illustrandam. Iustus, sicut oliva fructifera in domo Dei sperat in misericordia Dei (Ps. 51,10); filii viri pii sunt novellae olivarum in circuitu mensae eius (Ps. 127,3); Israel ex Dei institutione debuit esse oliva uber, pulchra, fructifera, speciosa (Ier. 11,16), et si Dominus sanaverit contritiones Israel, erit sicut oliva gloria eius (Os. 14,7) et revera comparat Paulus apostolus bona Israeli collata olivae (Rom. 11,17. 24; vide OLEASTER); sapientia est quasi oliva speciosa in campis (Eccli. 24,19) et Simon, sacerdos magnus, est quasi oliva pullulans (LXX ὡς ἐλαία ἀναθάλλουσα καρπούς; hebr. sicut oliva (כזית) viridis plena bacis Eccli. 50,11 et additur in hebr. : et sicut lignum pinguedinis suco implens ramos; unde iterum patet lignum pinguedinis distingui ab oliva). Eodem modo duae olivae nominantur illi duo a Deo electi et unctione spiritus Dei ad munus sacrum vocati (Zach. 4, 12. 13) et Apoc. 11,4 duo testes Domini qui prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta. Demum ramus olivae virentibus foliis quem columba attulit ad arcam (Gen. 8,11) signum erat pro Noe quod cessassent aquae super terram; unde ramus olivae evasit symbolum reconciliationis et pacis et amicitiae.

Cf. *I. H. Ursinus,* Arboretum bibl. p. 485-524; *M. Hiller,* Hierophyt. p. 174-214; *O. Celsius,* Hierobot. II. p. 330-350; *E. Boissier,* Flora orient. IV. p. 36; *Leunis-Frank,* Synopsis d. Pflanzenkunde II. § 672; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Altert. IV. 1 p. 258-260; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 373-7; *P. Cultrera,* Flora bibl. 1861 p. 247-260; *L. Fonck,* Streifzüge durch d. bibl. Flora 1900, p. 39-45; *P. Schegg,* Bibl. Archaeol. 1887, p. 183-8; *G. E. Post,* Flora of Syria 1896, p. 521; *F. Hamilton,* Botan de la Bible 1871, p. 79-84; *J. H. Balfour;* Plants of the Bible 1885, p. 65-71; *A. de Candolle,* Origine des plantes cultivées 1883, p. 222-7; *V. Hehn,* Kulturpfl. u. Haustiere 1894, p. 101-120; *F. Woenig,* D. Pflanzen im alten Aegypten 1886, p. 327-330; *V. Loret,* Flore pharaonique 1892, p. 58 s. (n. 94), Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XI. (1888) p. 69-77.

OLEASTER (ἀγριέλαιος, Rom. 11,17) seu olea agrestis, inculta invenitur hodie quoque in parte septemtrionali montis Libani, et etiam in Africa septemtrionali et in Italia. Vocatur nomine scientifico *Olea oleaster* Linné et distinguenda est ab oleastro recentiorum, cui nomen *Elaeagnus angustifolia* Linné = *Elaeagnus hortensis* M. von Bieberstein (cf. *Leunis-Frank*, Synopsis der Pflanzenkunde II. § 449. 672, n. 2).

Quod Rom. 11,17 legitur : tu oleaster cum esses, insertus es (ramis olivae) et socius radicis et pinguedinis olivae factus es, testimonio veterum ac recentiorum quandoque fit, scil. ut in arborem olivae inserantur sarmenta oleastri (cf. *Fonck*, Streifzüge durch die biblische Flora, p. 44), quamvis communiter in arborem oleastri surculi bonae olivae ac cultae inseri soleant, quibus scil. oleaster in oleam paulatim mansuescat. Sed ad doctrinam quam Paulus tradit, modus alter ille assumi debuit. Gentes sunt quasi arbores incultae ad instar oleastri ; salute messiana participes fiunt bonorum illorum, quae Israel populo promissa erant ; populus Israel vocatur autem oliva pulchra, fructifera, speciosa (Ier. 11,16 ; cf. OLEA) ; unde facile fluit comparatio (cf. *Cornely*, Comment. in ep. ad Rom. 11,17).

OLEUM (שֶׁמֶן, ἔλαιον et יִצְהָר oleum recens). Conficitur oleum eo quod fructus olearum, olivae, torculari oleario exprimuntur ; cf. Mich. 6,15 tu calcabis olivam (זַיִת) et non ungeris oleo, mustum et non bibes vinum. In Palaestina oliveta abundabant. Uti enim terra laudatur ob copiam frumenti, vinearum, ita quoque terra appellatur terra olei et mellis, terra in qua oliveta nascuntur (Deut. 8,8) ; inter benedictiones Dei refertur larga messis olei (Deut. 7,13 ; 11, 14) et Moyses adprecatur tribui Aser : tingat in oleo pedem suum (Deut. 33, 24) et piis Dei cultoribus promittitur, uti copia frumenti et vini, ita olei quoque (Ier. 31,12 ; Os. 2,22 ; Joel 2,19. 24 ; Agg. 2,20). Inter duodecim administros bonorum et operum David recensetur Ioas princeps super apothecas olei (1 Par. 27,28), Roboam quoque posuit in urbibus munitis horrea olei et vini, Ezechias rex habuit apothecas olei (2 Par. 32,28), Godolias exhortatur Iudaeos, ut colligant oleum et condant in vasis (Ier. 40,10) et Ismaheli promittuntur thesauri frumenti, olei et mellis (Ier. 41,8). Copia olei quoque colligitur ex parabola Luc. 16,10 : ubi debitor debet domino centum cados (βάτους) olei (i. e. plus quam 3900 lit.). Uti inter benedictiones Dei recensetur copia olei, ita inter comminationes et poenas eius inopia ac defectus ; ita Deut. 28,40 olivas habebis in omnibus terminis tuis et non ungeris oleo, quia defluent et peribunt ; hostis tibi non relinquet vinum et oleum (Deut. 28,51) ; elanguit oleum (Joel 1,20) ; calcabis olivam et non ungeris oleo (Mich. 6,15) ; ob populi neglegentiam vocavit Dominus siccitatem super terram, et super vinum et super oleum (Agg. 1, 11).

Adhibebatur oleum ad usus domesticos. Et primo quidem proponitur eius necessitas ad vitam commodam Eccli. 39,31 : initium necessariae rei vitae hominum aqua, ignis, sal, panis... et oleum ; ad cibos parandos eum occupat locum quem apud nos fere butyrum ; ex farina et oleo mulier in Sarephta sibi et filio cibum parat (3 Reg. 17,12. 16) ; inter alimenta quae Davidi in Hebron afferuntur, non omittitur oleum (1 Par. 12,40) et Eliseus propheta iubet mulierem eiusque filium vivere de oleo, cuius copiam ei per miraculum providerat (4 Reg. 4,7) ; ad populum dicit Deus : similam et mel et oleum comedisti (Ez. 16, 13). Porro oleum inserviebat ad ungendum corpus ; v. s. v. UNCTIO. In parabola de virginibus prudentibus et fatuis alium olei usum deprehendimus, scil. ad lumen habendum ; prudentes virgines oleum habent non solum in parvis illis lampadibus (v. LUCERNA), sed vascula olearia quoque secum portant ; simul discimus oleum apud mercatores venale fuisse : « ite ad vendentes et emite vobis » (Matth. 25,9).

Atque oleum in commercio quoque cum exteris nationibus inter merces recensetur ; ita « Iuda et terra Israel, ipsi institores tui (sermo fit ad Tyrum, ad Phoenices) in frumento primo ; balsa-

mum et mel et oleum proposuerunt in nundinis tuis » (Ez. 27,17). Aegyptus carebat oleo, Ephraim oleum in Aegyptum ferebat (Os. 12,1); in regiones quoque Assyriorum ac Babyloniorum oleum ex Palaestina esse allatum colligere licet ex Ez. 16,18. 19. Adhibitum est oleum loco pecuniae a Salomone, cum pro lignis cedrinis etc. praebuit Hiram praeter alia viginti coros purissimi olei (corus = 392,97 litra; 3 Reg. 5,11; hebr. 5,25; et 2 Par. 2,10[9] olei batos viginti millia; batus = 39,29 lit.). Eodem modo Esdras quoque operariis Sidoniis Tyriisque inter alia loco mercedis oleum dedit (Esdr. 3,7); ipsi autem Esdrae concessum est ab Artaxerxe, ut ei darentur a custodibus arcae publicae praeter alia usque ad batos olei centum (Esdr. 7,22). Inter res pro quibus mutuo data usura exigebatur, etiam oleum numeratur; ita postulat Nehemias ne exigant centesimam olei (Neh. 5,11).

Multus erat olei usus in re sacra. Iam Iacob patriarcha locum visionis consecrat erigens lapidem (quem supposuerat capiti suo) in titulum et fundens oleum desuper (Gen. 28,18; 31,13); et iterum erexit titulum lapideum in loco quo locutus ei erat Dominus, libans super eum libamina et effundens oleum (Gen. 35, 14). Et in confectione sanctuarii usus olei praecipitur pro lucerna seu candelabro, pro institutione et consecratione sacerdotum et confici debet oleum unctionis ad consecranda vasa sacra. Pauca de singulis. Iubentur Israelitae offerre oleum ad luminaria concinnanda (Ex. 25,6) et quidem oleum purissimum de arboribus olivarum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper (Ex. 27,20; cf. Ex. 35,8. 28; Num. 4,16). In ritu consecrationis Aaronis oleum requirebatur ad fertum (Ex. 29,2); insuper oleum unctionis fundes super caput eius (29,7); sacrificio oblato oleo unctionis asperges Aaron et vestes eius, filios et vestimenta eorum (29,21) et praeter alia super manus Aaron et filiorum eius ponenda erat crustula conspersa oleo (29,23). — Ceterum vide Lev. 6,20; 8,12. 26; 9,4.

Singulari ratione describitur, quomodo conficiendum sit unctionis oleum sanctum (Ex. 30,23-25); hocque unctionis oleo

ungenda erant tabernaculum, arca, altare cum vasis suis, candelabrum et utensilia eius, altare thymiamatis et universa supellex ad cultum pertinens (Ex. 30,26-29; 31,11; 40,9-11; Lev. 8,2. 10; 10, 7; Num. 4,10). Ad cuius confectionem et populus et principes oleum contulerunt (Ex. 35,8. 15. 28; 39,36). Hoc oleo sancto ad alium usum interdictum erat uti, « caro hominis non ungetur ex eo et iuxta compositionem eius non facietis aliud; quicumque tale composuerit et dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo » (Ex. 30,32).

Frequens usus olei praeterea erat in sacrificiis. Et in sacrificio cotidiano ad fertum i. e. ad decimam partem epha similae addenda erat quarta pars hin olei tusi (Ex. 29,40; epha = batus; hin = 1/6 bati). Generatim ad omne fertum aliquid olei requirebatur : simila erit eius oblatio fundetque super eam oleum (Lev. 2,1); pariter panes absque fermento conspersi oleo, et lagana azyma oleo lita (Lev. 2,4. 5. 7); in oblatione primarum frugum oleum erat fundendum (Lev. 2, 15). Etiam decernitur mensura olei ad fertum addendi; ita Lev. 14,12. 15. 24 nominatur sextarius olei (log = 1/12 hin) in sacrificio leprosi mundati. In ferto nunquam deerat oleum (solum deesse debet in ferto zelotypiae, Num. 5,15); vide Lev. 23,13; Num. 7,13. 19. 25. 31. 37. 43. 49 etc.; 8,8; 15,4 olei quarta pars hin; 15,6 olei tertia pars hin; 15,9 media pars hin olei, scil. pro varietate victimae. Numerus sacrificiorum diebus festis offerendorum accuratius determinatur Num. 28; ibi quoque repetitur in sacrificio cotidiano requiri ex oleo quarta pars hin; oleum semper additur ad fertum; vide Num. 28,9. 12. 13. 28; 29, 3. 9. 14; Ez. 45,24; 46,5. 7. 11. 14. 15.

Ex messe olei primitiae quoque et decimae erant persolvendae; Num. 18,12 omnem medullam olei, quidquid offerunt primitiarum dedit Dominus sacerdotibus; Deut. 18,4 primitiae olei deputantur iisdem; tempore Nehemiae ad gazophylacium deportarunt filii Israel primitias frumenti, vini et olei (Neh. 10, 37. 39). De decimis olei praescribitur, ne comedantur in oppidis, sed coram Domino, in loco quem elegerit (Deut. 12,

16. 17; 14,23); in instauratione cultus tempore Ezechiae obtulerunt filii Israel plurimas primitias olei et decimas (2 Par. 31,5) et de tempore Nehemiae legimus : omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini et olei in horrea (Neh. 13, 12).

Usui sacro olei annumeranda est unctio regum, unctio aegrotorum (Marc. 6, 13), unctio sacramentalis moribundorum (Iac. 5,14), de quibus v. UNCTIO.

Varius etiam usus olei cernitur in sermone metaphorico quo scil. comparatione olei proposita multiplex orationis illustratio habetur. Uti Iud. 9,9 oliva loquitur : numquid possum deserere pinguedinem meam, ita oleum symbolum est fertilitatis, unde collis fertilis filius olei vocatur (Is. 5,1). Cum in laetitia fiat unctio, omittatur autem in luctu (2 Reg. 14,2), oleum symbolum est laetitiae, gaudii (Ps. 44,8; 103,15; Is. 61, 3) seu benedictionis (Ps. 88,21; Zach. 4, 14) et delectationis (Prov. 27, 9), suavitatis et dulcedinis : molliti sunt sermones eius super oleum (Ps. 54,22); unde de blanditiis meretricis legitur : nitidius oleo guttur eius (Prov. 5,3), dum dilecti sponsi nomen sicut oleum effusum habet fragrantiam. (Cant. 1,2). Cum oleum corpori adhaerescens quasi in cutem penetrare eique odorem et splendorem conferre videatur, adhibetur quoque sensu inimico : intravit maledictio sicut oleum in ossa eius (Ps. 108,18). Defectus olei signum est inopiae et calamitatis (Ps. 108,24). Oleum manu capi aut retineri nequit; unde ex textu Vulgatae Prov. 27, 16 dicitur de muliere litigiosa : qui retinet eam quasi qui ventum teneat et oleum dexterae suae vocabit (?).

OLIVARUM MONS. Mons, qui « est contra Ierusalem ad orientem » (Zach. 14,4; Ez. 11,23) et in conspectu templi (Marc. 13,3), profunda valle torrentis Cedron ab urbe separatus (2 Sam. 15,23 coll. 30; Ioan. 18,1 coll. Matth. 26,30 etc. — *Flav. Ios.* Bell. iud. V. 2,3, *Niese* 70), sabbati habens iter a civitate (Act. 1,12), i. e. septem stadiorum secundum versionem Peshitta, sex vero stadiorum iuxta *S. Epiphanium* (haer. 66,81, *Migne* 42,157 C) pariterque ex Iosepho sex (Bell. l. c.) vel quinque stadiorum (Ant. XX. 8,6, *N.* 169), ab auctoribus sacris et profanis communiter *mons Olivarum*, הַר הַזֵּיתִים (Zach. 14,4; item Rabbini), τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν (Matth. 21,1 etc. — Cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. V. 3,5, *N.* 135 ἐπὶ τοῦ ἐλαιῶν ὄρους; V. 12,2, *N.* 504; VI. 2,8, *N.* 157) sive *mons Oliveti*, τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιών (Luc. 19,29; 21,37; Act. 1,12. — Cf. *Ios.* Ant. VII. 9,2, *N.* 202 διὰ τοῦ ἐλαιῶνος ὄρους; XX. 8,6, *N.* 169 ὄρος τὸ προσαγορευόμενον ἐλαιών [*N.* ἐλαιῶν]. Bell. II. 13,5, *N.* 262 τὸ ἐλαιών καλούμενον ὄρος; V. 2,3, *N.* 70) appellatur idemque nomen etiam in scriptis Patrum auctorumque ecclesiasticorum atque etiam hodie (*Djebel el-zeitūn*) retinuit. In Talmude etiam הַר הַמְּשִׁחָה « mons unctionis » vocatur (Talm. hieros., Taanith 4,8; cf. *Neubauer*), atque de eodem aliqui interpretes illum הַר־הַמְּשִׁחִית intellegere volunt in libris Regum commemoratum (4 Reg. 23,13); quem alii cum Vulgata rectius *montem offensionis* interpretantur (v. OFFENSIONIS MONS). Etiam *mons trium luminum* ab aliquibus vocatur (cf. *Quaresmius*; « *Lichtberg* », *C. Schick* et *I. Benzinger*, Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XVIII. 1895, 157), cuius loco *Relandus* potius cum montem *trium culminum* appellandum censet (Palaestina 338). Etenim mons olivarum tria praecipua culmina exhibet : altissimum ad septemtrionem spectans 818 metrorum, hodie *Karm el-saiyād* « vinea venatoris » et a peregrinis « *Viri Galilaei* » (v. infra) appellatum; medium, quod incolis *Djebel el-ṭūr* « mons » audit, 812 m.; australe 734 m., hodie *Djebel baṭn el-hawā* et a peregrinis « *mons scandali* » vocatum, scil. mons ille offensionis, de quo modo diximus.

In libris sacris mons olivarum imprimis in historia David commemoratur, qui rebellem filium fugiens trans torrentem Cedron « ascendebat clivum olivarum » (מַעֲלֵה הַזֵּיתִים 2 Sam. 15, 30; ἐν τῇ ἀναβάσει τῶν ἐλαιῶν. Cf. Luc. 19, 37 πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν). Qui quidem clivus minime cum via hodierna hierichuntina coincidebat, quae potius ad radices montis circumiens in

ipsum montem non adscendit; via vero antiqua, quae etiam tempore Christi et sub dominio Romanorum in usu erat (cf. *S. Epiphanius*, haer. 42,53, *M.* 41,757 B), in septemtrionalem ipsius montis partem adscendens inde per *Khirbet buqei'ā ḍān, Wādi el-rawābi, Rās el-munṭār, Qaṣr'Alī* magis directe paulatim in planitiem hierichuntinam descendebat, in altera tantum parte inferiore cum hodierna via fere coincidens (cf. *C. Schick, J. P. van Kasteren*).

In prophetia Ezechielis gloriam Domini de medio civitatis ascendisse et super montem qui est ad orientem urbis stetisse legimus (Ez. 11,23). Zacharias autem Deum videt valle per medium montem Olivarum aperta populo suo salutis opportunitatem et protectionem ab hostibus praebere (Zach. 14,4. Cf. *I. Knabenbauer* in h. l.).

Maxime vero celeber mons gestis Domini Nostri evasit, qui et iter faciens ab Hierichunte per montem Olivarum ascendit et descendit in urbem (Matth. 21,1; Marc. 11,1; Luc. 19,29), et in Bethania ad radices eiusdem montis saepe exceptus est hospitio Lazarumque amicum et hospitem suum resuscitavit (v. BETHANIA) et inde per vicum Bethphage in eodem monte situm profectus, postquam flevit super civitatem ingratam, ad ingressum triumphalem in urbem perrexit (v. BETHPHAGE), et Hierosolymis commorans « egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum », ut doceret discipulos et oraret (Luc. 22,39; 21,37; Matth. 24,3; 26,30; Marc. 13,3; 14,26; Ioan. 8,1; 18,1). Ibidem ad radices montis in villa quae dicitur Gethsemani ingenti sacratissimi Cordis sui maestitia et sudore sanguineo in sacrosanctam passionem suam intrare et hostium potestati se tradere volebat (v. GETHSEMANI). Ex eodem denique monte quadragesimo post resurrectionem suam die super caelos caelorum ascendens gloriosissimam humanitatem suam ad dexteram Dei elevavit in gloriam Patris (Act. 1,12; Luc. 24,50 s.).

Varia illa loca gestis Domini in monte Olivarum sacrata inde a primis saeculis a Christianis totius orbis devote celebrabantur; ex quibus tres ecclesiae antiquitate ceteris praestabant, scil. prima « in Eleona, ubi est spelunca illa, in qua docebat Dominus » (*S. Silvia* 30,3, *ed. Geyer* 83,15 s. et saepius; *Eucherius, ed. Geyer* 127, 15 ss. etc.), altera « Inbomon, i. e. in eo loco, de quo ascendit Dominus in caelis » (*S. Silvia* 31,1, *ed. Geyer* 83,21 et saepius; *Eusebius*, Vita Const. 3,41, *Migne* 20,1101 s.; *Sulpic. Sev.* Chron. II. 33,5-8, *ed. Halm* p. 87,22; *Eucherius* l. c. etc.), tertia in Gethsemani « ubi oravit Dominus... ecclesia elegans » (*S. Silvia* 36,1, *ed. Geyer* 86,19 ss.; *Eusebius-S. Hieronymus*, Onomastica *ed. Lagarde* 248,18; 130,22 etc.). De historia statuque praesenti illorum aliorumque huius montis locorum sacrorum consulantur auctores.

Nomen « *Viri Galilaei* », quod culmini septemtrionali a peregrinis tribui diximus, inde ortum duxit, quod Angelos in Actibus commemoratos ibidem haec verba (Act. 1,11) pronuntiasse gratis supposuerunt. Ex traditione satis antiqua et iam in apocryphis Actis Pilati indicata, sed pariter gratuita, sat multi ibidem esse illam Galilaeam putarunt, quo Dominus post resurrectionem suam discipulos se praecessurum esse annuntiaverat (Matth. 26,32 etc.—Cf. *J. P. van Kasteren; R. Hofmann; R. M' Cheyne Edgar*).

Vide etiam CEDRON, JERUSALEM II. 4. Bene monet *S. Epiphanius* (haer. 46,5 *M.* 41,844 D), montem Oliveti (τὸ τοῦ Ἐλαιῶνος ὄρος) altiorem esse cunctis collibus urbis, sed a monte Gabaon (*Nebi Samwīl*, 895 m) altitudine superari. — Olivae, a quibus monti nomen inditum est, etiam hodie in eo inveniuntur, licet rariores; ex quibus celeberrimae sunt octo venerabiles senes in horto Gethsemani.

Cf. *Fr. Quaresmius*, Elucid. Terrae S., Lib. IV. peregr. 8, c. 5-8; peregr. 9, c. 1-12, ed. Venet. II. p. 227-45; *Ioh. Lightfoot*, Centuria chorograph. c. 40; *H. Relandus*, Palaestina I. 52, p. 337-41. 449 s.; *C. Ritter*, Erdkunde XVI. p. 319-27; *T. Tobler*, Die Siloahquelle und der Ölberg, S. Gallen 1852; *Ad. Neubauer*, La géographie du Talmud p. 147-50; *Fr. Liévin de Hamme*, Guide indicateur, *ed.* 4, I. p. 346-93; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi I. p. 285-324; *K. Baedeker — I. Benzinger*, Palaestina und Syrien, *ed.* 5, p. 87-92. — De antiqua

via hierichuntina cf. *J. P. van Kasteren* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890, p. 93-99; *C. Schick* in Quart. Stat. 1897, p. 116 s. et tab. 6 in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XIX. 1896. — De loco ascensionis cf. *F. Tuch*, Die Himmelfahrt Iesu, eine topographische Frage, Leipzig 1857; *C. Schick* in Quart. Stat. 1896, p. 310-27; 1897, p. 114 s. — De « Galilaea » cf. *J. P. van Kasteren* l. c. p. 98 s.; *Rud. Hofmann*, Galilaea auf dem Ölberg, Leipzig 1896; *E. Schürer* in Theol. Literaturztg 1897, p. 187 s.; *Rob. M' Cheyne Edgar* in Expositor Ser. V. vol. 6 (1897, II.), p. 119-27.

L. FONCK.

OLLA (עֵלָא, Ὠλά), princeps cognationis fortissimae in tribu Aser (1 Par. 7,39).

OLON urbs v. HOLON.

OLUS, OLERA (יֶרֶק, τὸ λάχανον, τὰ λάχανα) memorantur Prov. 15,17; Matth. 13,32; Marc. 4,32; Luc. 11,42; Rom. 14, 2; hortus olerum Deut. 11,10 (LXX ὡσεὶ κῆπον λαχανείας, Vulg. in hortorum morem) et 3 Reg. 21,2. In Vulgata Gen. 9,3 et Ps. 36[37],2 olera respondent voci hebr. יֶרֶק, quae aliis locis melius explicatur virens, viror (v. g. Ex. 10,15; 4 Reg. 19,26; Is. 15,6).

OLYMPIAS (Ὀλυμπᾶς), christianus in ecclesia romana, quem S. Paulus nominatim salutat (Rom. 16,15). Dubitabatur a nonnullis, utrum vir an femina designetur nomine Olympiadis; sed forma graeca Ὀλυμπᾶς, quae contracta est ex Ὀλυμπιόδωρος (sicut Ἀρτεμᾶς Tit. 3,12 ex Ἀρτεμίδωρος), certe virum denotat.

OLYMPIUS v. IUPITER.

OMAR (אוֹמָר, Ὠμάρ) recensetur secundus inter filios Eliphaz primogeniti Esau (Gen. 39,11; 1 Par. 1,36) et inter duces filiorum Esau (Gen. 36,15). Nulla tribus eius nominis innotescit.

OMRAI (אִמְרִי, Ἀμβραΐμ), vir ex posteris Phares de tribu Iuda (1 Par. 9,4).

ON v. HELIOPOLIS.

ONAGER (ὄναγρος, ὄνος ἄγριος et Job 11,12 ὄνος ἐρημίτης) correspondet tum voci hebr. פֶּרֶא Job 6,5; 11,12; 24,5 (h. l. פרה); 39,5; Ps. 103[104],11; Eccli. 13, 23[19]; Is. 32,14; Ier. 2,24 (LXX omitt.); 14,16; Os. 8,9 (LXX non nomen, sed verbum interpretantur) tum etiam voci hebr. עָרוֹד Iob 39,5b et voci aram. עֲרַד (plur. emph. עֲרַדַיָּא) Dan. 5,21. Ismael Gen. 16, 12 dicitur ferus homo = פרא אדם i. e. onager homo, Targ. onager inter homines, LXX ἄγροικος ἄνθρωπος, Aquila ἄγριος, Symmachus ἔρημος, Theodotion κεχωρισμένος ἀνθρώπων. Descriptio asini feri (Iob 39,5-8) per deserta vagantis et aquas salsas quaerentis concordat cum iis, quae apud veteres et recentiores de onagro statuuntur. Equus onager (equus hemionus, asinus hemippus) magnitudine ac celeritate asinum vulgarem superat, visu, auditu, odore praestat, parco victu contentus est, gregatim invenitur in desertis regionibus Syriae, Arabiae, Persiae. Iam Strabo, Varro, Plinius onagros norunt in Asia minore, Xenophon prope Euphraten.

Cf. *H. O. Lenz*, Zoologie d. alten Griechen u. Römer 1856 p. 208-211; *P. Cultrera*, Fauna biblica, Palermo 1880, p. 227-231; *J. G. Wood*, Bible animals, London 1892, p. 279-284; *A. E. Brehm*, Thierleben III. (1883) p. 35-6; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, London 1889, p. 41.

ONAM (אוֹנָם; Ὠμάς, Ὠνάν), unus ex filiis Sobal filii Seir Horraei (Gen. 36,23; 1 Par. 1,40). Idem nomen gerit filius Ierameel primogeniti Hesron ex Atara uxore genitus (1 Par. 2,25. 28; LXX Ὀζόμ).

ONAN (אוֹנָן, Αὐνάν), filius secundus Iudae patriarchae ex filia Sue Chananaei genitus: mortuo Her primogenito consuetudo leviratus, quae postea in legem transiit (cf. Deut. 23,5-10; Marc. 12,19), ab Onan postulabat, ut uxorem defuncti acciperet et semen fratres sui suscitaret; Onan autem rem detestabilem fecit, ne procreatio haberetur, quapropter a Domino morte punitus est (Gen. 38,4-10; 1 Par. 2,3). Hoc factum est in terra Chanaan (Gen. 46,12; Num. 26,19), antequam Iacob cum familia sua in Aegyptum descenderet.

ONESIMUS (Ὀνήσιμος), servus eth-

nicus Philemonis, viri nobilis Colossensis (Col. 4,9; Philem. 10); ob delictum quoddam commissum servus Colossis aufugiens Romam venit et a Paulo, qui tum in priore captivitate romana tenebatur, baptizatus est; apostolus autem cum Tychicum in Asiam et Phrygiam mitteret, ei socium adiunxit Onesimum, qui epistulam illam brevissimam vereque admirandam deferret, qua Philemoni Onesimus commendatur.

ONESIPHORUS (Ὀνησίφορος), christianus, quem S. Paulus 2 Tim. 1,16-18 collaudat, quod Romam veniens apostolum sollicite quaesierit et eum Ephesi multum adiuverit; unde veri simile est eum Ephesium fuisse. Ex eo quod apostolus Onesiphori domui misericordiam apprecatur (2 Tim. 1,16) et salutationem mittit (4,19), coniiciunt ipsum Onesiphorum iam non inter vivos fuisse.

ONIARES 1 Mach. 12,20 LXX mendose scribitur nomen regis Spartiatarum (א Ὀνιάρης, A Ὀνειάρης), qui in Vulgata Arius nominatur (v. ARIUS).

ONIAS (Ὀνίας), nomen complurium pontificum Iudaeorum. **1.** Onias I. filius Ieddoa pontificis et aequalis Arii I. regis Spartae; epistula illa, quam Arius I. ad Oniam I. pontificem dedit (1 Mach. 12, 7. 8. 19. 20), circiter intra annos 309 et 300 a. Chr. scripta esse merito censetur ut s. v. ARIUS exposuimus. Errat igitur Flav. Iosephus (Ant. XII. 4,10), qui epistulam Arii ad Oniam III. datam esse putat.

Oniam I. pontifices secuti sunt eius filius Simon I. Iustus, deinde Simonis I. frater Eleazarus, tum Eleazari avunculus Manasses, denique Onias II., de quo nunc agendum est.

2. Onias II. filius Simonis I. Iusti, pontifex tempore Ptolemaei III. Euergetis (247-222 a. Chr.); cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 2,4; 4,1. 2. Onias II. filium et successorem habuit Simonem II. (Ant. XII. 4,10) atque hic probabilius est ille sacerdos magnus, cuius praeconia leguntur Eccli. 50,1 : Simon Oniae filius etc. (v. SIMON 2); attamen concedendum est illa praeconia etiam referri posse ad Simonem I. Iustum, filium Oniae I.

3. Onias III. filius et successor Simonis II., pontifex tempore Seleuci IV. Philopatoris (187-175 a. Chr.); cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 4,10. In S. Scriptura (2 Mach. 3,1 s.; 4,1 s.; 15,12. 14) celebratur ut pontifex pius Deoque acceptus, provisor civitatis, defensor gentis suae, aemulator legis Dei, post mortem quoque orans pro omni populo Iudaeorum. Post Seleuci IV. mortem e pontificatu remotus est per Iasonem fratrem suum impium, qui pecuniis promissis sibi summum sacerdotium ab Antiocho IV. Epiphane emit (2 Mach. 4,7 ss. et v. IASON 3). Tribus fere annis post Onias apud Daphnem prope Antiochiam insidiose occisus est per Andronicum instigante Menelao pontifice, qui Iasonem ex pontificis officio expulerat (2 Mach. 4,33 ss. et v. ANDRONICUS 1). — Onias III. filium parvulum reliquit Oniam, qui ad pontificatum hierosolymitanum non pervenit; Menelao enim morte punito Antiochus V. Eupator pontificatum Alcimo dedit, qui non erat de genere pontificali; qua re permotus Onias (IV.) in Aegyptum aufugit et annuente Ptolemaeo VI. Philometore circa annum 160 a. Chr. Leontopoli in nomo heliopolitano novum illud templum exstruxit, quod Palaestinensibus exosum erat (cf. *Flav. Ios.* Ant. XII. 5, 1; 9,7; XIII. 3,1-3; Bell. iud. VII. 10,2 s.) et a Maimonide in commentario ad Mishnam (apud *Surenhus.* V. p. 113) domus idololatriae appellatur.

ONO (אוֹנוֹ et Neh. 7,37, אֹנוֹ; Ὠνώ et 1 Par. 8,12 Ὠνάν), urbs, quam Samad Beniaminita filius Elphaal aedificavit (1 Par. 8, 12) et Beniaminitae post exsilium incolebant (Esdr. 2,33; Neh. 7,37; 11,35). Sita erat in magno campo Ono (Neh. 6,2), quae vallis videtur eadem esse ac vallis artificum (1 Par. 4,14; Neh. 11, 35). Praeterea Talmudici tradunt Ono iam a diebus Iosue muris cinctam fuisse, at flammis absumptam in bello Gabaitico (cf. Iud. 20,48) et postea (1 Par. 8,12) reaedificatam, eam 3 mil. pass. a Lydda abesse, urbes Lyddam et Ono esse ipsam vallem fabrorum seu artificum (cf. *Lightfoot,* Decas chorogr. Marco praemissa 9,3). Vix dubium est, quin Ono sit hodiernus vicus *Kefr ʿÂnā* duabus fere horis inter septemtrionem

et occidentem a Lydda, qui hortis circumdatus est et aliquas reliquias columnarum marmorearum antiquarum hodie quoque retinet.

Cf. *Van de Velde,* Memoir p. 337; *Guérin,* Judée I. p. 319-321; *A. Neubauer,* Géogr. du Talmud p. 86; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. V.; *Legendre,* Carte de la Palestine; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899, I. 93.

ONOCENTAURI dicuntur in Vulgata Is. 34,14 animalia quaedam in desertis ululantia, hebr. אִיִּים (LXX ὀνοκέντ-ταυροι), cui voci alibi in Vulgata respondent ululae (Is. 13,22) et fauni ficarii (Ier. 50,39). Probabiliter אִי est canis aureus (v. s. v.).

ONOCROTALUS (קָאַת) recensetur inter aves immundas Lev. 11,18 (πελεκάν); sed eadem vox hebraica redditur in Vulgata Deut. 14,17 mergulus (apud LXX 14,16 καταράκτης), dum onocrotalus in Vulgata Deut. 14,18 correspondet voci חֲסִידָה (v. HERODIO). Regionem Edom devastatam incolent onocrotali (ὄρνεα) Is. 34,11 et ea, quae ex destructis palatiis Ninive reliqua sunt, occupabunt onocrotali (χαμαιλέοντες) Soph. 2,14. Psalmista denique se comparat *pellicano* (קָאַת, πελλικάν) solitudinis (Ps. 101[102], 7). Versiones igitur commendant קָאַת esse pelicanum. *Bochartus* (Hieroz. II. l. 2, c. 24) censet מָאַת esse Pelicanum et Ardeam, praecipue stellarem; nomen hebraicum ardeae cum pelicano potuisse esse commune, cum sint aves congeneres atque in tam multis similes; quaerentibus, an aquaticis avibus, quales sunt pelicanus et ardea, recte assignetur sedes in locis desertis et inaquosis, reponit *Bochartus* non omne desertum esse inaquosum. In Palaestina *H. B. Tristram* (Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 251) duas species Pelicanidarum inveniri refert, Pelicanum onocrotalum et P. crispum; cf. *A. E. Brehm,* Thierleben VI. (1882) p. 600. Communissima quoque est in regionibus palustribus Syriae *Ardea stellaris* Linné = *Botaurus stellaris* Stephens, gall. *butor,* angl. *bittern,* germ. *Rohrdommel*; cf. *Tristram* l. c. p. 243-4; *Brehm* l. c. p. 388.

ONYCHINUS LAPIS (שֹׁהַם) una cum bdellio in terra Hevilath invenitur (Gen. 2,12; LXX ὁ λίθος ὁ πράσινος). Inter dona ad ornandum ephod et rationale (pectorale) pontificis obtulerunt filii Israel lapides onychinos (λίθους σαρδίου Ex. 25,7;35,9; τοὺς λίθους τῆς σμαράγδου 35,27). In lateribus ephod nomina duodecim tribuum insculpta erant super duos lapides onychinos (λίθους σμαράγδου 28,9; τοὺς λίθους τῆς σμαράγδου 39,6) et inter duodecim gemmas in pectorali pontificis onychinus lapis locum secundum ordinis quarti occupat (28,20; 39,13; LXX loco secundo pro שֹׁהַם praebent βηρύλλιον, loco tertio autem ὀνύχιον pro יְשְׁפֵה). Inter impensas templi, quas praeparaverat David, recensentur lapides onychini (λίθοι σόομ 1 Par. 29,2). Ex duodecim gemmis in pectorali pontificis novem nominantur in ornatu principis Tyri (Ez. 28, 13), inter quas onyx (ὀνύχιος). Eadem gemma in Vulgata Iob 28,16 redditur lapis sardonychus (ὄνυξ).

Uti apud LXX et reliquos interpretes veteres, ita apud recentiores vox שֹׁהַם diversimode explicatur: sardonyx, beryllus, onyx, opalus etc. Versione Vulgatae commendatur onyx, quae est varietas chalcedonii; cf. *Naumann-Zirkel,* Mineralogie 1898 p. 477. Veteres auctores, qui onychem describunt, refert *Plinius,* Nat. Hist. XXXVII. 6,90-91. Vide CALCEDONIUS.

ONYX. 1. Vide ONYCHINUS LAPIS. **2.** Onyx in Vulgata etiam pro hebr. שְׁחֶלֶת, retento nomine graeco ὄνυξ, adhibetur, quod inter aromata ad suffitum sacrum sumenda secundum locum tenet (Ex. 30,34). Idem aroma cum iisdem tribus aliis, scil. storace, galbano, thure, in textu Ecclesiastici 24,21 (graec. v. 15) commemoratur, ubi in versione latina *ungula* exponitur. Intellegitur autem ex auctoritate veterum interpretum operculum quorumdam conchyliorum, imprimis *Strombi lentiginosi,* Murici trunculo similis, ac *Pleurotomae babyloniae* et *Pl. Trapezii,* quod crematum odorem acrem, castoreo similem spirat ac nomen suum *unguis* ex quadam cum ungue digiti similitudine ac-

cepit. Antiquis opercula ista nomine onychis nota erant, ac praecipue ex India, mari Rubro, Babylonia afferebantur (*Diosc.* Mat. med. 2,10; *Plin.* XXXII. 9,103; 11,151); in officinis usque ad nostrum fere saeculum nomine *blattae byzantiae* s. byzantinae (βλάττιον βυζάντινον) inter remedia locum habebant, quia « omnium virium imbecillitatem firmare, cordis palpitationi conferre, animi defectum maxime iuvare, longo morbo deiectos recreare » censebantur (*Matthiolus* ap. *Ursinum*). Quamvis sola odorem haud adeo iucundum spirent, una cum aliis aromatibus tamen ad firmandum et conservandum suffitum utilia sunt, atque etiam nunc in quibusdam regionibus adhibentur. Quare nulla videtur haberi ratio, cur ab explicatione a veteribus interpretibus cum LXX, Peshitta, Onkelos, Vetere Latina, Vulgata aliisque tradita recedamus et שְׁחֵלֶת cum *Bocharto* et nonnullis recentioribus de bdellio vel suco quodam resinoso alicuius plantae explicemus.

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon II. l. 5, c. 20, *ed. Rosenmüller* III. 793 ss.; *J. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. II. 232-6; *O. Celsius*, Hierobotanicon I. 325 s.; *P. Forskal*, Descriptiones animal. Havniae 1775, 143; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. Bibl. Alterth. IV. 2, 454-5; *G. Gesenius*, Thesaurus 1388 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 297; *A. Künzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9., 161. 293.

L. FONCK.

OOLIAB (אָהֳלִיאָב, Ἐλίαβ), filius Achisamech de tribu Dan, artifex egregius et in arte textrina peritissimus, socius Beseleel in exstruendo tabernaculo (Ex. 31,6; 35,34; 36,1; 38,23).

OOLIBA (אָהֳלִיבָה i. e. tabernaculum meum in ea; Ὀολιβά) et **OOLLA** (אָהֳלָה i. e. tabernaculum suum, Ὀολά), duae sorores artibus meretriciis deditae, quarum imagine Ezechiel propheta regna Iuda et Israel depingit (Ez. 23,4-44).

OOLIBAMA (אָהֳלִיבָמָה, Ὀλιβεμά).

1. Filia Anae filii Sebeon filii Seir, uxor Esau, quae ei genuit Iehus et Ihelon et Core (Gen. 36,2. 5. 14. 18). Eadem censetur quae Gen. 26,34 appellatur Iudith filia Beeri scil. *putearii*, quo cognomine Ana filius Sebeon designari existimatur. Cf. s. v. ANA 2.

2. Filia Anae filii quarti Seir Horraei (Gen. 36,25). Cf. s. v. ANA 1 et 2.

3. Oolibama enumeratur quartus inter undecim duces Edomitarum, qui Horraeis exstirpatis totam regionem Edom occupaverant (Gen. 36,41; 1 Par. 1,52 LXX Ἐλιβαμά).

OOLLA v. OOLIBA.

OOZAM (אֹחָם, Ὠχαία), unus ex filiis Assur et Naarae in genealogia Iuda (1 Par. 4,6).

OPHAZ (אוּפָז) legitur Ier. 10,9 : aurum de Ophaz (LXX μωφάζ) et hebr. Dan. 10,5 (Vulg. aurum obrizum, LXX χρυσίον Ὠφάζ). Ophaz cum Syro, Chald. Theod. (Ier. 10,9) multi recentiores interpretantur terram Ophir. Alii negant posse explicari Ophir idque merito, ut advertit *Knabenbauer* ad Ier. 10,9 : « nam nemo pro noto Ophir scripsit ignotum Uphaz neque ex ulla dialecto probabilis fiet eiusmodi nominis mutatio. Sed quid sit, nemo adhuc invenit. Alii de insula cogitarunt Taprobana (*Ceylon*), ubi est ex Ptolemaeo VII. 4,7. 8 flumen et portus nomine Phasis, alii de regione in Arabia meridionali, alii vocem accipiunt, ac si esset מוּפָז (et non מְאוּפָז), *purgatum*, ergo aurum optimum; cf. 1 Reg. 10,18 hebr.; sed ipso parallelismo videtur regio postulari sat longinqua » scil. parallelismo Ier. 10,9 : argentum involutum de Tharsis affertur et aurum de Ophaz.

OPHEL, הָעֹפֶל proprie collem vel tumorem significat atque ita v. gr. de colle vel parte urbis Samariae adhibetur 4 Reg. 5,24 (Vulg. vesperi, LXX τὸ σκοτεινόν), sicut etiam in inscriptione regis Mesae (l. 22) de colle vel parte urbis Dibon occurrit. Imprimis vero partem Hierosolymorum in Scriptura designat, cuius murum Ioatham et Manasses (2 Par. 27.3; 33,14) et post exsilium Thecueni (Neh. 3,27; Vulg. murum templi) aedificasse leguntur quamque tempore Nehemiae Nathinaei (הַנְּתִינִים) seu servi templo addicti incolebant « usque contra portam aquarum ad orientem et

turrim quae prominebat » (Neh. 3,26;11, 21). Eandem turrim cum Ophel coniungit secundum multos interpretes Isaias (32,14. Vulg. tenebrae et palpatio; cf. *I. Knabenbauer* in h. l.), ruinam urbis praedicens; verba vero Michaeae עֹפֶל בַּת־צִיּוֹן (4,8. Vulg. nebulosa filiae Sion) potius de colle seu monte sensu generali, quam de Ophel videntur intellegenda esse.

Eodem nomine Ὀφλάς (cf. LXX ll. cit. Ὀπέλ text. rec.; Ὄπλα B, Ὄφλα A) Iosephus quater locum aliquem (χώρου τινὸς ὃν καλοῦσιν Ὀφλᾶν Bell. iud. V. 4,2, *Niese* 145) partemque urbis inferioris prope porticum orientalem templi et torrentem Cedron (ib. et V. 6,1, *N.* 254) neque procul a fonte Siloe et piscina Salomonis (ib. V. 4,2) sitam et bene munitam designat (ib. II. 17,9, *N.* 448; cf. V. 6,1 et VI. 63, *N.* 354). Pariter in Talmude « angulus Ophel » prope inferiorem partem torrentis Cedron supponitur (Talm. hierosol., Taanith 3,11; cf. *A. Neubauer*).

Ex hisce textibus communiter admittitur Ophel esse clivum australem collis orientalis seu Moriae, inter vallem interiorem Tyropoeon et exteriorem torrentis Cedron situm, vel saltem partem huius clivi templo viciniorem; neque cum *Krafft* ad solum aedificium quoddam in hac parte nomen restringendum videtur.

De aliis quae ad hunc clivum spectant v. IERUSALEM II.

Cf. *H. Relandus,* Palaestina p. 855; *E. Robinson,* Palaestina II. p. 29; *W. Krafft,* Die Topographie Ierusalems, Bonn, 1846, p. 23 s.; *Ad. Neubauer*, La Géographie du Talmud p. 140; *H. Guthe*, in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. V. 1882, p. 326; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi l. p. 335 s.

L. FONCK.

OPHER Gen. 25,4 v. EPHER 1; Ios. 12,17 v. EPHER TERRA; 4 Reg. 14,25 v. GETHHEPHER.

OPHERA (Ios. 18,23) v. APHAIREMA, BAALHASOR, BETH LE APHRAH.

OPHI (*Kethib* עוֹפִי; *Qeri* עֹפִי; Ἰωφέ, Ὦφί), Netophathita, cuius filii urbe Ierusalem a Chaldaeis destructa cum aliis ducibus populi dispersi ad Godoliam in Maspha confluxerunt (Ier. 40,8) et una cum Godolia ab Ismahel occisi sunt (41, 3).

OPHIM (חֻפִּים, LXX omittunt praebentes aliam lectionem), unus ex filiis Beniamin (Gen. 46,21). Idem Num. 26, 39 scribitur Hupham.

OPHIR (אוֹפִיר, Οὐφείρ) recensetur undecimus inter tredecim filios Iectan (Gen. 10,29; 1 Par. 1,23). Iectanidae autem Arabiam meridianam incolebant (v. IECTAN). Praeterea in Vetere Test. saepius commemoratur celeberrima illa terra Ophir (אוֹפִיר et semel 3 Reg. 10,11 אוֹפִיר; Σωφηρά, Σωφειρά, Σουφείρ, Σωφείρ), ex qua classis Salomonis et Hiram regis Tyriorum semel ternis annis afferebat aurum, argentum, gemmas pretiosas, ligna thyina, ebur, simias, pavos (3 Reg. 9,28; 10,11. 22; 2 Par. 8, 18; 9,10); iam David 3000 talenta auri de auro Ophir ad obducendos parietes templi praeparaverat (1 Par. 29,4); Iosaphat quoque classem instruxit auri acquirendi causa in Ophir navigaturam, quae in Asiongaber, antequam vela daret, confracta est (3 Reg. 22,49; cf. 2 Par. 20,36. 37). Purissimi auri Ophir, cuius praestantia in proverbium cesserat, mentio fit in textu hebraico Iob 22, 24; 28,16; Ps. 45,10; Is. 13,12.

In Arabia quidem nomen Ophir hucusque repertum non est. Attamen quae de Iectanidarum sedibus s. v. IECTAN diximus, vix dubium relinquunt, quin posteri Ophir et hinc terra quoque Ophir in Arabia meridiana quaeri debeant. Quod pro una navigatione spatium trium annorum absumebatur, nullo modo regionem magis longinquam postulat; nescimus enim, quantum temporis naves in Ophir vel aliis quoque portubus manserint; modus navigandi veterum erat lentior, venti contrarii in mari Rubro hodie quoque per complures menses continuos velis navigantium obsunt. Neque supponendum est aurum ac reliquas merces supra indicatas necessario in ipsa terra Ophir produci debuisse; negotiatione quoque ab incolis Ophir ex aliis regionibus acquisitae esse poterant. Unde con-

iecturae illae plurimae, quae ex mercibus terram Ophir vel in Africa (*Sofāla*) vel in India determinare student, fundamento destituuntur.

In Arabia meridionali terram Ophir quaerunt *Edrisi*, *Abulfeda*, *Bochart* (qui duas terras Ophir distinguit), *Michaelis*, *Niebuhr*, *Gesenius*, *Vincent*, *Gosselin*, *Volney*, *Seetzen*, *Rosenmüller*, *Keil*, *Dillmann*, *F. de Hummelauer*, *Ed. Glaser*, *A. H. Keane* (qui aurum ex Rhodesia Africae in Ophir Arabiae meridionalis allatum esse defendit), alii.

Minus probabiliter in Arabia occidentali Ophir quaerunt *Sprenger*, *Goergens*, *Soetbeer*; ista enim regio propius abest ab Asiongaber neque apta est ad emporium mercium undique acquisitarum.

In Africa orientali Ophir fuisse defenderunt *Dapper*, *Th. Lopez*, *J. Bruce*, *Robertson*, *Montesquieu*, *d'Anville*, *Schultess*, *Quatremère*, *C. Peters*; aurum Ophir ex regione inter fluvios *Zambesi* et *Limpopo* allatum esse defendunt *R. N. Hall* et *W. G. Neal*.

In regionibus orientalibus remotissimis (*Abhira* orientem versus ab Indi Delta vel *Malabar*, vel *Ceylon* vel paeninsula *Malayensi*) Ophir fuisse volunt *Flav. Iosephus* (Ant. VIII. 6,4), *Lipenius*, *Bochart*, *W. Ouseley*, *Macdonald*, *Reland*, *Lassen*, *Ritter*, *Thenius*, *Murchison*, *Ewald*, *K. E. v. Baer*, alii. Atque huic opinioni iam praeludere videntur LXX vertentes Σωφηρά; Sophir autem secundum vocabularia coptica est India cum suis insulis (*Athan. Kircheri* Lexic. Copt. p. 210; *Jablonsky* et *Champollion*, L'Égypte sous les Pharaons I. p. 68).

Ophir non aliquam regionem, sed potius nomen collectivum pro regionibus dissitis australibus vel orientalibus fuisse censent *Acosta*, *Heeren*, *Hartmann*, *Tychsen*, *Zeune*, *Wildman*.

Accedunt denique aliae quaedam coniecturae hodie prorsus derelictae : Ophir esse Armeniam coniecit *Calmet*, Phrygiam *Hardt*, Iberiam *Olderman*, Peru *Arias Montanus*, *Pfeffelius*, montem Sopora in insula Haiti *Columbus*.

Cf. imprimis *Ritter*, Erdkunde XIV. p. 351-431, ubi auctores antiquiores allegantur eorumque opiniones discutiuntur; praeterea *Sprenger*, Die alte Geographie Arabiens, Berlin 1875, p. 52 ss.; *Goergens* in Studien und Kritiken 1878, p. 458 ss.; *Soetbeer*, Das Goldland Ophir, Berlin 1880; *Ed. Glaser*, Skizze der Geschichte und Geographie Arabiens II. 1890, p. 353-387; *C. Peters*, Das goldene Ophir Salomos 1895; *Wildman*, Tales of the Malayan Coast 1899, p. 178 ss.; *Zoeckler*, Eden, Ophir, Ephraim 1893; *A. H. Keane*, The Gold of Ophir, London 1901; *R. N. Hall* and *W. G. Neal*, The ancient Ruins of Rhodesia, London 1902.

OPHLAL (אָפְלָל, Ἀφαμήλ), unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda; enumeratur quartus inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan descendunt, quae Ieraa Aegyptio, servo Sesan nupserat (1 Par. 2,37).

OPHNI. 1. Ophni (חָפְנִי, Ὀφνί), alter e filiis Heli sacerdotis, qui vocantur filii Belial, nescientes Dominum neque officium sacerdotum ad populum et ambo clade a Philisthaeis inflicta occisi sunt (1 Reg. 1,3; 2,34; 4,4. 11. 17). Plura vide s. v. HELI et PHINEES.

2. Ophni (הָעֹפְנִי cum articulo; LXX omittunt), urbs tribus Beniamin inter duodecim urbes orientales enumerata (Ios. 18,24). Censetur esse hodiernus vicus *Djifnā* circiter 22 km a Ierusalem aquilonem versus, prope viam quae Neapolim (Sichem) ducit (*Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Historical Geography of the Holy Land, Plate I. IV. et V.). Dubitaverant quidem nonnulli (*De Saulcy*, Voyage en Terre Sainte II. p. 224; *Guérin*, Judée III. p. 29), num eousque aquilonem versus protensa fuerit tribus Beniamin; verum ex ordine, quo urbes Ios. 18,21-24 enumerantur, nihil obstat, quominus Ophni in confinibus Beniamin et Ephraim fuisse dicatur et cum *Djifnā* componatur. — Sine dubio *Djifnā* eadem quoque est quae Gophna urbs princeps toparchiae Gophniticae (*Flav. Ios.* Bell. iud. III. 3,5; *Plinius* V. 14,70), cuius urbis saepius mentio fit apud Iosephum (Ant. XIV. 11,2; Bell. iud. I. 11,2; II. 20, 4; IV. 9,9; V. 2,1; VI. 2,2). Ab Eusebio (Onom. *ed Lag.* 300,94) Gophna ponitur 15 mil. pass. a Ierusalem Neapolim (Sichem) versus, in tabula Peutingeriana 16 mil. pass. a Ierusalem et 20 mil. pass.

a Neapoli. Apud *Ptolem.* V. 16,7 [*ed. Müller-Fischer* 15,5] scribitur Γοῦφνα, apud Talmudicos גופנא (*Neubauer*, Géographie du Talmud p. 157. 158). Cf. praeterea *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 199; *Robinson*, Palaestina III. p. 296; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 294. 323.

OPHRA (עָפְרָה, Γοφερά), filius Maonathi filii Othoniel ex posteris Iuda (1 Par. 4,14).

OPIFICES. Manu laborare apud Graecos et Romanos servorum erat adeoque contemptum ac sordidum. Aliter apud Hebraeos : vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit (Prov. 22,29) et in laudibus mulieris fortis praecipue efferuntur eius labores : quaesivit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum... manum suum extendit ad colum et digiti eius apprehenderunt fusum... stragulatam vestem fecit sibi etc. (Prov. 31,13. 19. 22). Immo ipse Deus dicit se spiritu prudentiae, sapientia, intellegentia impleturum eos qui ad varia artificia peragenda electi erant (Ex. 28,3; 31,3; 35,31; 36,1). Et ex primordiis generis humani inter paucissima quae sacer auctor refert illud mentione dignum habet Tubalcain fuisse malleatorem et fabrum in cuncta opera aeris et ferri (Gen. 4,22).

Iam ea quae Ex. 25 ss. de tabernaculo, vasis sacris, altari, arca, cortinis, vestibus sacerdotalibus conficiendis referuntur, abunde probant artifices et opifices varii generis apud Hebraeos exstitisse. Multa enim opera in auro, argento, aere erant conficienda, sculpendi quoque erant lapides, opus carpentarium exsequendum multiplex, negotia polymitarii, plumarii, unguentarii erant obeunda (cf. Ex. 35,32-35). Cum Aegyptii in eiusmodi artibus excellerent, non mirum est etiam inter eos qui modo ex ea regione excesserant fuisse earum artium peritos.

Quae ad victum, vestitum necessaria erant, communiter per mulieres parabantur (cf. Gen. 18,6; Prov. 31); et Samuel dicit de rege quem populus sibi postulabat : filias vestras faciet sibi unguentarias et focarias et panificas (1 Reg. 8,13); et pro tempore calamitatis praenuntiatur : confringam baculum panis vestri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes et reddant eos ad pondus, et non saturabimini (Lev. 26, 26; cf. Matth. 13,33). Postmodum tamen in ipsa urbe Ierusalem mentio fit viae pistorum (Ier. 37,21 hebr.) et Osee quoque (7,4) pistorem seu furnarium videtur indicare. Tempore Davidis artifices lignorum et artifices lapidum et artifices parietum mittebantur ab Hiram rege Tyriorum, ut aedificarent domum David (2 Reg. 5,11; 1 Par. 14,1; 3 Reg. 5,6); ipse quoque Salomon misit et tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduae de tribu Nephthali patre Tyrio, artificem aerarium, qui finxit duas columnas aereas et capitella fusilia ex aere, qui fecit mare fusile etc. (3 Reg. 7,14 ss.). Fabros ferrarios commemorat Isaias quoque (44,12); describit opera eorum in efformandis idolis : lima operatus est, in prunis et malleis formavit illud (44,12); fabros ferri et aeris, caesores lapidum aliosque opifices conduxerunt Ioas et Ioiada ad instaurandum templum (2 Par. 24,12); fabros ferrarios cum aliis nobilibus abduxit Nabuchodonosor Babylonem (4 Reg. 24,14). Praeter fabros ferrarios reperiebantur quoque qui in auro et argento laborabant; cf. Iud. 17,4 tulit ducentos argenteos (siclos) et dedit eos argentario, ut faceret ex eis conflatile; Is. 40,19; 41,7 : imago lignea auro obducitur et laminis argenteis exornatur; Ier. 10,14; Ephesi argentarii conficiebant aedes argenteas Dianae (Act. 19, 24). Sciebant itaque metalla fundere, purgare, excoquere ad removendas scorias, ad separandum metallum vile (Is. 1,22. 25); ad quod adhibebatur sufflatorium; cf. Ier. 6,29 : defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator; cf. Ez. 22,18. 20; Mal. 3,3; arca erat obducta auro intus et foris, pariter vectes operiebantur auro (Ex. 25,11. 13); item parietes sancti sanctorum; domus quoque ante oraculum, immo nihil erat in templo quod non auro tegeretur (3 Reg. 6,20 ss.; 2 Par. 3,5). Quid artifices in lapidibus pretiosis et margaritis praestiterint, discimus Ex. 28,10. 11. 17; Cant. 1,10. Laboris artem et molestias describit Sapiens : faber et architectus noctem tam-

quam diem transigit, sculpit signacula sculptilia, et assiduitas eius variat picturam; sic faber ferrarius sedens iuxta incudem et considerans opus ferri; vapor ignis uret carnes eius et in calore fornacis concertatur; vox mallei innovat aurem eius et contra similitudinem vasis oculus eius (Eccli. 38,28 ss.).

De operibus carpentariis et de laboribus fabrorum lignariorum saepius fit mentio; cf. Ex. 25,10 ss.; 35,33; 37,1. 10. 25; Num. 7,3 ss.; Ios. 11,6; Iud. 4, 13; 1 Reg. 6,7; 2 Reg. 6,3; 3 Reg. 7,33. Artem in efformandis simulacris describit Isaias : artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina, fecit illud in angularibus et in circino tornavit illud et fecit imaginem viri (44,13).

Non deerant opifices ad domus aedificandas, ad templi aedificia instauranda (cf. 4 Reg. 12,11 ss.), ad muros construendos (Ez. 13,11; Am. 7,8), ad lateres conficiendos (cf. Ex. 5,7; 2 Reg. 12, 31, ubi de coquendis lateribus textus est emendandus), ad lapides secandos (3 Reg. 7,9; 4 Reg. 12,12; 22,6; 1 Par. 22,2; 2 Par. 2,2. 18). Ad varia vasa fabricanda operam utilem praestabant figuli (vide s. v.), quorum laborem depingit Sapiens: figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus rotam, in brachio suo formabit lutum, cor suum dabit ut consummet linitionem et vigilia sua mundabit fornacem (Eccli. 38,32-34); cf. Ier. 18,3. 4; inter eius opera numerantur hydriae, lagenae (3 Reg. 17,12; Is. 30,14; Ier. 48, 12) et etiam idola (Sap. 15,7. 8). De societate quadam figulorum qui apud regem in operibus eius occupati erant, obscure traditur 1 Par. 4,23.

Inter opifices recensendi sunt quoque fullones (v. FULLO); cf. 4 Reg. 18,17; Is. 7,3; 36,2; Marc. 9,2. Tamquam adiumentum, quo lintea quam maxime candida facerent, adhibebant salem alcalinum (cf. Mal. 3,2 hebr.; Vulg. herba fullonum). Coriariorum quidem in Vetere Testamento non fit mentio; attamen non defuisse coriorum confectores, satis elucet Ex. 25,5; nam debet Moyses a populo accipere pelles arietum rubricatas pellesque ianthinas; cf. 26,14; 35,7. 23; 36,19; Num. 4,6 ss. et Ez. 16,10 nominantur calcei ex pelle ianthina tamquam ornamentum. — S. Petrus dies multos commoratus est in Ioppe apud Simonem quendam coriarium (Act. 9,43), cuius domus erat iuxta mare (Act. 10,6) propter ipsius operis commodum, ab aliis aliquatenus distans probabiliter ob malum pellium odorem.

Cum aromata et unguenta in usus sacros et profanos adhiberentur haud raro, qui ea conficerent, unguentarii deesse non poterant; cf. Ex. 30,25. 35; 1 Sam. 8,13; Eccli. 38,7; 2 Par. 16,14 et Neh. 3,8 nominatur Ananias filius pigmentarii; Cant. 3,6; 5,13; Eccli. 49,1.

Texendis pannis pretiosis viri quoque operam dabant, scil. polymitarii ac plumarii, qui fecerunt opera de hyacintho ac purpura coccoque bis tincto et bysso; cf. Ex. 26,1. 31 (hebr., Vulg. opere plumario); 36,8; 39,8. In hebr. textor etiam nominatur Ex. 28,32. Ceterum pleraque opera nendi et texendi incumbebant mulieribus; cf. Ex. 35,25; 1 Reg. 2,19; 4 Reg. 23,7; Tob. 2,19 : Anna ibat ad opus textrinum cotidie et de labore manuum suarum victum deferebat; cf. Prov. 31, 13. 19. 24. Sed iam ex antiquo tempore cognationes domus operantium byssum nobis referuntur (1 Par. 4,21). Panni duriores conficiebantur ex pilis camelorum et caprarum; inde vestes ad luctum declarandum, saccus, fiebant. Paulus apostolus, Aquila, scenofactoriae artis erant (Act. 18,3), scil. ex corio, ciliciis, linteis tentoria faciebant minora ad usum itinerantium; et quam sedulo apostolus manibus suis laboraverit, saepius testatur (cf. Act. 20,34; 1 Cor. 4, 12; 1 Thess. 2,9; 2 Thess. 3,8). Demum opificia haec ipse Christus reddidit nobilia, quia ipse vocatus est faber et filius fabri (Matth. 13,55; Marc. 6,3).

OPTIMATES, nobiles, magnates, primores in aliqua urbe, aulici nobiles. In Vulgata ita saepius declaratur vox hebr. חֹרִים (liberi, nobiles) 3 Reg. 21,8. 11; Ier. 27,20; Neh. 2,16; 4,14. 19; 5,7; 6,17; 7,5; 13,17. Item שָׂרִים 4 Reg. 10, 1; איתנים Iob 12,19; גדלים 4 Reg. 10, 6. 11; אדורים Neh. 3,5; 10,29; Ier. 25, 34. 35. 36; רבים Ier. 39,13; 41,1; דתבריא Dan. 3,3 (legum periti, iudices?);

הַדְּבָרִין Dan. 3,24. 91; 4,33 (consiliarii regis?); נִקְבִים Am. 6,1 (nominati).

ORACULUM. In Vulgata dicitur oraculum pro hebr. capporeth, quae vox alias etiam vertitur propitiatorium (vide s. v.). Cur autem operculum arcae etiam oraculum dictum sit, explicatur ex eo, quod Ex. 25,22 dicitur : praecipiam et loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum cherubim cuncta quae mandabo per te filiis Israel. Erat itaque operculum arcae quasi sedes Domini, ex qua se locuturum esse Moysi promisit; inde itaque dabantur quasi oracula. Sed solum in libris Exodo et Levitico eo sensu legitur in Vulgata oraculum (Ex. 25,18. 20; 37,6; 40,18) et Ex. 36,6 explicite legitur : propitiatorium i. e. oraculum; praeterea cf. Lev. 16,2. 13. 15. Quod habetur Num. 7,89 : cum ingrederetur Moyses tabernaculum, ut consuleret oraculum, liberius versum est, hebr. ut cum eo loqueretur, LXX λαλῆσαι αὐτῷ.

In 3 Reg. et 2 Par. oraculum ponitur pro hebr. דְּבִיר, qua voce sanctum sanctorum in templo, extrema scil. ad occidentem sanctuarii pars, longa et lata 20 cubitos, designatur; cf. 3 Reg. 6,5. 16. 17.19. 20-23; 7,49; 8,6. 8; 2 Par. 3,16; 4,20; 5,7. 9.

Describit Ezechiel 21,21 ss. modum, quo rex Babylonis exquirat, utra via debeat procedere : divinationem quaerens, commiscens sagittas, interrogavit idola, exta consuluit. Qui modus in v. 23 dicitur : eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum; hebr : erit iis divinatio vana in oculis eorum, ὡς μαντευόμενος μαντείαν ἐνώπιον αὐτῶν.

ORATIO, hebr. תְּפִלָּה (פלל) quasi medians inter Deum et hominem. Uti sacrificium, sublimissimus actus religionis, est latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, impetratorium, ita oratio quoque occupatur vel in laude supremae maiestatis vel in actione gratiarum pro acceptis beneficiis, vel in deprecatione culparum, vel in petitione. Plurima pro quattuor istis orationis speciebus exempla in s. litteris exhibentur. Cum oblatione sacrificiorum oratio quoque coniungebatur; cf. Lev. 5,6 : offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea (anima) sacerdos; item v. 18; 9, 7; 12,7. 8; 14,53; 16,6. 34; 19,22; Iob 42,8; 1 Sam. 7,9; 1 Par. 21,26; 2 Par. 29,27-30 etc. Oratio laudis qua Dei maiestas celebratur praeclare habetur in multis psalmis; v. g. Ps. 8. 65. 92. 94. 95. 103. 112. 135. 144. 148-150; in psalmis quoque grati animi sensus eximie efferuntur, v. g. Ps. 3. 4. 17. 22. 29. 47. 65. 75 etc., item sensus animi poenitentis, v. g. Ps. 6. 31. 37. 50. 54. 78. 79. 101. 129. 142; atque creberrime preces, supplicationes, petitiones in psalmis Deo proponuntur. Ad implorationes etiam pertinent precationes pro aliis, quarum exemplum nobis iam praebet Abraham, intercedendo apud Deum pro salute urbis peccatricis, quam obtinuisset, si decem iusti ibi reperti fuissent (Gen. 18, 23-33) et Gen. 20,17 : orante Abraham sanavit Deus Abimelech et uxorem ancillasque eius. Saepius pro populo oravit veniamque iis impetravit Moyses (Ex. 32,31; Num. 14,13); quae intercessio tum solum effectu caret, si malitia populi ad summum fastigium pervenerit, sicut Deus dixit Ieremiae : tu ergo noli orare pro populo hoc nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te (Ier. 7,16; 11,14; 14,11; Ez. 14,14). Huius orationis pro aliis fusae sublimissimum exemplum praebet Christus (Ioan. 17); hoc imitati sunt primi fideles (Act. 12,5); hanc orationem pro se, pro profectu evangelii Paulus frequenter expetit (Rom. 15,30; Eph. 6,19; Col. 4,5; 2 Thess. 3,1; Hebr. 13,18). Formulae quoque precationis exhibentur praeter Psalmos; ita iam Deut. 26,5-10. 15 s.; et oratio Salomonis in dedicatione templi (3 Reg. 8,15-53) et orationes paenitentiae (Dan. 9,4 ss.; Esdr. 9,6; Lament. 5, 1 ss.; Bar. 2,11 ss.), et actio gratiarum Ionae (2,3-10) et canticum trium iuvenum in fornace (Dan. 3,26 ss.). Praeclarissimam precandi formulam, quae simul est teste S. Cypriano (de oratione dominica 9; *M.* 4,525) caelestis doctrinae compendium, nos docuit Christus (Matth. 6,9; Luc. 11,2). Invocatione ad Patrem nostrum caelestem praemissa

id efflagitare iubemur quod est omnium rerum finis ac terminus et quod Deus ipse in omnibus necessario appetit, ut Deo debita reddatur gloria; haec ei tribuitur sublimi modo, si regnum Dei omnes occupat; hoc autem regnum in perfecta adimpletione voluntatis divinae perficitur. Postquam Dei gloriam externam efflagitavimus, ad nostras necessitates descendimus; precamur necessaria pro vita naturali, precamur remissionem peccatorum i. e. vitam supernaturalem eiusque conservationem et protectionem a periculis tentationum et a quolibet malo.

Deus saepe promisit se orantes esse exauditurum Ex. 22,23 : vociferabuntur ad me et ego audiam clamorem eorum; Ex. 22, 27: si clamaverit ad me, exaudiam eum quia misericors sum; Deut. 4,7 : Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris; Prov. 15,19 : orationes iustorum exaudiet Dominus; Eccli. 35,21 : oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus aspiciat. Qua in re summi momenti sunt, quae Christus docuit de efficacia orationis perseverantis parabola amici noctu adventantis et panes ab amico postulantis, et viduae iudicem crebro adeuntis ad ius postulandum, quibus parabolis docere voluit, oportere semper orare et non deficere; quare asseverat : petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis etc., et si vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se? cf. Luc. 11,5 ss.; 18,1 ss. Praesertim affirmat Iesus efficaciam orationis factae in nomine suo : et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam (Ioan. 14,13. 14; 16,23. 26) et si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (l. c.). In nomine Iesu petere est autem petere in unione cum eo, petere ad eius mentem et intentionem, ratione eius muneris et doctrinae, ad opus eius perficiendum.

Malorum remedium assignatur oratio: tristatur aliquis vestrum? oret; infirmatur quis? inducat presbyteros et orent super eum — orate pro invicem ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua (Iac. 5,13-16). Pro quibus orandum sit, ipsa caritatis lege et precationis formula : da nobis, dimitte nobis etc. Christus clare demonstravit; insuper iubet nos orare pro persequentibus et calumniantibus (Matth. 5,44), id quod ipso suo exemplo comprobavit rogans moriens in cruce : Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt (Luc. 23,34). Pro quibus orandum sit, Paulus quoque declarat, fieri debere obsecrationes pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt; hoc enim esse bonum et acceptum coram Deo, qui omnes homines velit salvos fieri (1 Tim. 2,1-4).

Etsi in Vetere Testamento explicitum praeceptum orationis non proponatur, tamen ipsa lege caerimoniali de sacrificiis, primitiis, decimis, de diebus festis cultus Dei praescribebatur, qui sine oratione cogitari nequit. Dein in ipsis Psalmis pro omni vitae conditione et variis in afflictionibus petitiones ad Deum habentur, quae argumento sunt quomodo preces fundere piis hominibus consuetum fuerit. Et generatim quoties legimus populum clamasse ad Dominum; cf. Ios. 24,7; Iud. 3,9. 15; 4,3; 6,7; 10,10; 1 Reg. 7,8; 12,10. 18; 15,11 contristatus est Samuel et clamavit ad Dominum tota nocte; 3 Reg. 17, 20; 2 Par. 13,14; 18,31; 20,9; Neh. 9, 27; Iudith 4,10; 5,10; 7,18 ss.; 9,2 effertur oratio Iudith, sicut Esther 14,5 eius oratio, et praeclarum exemplar orationis in libro Tobiae saepius praebetur v. g. 4,20 : omni tempore benedic Deum et pete ab eo, ut vias tuas dirigat et omnia consilia tua in ipso permaneant; cf. 11,12 et 13,2 etc. Praeterea arguitur consuetudo ac mos orandi ex eo quod Deus orationes eorum qui nolunt a malo recedere abominatur ac reprobat; Is. 1,15 cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt; Am. 5,23 aufer a me tumultum carminum tuorum et cantica lyrae tuae non audiam.

Tempora quoque orationis assignantur. Ita profitetur psalmista : Domine,

mane exaudies vocem meam; mane astabo tibi (Ps. 5,4), exsultabo mane misericordiam tuam (Ps. 58,17); mane oratio mea praeveniet te (Ps. 87,14); vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo et exaudiet vocem meam (Ps. 54,18). Tribus temporibus in die Daniel quoque apertis in cubiculo suo contra Ierusalem fenestris flectebat genua sua et adorabat et confitebatur coram Deo (Dan. 6,10). Ad horam orationis nonam Petrus et Ioannes ascendebant in templum (Act. 3,1); in templo enim mane et vespere holocaustum perpetuum offerebatur, cui ab initio fideles assistebant « quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo » (Act. 2,46). Crebro esse orandum, indicat Psalmista dicens : septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiae tuae (Ps. 118,164). Demum cuncta opera nostra debere dirigi ad Dei laudem atque frequenter explicite esse orandum, Christus docet dicens : oportet semper orare et non deficere (Luc. 18,1), cui congruunt Pauli verba : sine intermissione orate (1 Thess. 5,17) et : orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione (Col. 4,2). Atque exemplum frequentis orationis ipse Christus dedit : orat suscepto baptismate, orat antequam miracula patrat, secedit in montem ut oret, pernoctat in oratione, orat ante electionem apostolorum, antequam quaerit ex discipulis : quem me dicunt esse turbae? dum orat, transfiguratur, orat in horto, in cruce et orans tradidit spiritum (cf. Luc. 3,21; 5,16; 6,12; 9,18. 29; 11,1; 22,43; 23,34. 46; Ioan. 11,41; 17,1 ss.). Et fideles quoque hoc exemplum ac praeceptum Christi sedulo opere exprimebant; cf. Act. 1,24; 2,47; 4,24; 6,6; 8,15; 12,5. 12; 13,3; 14,22; 16,25; 20,36; 21,5 etc.

Solebant veteres orare stantes (1 Sam. 1,26; 3 Reg. 8,22; 1 Par. 23,30; Matth. 6,5; Luc. 18,11. 13), sed etiam sese inclinantes et flectentes genua (Gen. 24,26; 3 Reg. 8,54; Esdr. 9,5; Dan. 6,10; Mich. 6,6; Luc. 22,41; Act. 7,49; 9,40; 20,36; 21,5); immo proni in terram (Iob 1,20; Neh. 8,6; Matth. 26,39). In oratione solebant levare manus (Ex. 17,11-13; 2 Par. 6,13 palmis in caelum levatis; Ps. 62,5; 133,2; Neh. 8,7), vel orare manibus expansis (Ex. 9,29; 3 Reg. 8,22; 2 Mach. 3,20; 15,21; Ps. 43,21; 87,10; 142,6).

Peculiaris efficacia additur orationi adiuncto ieiunio, bona est oratio cum ieiunio (Tob. 12,8); Iudith quoque induens se cilicio et ponens cinerem super caput orat, ut se praeparet ad rem difficilem (9,1 ss.); Esther ieiunio et oratione se praeparat (Esth. 4,16) et ipse Christus profitetur esse daemonii genus quod non expellatur nisi oratione et ieiunio (Matth. 17,20).

Oportet autem orare cum firma fiducia : si quis vestrum indiget sapientia postulet a Deo qui omnibus dat affluenter et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur; non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino (Iac. 1,6. 7). Quam certam fiduciam Christus commendat omnia possibilia esse dicens credenti, et : si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori : eradicare et transplantare in mare et oboediet vobis (Luc. 17,6; cf. Matth. 17, 19; 21,22; Marc. 9,22; 11,24). Quae fiducia est filii ad Patrem benevolentissimum; nam ad Patrem loquimur, a Patre petimus; ad quam orationem ab ipso Spiritu Sancto impellimur; immo misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater (Gal. 4,6) et ipse Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Rom. 8,26).

I. KNABENBAUER.

OREB (עֹרֵב; Ὠρήβ), princeps Madianitarum, qui ab Ephraimitis caesus est in petra Oreb (Iud. 7,25; 8,3; Ps. 82, 12; Is. 10,26 et v. PETRA OREB), sicut alter princeps Zeb (vide s. v.) in torcularī Zeb.

ORIENS saepissime dicit plagam caeli dictam a regione solis orientis et oppositam occidenti; est itaque plaga seu regio orientalis vel indicat, in quam directionem quis tendat vel a qua veniat;

hebr. קֶדֶם, LXX ἀνατολαί, communiter in plurali. Quare Matth. 2,2 vidimus stellam eius ἐν τῇ ἀνατολῇ melius explicabitur : in ortu (*im Aufgange*); nam etiam apud Matth. quando de *regione* sermo est, legitur pluralis (cf. 2,1 ; 8,11 ; 24,27; Luc. 13,29; Apoc. 21,13).

Legitur quoque Oriens in Vulgata pro hebr. צֶמַח germen, quo nomine Messias designatur ex verbis ultimis David, quibus dicit fore, ut Deus omnia quae sibi promiserit faciat germinare (2 Sam. 23,5). Unde vox haec Germen adhibetur de Messia (cf. Is. 4,2; Ier. 23,5; 33,15); item Zach. 3,8 et 6,12, ubi in Vulgata non (uti alias צמח vertitur) Germen legitur, sed Oriens, LXX Ἀνατολή. Eadem vox legitur Luc. 1,78 Oriens ex alto Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, verum dubium ibi est, sitne Germen interpretandum et non potius *Ortus,* ita ut de sole ac luce debeat intellegi, cum sequatur : illuminare his qui in tenebris etc. Insuper attende, uti ἀνατέλλειν dicitur quoque notione progerminandi, ita צמח aramaice splendere, lucere (cf. Is. 4,2 LXX).

ORION v. STELLAE.

ORNAMENTUM. Uti hodierni orientales, ita veteres quoque ornamentorum erant amantissimi. Iam servus Abraham ornavit faciem Rebeccae annulo aureo et dedit armillas aureas in brachio eius (Gen. 24,22. 47); Iudas quoque annulum (vide s. v.) gessit et in familia Iacob inaures in usu erant (cf. Gen. 35,4; 38,18). Varia ornamenta, vasa aurea et argentea, Israelitae ex Aegypto secum asportarunt; nam de inauribus aureis uxorum, filiarum filiorumque Aaron conflavit vitulum aureum (Ex. 32,2) et ad construendum sacrum tabernaculi apparatum viri cum mulieribus praebuerunt armillas (חָח) et inaures et annulos et dextralia (vide s. v.), vasa aurea, hyacinthum, purpuram, byssum etc. (Ex. 35,22) et ex praeda Madianitarum (Moabitarum?) acceperunt ornamenta aurea : periscelides, armillas, annulos, inaures (עֲגִיל), murenulas. Cf. s. v. ANNULUS. Inter alia magni aestimabantur vestes pretiosae; vestes diversorum colorum, vestes purpureae (Iud. 5,30; 8,26); pallio babylonico valde bono Achan ita captus est, ut anathemate se polluere non dubitaret (Ios. 7,21); laudatur Saul quod filias Israel vestiebat coccino (vide s. v. COCCUM) et illis praebebat ornamenta aurea (2 Sam. 1,24); vestes coccineae, purpureae, auro intextae, fibulis aureis ornatae commemorantur (Ier. 4,30; Ez. 23,6; 1 Mach. 10,20. 62. 64; 11,58; 14,43); Daniel quoque indutus est purpura et circumdata est torques aurea collo eius (Dan. 5,7. 29) et Mardochaeus egressus est de palatio regis indutus vestibus regiis, hyacinthinis videlicet et aëreis, coronam auream portans in capite et amictus byssino pallio atque purpureo (Esth. 8,15). Ornatus muliebris describitur Ez. 16,10 : unxi te oleo, vestivi te discoloribus (veste acu picta) et calceavi te ianthino (pelle subtili et eleganti) et cinxi te bysso et indui te velo serico et ornavi te ornamento et dedi armillas in manibus tuis et torquem circa collum tuum et dedi inaurem super os tuum (i. e. circulum in naribus) et circulos auribus tuis et coronam decoris in capite tuo, et ornata es auro et argento et vestita es bysso et serico et multicoloribus. Et ornatus quo se Iudith decoravit, ita exhibetur : unxit se myro optimo (cf. Esth. 2,12) et discriminavit crinem capitis sui et imposuit mitram super caput suum et induit se vestimentis iucunditatis suae, induitque sandalia, assumpsitque dextraliola et lilia et inaures et annulos et omnibus ornamentis suis ornavit se (Iudith 10,3).

Ornatus est sponsi, qui corona decoratur (Is. 61,10), cuius vestes myrrha, aloe, casia tinctae sunt (Ps. 44,9), optimis unguentis delibutae; inter sponsae ornamenta recensetur fascia pectoralis (cingulum, zona, Ier. 2,32), quibus adde Cant. 1,10. 11 catenulas, torques aureas et globulos argenteos.

Varia ornamenti et luxus genera mulieribus exprobrat Isaias (3,18 ss.); ornamenta cruralia, periscelides seu annulos nominat metallicos quibus pedes ornabant, redimicula frontis, lunulas, quibus collum ornabatur, stalagmia (inaures quasi in modum guttarum), brachialia, velamina, ornamenta cate-

nularum (quibus annulos pedum coniungebant ad incedendum gressibus parvis), cingula, olfactoriola, amuleta (gemmas insculptas?), annulos, gemmas in fronte pendentes, vestes pretiosas, pallia, tegumenta (Vulgata linteamina, forte vela satis magna reliquis vestibus circumvoluta), marsupia (Vulgata acus, Targum fibulas), specula (i. e. laminae ex metallo polito, LXX τὰ διαφανῆ Λακωνικά, vestes pellucidas), sindones (interulas linteas, seu operimenta valde tenuia), tiaras (fascias capiti circumvolutas, vittas), theristra (tegumenta tenuia aliis indumentis superinducta) et Ps. 44,10 vestes commemorantur auro Ophir intextae.

Ad quae vestium ornamenta accedunt aromata et unguenta suavis odoris, accedit opus tornatile in crinibus i. e. studiose curabant, ut opere tornatoris quasi et calamistri cincinnos artificiose crispandos redderent (cf. Is. 3,24). Ornatus quidam ac splendor addebatur oculis ope stibii, quod est pigmentum compositum ex plumbagine et zinco, quo mulieres ad palpebras illinendas utebantur, ut oculis maiorem adderent splendorem. Iezabel audiens Iehu venire depinxit oculos suos stibio et ornavit caput suum (4 Reg. 9,30). Eo ornatu oculi etiam maiores videbantur, unde Ier. 4,30 oculos stibio discindere (hebr.); ad hoc ornamentum refertur nomen filiae Iob Cornustibii (Iob 42,14), et accusatio prophetae contra plebem infidelem : circumlinisti stibio oculos tuos et ornata es mundo muliebri; sedisti in lecto pulcherrimo et mensa ornata est ante te et thymiama meum et unguentum meum posuisti super eam.

Ornamenta illa annulorum, catenularum, torquium etc. auro vel argento, ebore, ferro conficiebantur pro suis cuiusque opibus. Ad viros maxime pertinebat annulus signatorius; inaures solum commemorantur de filiis (Ex. 32,2); verum cum Iobo sanitati restituto unusquisque amicorum inter alia etiam donarit inaurem auream unam, non videtur improbabile etiam viros quandoque inaures gestasse. Ad viri ornatum praeprimis referebatur barba, in quam etiam defluebat unguentum (Ps. 132,2), quo caput infundebatur (cf. Ps. 22,5 impinguasti in oleo caput meum et Eccle. 9,8 oleum de capite tuo non deficiat). Quare viro summae ignominiae erat radi barbam (cf. 2 Reg. 10,4 ss.). Ornatus quidam vanus Pharisaeorum habebatur eo quod phylacteria dilatabant et fimbrias palliorum magnificabant (Matth. 23,5).

De ornatu mulierum scribunt apostoli quoque. Et Paulus quidem : mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se et non in tortis crinibus aut auro aut margaritis vel veste pretiosa (1 Tim. 2,9) et Petrus : earum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus (1 Petr. 3,3); earum ornatus sit in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, prout et sanctae mulieres ornabant se subiectae propriis viris (l. c.).

In luctu autem omnis deponebatur ornatus : « audiens populus sermonem hunc pessimum luxit et nullus ex more indutus est cultu suo..... deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum » (Ex. 33, 4. 6); ornatu abiecto assumebatur saccus; manebant illoti, cinere caput aspergebatur etc.; vide s. v. LUCTUS.

ORNAN v. AREA 4.

ORONAIM (חֹרֹנַיִם et Ier. 48,5 חוֹרֹנָיִם; i. e. duae cavernae a חוֹר = חֹרֹן; Ἀρωνιείμ, Ὠρωναίμ, Ὀρωναίμ), urbs Moab, quae in vaticiniis contra Moab commemoratur simul cum Segor et Luith (Is. 15,5; Ier. 48,3. 5. 34). Ex his locis colligitur eam fuisse in meridiana parte Moabitidis, iuxta viam versus fines Edomitarum, in descensu quodam montano, nec procul a Segor (Ier. 48,34). Coniiciunt esse *Qaṣr ḥarasha* in *Wādi el-Derā'a* occidentem versus ab *el-Kerak*. Urbis mentionem fieri in inscriptione Mesa lin. 31-34 alii affirmant, alii negant (cf. Tübinger Quartalschrift LII. 1870, p. 595 et 632 ss.); si opinio affirmativa admittitur, dicendum erit urbem tempore Mesae regis seu ineunte saeculo nono a. Chr. in ditione Idumaeorum fuisse et a Mesa recuperatam esse. Videtur eadem esse quae Ὀρῶναι apud Flav.

Iosephum, quam urbem cum Zoara (Segor) aliisque urbibus moabiticis Alexander Iannaeus Arabibus eripuit et eius filius Hyrcanus II. Aretae principi Arabum reddidit (Ant. XIII. 15,4; XIV. 1,4; in editione *Niese* vox Ορωναι cum sequentibus in unam coalescit). — Utrum Sanaballat Horonites fuerit de Oronaim moabitica an de Bethoron ephraimitica, controvertitur; v. SANABALLAT.

ORORI v. ARARI 1.

ORPHA (עָרְפָּה, Ὀρφά) Moabitis, uxor Chelionis, qui erat frater Mahalon mariti Ruth et filius Noemi (Ruth 1,4. 14). Mortuis maritis ambae nurus Orpha et Ruth socrum Noemi comitatae sunt e Moabitide in Bethlehem revertentem; Orpha autem ex itinere rediit ad populum suum et ad deos suos (vel forte vertendum : ad Deum suum 4,15). Cf. *F. de Hummelauer* in Ruth 1,4 ss. quoad matrimonium Moabitidis cum Israelita et reditum Orphae.

ORTHOSIAS (Ὀρθωσιάς, apud auctores profanos Orthosia, Ὀρθωσία), urbs maritima Phoeniciae. Tryphon ab Antiocho VII. Sidete fugiens ab urbe Dora Ptolemaida, inde navi Orthosiada (1 Mach. 15,37), denique Apameam in Syria se contulit; cf. s. v. ANTIOCHUS 6 et TRYPHON. Veteres auctores urbem collocant a Tripoli septemtrionem versus, ab Eleuthero fluvio meridiem versus (*Ptolem.* V. 15,4 [*ed. Müller-Fischer* 14,3]; *Plin.* V. 20,78); *Strabo* XVI. 2,12. 15 eam non solum a Tripoli, sed etiam ab Eleuthero septemtrionem versus quaerendam esse ipso ordine enumerationis innuit, sed hoc neglegentiae cuidam adscribendum videtur. In Tabula Peutingeriana Ortosias 12 mil. pass. a Tripoli septemtrionem versus collocatur. Iamvero in Itinerario Burdigalensi 12 mil. pass. a Tripoli septemtrionem versus est Mutatio Bruttus, quo nomine agnoscitur hodiernus *Nahr el-Bārid* i. e. *fluvius frigidus;* iuxta ripam meridianam huius fluvii ruinae urbis cernuntur, quae Orthosias fuisse censetur, inter Tripolim et Eleutherum (*Nahr el-Kebīr*). Cf. *Ritter,* Erdkunde XVII. 805 ss.; *Baedeker-Benzinger,* Palaestina und Syrien, *ed.* 5, p. 395; *M. Hagen,* Atlas biblicus, Tab. 9 A 3.

ORTYGOMETRA v. COTURNIX.

ORYX (תְּאוֹ, ὄρυξ) Deut. 14,5 inter animalia munda cum aliis ex cervorum et dorcadum genere bestiis enumeratur. Quid fames et gladius contra Ierusalem egerint, illustratur Is. 51,20 : filii tui defecerunt et iacent in compitis « sicut oryx תֹּאֹ illaqueatus »; inepte LXX ὡς σευτλίον ἡμίεφθον i. e. ut beta semicocta, Syrus et Arabs : ut beta flaccida, Targum : ut phialae fractae.

Rabbini plerique vocem hebraicam interpretati sunt bovem silvestrem seu bubalum, quam sententiam approbat *I. D. Michaelis* (Suppl. ad lex. hebr. s. v.) : « Favet bubalo, quod ad animalia pura, quae ungulas findunt et ruminant, pertinet ». Contra rabbinos arguit *Bochartus* (Hieroz. I. l. 3, c. 28) ea voce potius designari orygem quam bovem silvestrem, cui sententiae textus biblici omnino favent. Teste *H. B. Tristram* (Fauna and Flora of Palestine 1884 p. 5) inveniuntur *Antilope bubalis* in limitibus orientalibus Galaad et Moab, *Antilope addax* in Abyssinia, Nubia, Aegypto, Arabia usque ad limites australem et orientalem Palaestinae, *Antilope leucoryx* in Africa aquilonari, in Arabia, praesertim aquilonari, in regionibus transiordanicis *Belqā* et *Ḥaurān*, et in desertis orientalibus Persiam usque. Atque hanc ultimam speciem voce תאו vel תוא designari censent ex recentioribus *Tristram* (l. c. et Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 57-8), *P. Cultrera* (Fauna bibl. 1880 p. 250), *J. G. Wood* (Bible animals 1892 p. 116-121). Non desunt tamen auctores, quibus prima species, *Antilope bubalis*, arab. *baqar el-waḥsh*, voci hebraicae congruere videtur v. g. *Sam. Oedmann* (Verm. Samml. IV. 2 p. 23-33), *E. F. K. Rosenmüller* (Bibl. Altert. IV. 2 p. 183-6). Quae de antilopinis tradiderunt auctores graeci et romani, refert *H. O. Lenz*, Zoologie d. alten Griechen u. Römer 1856 p. 226-9.

OSAIAS (הוֹשַׁעְיָה). 1. Pater Iezoniae (Azariae) principis tempore Ieremiae

(Ier. 42,1; 43,2; LXX 49,1; 50,2 Μαασαίου scil. filius); v. IEZONIAS 1.

2. Vir, qui in dedicatione muri Ierusalem praeibat mediam partem principum Iuda (Neh. 12,32; Ὡσαΐα); probabilius ipse quoque e numero principum erat.

OSCULUM. Erat osculum tamquam signum amoris ac mutuae aestimationis valde in usu inter cognatos (cf. Gen. 27,27; 29,11; 33,4; 45,15; Ex. 4,27). Ita inter se osculabantur ad salutationem, si quis peregre adveniret (cf. Ex. 18,7; Tob. 9,8; 11,11), vel proficisceretur (cf. Gen. 31,28. 55; Ruth 1,9. 14; 3 Reg. 19, 20; Tob. 10,12; Act. 20,37). Dabatur osculum ad significandum amorem et ad omnem timorem removendum; ita v. g. Assuerus osculatus est Esther (Esth. 15, 15); Esther ad summam reverentiam declarandam osculata est summitatem virgae aureae regis (Esth. 5,2); osculo amici pignus amicitiae exhibent; ita David et Ionathan (1 Reg. 20,41); osculo David rex animum gratum ac benevolum erga Berzellai manifestat (2 Reg. 19,39); osculis datis Absalom corda virorum Israel sollicitat et sibi devincire studet tanta comitatis significatione (2 Reg. 15,5). Osculis, documentis scil. reverentiae et amoris, quae pedibus humiliter infiguntur, mulier peccatrix veniam et gratiam implorat (Luc. 7,38); osculo hospitem excipere in more erat positum (Luc. 7, 45); osculo pignus datur veniae et amoris (Luc. 15,20). Ut simulatione amoris et reverentiae alii decepti largirentur beneficia, homines hypocritae abusi sunt osculo (Eccli. 29,5); immo ut tegumentum summae malitiae osculum inserviebat pessimis hominibus; ita Ioab amplectens Amasam quasi osculans eum gladio percussit (2 Reg. 20,9); osculo Iudas tradidit Christum (Luc. 22,47); quare Prov. 27,6 : meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.

Idololatriae erat idolo oscula iacere; cf. 3 Reg. 19,18 (os quod non adoravit Baal osculans manum). Iob (31,27) quoque negat se solem lunamve coluisse, se osculatum esse manum suam ore suo « quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum ».

Demum osculum sanctum salutationis et pacis commendatur fidelibus in signum intimae in Christo unionis : salutate invicem in osculo sancto (Rom. 16, 16; 1 Cor. 16,20; 2 Cor. 13,12; 1 Thess. 5,26; 1 Petr. 5,14).

OSEE (הוֹשֵׁעַ, Ὡσηέ).

1. Princeps tribus Ephraim, filius Nun, explorator terrae promissae (Num. 13,9. 17 [8. 16]). LXX Αὐσή.

2. Filius Ela, ultimus rex Israel, qui Phacee interfecto novem annis in Samaria regnavit. Cum tributum Assyriis recusaret, a Salmanassar II. facile ad solvendum tributum compulsus est; deinde vero, cum rebellare niteretur ope Aegyptiorum fretus, a Salmanassar devictus et captus est; Samaria tribus annis obsessa et a Sargon filio Salmanassar expugnata est (4 Reg. 15,30; 17, 1-6; 18,1. 9. 10).

3. Princeps tribus Ephraim tempore Davidis (1 Par. 27,20; Ὡσή).

4. Unus ex principibus populi, signator foederis (Neh. 10,23[24]).

5. Primus inter duodecim prophetas minores, filius Beeri, in regno israelitico per multos annos munere prophetico functus (Os. 1,1. 2; Rom. 9,25). De eius vita nihil certo nobis innotuit, nisi quod ex ipsius libello colligitur. Utrum ex regno australi an septemtrionali oriundus fuerit, non liquet. Attamen probabilior et communior opinio est eum fuisse civem regni Israel idque coniiciunt imprimis ex ipso genere dicendi, quod colorem aramaicum prae se ferat et asperiorem Palaestinae septemtrionalis dialectum redoleat; praeterea totus libellus scelera tribuum septemtrionalium carpit, regnum Iuda rarius attingit, civitates septemtrionales frequenter et accurate memorat, urbem Ierusalem nunquam nominat, regem Israel appellat « regem nostrum » (7,5) regnumque Israel vocat terram sine addito (1,2; 4,1. 3 etc.).

Natus igitur est versus finem saeculi 9. a. Chr. in regno Israel, quod ipse nomine Ephraim appellare solet. Ad munus propheticum vocatus primum uxorem olim fornicariam ducere iussus est, deinde vero (priore mortua?) uxo-

rem adulteram, sed ab omni commercio secludendam, donec resipuisset, ut ipse portentum esset populo Israel, quem cum idolis olim fornicatum Deus sibi desponsare non abnuerat, sed adulterum factum in captivitatem tradidit, donec resipisceret.

Per multos annos prophetam munere suo functum esse ipsa libelli inscriptio 1,1 docet, quae nominatis quattuor regibus Iuda (Ozia, Ioatham, Achaz, Ezechia) et uno Ieroboam rege Israel integrum saltem saeculum complectitur; demptis igitur primis regni Oziae et ultimis Ezechiae annis vix dubium est, quin per annos quinquaginta vel forte etiam sexaginta munus suum exercuerit. Eadem inscriptionis ratio iam ostendit, in libello summa tantum capita sermonum ab Osee habitorum per modum compendii nobis proponi idque egregie confirmatur ipso genere dicendi, quod est breve, concisum, rebus et sensibus turgidum atque fecundum.

Tumultuosis ac flagitiosis temporibus Osee prophetavit. Florebat quidem regnum Israel tempore Ieroboam II. et augebatur restitutis terminis Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis (4 Reg. 14,25). Sed ipse Ieroboam II. non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam I., qui peccare fecit Israel (4 Reg. 14,24) et populus quoque impietati et luxuriei indulgebat. Post Ieroboam II. regnum intestinis seditionibus, coniurationibus, caedibus concutiebatur, donec ultimus rex Osee sibi regnoque israelitico ruinam adscivit. In ea rerum conditione Osee scelera castigavit, Dei poenas praedixit, spem instaurationis ostendit. Procul dubio ipse quoque vexationes et persecutiones varias ab idololatris perpessus est; sed de his tacens id unum egit, ut oraculis suis populum Israel ad Deum reduceret.

OSTIARIUS v. IANITOR.

OTHEI (עוֹתַי, Γνωθί), filius Ammiud de stirpe Phares filii Iuda (1 Par. 9,4).

OTHIR (הוֹתִיר, Ὠθηρί), unus ex filiis Heman, praefectus vigesimae primae classis cantorum (1 Par. 25,4. 28).

OTHNI (עָתְנִי, Γοονεί), levita, filius Semeiae, ianitor templi (1 Par. 26,7).

OTHOLIA (עֲתַלְיָה, Γοθολία), Beniaminita de filiis Ieroham (1 Par. 8,26).

OTHONIEL (עָתְנִיאֵל, Γοθονιήλ), primus iudex Israel. Dicitur filius Cenez 1 Par. 4,13, frater Caleb minor Iud. 1,13; 3,9. Sed quia Num. 32,12 Caleb dicitur filius Iephone, Cenezaeus, Cenez inter avos Caleb numerabatur. Utrum Othoniel sensu proprio frater Caleb fuerit an remoto tantum, non consentiunt interpretes. Sine dubio de genere Cenez erat, sicut Caleb. — Caleb cum montana Iudaeae in potestatem suam redigeret et Cariath Arbe cepisset, Axam filiam suam ei promisit, qui Cariath Sepher (Dabir) urbem vicinam munitissimam expugnaturus esset. Othoniel urbem cepit, Axam uxorem duxit et eius precibus a Caleb etiam agros fertiliores praeter agrum ad urbem Dabir pertinentem impetravit (Iud. 1,13-15; Ios. 15,15-19). Notandum est matrimonium cum filia fratris Israelitis a Moyse non fuisse prohibitum. Non multo post mortem Iosue et Caleb cum Chusan Rasathaim, rex Aram Naharaim, per octo annos Israelitas opprimeret, Othoniel a spiritu Domini excitatus iudicis munere fungi coepit et ad pugnam egressus regem devicit. Secuta est quies terrae i. e. status reipublicae tranquillus ac florens per quadraginta annos, qui sine dubio ab hac victoria Othonielis computandi sunt. Utrum Othoniel mortuus sit quadraginta illis annis absolutis an intra illos, ex textu pro certo erui non potest (Iud. 3,8-11). Stirps Othoniel tempore Davidis adhuc florens erat (1 Par. 27,15; Vulgata Gothoniel).

OVIS (שֶׂה, πρόβατον) comprehenditur nomine collectivo צֹאן (pecora i. e. oves et caprae); distinguuntur אַיִל = aries, רָחֵל = ovis mater et generatim ovis, כַּר = agnus, praesertim saginatus, pinguis, טָלֶה = agniculus, כֶּבֶשׂ = agnus masculus inter agniculum et arietem. Praeter animalia bovini generis oves maximam partem gregum constituebant

apud Israelitas et apud gentes finitimas. Oves pascebantur in Aram et in Palaestina (Gen. 12,16; 13,5; 20,14; 21,27; 24,35; 29,1 ss.; 30,31 ss.; 32,5; 34,28), in Aegypto (Gen. 47,17; Ex. 9,3; 10,9. 24), in Arabia Petraea et in desertis Arabiae aquilonaris (Ex. 2,16. 19; 3,1; Is. 34,6; 60,7). Frequenter oves memorantur inter praedas bellicas (Num. 31,32; Ios. 6,21; 1 Sam. 14,32; 15,3 ss.; 27,9; 1 Par. 5,21; 2 Par. 14,15) et inter dona ac tributa regibus oblata (2 Sam. 17, 29; 1 Par. 12,40; 4 Reg. 3,4; Is. 16,1). Multo plures oves quam in terra cisiordanica (1 Sam. 25,2) alebantur in Basan, Galaad, Moab et ad austrum terrae cisiordanicae in Negeb (Iob 1,3; 42,12; 4 Reg. 3,4; Num. 31,32), atque hodie quoque ingens numerus ovium ex terra transiordanica in cisiordanicam ad mactationem adducitur. Caulae ovium saepius memorantur (Gen. 27,7; Num. 32, 16. 24; 1 Sam. 24,4; 2 Par. 14,15). Canes ad custodiendos greges pecudum adhibebantur (Iob 30,1; cf. Is. 56,10).

Oves et agni mactabantur holocausta (Lev. 1,10; 1 Sam. 7,9), hostiae pacificorum (Lev. 3,6. 7), victimae pro peccato (Lev. 4,32; 5,6), sacrificia cotidiana (Ex. 29,38. 39; Num. 28,3), sacrificia pro leprosis (Lev. 14,10 ss.), sacrificia nasiraeorum (Num. 6,12. 14), sacrificia sollemnia in neomeniis, in die clangoris seu neomenia mensis septimi, in festis paschatis, pentecostes, expiationis, tabernaculorum. Extraordinariae oblationes sollemnes memorantur agni a duodecim principibus tribuum oblati in dedicatione tabernaculi (Num. 7,15 ss.), agni mille in secunda inthronizatione et unctione Salomonis (1 Par. 29,21), ovium 120.000 in dedicatione templi (3 Reg. 8,63), oves 3.000 in cultus instauratione per Ezechiam celebrata (2 Par. 29,33), agni 400 in dedicatione templi secundi (Esdr. 6,17), arietes 96 et agni 77 in holocaustum oblati ab exsulibus reversis (Esdr. 8,35).

Tonsio ovium erat dies memorabilis in vita pastoricia (Gen. 31,19; 38,13; 1 Sam. 25,2; 2 Sam. 13,23 etc.). Ex lana et ex velleribus ovium vestimenta conficiebantur (Lev. 13,47; Iob 31,20; Prov. 27,26; 31,13; Ez. 34,3; Matth. 7,15). Lanarum partem (hebr. primitias) sacerdotes a possessoribus ovium accipiebant (Deut. 18,4). Nutrimento inserviebant lac de ovibus (Deut. 32,14) et praesertim caro ovina (Deut. 14,4; 1 Sam. 15,18; 3 Reg. 4,23; Neh. 5,18; Tob. 7,9; 8,22; Is. 22,13; Dan. 14,2; Am. 6,4). In regionibus calidioribus habentur binae quotannis generationes tempore verno et autumnali, de quibus refert *Plinius* VIII. 47(72), 187 : « multi hibernos agnos praeferunt vernis ».

In lingua symbolica S. Scripturae frequenter sermo inducitur de ovibus et agnis, de ovili et pastore, praesertim de Agno Dei (v. s. v.), de regibus populorum pastoribus, de principe Ecclesiae, qui pascit agnos et oves (v. PASTOR).

In Palaestina hodie praevalet *Ovis aries laticaudata* mediae magnitudinis, nasum habens prominentem, aures latas ac demissas, lanam pulchram, crispam, plerumque albam, caudam denique pinguem, satis latam ac longam; nonnisi arietes cornua gerunt. In montanis aquilonaribus altera quaedam species alitur iisdem fere qualitatibus conspicua atque *Ovis aries hispanica* (= *Merino*). Cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 143. Secundum *Leunis-Ludwig*, Zoologie I. (1883) § 161 n. 3 distinguuntur *Ovis aries dolichura* cum pingui cauda praelonga in Syria et *Ovis aries platyura* cum pingui cauda minus longa in Persia, Asia minore, Africa aquilonari. Oves et laticaudatas et longicaudatas iam novit Aristoteles (Anim. Hist. 8,10[12]). Atque de Arabia Herodotus (Hist. 3,113) admixtis fabulosis refert : « Duo sunt ibi ovium genera miratu digna, quae nulla in alia regione reperiuntur. Alterum genus caudas habet praelongas, tribus non breviores cubitis; quas si illae sinerentur post se trahere, ulcera haberent caudis ad terram attritis. Nunc pastorum quisque artem fabrilem in tantum callet, ut exiguum plaustrum fabricetur, quod caudae subligatur ; cuiusque pecudis caudae suum subligatur plaustellum. Alterum genus ovium caudas gerit latas usque ad cubiti latitudinem ». Israelitarum oves fuisse laticaudatas

innuit lex de cauda agni integra adolenda in sacrificio pacifico (Lev. 3,9).

OZA (עֻזָּא, sed 2 Sam. 6,6. 7. 8 et 1 Par. 6,29 [14] עֻזָּה; Ὀζά et 1 Par. 8,7 Ἀζά).

1. Filius Abinadab, a Domino subitanea morte percussus, quia manu extensa arcam sustentavit, cum de domo Abinadab in Ierusalem transportaretur (2 Reg. 6,3-8; 1 Par. 13,7-11 et vide s. v. AREA 2).

2. Oza quidam, a quo nomen habet ille hortus, in quo duo reges Iuda, Manasses eiusque filius Amon, sepulti sunt (4 Reg. 21,18. 26); de situ horti indicium quoddam in eo habetur, quod Manasses sepultus esse legitur in horto domus suae, in horto Oza (4 Reg. 21,18) vel in domo sua (2 Par. 33,20). Ubinam autem illa domus Manassis et quisnam ille Oza, possessor quondam horti, fuerit, ignoramus; coniecturas vide apud interpretes. — LXX etiam Ioakim regem ibidem sepultum esse dicunt : ἐν γανοζαῇ (2 Par. 36,8).

3. Levita de stirpe Merari (1 Par. 6,29 [14]).

4. Filius Ahod de tribu Beniamin (1 Par. 8,7).

OZAIAS v. OSAIAS.

OZAN (עַזָּן, Ὀξά), pater Phaltiel principis tribus Issachar (Num. 34,26).

OZAZIU (עֲזַזְיָהוּ, Ὀζείας). **1.** Levita tempore Davidis (1 Par. 15,21).

2. Pater Osee principis tribus Ephraim tempore Davidis (1 Par. 27,20).

OZENSARA (אֶזֶן שְׁאֵרָה; καὶ υἱοὶ Ὀζὰν Σεηρά), urbs exstructa a Sara filia Ephraim (1 Par. 7,24); nomen habet a Sara (שְׁאֵרָה) fundatrice, quae etiam Bethoron inferiorem et superiorem exstruxit vel saltem munivit. Censetur esse *Beit Ṣīrā* ad occidentem Bethoron inferioris (*G. A. Smith,* Historical Geography of the Holy Land, Plate I. IV. V. Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 16).

OZI (עֻזִּי, Ὀζί). **1.** Filius Bocci et pater Zaraiae (Zarahiae) in genealogia pontificum (1 Par. 6,5. 6. 51; Esdr. 7,4)

2. Filius Thola filii Issachar (1 Par. 7,2. 3).

3. Unus ex posteris Bela filii Beniamin (1 Par. 7,7).

4. Beniaminita, cuius posteri in Ierusalem habitabant (1 Par. 9,8).

Alii tres eiusdem nominis hebraici in Vulgata scribuntur Azzi (vide s. v).

5. Ozi (אוּזַּי, Ὀζεί) pater Phalel (Neh. 3,25).

OZIAS, OZIA (עֻזִּיָּהוּ, עֻזִּיָּה, Ὀζείας, Ὀζεία). **1.** Rex Iuda idem, qui 4 Reg. 14,21; 15,1 ss.; 1 Par. 3,12 vocatur Azarias, filius Amasiae. Sedecim annos natus regnum capessivit, quod per 52 annos tenuit. Fecit quod placitum erat coram Domino; sed excelsa non est demolitus. Bellum quoque prospere gessit; nam ab Edomitis iterum recuperavit Aelath eamque urbem munivit (cf. s. v. AELATH), et contra Philisthiim, Arabes, Ammonitas feliciter pugnavit, munitiones Philisthiim destruxit, ad securitatem gregum erexit varia castella, urbi Ierusalem addidit turres et munitiones; exercitus eius sub 2.600 ducibus numerabat milites 307.500, quibus arma praeclara providit; insuper diversi generis machinas exstruxit ad sagittas et saxa grandia iacienda, et celebrabatur nomen eius usque ad introitum Aegypti propter crebras victorias. Opera pacis quoque fovit prospiciens securitati pastorum, effodiendas curans cisternas, vineas plantans in montibus et in Carmelo; amabat enim agriculturam. Sed cum roboratus esset elevatum est cor eius; peccavit scil. in Dominum sibi munus sacerdotale arrogans, dum ingressus in templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Frustra eum admonuit Azarias pontifex et cum eo sacerdotes octoginta : non est tui officii, ut adoleas incensum; hoc est filiorum Aaron etc. Verum rex tenens in manu thuribulum minabatur sacerdotibus. Sed statim a Deo lepra est percussus et perterritus egressus est e templo et habitavit in domo separata plenus lepra usque ad mortem; Ioatham filius eius gubernabat domum regis et iudicabat populum. Cf. 4 Reg. 15,30. 32. 34; 2 Par.

26,1-23; 27,2; Is. 1,1; 6,1; Os. 1,1; Am. 1,1; Zach. 14,5; Matth. 1,8. 9.

2. Levita de stirpe Caath (1 Par. 6,24[9]).

3. Unus ex heroibus in exercitu Davidis (1 Par. 11,44), cognominatus Astarothites seu de Astaroth (vide s. v.).

4. Pater Ionathan praepositi super thesauros quosdam tempore Davidis (1 Par. 27,25).

5. Sacerdos de filiis Harim, qui tempore Esdrae uxorem alienigenam duxerat (Esdr. 10,21).

6. Unus ex maioribus Iudith (Iudith 8,1; LXX Ὀζειήλ).

7. Filius Micha de tribu Simeon, unus ex principibus Bethuliae tempore Iudith (Iudith 6,11. 19; 7,12. 23; 8,9. 10. 28. 34; 10,6; 13,23; 15,5).

OZIAU (עֲזַזְיָהוּ, Ὀζειά), filius vel ex posteris Merari et progenitor familiae levitarum (1 Par. 24,26. 27).

OZIEL (עַזְרִיאֵל, Ὀζειήλ, Ὀζιήλ, Ὠζιήλ).

1. Quartus inter filios Caath (Ex. 6,18; Num. 3,19; 1 Par. 6,2. 18; 23,12), patruus Aaronis (Lev. 10,4); per filios suos Misael, Elisaphan, Sethri (Ex. 6,22) factus est progenitor Ozielitarum seu Ozihelitarum (Num. 3,27; 1 Par. 26,23). Tempore Moysis Elisaphan, caput Ozielitarum, erat quoque princeps Caathitarum (Num. 3,30). Cum arca a Davide in Ierusalem transportaretur, domus Oziel, cuius princeps erat Aminadab, centum duodecim adultos numerabat (1 Par. 15,10); postmodum in duas domos Micha et Iesia dividebatur (1 Par. 23,20; 24,24). Sed iam tempore Davidis filii Elisaphan, quorum princeps erat Semeias, a reliquis Ozielitis velut distincta domus levitica memorantur (cf. 1 Par. 15,8. 10).

2. Unus ex filiis Iesi, princeps Simeonitarum in illa expeditione, quam quingenti Simeonitae in montem Seir contra reliquias Amalecitarum susceperunt (1 Par. 4,42).

3. Princeps familiae beniaminiticae ex filiis Bela (1 Par. 7,7).

4. Levita de filiis Heman, cantor tempore Davidis (1 Par. 25,4).

5. Levita de filiis Idithun tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,14).

6. Idem nomen hebraicum gerit aurifex, qui in Vulgata Neh. 3,8 scribitur Eziel, filius Araia.

7. Levita qui 1 Par. 15,20 Oziel, Ὀζιήλ scribitur, in textu massorethico עַזְזִיאֵל legitur; v. IAZIEL 2.

OZNI v. ESEBON.

OZRIEL (עַזְרִיאֵל, Ἐσρειήλ), pater Ierimoth, principis tribus Nephthali tempore Davidis (1 Par. 27,19).

P

PACIFICA SACRIFICIA vide s. v. HOSTIA.

PACTUM vide s. v. FOEDUS.

PAEDAGOGUS; eo nomine designabantur apud Graecos et Romanos custodes puerorum, qui vitam moresque puerorum regebant, donec ex ephebis excessissent. Erat quidem paedagogus servus; et cum munus eius sat nobile et grave esset, ipse honestam quandam servitutem serviebat. Eius porro erat puerilem petulantiam et lasciviam coercere, unde voci notio quaedam inest severitatis. Cf. 1 Cor. 4,15 : nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres i. e. eos appellat paedagogos, qui post se neophytos instituerant, corripuerant, correxerant, quorum studium et amor longe superatur amore patris i. e. Pauli, qui eos Christo genuit. Legem mosaicam vocat paedagogum εἰς Χριστόν Gal. 3,24 i. e. lex data erat ad Iudaeos custodiendos et refrenandos, et uti paedagogus pupillos suos ad magistrum ducebat, ita lex quoque Iudaeos ad Christum ducere debebat. Nam, ut S. Hieronymus ad h. l. dicit, « paedagogus parvulis assignatur, ut lasciviens refrenetur aetas et prona in vitia corda teneantur... itaque et mosaica lex populo lascivienti ad instar paedagogi severioris apposita est ». Eo autem quod lex peccata manifestabat, immo data occasione ea augens conscientiam stimulabat et superbos humiliabat, eos impellebat, ut ad Christum confugientes quaererent remedium et salutem.

PALAESTINA. **1**. *Nomina*. Palaestina, nomen maxime usitatum terrae Israelitarum, quod in S. Scriptura non legitur, ortum est ex פְּלֶשֶׁת i. e. Philisthaea (assyr. Palashtu, aegypt. Pulushta); a Graecis et Romanis extendebatur ad totam terram Israel inter mare Mediterraneum, Libanum, Iordanem (ἡ Παλαιστίνη Συρία et brevius ἡ Παλαιστίνη) et exeunte saeculo tertio etiam ad terram transiordanicam. Eo nomine communiter utuntur Christiani, Iudaei, Arabes (quibus Palaestina est *Filastunu, Filastinu*). Saeculo quinto p. Chr. etiam commemorantur Palaestina prima (quae fere Iudaeam et Samariam complectitur), secunda (regiones in utraque ripa Iordanis superioris et circa lacum Genesareth), tertia vel salutaris (quae a sinu Aelanitico incipiens Idumaeam et Moab comprehendit); cf. *Reland*, Palaestina p. 204 ss. Antiquissimum nomen semiticum terrae cisiordanicae erat Chanaan (vide s. v.). Alia nomina sunt terra Hebraeorum (Gen. 40,15), terra Israel (Iud. 19,29; 1 Reg. 13,19; 4 Reg. 6,23; Ez. 7,2; Matth. 2,20), terra Domini (Lev. 25,23; Is. 8,8; Ier. 2,7; Os. 9,3), terra sancta (Zach. 2,12 [16]; 2 Mach. 1,7), terra decoris vel etiam decor, pulchritudo simpliciter (Ier. 3,19; Ez. 20,6. 15; Dan. 8,9; 11,16. 20. 41), terra repromissionis (Hebr. 11,9).

2. *Descriptio*. Situs geographicus Palaestinae cisiordanicae circumscribitur Num. 34,2-12 : terminus occidentalis est mare Mediterraneum, terminus septemtrionalis a mari Mediterraneo protenditur per introitum Emath usque ad villam Enan, terminus orientalis a villa Enan descendit ad lacum Genesareth et iuxta Iordanem usque ad extremitatem australem maris Mortui, terminus meridionalis ab extremo mari Mortuo ad ostium torrentis Aegypti

(*Wādi el-ʿArīsh*) decurrit. Plerique terminum illum septemtrionalem a mari per introitum Emath usque ad villam Enan quaerunt septemtrionem versus a Libano; sed recentius *J. P. van Kasteren* (Revue biblique IV. 1895, p. 23-36) censuit illum probabilius infra Libanum et Hermonem maiorem fuisse et eosdem terminos reales, non ideales, etiam Ez. 47,15 ss. indicari; quem situm locis Num. 34,2 ss. et Ez. 47,15 ss. enumeratis idem auctor assignet, sub singulis vocibus adnotavimus. — Palaestina autem transiordanica seu orientalis, in quantum ab Israelitis occupata est, extendebatur ab Arnone fluvio usque ad Hermonem maiorem et orientem versus usque ad Salecham seu Selcham (Deut. 3,8-10). — Palaestina hodierna intellegitur terra inter 30° 55′ et 33° 20′ latitudinis septemtrionalis et inter 33° 50′ et 37° longitudinis orientalis a *Greenwich*. In variis autem historiae israeliticae periodis extensionem Palaestinae maiorem vel minorem fuisse, hoc loco innuere sufficiat.

Quoad regionis configurationem vide articulos de singulis tribubus, praeterea v. IUDAEA, SAMARIA, GALILAEA, GALAAD.

Subiunguntur hic generali tantum conspectu rivi vel torrentes, montes et planities Palaestinae cisiordanicae et transiordanicae.

Rivi vel torrentes cis Iordanem partim in mare Mediterraneum, partim in Iordanem et mare Mortuum desinunt. In mare Mediterraneum effunduntur *Nahr Naʿmein* paulo infra Ptolemaida, Belus veterum, fluvius vitri, quem nonnulli fluvium Labanath (v. s. v.) esse voluerunt, *Nahr el-Muqaṭṭaʿ* (torrens Cison), qui in sinum Ptolemaidis fertur, *Nahr el-Zerqā* (Vulg. Sihor et Labanath, v. LABANATH), Crocodilon flumen veterum, *Nahr Iskanderūne* (vallis arundineti?), *Nahr el-Fālik* (vallis arundineti?), *Wādi Qāna* (torrens Qana seu vallis arundineti?), qui per *Wādi Ishkar* cum *Nahr el-ʿAudjā* (Meiarcon) coniungitur, *Nahr Rūbīn*, qui in superiore parte *Wādi Sarār* (vallis Sorec) audit, *Wādi Ghazze* (torrens Besor?), cui haud procul infra Gazam tributarius coniungitur *Wādi el-Sherīʿa* (torrens Besor?), *Wādi el-ʿArīsh* (torrens Aegypti). In Iordanem influunt *Nahr Djalūd* prope *Beisān* (Bethsan), *Wādi Fārʿa* (torrens Carith?), *Wādi Faṣāil* (torrens Carith?), *Wādi el-ʿAudjā*, *Wādi Nuweime*, *Wādi el-Qelt* (torrens Carith?) in superiore parte intra montana *Wādi Fāra* audiens. In mare Mortuum effunditur torrens Cedron.

Ab oriente in Iordanem feruntur *Sherīʿat el-Menāḍire* (*Yarmūk*, Hieromax vel forte rectius Hieromices veterum) paulo infra lacum Tiberiadis, deinde *Wādi Yābis* (torrens Carith?), *Wādi ʿAdjlūn*, *Nahr el-Zerqā* (Iaboc), *Wādi Nimrīn* in superiore cursu *Wādi el-Shaʿib* audiens, *Wādi Kefrein* (torrens Carith?). In mare Mortuum ab oriente incidunt *Wādi Zerqā Maʿīn*, *Wādi Mōdjib* (Arnon), *Wādi el-Kerak* (torrens Zared?) in cursu inferiore *Wādi el-Derāʿa* audiens, *Wādi el-Haṣā* (torrens salicum?) per *Ghōr el-Ṣāfiye* in mare Mortuum inferius desinens.

Montes terrae cisiordanicae a Libano austrum versus sunt: montana Galilaeae superioris, quam totam fere mons Nephthali implet, ex quibus eminent *Djebel Hūnīn* et *Djebel Djamle* aquilonem versus, *Djebel Ṣafed* et *Djebel Djermaq* meridiem versus; montana Galilaeae inferioris vel potius collium iuga planitiebus montanis intersecta (v. s. v. GALILAEA); *Djebel el-Ṭōr* (Thabor) et *Nebī Daḥī* (Hermon minor) in planitie Esdrelon; *Djebel Mār Elyās* (Carmelus) et *Djebel Fuqūʿa* (Gelboe) coartantes planitiem Esdrelon ab occidente et ab oriente meridiem versus; deinde mons Ephraim seu mons Israel a planitie Esdrelon fere usque ad *Nebi Samwīl* protensus, in quo sunt prope Sichem mons Selmon, montes Hebal et Garizim, prope depressionem Iordanis *Qarn Ṣarṭabe* et *Djebel Qaranṭal* (Quarantania); denique mons Iuda a *Nebi Samwīl* usque ad Negeb protensus, qui occidentem versus paulatim transit in colles Sephelae, orientem versus per desertum Iuda multo magis praeceps ad mare Mortuum descendit.

Montes terrae transiordanicae sunt veluti unus tractus montanus continuus a monte Hermon usque ad Arnonem

fluvium decurrens, 600-900 m supra depressionem Iordanis assurgens, duobus fluviis et compluribus torrentibus intersectus. Terminus septemtrionalis, qui ipse intra fines Israelitarum concluditur, est *Djebel el-Sheikh* (mons Hermon), a quo protenditur planities montana Basan austrum versus usque ad fluvium *Yarmūk* (*Sherī'at el-Menādire*) et orientem versus usque ad *Djebel Ḥaurān*. A fluvio *Yarmūk* usque ad Arnonem extenditur mons Galaad (de vario ambitu vocis v. GALAAD); per vallem fluvii Iaboc duae partes montis seu terrae Galaad distinguuntur, pars septemtrionalis regio *Djebel 'Adjlūn*, pars meridiana regio *Belqā*; regionis *Belqā* montes praecipui sunt *Djebel Djil'ād* inter Iaboc et *Wādi Nimrīn*, deinde montes Abarim (cacumina Nebo, Phasga, Phogor) ad orientem maris Mortui superioris in planitie montana Moab, quae ultra Arnonem usque ad montes Edom procurrit.

Planities in Palaestina regione montana non sunt multae nec valde magnae. Imprimis habentur planities maritimae: prima, si a septemtrione procedimus, circa sinum Ptolemaidis, dein a Carmelo Ioppen usque planities Saron (v. s. v.), a Ioppe usque ad torrentem Aegypti Sephela, quae distingui solet superior et inferior (v. IUDA 2). Accedunt variae planities montanae: planities Libani subter montem Hermon (Ios. 11,17; 12,7) i. e. planities *Merdj 'Ayūn*, quae est quasi introitus in planitiem *Beqā'a* inter Libanum et Antilibanum patentem; in Galilaea inferiore planities Ramae, planities Asochis (*Sahel el Baṭṭauf*), planities vulcanica *Sahel el-Aḥmā* inter *Djebel Tūr'ān* et lacum Genesareth inferiorem. Magna planities Iezrael seu Esdrelon a collibus Galilaeae inferioris usque ad montana Ephraim extenditur; eadem per planitiem Dothain coniungitur cum planitie Saron et per *Nahr Djālūd* cum depressione Iordanis inter mare Genesareth et Mortuum, quae Araba vel pars Arabae dicitur. Eiusdem depressionis quasi continuatio est angusta planities Genesareth.

Terra transiordanica tota fere dici potest una planities montana fluviis et torrentibus intersecta, montibus multum prominentibus carens. Imprimis vero planities inter Arnonem fluvium et Hesebon designatur Mishor; de vocibus, quae varias planities designant, v. PLANITIES.

EDITOR.

3. *Geologia.* Palaestina constituit partem magnae illius tabulae desertae quae se extendit a meridie montium qui, recentiore plicatione stratorum orti, quasi quasdam catenas formant inde ab Atlante usque ad Taurum et Armeniae montes, per Africam, Arabiam, Syriam, Mesopotamiam. Post aetatem palaeozoicam hac in regione strata in montes plicata non sunt, sed ita confracta atque partim in profundum detrusa, ut stratorum situ horizontali servato hodierni limites inter mare et solidam, montes ac valles orti sint. In paeninsula sinaitica rupes primitivae, gneiss et schisti crystallini, granite, porphyro, diorite interruptae partem meridianam fere occupant, atque correspondent saxis quae montes litoris tum aegyptiaci tum arabici mari Rubro adiacentis componunt. Versus septemptrionem regio granitica paeninsulae sinaiticae circa *Debbet el-Ramleh* excipitur clavo satis angusto arenarii et calcarei, in quo petrefacta aetatis carbonicae inventa sunt. Haec saxa, granites scilicet, porphyri ac dioritae septemtrionem versus conspiciuntur, recentioribus interrupta, ad orientem vallis *el-'Araba* circa montem *Nebī Hārūn* et usque ad extremitatem meridianam maris Mortui prope *el-Ṣāfiye*, ubi conglomerato e fragmentis granitae, schistorum, porphyri etc. superpositi arenarius ille et calcareus aetatis carbonicae redeunt. Iam hinc usque ad Syriae limites septemtrionales (Amanum usque, ubi schisti crystallini et deposita devonica) saxa antiquiora nullibi apparent, sed stratis aetatum cretaceae et tertiariae prorsus conteguntur. Per tempora mesozoica intermedia usque ad periodum cretaceam superiorem vel mediam regio tota epocham continentalem transegit. Solum ad meridiem montis Hermon et in imis vallibus montis Libani deposita iurassica parvae extensionis reperiun-

tur. Aetate autem cenomanica mare a septemtrione in tabulam desertam transgrediens ibi sedimenta aetatum sequentium, materiam montium Syriae deposuit. Ac primum ad orientem *Wādi el-ʿAraba*, maris Mortui et *el-Ghōr* arenarium nubicum qui dicitur formavit, qui per Libanum quoque atque a meridie et oriente deserti *el-Tīh* invenitur. Quod reliquum est fere operitur saxis calcareis, maximam partem aetatis cretaceae, ita ut in medio a summitate fere montium Iudaeae ad occidentem (35°) se extendant calcarei cenomanici et turonici, inde ad dexteram et sinistram senonici, quibus locis minus expositis solet superponi conglomeratum tempore quaternario e senonico formatum quod *nāri* vocant. Calcareis saepe insertae sunt concretiones silicis. Ad occidentem versus haec strata excipiuntur a calcareis nummuliticis aetatis eocaenicae, qui etiam alibi, circa *ʿAin Qadīs*, *Tell el-Milḥ*, prope Ierusalem et Sichem apparent. Per Philisthaeam ac pluribus locis usque ad Carmelum illis ad occidentem adiungitur calcareo-arenarius, qui a Philisthaea denominatur. *Hull* ei tribuit aetatem eocaenicam, *Blanckenhorn* vero vel pliocaenicam vel forte diluvialem. Infima aetas convenit alluvionibus, quae praeter arenam extremum litus maris occupant, ac planitiem Esdrelon, per quam montes calcarei interrumpuntur. At haec sedimenta quae antea sine dubio maiore quam nunc uniformitate strata antiquiora tegebant, licet per tempora saltem tertiaria plures recessus pluresque transgressiones maris locum habuerint, in hodiernam fere formam redacta sunt inter fines periodi pliocaenicae et initium diluvii. Pluribus vicibus inde a tempore miocaenico partes terrae nunc a mari Mediterraneo occupatae disruptae et submersae sunt, item tota regio simul pluries sub undas descendit atque ex eis iterum elevata est. Imprimis disrupta est coniunctio Africam inter et Arabiam. Dein tota Syria occidentalis ruptura ad orientem vallium *ʿAraba* et *Ghōr* facta profundiore in loco consedit. Quo factum est ut strata sibi correspondentia in regione transiordanica altiorem locum occupent quam in cisiordanica. Plures fissurae ab austro septemtrionem versus excurrentes cisiordanicam per plures gradus descendere fecerunt versus occidentem ad mare Mediterraneum, versus orientem ad Iordanem. Has dislocationes terrae variis temporibus comitabantur eruptiones vulcanicae plures, quibus regiones *Ḥaurān* ac Trachonitis atque etiam *Djōlān* operiebantur basalte. In cisiordanica tales eruptiones locum habuerunt circa *Ṣafed*, ad occidentem lacus Genesareth prope *Ḥaṭṭīn*, in Esdrelon a meridie Nazareth. Basaltes etiam invenitur inter Ierusalem et Iericho ac pluribus locis ad orientem maris Mortui, ubi tamen antiquiora quoque saxa eruptiva partim aetatis forte cenomanicae observata sunt. Ultimam formam Palaestinae tribuerunt inundationes temporum glacialium vel pluviosorum, quando maxime erosione valles ac flumina ac partim lacus extensi originem sumpserunt. At ne nunc quidem transformatio terrae prorsus ad finem pervenit, uti frequentiores terrae motus ac phaenomena litoris sese elevantis ostendunt.

Cf. *E. Suess*, D. Antlitz d. Erde I. 1885 p. 461-99; *A. Philippson*, D. Mittelmeergebiet *ed.* 2, 1907 p. 4-31; *O. Fraas*, A. d. Orient 1867; *L. Lartet*, Géologie, in : Voyage d'explor. à la Mer Morte par *M. le duc de Luynes* 1874 ss.; *id.* Essai sur la Géol. de la Palestine, in : Biblioth. de l'École des Hautes Études II. 1869; *E. Hull*, Memoir on the Geology and Geogr. of Arabia Petraea, Palestine etc. 1889; *id.* Mount Seir 1889; *O. Ankel*, Grundzüge d. Landesnatur des Westjordanlandes 1887 p. 46-75; *C. Diener*, Libanon 1886; *H. Vincent*, Canaan 1907 p. 361-73; *G. A. Smith*, Jerusalem 1907 I. p. 50 ss.; *M. Blanckenhorn* in : Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XV. (1892), 40-69; XIX. (1896), 1-59; XXI. (1898), 65-83; XXVIII. (1905), 75- 120; *F. Noetling*, ib. X. (1887), 59-88; cf. ib. II. (1879), 113-19; 201-39; IX. (1886), 203-21; XIV. (1891), 135; XX. (1897), 81-86; 113 s.; XXI. (1898), 1-9; XXVII. (1904), 8-23; XXX. (1907), 129 s. Alia passim in Pal. Expl. F., Quart. St. praesertim relationes *C. R. Conder* 1872-75 et 1882, et in Mitt. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver.

H. I. CLADDER.

4. *Clima*. Palaestinam intellegimus

regionem quae se extendit a *Wādi el-Abyad* limite australi (30° 55′ lat. sept.) ad *Nahr el-Qāsimīye* versus septemtrionem (33° 20′ lat. sept.) et a mari Mediterraneo (33° 53′ long. or. a *Greenwich*, prope *Qal'at el-'Arīsh*) ad desertum Syriae (fere 37° long. or. a *Greenwich*). Climatologice igitur pars est regionis mediterraneae maxime ad orientem et meridiem sita, cui reliqua quoque pars Syriae, mons Libanus scilicet et Syria septemtrionalis, adscribenda est, dum versus orientem et meridiem arida regione deserti circumdatur. Praeter hanc positionem geographicam configuratio ipsius soli palaestinensis condiciones aëris determinat atque in variis partibus modificat. Aliae enim sunt in partibus litoralibus vix elevatis, aliae in montibus cis ac trans Iordanem, aliae in valle Iordanis infra mare depressa. At vix in alio loco praeter Ierusalem observationes debitae hucusque factae sunt. Universim vero variationes annuae per totam Palaestinam sunt eaedem : ab aestate calida et arida per menses Maium usque Octobrem maxime differt hiems moderate frigida et humida. Cuius distributionis ratio principalis ea est, quod regio tempore aestivo subest etesiis aridis e septemptrione et occidente flantibus. Diaria mitigatio caloris eo obtinetur, quod interdiu a mari minus incalescente ventus terram versus, nocte vero a terra citius frigescente versus mare flat. Maxime mense Maio, sed aliis quoque temporibus ventus orientalis (*Khamsīn*, Scirocco) omnia viventia molestat.

Condiciones climaticas Ierosolymorum (35° 13′ 30″ long. or. a *Greenwich*, 31° 46′ 40″ lat. sept., altit. 762 m) descripsit *T. Chaplin* (Pal. Expl. F., Quart. St. 1883 p. 8-40) et post eum *O. Kersten* (Zeitschr. d. Deutsch. Pal.-Ver. XIV. 1891 p. 93-112). Hinc temperatura media anni (ex 8 annis) est 17°,12 Cels.; temperatura vero media mensis calidissimi (Augusti) est 24°,5, mensis frigidissimi (Februarii) 8°,8; extrema media sunt 39°,7 mense Iunio, et —3°,9 mense Ianuario, dum variatio menstrua media est 22°,2, fluctuans inter 17°,2 mense Decembri, et 27°,2 mense Iunio; variatio diaria vero media 10°,8, fluctuat inter 7°,2 mense Ianuario et 12,8° mense Maio. De pluviis in Palaestina egit *H. Hilderscheid* (Zeitschr. d. Deutsch. Pal.-Ver. XXV. 1902 p. 1-105). Ierosolymis quantitas media (e 39 annis) est 661,8 mm. Menses Iunius (exceptis 2 annis e 39), Iulius, Augustus (excepto 1 anno), Septembris (exc. 5 annis) pluvia carent; temporis vero pluviarum extensio media est 192,2 dierum (extrema : 126 anno 1878-79, 276 anno 1890-91), temporis aridi extensio media 173,5 dierum (extrema : 125 anno 1889-90, 208 anno 1878-79). Initium pluviarum maxime tempestivum incidit anno 1888 in 1. Oct., maxime retardatum anno 1878 in 28. Nov.; finis fuit 1879 2. Apr., 1868 27. Maii. Verum tempore intermedio quoque terminus medius dierum quibus pluit Ierosolymis non excedit 56,1 dies, extremum medium mense Ianuario est 11,9 dierum. Atque generatim post pluviam unius alteriusve diei succedere solent frequenter longiores periodi sine pluvia. Quantitas pluviae maxima esse solet mense Ianuario (164,4 mm), dies vero uberrimae pluviae (e 15 annis) Ierosolymis observatus est 1. Dec. 1892 (119 mm). 9/10 omnium 506 periodorum pluviae 22 annis observatarum allatae fuerunt a ventis quadrantis occidentalis (238 SW., 156 S., 49 NW. i. e. 443). Plerumque quando pluit et temperatura et pressio atmosphaerica diminuebantur. Nix 14 (e 22) annis cecidit, generatim inter finem Decembris et initium Martii; sed plerumque post paucas horas funditur. Humiditas aëris h. 9 mane ad 53,6 0/0, terminus medius 8 annorum, mense Ianuario 71 0/0, Maio 38 0/0 saturationis accedit. 140,5 diebus h. 9 caelum nubibus omnino carebat (term. med. 16 annorum), mense Iulio 21,5, Febr. 5,1 diebus. Rarissimi sunt dies quibus sol omnino non videtur.

Haec Ierosolymis. Pauca de Sarona prope Iaffa (34° 47′ long. or. a Greenwich, 32° 4′ lat. sept., alt. 15 m) ut typo regionis litoralis, ac de Tiberiade (35° 34′ long. or. a Greenw., 32° 48′ lat. sept., alt. — 199 m) ut typo vallis Iordanis, iuxta ea quae refert *F. Glaisher* (in Pal. Expl. F., Quart. St. 1888-90 et 1896-

1902). Observationes in Sarona factae sunt 1880-89, Tiberiade 1890-1901, sed interruptae 1896 et mancae 1897-98.

Temperatura media annua Saronae erat 19°,2; mensis calidissimi, Augusti, 26°,0, frigidissimi (Ianuarii septies 10 annis, Februarii ter) : 12°,0; temperatura summa erat mense Iunio 1886 : 44°,4, infima 0°,0 (Ianuario 1880 et 1884, Februario 1880). — Tiberiade temperatura media annua erat 23°,1, mensis calidissimi (Augusti octies, Iulii quater) : 31°,3; mensis frigidissimi (Ian. sexies, Febr. bis) : 13°,6; temperatura summa (Iunio 1899) : 45°,6, infima (Ian. 1893) : 2°,2. Summa variatio media per mensem erat Saronae 21°,5, Tiberiade 22°,0; media variatio diaria Saronae 11°,1, Tiberiade 12°,3.

Pluviae quantitas annua media Saronae accedebat ad 557,9 mm, Tiberiade ad 528,0 mm; mense humidissimo (generatim) Ianuario media quantitas erat 146,1 mm Saronae; Tiberiade Decembri 129,9 mm. Numerus medius dierum quibus pluit erat Saronae 59,5, Tiberiade 56,6. Initium et finis pluviarum in tota cisiordanica fere coincidunt. Non solum proportionate ad elevationem, sed etiam versus septemtrionem quantitas humiditatis crescit, uti appareret comparatis observationibus factis in monte Carmelo, in *Ḥaifā* et Nazareth. De transiordanica fere nil certi constat praeter observationes factas in *Djōlān* et *Ḥaurān* occidentali a *G. Schumacher* et *G. E. Post*. Accedunt ad pluvias, maxime in montibus, rores tempore aestivo uberrimi.

Hisce conditionibus ea respondent, quae passim in S. Scriptura de condicionibus aëris referuntur, ita ut inde appareat graviorem mutationem dispositionis climaticae temporibus historicis non habuisse locum.

Cf. *G. A. Smith*, Jerusalem 1907 *I.* p. 77 ss.; *Th. Fischer*, Studien ü. d. Klima d. Mittelmeerländer, 1879; *A. Philippson*, D. Mittelmeergebiet *ed.* 2, 1907. p. 91-135; *O. Ankel*, Grundzüge d. Landesnatur d. Westjordanlandes, 1887, p. 76-99; *Kuhn* in Sitz. Ber. d. bayer. Akad. 1860, 2; varii in Meteor. Zeitschr. (Zeitschr. d. österr. Ges. f. Meteor.) 1867, 49 ss. 81 ss. 103 ss.; 1893, 256 ss.; in *Symons*'s Monthly Meteor. Magaz. 1894, 145; *G. Zumoffen S. J.*, La Météorol. de la Palestine et de la Syrie, in Bull. de la Soc. de Géogr. Paris XX. (1899), 344 ss. 462 ss.; inde ab a. 1904 in Mitt. u. Nach. d. Deutsch. Pal.-Var. observationes recentes publicantur; *G. Schumacher* in Zeitschr. d. Deutsch. Pal.-Ver. IX. (1886), 221 s.; XX. (1897), 95 s.; *G. Rindfleisch* ib. XXI. (1898), 9-15; *V. Schwöbel* ib. XXVII. (1904), 12-14; *E. v. Mülinen* ib. XXX. (1907), 130-32; *G. E. Post*, in Pal. Expl. F., Quart. Statem. 1888 p. 175-209 passim; ib. 1890, 101-03.

H. I. CLADDER.

5. *Flora.* Indoles vegetationis palaestinensis determinatur imprimis condicionibus climaticis, dein configuratione et historia soli, denique vicinia aliarum provinciarum botanicarum. Quod pluviae vehementes incidunt in tempus hiemale, dum aestas humiditate caret, ratio est cur regio relative arida plantis lignosis potius quam graminibus occupetur (*Gehölzklima*). Ariditas vero, quae natura calcarei maximam partem soli componentis etiam augetur, cum nequeat aquam retinere, tanta est, ut multis in partibus terra sit fere deserta. Functiones igitur vegetativae restringuntur fere ad tempus autumnale et vernum. Structura ergo plantarum est xerophila : folia praevalent coriacea, non magna, spinae abundant, radices sunt profundae et inter herbas frequentes sunt bulbosae. Plantae perennes plerumque sunt sempervirentes, in reliquis partes tantum subterraneae persistunt, dum caules etc. sicut et integrae plantae annuae post primum tempus vernum calore intereunt (*Hartlaubflora*). Ob nutritionis difficultatem singulae plantae maiore inter se distantia separantur, tum in silvis tum in campis. Silvae ipsae arbustis saepe magis quam arboribus componuntur (*Maqui*). Frequentius singulae arbores conspiciuntur.

Haec ut de omnibus Mediterranei litoribus, ita et in Palaestina imprimis valent de regione, quae extenditur a litore usque ad summitatem montium. Quibus eae partes transiordanicae assimilantur, quae vergunt versus mare. Sed in his montibus maior iam est proportio arborum, quarum frondes sunt

deciduae. Silvae notabilis extensionis cis Iordanem inveniuntur in Galilaea superiore, in Carmelo atque ea parte montis Ephraim quae est ad orientem et meridiem Carmeli, in Iudaea tantum ad 16-18 km ad occidentem a Ierusalem (*Pinus halepensis* Mill.). Arbores in iis frequentissimae sunt quercus (*Q. coccifera* L., *Q. aegilops* L.), quibus saepe accedunt: *Arbutus unedo* L., *A. andrachne* L., *Pistacia lentiscus* L., *P. terebinthus* L., *Ceratonia siliqua* L., *Pinus halepensis* Mill., et ut arbusta: *Phillyrea media* L., *Styrax officinalis* L., *Crataegus azarolus* L., *C. monogyna* Willd., *Laurus nobilis* L., *Myrtus communis* L., etc. Imprimis tales silvae cursum rivulorum comitari solent (*Gallerie wald*). Prata proprie dicta cis Iordanem prorsus desunt. In montibus generatim nudae rupes ubique conspiciuntur; paucae tantum valles sunt fertiliores. Fertilissimae vero et bene cultae sunt planities, ita Philisthaea et partim Saron, ubi solum est magis arenosum; maxime vero Esdrelon et regio transiordanica (*Djōlān, Ḥaurān, ʿAdjlūn*), ubi basaltes et lava decomposita praebent solum optimum. Silvae in vallibus et imprimis ad occidentem et septemtrionem terrae Galaad inveniuntur. Magis desertae sunt terrae vergentes ad orientem et ad meridiem montis *Ḥaurān* (*el-ḥamād*), quae graminibus et *Salsola rigida* Pall. occupantur. Similiter per planitiem Moabitidis gramina, ad orientem rariora, se extendunt, ac paulatim locum cedunt humilibus fruticibus generis Artemisia.

Vallis Iordanis maxima parte deserta est, si exceperis arctas ripas ad quas aquae altae accedunt, et oases quae circa affluentes aquosiores formantur. In his et partim in vallibus adiacentibus propter calorem vegetatio est tropica et uberrima. Ad mare Mortuum conspiciuntur palmae (*Phoenix dactylifera* L.), quae in parte meridionali litoris quoque occurrunt, acaciae (*A. tortilis* Hayne, *A. Seyal* Delile), tamarices, e. g. *T. mannifera* Ehrenb. prope Callirrhoe, *Zizyphus Spina Christi* L., *Retama Roetam* Forsk., *Arundo Donax* L. et circa valles *Nerium Oleander* L. Partim hae plantae per totam depressionem Iordanis redeunt, et maxime circa lacum *el-Ḥūle* accedit *Cyperus Papyrus* L.

In agris coluntur triticum et hordeum, faba, lens, cicer, lupinus, sorghum, cucumeres, allium, lactuca etc. Arbores vero omnes circumdant vicos; imprimis olea frequentissima est, sicut olim etiam vitis; inter alias nominandae sunt ficulnea, amygdalus, nux, sycomorus, morus, punica, cydonia; rariores sunt malus, pirus, etc.; recentius invectae sunt variae species citri, persica, armeniaca, etc. Neque *Opuntia Ficus-Indica* Haw., quae maxime in saepibus adeo sese oculis obtrudit, genuina planta palaestinensis est, sed ex India occidentali allata.

Uberrima est varietas specierum per totam Syriam ob maxime varias condiciones. Iuxta *H. B. Tristram* (Fauna and Flora of Palestine XIV) fere 3.000 specierum phanerogamicarum commemorantur (*G. E. Post*, Flora of Syria, Palestine and Sinai p. 24: 3.500 species ex 850 generibus et 126 ordinibus phanerogamicarum et acrogenarum). *A. Legendre* (ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bible IV. 2038 s. s. v. Palestine, VI. Flore) familias maxime repraesentatas composuit; sunt ex leguminosis 358 species, ex compositis 340, ex labiatis 175, ex cruciferis 195, ex umbelliferis 141, ex sileneis 86, ex borragineis 92, ex scrophulariaceis 91, ex gramineis 158, ex liliaceis 113. Ex illis circiter 250 sunt endemicae, sed arcte affines speciebus, quae alibi iis respondent. Regio maritima et montes meridionales simpliciter reproducunt floram mediterraneam. Ad meridiem vero Maris Mortui e 160 speciebus 27 sunt communes in Europa et se extendunt ad Indiam septemtrionalem, 135 vero sunt africanae et extensionis arcte localis. Regio vero montana circa Iordanem dicitur Indiae et Persiae affinis, ut regio alpina Libani Europae septemtrionali. Cum fere integra haec flora sit identica cum speciebus regionem Aethiopicam inhabitantibus, neque tamen ex immigratione recenti explicetur, nil remanet nisi ut dicatur se huc extendisse post periodum eocaenicam, et, quando frigus temporis glacialis alibi plantas destruxit, eas relictas esse in depressione calidiore.

Cf. *A. F. W. Schimper,* Pflanzengeographie, 1898; *A. Grisebach,* D. Vegetation d. Erde 1872 I. 241-391; *E. Boissier,* Flora orientalis I-V et Suppl. 1867-88; *C. et W. Barbey,* Herborisations au Levant 1882; *A. Philippson,* D. Mittelmeergebiet 2. A. 1907, 148-74; *P. Forskal,* Flora aegyptiaco-arabica 1775; *H. B. Tristram,* The Fauna and Flora of Palestine 1884; *id.* Addenda, in Pal. Expl. F., Quart. St. 1885, 6-10; *H. Chichester Hart,* A Naturalist's Journey etc. ib. 231-86; *id.* Fauna and Flora of Sinai etc. 1892; *G. E. Post,* Narrative of a Scientific Exped. etc., in Pal. Expl. F., Quart. St. 1888, 175-237; *id.* Flora of Syria etc. (1896); *L. Fonck,* Streifzüge durch d. bibl. Flora 1900; *O. Ankel,* Grundzüge d. Landesnatur d. Westjordanlandes 1887, 100-129; *J. Wimmer,* Palästinas Boden 1902; *H. B. Tristram,* The Land of Moab 1874, Appendix C. On the Flora of Moab by *W. Amherst Hayne;* alia ap. *P. Ascherson,* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. VI. (1883) 219-29 et passim in Pal. Expl. F., Quart. St., Ztschr. d. D. Pal.-Ver. et Archaeologiis.

H. I. CLADDER.

6. *Fauna.* Pravalet in Palaestina aquilonari Fauna palaearctica, in australi autem Fauna aethiopica. Aluntur in Palaestina animalia domestica : bos, ovis, capra, camelus, asinus, equus, mulus, gallina, sus (saltem inde ab aetate romana); animalia fera: canis familiaris (sed vagabundus), canis aureus, hyaena, vulpes, leo (olim frequentissimus, nunc exstinctus), pardus (rarior), ursus (ex Palaestina in Libanum regressus), lupus (iuxta mare Mortuum et in Libano), sus ferus, felis fera; caprea (antilope dorcas, capreolus, antilope addax), ibex, hyrax syriacus, lepus, ericius, hystrix, talpa, mustela, mus, vespertilio; anas (in S. Scriptura non memorata, fera in regione depressa Iordanis), perdix, columba, ciconia, corvus, aquila, vultur, accipiter seu falco, coturnix; serpentes, lacertae, insecta, locustae, apes silvestres; pisces in lacubus, fluviis ac torrentibus.

Cf. *H. B. Tristram,* The Fauna and Flora of Palestine 1884; *H. Chichester Hart,* The Fauna and Flora of Sinai, Petra and the Wady Arabah 1891; *O. Böttger,* Die Reptilien und Amphibien von Syrien, Palaestina und Cypern 1880; *A. Nehring,* Die geogr. Verbreitung der Säugetiere in Palaestina und Syrien, in Mitteil. u. Nachrichten d. D. Pal.-Ver. 1902, p. 49-64; *Lortet et Locard,* Études zoologiques sur la Faune du lac de Tibériade, Lyon 1883; *Leo Anderlind,* Ackerbau u. Thierzucht in Syrien, insbesondere in Palaestina, in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. IX. 1886 p. 55 ss.; Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1869-70, p. 141 : The Coleoptera of Palestine (et 1872 p. 164 : absence of the Coleoptera in the country round Samaria); *G. Schumacher,* Das südl. Basan, in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XX. 1897 p. 81 ss. (Bodenbeschaffenheit, Pflanzen u. Thiere); *A. Philippson,* Das Mittelmeergebiet, seine geogr. u. kulturelle Eigenart, Leipzig 1907, 59-62. 175-191 et saepius. Litteratura de Fauna biblica generatim iam indicata est s. v. ANIMALIA.

7. *Incolae.* Palaestinam cisiordanicam ante Hebraeos incolebant complures gentes. Enumerantur Deut. 7,1 septem eaeque Hebraeis robustiores affirmantur. Eaedem gentes Ios. 3,10 et 24,11 recensentur; aliis locis solum sex vel quinque ex illis nominantur. Sequens schema exhibet gentes iis numeris designatas, qui ordinem Deut. 7,1 servatum repraesentant : 1 Hethaei, 2 Gergesaei, 3 Amorrhaei, 4 Chananaei, 5 Pherezaei, 6 Hevaei, 7 Iebusaei.

Deut. 7, 1 :	1	2	3	4	5	6	7
Gen. 15, 20.21 :	1	5	3	4	2		7
Ex. 3, 8 :	4	1	3		5	6	7
Ex. 3, 17 :	4	1	3		5	6	7
Ex. 13, 5 :	4	1	3			6	7
Ex. 23, 23 :	3	1	5	4		6	7
Ex. 23, 28 :	6	4	1				
Ex. 33, 2 :	4	3	1		5	6	7
Ex. 34, 11 :	3	4	1		5	6	7
Jos. 3, 10 :	4	1	6	5	2	3	7
Jos. 9, 1 :	1	3	4		5	6	7
Jos. 11, 3 :	4	3	1		5	6	7
Jos 12, 8 :	1	3	4		5	6	7
Jos. 24, 11 :	3	5	4	1	2	6	7
Deut. 20, 17 :	1		3	4	5	6	7
Jud. 3, 5 :	4	1	3		5	6	7
3 Reg. 9, 20 :	3	1			5	6	7
2 Par. 8, 7 :	1	3			5	6	7
Judith 5, 20 :	4	7	5	1	6	3	

Praeter has septem gentes, quas ipse Deus proscripsit, ut delerentur et ad coniugia cum Israelitis nullo modo admitterentur, aliae quoque erant in finibus Chanaan : Cinaei, Cenezaei, Cedmonaei, Raphaim (Gen. 15,19. 20), Hevaei (עוים) ab Hevaeis (חוים) distinguendi (Deut. 2,23; Ios. 13,4), Philisthaei.

Quomodo illarum septem gentium sedes per cisiordanicam fuerint distributae, his verbis *F. de Hummelauer* post longiorem textuum discussionem complectitur (Comm. in Iosue p. 26. 27) : « Chananaei per loca demissiora late diffusi, Amorrhaei per montes distributi, reliqui per montes veluti huc illuc disiecti. Recole primos regionis cuiusque accolas consuevisse in locis planis prae montibus et silvis sedem figere. Suspicaberis hanc fere fuisse cisiordanicae antiquissimam historiam. Primi eam incoluere Pherezaei, non Chanaane orti, affines fortasse illorum Hevaeorum (עוים), quos Philisthaei e Philisthaea expulere : in *vicis apertis* habitantes suos in planitie agros excolebant. Interim a litore sinus Persici, quae censetur fuisse prima post Babelem Chanaanitarum sedes, prima recessit tribus chananaea Sidoniorum, ob id etiam fortasse Gen. 10,15 primogenitus Chanaan dicta, et in litore Phoenices consedit. Secuta est Hethaeorum tribus, occupavit regionem potissimum a tergo Sidoniorum sitam, unde in cisiordanicam etiam penetravit. At cisiordanicam suam fecere aliae quaedam tribus Chanaane ortae, Iebusaei, Amorrhaei, Gergesaei, Hevaei; Pherezaeos aut tributarios fecere aut in montes et silvas se recipere compulerunt. Hae tribus *muniebant civitates* suas. Quanto tempore illae planitiem obtinuerint, ignoramus. Supervenere tandem aliae quaedam a sinu Persico tribus Chanaane ortae, quae, quod tempore concinnati elenchi Gen. 10 nondum essent tribus sui iuris, in eo elencho ignorantur ac in sequentibus historiis generali nomine Chananaei appellantur. Hae rursum Hethaeos, Iebusaeos, Amorrhaeos, Gergesaeos, Hevaeos in montes huc illuc reiecere, planitiem suam fecere. Summa roboris earum *currus ferrei et equi* ».

Ante Hebraeorum adventum in terra transiordanica duo reges Amorrhaeorum praepotentes erant, Sehon rex Hesebon et Og rex Basan. In terra cisiordanica autem erant fere tot reguli, quot urbes; quam rerum conditionem etiam documenta in *Tell el-ʿAmarna* reperta depingunt. « Cisiordanica enim aliquamdiu ante Hebraeorum adventum subiecta fuerat regibus Aegypti. Infimum tum fere inter populi rectores locum obtinebant *principes* indigenae, numero plurimi, sed fines singuli habentes angustos et subditos pauciores. Eorum principum plures *reges* appellabantur. Maior erat auctoritas *praefectorum*, quorum plerique item erant indigenae, Pharaonis nomine suis urbibus praeerant. Maxima auctoritas inspectorum, qui fere omnes videntur fuisse Aegyptii. Quibus singulis suberant reges vel praefecti plures, quos ipsi de officiis monebant, eorum lites componebant, tributa et dona pro Pharaone exigebant. Ubi evanuit Aegyptiorum in cisiordanicam auctoritas, verisimile est praefectos illos indigenas vel qui in eorum locum successere, regium nomen assumpsisse » (*F. de Hummelauer*, Comm. in Ios. p. 27).

Superest quaestio, quomodo Israelitae Palaestinam ingressi ad incolas regionis indigenas se habuerint, utrum omnes habuerint adversarios necne, utrum omnes exstirpaverint an aliquos reservaverint. Lex Deut. 7,1-10 gentes illas septem, quae Israelitis sunt numerosiores, iubet penitus exstirpandas esse, nullo concesso foedere vel coniugio, ad praecavendum perversionis periculum. Similiter lex Deut. 20,10 ss. praecipit, ut, si quam extra fines terrae promissae urbem aggrediantur, pacem primum offerant, qua recusata interemptis viris reliqua reservent; urbis vero intra fines terrae promissae reservent omnino nihil, sed eam exstirpent; restringitur tamen hoc generale praeceptum (20,16) ad easdem septem nationes, ex quibus sex enumerantur : Hethaei, Amorrhaei, Chananaei, Pherezaei, Hevaei, Iebusaei (20,17). Erant autem praeter septem illas aliae quoque intra terram promissam nationes, quae his legibus certe non directe attingebantur. Insuper vero probe notandum est nulla lege statutum esse, ut ex septem illis nationibus anathematizatis ii quoque exstirpentur, qui sacris Hebraeorum accedere et filii Abraham fieri cupiant. Bella utique a Iosue gesta describuntur fuisse internecina; sed ista erant bella contra reges, qui nonnisi

abdicato regno pacem cum Israelitis habere potuissent. Praeter urbes regum munitas erant etiam vici vel pagi, quorum incolas vi subigendos et ad unum omnes exstirpandos fuisse non constat.

Ceterum alienigenas tamquam proselytos admitti atque semini Abrahae tandem plene incorporari posse Israelitis omni tempore persuasum erat. Id efficitur ex mentione advenarum « qui sunt in castris tuis, a caesoribus lignorum ad portatores aquae » (Deut. 29,11[10]) et ex facto, quod Gabaonitae cultum Iahwe profitentes ad angariam toti populo praestandam adigebantur, quae postmodum evasit angaria sacra ipsi sanctuario praestanda (Ios. 9,3 ss.). Admissa est Rahab cum omni domo sua; aggregata est Ruth Moabitis. David rex inter amicos suos habebat alienigenas, Obededom Gethaeum, Areuna Iebusaeum, Uriam Hethaeum, inter heroas Selec Ammonitam et Igaal de Soba, sexcentos Gethaeos, quorum dux Ethai Gethaeus iurat in nomine Iahwe, custodes denique corporis sui Cerethi et Phelethi. « Patris vestigia secutus Salomo 3 Reg. 9,20-22 eos, qui inde a Iosue temporibus superfuere Amorrhaei, Hethaei, Pherezaei, Hevaei, Iebusaei, non exterminavit, sed utique hebraeam fidem professos subiecit angariae, exemplum secutus a Moyse in transiordanica et a Iosue in Gabaonitis datum. Igitur merito legitimum habebatur tempore Moysis, Iosue, Davidis, Salomonis, admittere ad sacra Hebraeorum indigenas vel alienigenas eos, qui id animis sinceris expeterent » (*F. de Hummelauer,* Comm. in Ios. p. 33).

PALAESTINI, Palaesthini; ita in Vulgata saepius redditur vox פְּלִשְׁתִּים, Philisthiim; v. PHILISTHAEUS.

PALAESTRA v. GYMNASIUM.

PALATHA (παλάθη), massa ficorum aridarum in placentae formam coacta 1 Par. 12,40 (דְּבֵלִים); Iudith 10,5. De his textibus iam dictum est s. v. CARICAE. Praeterea Vulgata 2 Sam. 16,1.2 palathas vertit vocem קַיִץ, quae significat messem pomorum seu fructuum arboreorum, speciatim messem ficorum mense Augusto, deinde ipsos fructus aestatis, praesertim ficus.

PALIURUS est planta spinosa in Palaestina communissima (*Paliurus aculeatus* Lamarck, fam. *Rhamneae*), quae in Vulgata pro hebr. חוֹחַ Is. 34,13 et pro חֶדֶק Mich. 7,4 ponitur. At utraque vox hebraica potius aliis spinarum generibus videtur convenire. V. SPINAE. Paliurus autem, cum nomine arabico hodie *samūr* appelletur, haud improbabiliter nomine שָׁמִיר in S. Scriptura designari dicitur, de quo v. eundem art. SPINAE.

De paliuro cf. *E. Boissier,* Flora orient. II. 12; *Leunis-Frank,* Synopsis, *ed.* 3, II. 2 p. 391; *G. E. Post,* Flora of Syria 201.

L. FONCK.

PALMA. **1**. Palma dicitur manus plana et quandoque adhibetur ad mensuram designandam (cf. Iud. 3,16) et insuper ad ictus manu impactos declarandos: palmas in faciem eius dederunt Matth. 26,67 i. e. alapas infligebant; est scil. ῥαπίζειν idem ac πατάσσειν τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρί (*Suidas*).

2. Palma (תָּמָר et Iud. 4,5 תֹּמֶר, φοίνιξ), arbor pulcherrima et utilissima antiquitus in Palaestina satis frequens, hodie magis neglecta et rarior. Commemorantur palmae in statione Elim Arabiae Petraeae inter Mara et desertum Sin (Ex. 15,27; Num. 33,9), in planitie circa Iericho *urbem palmarum* (Deut. 34,3; Iud. 1, 16; 3,13; 2 Par. 28,15), palma Deborae in monte Ephraim inter Rama et Bethel (Iud. 4,5), palmae per plagam locustarum vastatae (Ioel 1,12), rami palmarum in celebratione festi tabernaculorum (Lev. 23,40; Neh. 8,15), et in aliis festivitatibus (1 Mach. 13,51; 2 Mach. 10,7; Io. 12,13; Apoc. 7, 9), etiam inter dona Demetrio I. Soteri ab Alcimo oblata (2 Mach. 14,4). Accedunt variae comparationes biblicae Iob 29,18; Ps. 91[92],13; Cant. 5,11; 7,7. 8; Eccli. 24,18[14] (palma in Cades, potius Engaddi); 50,14. In templo salomonico factae sunt caelaturae palmarum 3 Reg. 6,29. 32. 35; 7,36; 2 Par. 3,5 et in templo quoque Ezechielis describuntur picturae

vel caelaturae palmarum Ez. 40,16. 26. 31. 34. 37; 41,18 ss. Vocem תֹּמֶר Ier. 10, 5 interpretantur columnam, truncum palmae: sicut columna tornata sunt idola; cf. *Knabenbauer* ad h. l. A תמר *palma* originem ducunt varia nomina propria feminarum et locorum; v. THAMAR et ENGADDI (Asasonthamar). Praeterea v. *Aelian.* Hist. Anim. 2,6; *Strabo* XV. 3,10; XVI. 2,41; XVII. 2,2; *Diod. Sic.* 2,48; 19, 18; *Plin.* XIII. 4,26: « Iudaea vero inclyta est vel magis palmis » etc.; et 4,44: « Caryotae maxime celebrantur et cibo quidem, sed et suco uberrimae, ex quibus praecipua vina orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen. Sed ut copia ibi [in Aethiopiae fine] atque fertilitas, ita nobilitas in Iudaea nec in tota sed Hiericunte maxime, quamquam laudata et Archelaide et Phaselide atque Liviade, gentis eiusdem convallibus » etc. Flav. Iosephus laudat palmas in regione ierichuntina (Ant. XV. 4,2) et in planitie Genesareth (Bell. iud. III. 10,8).

Palma, nomine scientifico *Phoenix dactylifera* Linné secundum *E. Boissier* (Flora orient. V. p. 47) habitat in partibus meridionalibus Graeciae et Anatoliae, Aegypti et Syriae australis, Arabiae, Persiae australis frequenter culta, in australioribus tantum v. g. Aegypto litorali Nubiae finitima, Arabia, Persia australi et forsan Belutschia spontanea. Etiam secundum *G. E. Post* (Flora of Syria, Palestine and Sinai 1896 p. 813) palma in Syria usque ad paeninsulam sinaiticam communis est, praesertim austrum versus et in multis varietatibus colitur.

Praeterea cf. *O. Celsius,* Hierobot. II. p. 444-579; *M. Hiller,* Hierophyt. I. p 122-143; *I. H. Ursinus,* Arboretum bibl. p. 524-545; *V. Hehn,* Kulturpfl. u. Haustiere 1894, p. 262-275; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible 1889, p. 378-386; *I. Loew,* Aram. Pflanzennamen 1881, p. 109-125 (n. 78); *Th. Fischer,* Die Dattelpalme, Gotha 1881; *J. H. Balfour,* Plants of the Bible 1885, p. 72-76; *F. Hamilton,* Botanique de la Bible 1871, p. 87-90; *F. Woenig,* Die Pflanzen im alten Aegypten 1886, p. 221. 275. 304 ss.

PALMUS vide s. v. MENSURAE.

PALMYRA (תַּדְמֹר, cod. B. 2 Par. 8,4 Θοεδομόρ, cod. A 3 Reg. 9,18 Θερμάθ), urbs sita in deserto syriaco, media fere via inter Damascum et Euphraten. Eam Salomon aedificasse (vel munivisse) perhibetur 3 Reg. 9,18 et 2 Par. 8,4. Priore loco *Kethib* habet תמר, *Qeri* תדמר; quare fuerunt qui non de Palmyra, sed utroque loco de urbe Thamar, in finibus extremis Palaestinae meridiem versus posita (Ez. 47,19; 48,28) cogitandum esse opinarentur. Sed quod legitur 2 Par. 8,4, versionibus confirmatur eamque traditionem sequitur Flav. Iosephus (Ant. VIII. 6,1): « ingressus (Salomon) in desertum quod est supra Syriam eoque potitus condidit illic urbem maximam, duorum quidem dierum itinere a superiore Syria distantem, unius vero ab Euphrate atque a magna Babylone sex omnino diebus remotam; urbem autem illam tam procul a cultis Syriae partibus positam esse in causa est, quod infra quidem nusquam terrarum aqua sit, fontes vero et putei in illo solo loco reperiantur. Cum hanc igitur urbem exstruxisset et firmissimis muris illam cinxisset, Thadamora appellavit et sic vocatur etiamnum a Syris; Graeci vero eam Palmiram vocant ». Cf. *Movers,* Phoenizier II. 3 p. 252 ss.; *G. Ebers* et *H. Guthe,* Palaestina I. p. 443-454.

PAMPHYLIA (Παμφυλία) regio Asiae minoris, habens finitimam inter meridiem et ortum solis Ciliciam, inter occasum et meridiem Lyciam, septemtrionem versus Pisidiam; meridiem versus mari Mediterraneo alluitur, quod ibi mare dicitur pamphylicum. Ex ea regione aderant in Ierusalem die pentecostes; Paulus cum sociis venit Pergen Pamphyliae, ubi Ioannes Marcus ab eo discessit; in itinere romano mare quoque pamphylicum navigavit Paulus; cf. Act. 2,10; 13,13 (15,38); 14,24; 27,5 et vide 1 Mach. 15,23.

PANIS. 1. *Panificium.* Munus panem conficiendi mulieribus, uxoribus et ancillis, incumbebat. Ita Abraham ad Saram: accelera, inquit, tria sata similae commisce et fac subcinericios panes (Gen. 18,6). Panis conficiebatur triticeus, saepe hordeaceus; Ezechiel quidem iubetur panes sibi parare ex frumento, hordeo, faba, lente, milio, vicia;

PARABOLA. Variam induit haec vox in Vulgata notionem. Ponitur enim pro hebr. מָשָׁל quo verbo sententia gravis exemplis, apophtegmatis, figuris illustris, proverbium, similitudo declaratur; ita effata Balaam Num. 23,5. 18 etc. dicuntur parabola; item quae Iob 27,1 ss. 29,1 ss. disputat et de sententiis Salomonis, quae alias proverbia dicuntur, legitur 3 Reg. 4,32 : locutus est quoque Salomon tria millia parabolas. Dein, uti vox hebr. dicitur parabola de carmine ad irrisionem et ludibrium facto Is. 14,4 vel generatim de sermone ad contemptum et contumeliam prolato; ita 2 Par. 7,20 : tradam domum hanc in parabolam i. e. gentibus erit ludibrio; Ier. 24,9; Mich. 2,4 sumetur super vos parabola; Hab. 2,6 i. e. acerbis facetiis vos irridebunt. — Praecipue appellatur parabola narratio quaedam ficta eo consilio proposita, ut veritas aliqua vividius proponatur, efficacius commendetur vel ut regni Dei natura et indoles illustretur. Eiusmodi narratione utitur Ezechiel 17,2 ss. nomine parabolae prolato; et sine nomine, re tamen parabolam proponit Ioatham viris Sichem Iud. 9,7 ss., Nathan Davidi 2 Reg. 12,1 ss. etc. Singulari autem mentione commemorandae sunt parabolae a Christo propositae. Septem illis Matth. 13 indoles et natura regni Dei adumbratur — regnum Dei scil. fundari praedicatione, qua alius apud alios efficiatur fructus; iis quoque qui regnum Dei ingressi sint instare periculum perversionis foreque in regno bonos et malos; originem ducere regnum ex parvis initiis, verum destinatione et propagatione fore universale; magna vi et efficacia valere in omnes humanae vitae condiciones; esse in eo bonorum copiam conclusam; summa praeditum esse dignitate et pulchritudine; adumbrari consummationem regni Dei in terris et sortem bonorum et malorum. Aliis parabolis exhibetur misericordia Dei (de filio prodigo, de drachma perdita, de ove perdita), efficacia orationis Luc. 18,1, diversae sortes post mortem Luc. 16,19 etc. etc. Saepius παραβολή redditur in Vulgata similitudo v. g. Luc. 4,23; 5,36; 6,39 : dixit eis similitudinem : numquid potest caecus caecum ducere etc. Notione haud absimili, qua scil. imago rei alterius exprimatur seu symbolum, adhibetur vox Hebr. 9,9 : quae parabola est temporis instantis i. e. id fuit symbolum, imago in se exprimens indolem, vim et naturam foederis veteris. Quid vero parabola significet Hebr. 11,19 difficile est dictu : unde (Abraham) eum (Isaac) et in parabolam accepit ἐν παραβολῇ; aliqui explicant : in discrimine, eo momento quo filium extremo mortis periculo subiiceret; alii in similitudine, in ratione typica resurrectionis a mortuis.

De notione parabolae in Vetere et Novo Test. ac praesertim de parabolis Christi cf. *L. Fonck,* Die Parabeln des Herrn im Evangelium *ed.* 2, Innsbruck 1904, ubi conspectus bibliographicus exhibetur.

PARACLITUS (Παράκλητος) is dicitur in universum, qui causam alicuius agit, pro eo intercedit, deprecatur; ita 1 Ioan. 2,1 vox redditur advocatus : advocatum i. e. deprecatorem, intercessorem habemus apud Patrem, Iesum Christum. Inde enascitur notio auxiliatoris, adiutoris. Eo nomine designatur a Christo Spiritus Sanctus Ioan. 14,16. 26; 15,26; 16,7; hunc mittet Christus suis, ut maneat cum iis, ut eos doceat omnia et suggerat omnia quaecumque ipse Christus dixerit, ut testimonium perhibeat de Christo. Eius munus similiter etiam apud synopticos describitur; nam Matth. 10,19. 20 asseritur Spiritum Sanctum in iis locuturum esse, iis daturum quid sit loquendum, cum traditi fuerint tribunalibus (cf. Marc. 13,11; Luc. 12,11. 12); quibus verbis Spiritus S. pariter munere adiutoris, opitulatoris fungi perhibetur. Quod saepe vocem explicant de consolatore angustius est, sed ex notione genuina derivatum; nam qui est auxiliator, occasione data etiam opem feret consolatione erigens animos afflictos et tristes. Rari exponunt vocem de doctore; utique ad munus opitulatoris etiam spectabit, ut si quando opus est doceat eum cuius curator est. Ceterum Targumim et Talmud eam vocem etiam usurpant פרקליטו notione advocati,

intercessoris, procuratoris (locos affert et explicat *Buxtorf,* Lexicon chald. talm. rabb. col. 1843).

PARADISUS. Legitur Gen. 2,8 in textu hebr. : et plantavit Iahwe hortum in Eden, LXX καὶ ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδέμ, Vulgata : plantaverat autem Deus paradisum voluptatis. Eden עֵדֶן vox est, uti videtur, non-semitica, sed ab Assyriis recepta *idinu* significatione campi, planitiei (cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. ad Gen. 2,8; *Delitzsch,* Wo lag das Paradies?). Eo loco Gen. 2,8 enuntiatur Eden ut nomen proprium regionis illius, in qua Deus hortum plantavit. Vox itaque illa Eden nihil habet commune cum voce hebraea עֶדֶן voluptas; at explicatur ea voce hebraea, cur in Vulgata pro Eden legatur voluptas. Ita Gen. 2,8; similiter Ioel 2,3 hortus voluptatis (hebr. hortus Eden, LXX παράδεισος τρυφῆς); Ez. 28,13 in deliciis paradisi Dei (hebr. in Eden, horto Dei, LXX ἐν τῇ τρυφῇ τοῦ παραδείσου); 31,8 omne lignum paradisi Dei (hebr. omnis arbor in horto Dei, LXX ἐν τῷ παραδείσῳ); 31,16. 18 omnia ligna voluptatis (hebr. omnis arbor Eden, πάντα τὰ ξύλα τρυφῆς) et similiter 36,35 hortus voluptatis (hebr. hortus Eden, κῆπος τρυφῆς); Is. 51,3 et ponet desertum eius quasi delicias (hebr. Eden, παράδεισον) et solitudinem eius quasi hortum Domini (hebr. idem, παράδεισον κυρίου).

Vox paradisus ad originem persicam refertur (*pairidaeza,* hortus muro conclusus ac circumdatus), hebr. פַּרְדֵּס Cant. 4,13; Eccle. 2,5 (Vulg. pomaria), Neh. 2,8 (Vulg. saltus, i. e. arbustum; etiam armeniace *pardez* hortus).

In Gen. 2,8. 10. 15. 16; 3,1. 2. 3. 8. 10. 23. 24 legitur in Vulgata paradisus (hebr. גַּן hortus); unde paradisus dicit hortum illum quem Deus in Eden terra plantavit et in quo protoparentes collocaverat. In eo erat arbor vitae (vide s. v.) et arbor scientiae boni et mali (vide s. v.).

Cum paradisus fuerit hortus omni amoenitate instructus, facile sequitur usus vocis in comparationibus ad summam quandam venustatem seu amoenitatem exprimendam. Ita Gen. 13,10 regio omnis Iordanis, antequam Dominus subverteret Sodomam et Gomorrham, erat sicut paradisus Domini; Cant. 4,13 emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus i. e. germinationes quasi paradisum efficiunt malis punicis ornatum etc. Doctrinae praestantia exhibetur Eccli. 24,41 quasi aquaeductus fluens de paradiso; cf. Eccli. 40,17 (LXX, Vulg. neque tamen hebr.); 40,28 timor Domini sicut paradisus (hebr. Eden) benedictionis. Item describit Ezechiel urbem ac regionem tyriam tamquam hortum amoenissimum, dicens de rege : in deliciis paradisi Dei fuisti (hebr. in Eden, in horto Dei eras Ez. 28,13); atque eodem modo exaggerat pulchritudinem cedri (symboli regni potentissimi) 31,8 : cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei etc. Cum allusione ad Gen. 2,9 dicitur Apoc. 2,7 : vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso Dei mei. Qua tamen locutione iam innuitur praeter paradisum illum terrestrem, cuius regio Gen. 2, 10 ss. assignatur, alterum quoque paradisum, non in terra exsistentem, cogitandum esse. Id quod clare enuntiatur verbis Christi : hodie mecum eris in paradiso (Luc. 23,43). Nam prophetae beatitatem regni messiani describebant rebus et imaginibus ex paradiso terrestri depromptis (cf. Is. 31,3; Ez. 47,12; Zach. 14,8); quare ipsa beatitudo messiana ea voce designatur. In paradiso terrestri Deus familiariter cum protoparentibus conversabatur; unde qui ad familiare quasi colloquium Dei e terra rapitur, dicitur « raptus in paradisum et audivit arcana verba quae non licet hominibus loqui » uti Paulo contigit (2 Cor. 12,3). Inde explicatur quoque additamentum illud in Vulgata : Henoch placuit Deo et translatus est *in paradisum* (Eccli. 44,16; LXX Ἐνὼχ εὐηρέστησε κυρίῳ καὶ μετετέθη; hebr. Henoch inventus est perfectus et ambulavit cum Iahwe et assumptus est).

De situ paradisi terrestris recentius inter catholicos scripsit *W. Engelkemper,* Die Paradiesesflüsse, Münster 1901, textum exponens secundum opiniones geographicas veterum et principia her-

meneutica allegans ex Encyclicis Litteris Leonis XIII. « Providentissimus Deus » et ex variis SS. Patrum et interpretum operibus. Quare eius interpretationem primo loco proponimus velut conatum opiniones veteres ac novas conciliandi. In qua regione paradisus situs fuerit, describitur Gen. 2,10-14 : fluvius egrediebatur ex Eden (LXX ἐξ Ἐδέμ; non, uti in Vulgata : de loco voluptatis) ad irrigandum hortum, paradisum. Iste fluvius egressus ex horto dividitur in quattuor capita, i. e. in quattuor initia fluviorum; ex uno illo fluvio quasi ex fonte fecundissimo quattuor flumina ducunt originem. Recensentur flumina : Phison qui circuit omnem terram Hevilath, ubi invenitur aurum optimum, bdellium et lapis shoham. Ex hisce et ex veterum de rebus geographicis notitia vel opinione designatur regio indica et Phison erit Indus, (Ganges?). Alter fluvius est Gehon, qui circumit omnem regionem Cush (Aethiopiae), qua descriptione Nilus declaratur. Reliqui duo sunt Tigris et Euphrates. Regio Eden erat itaque ultra illum terrae tractum, ex quo secundum opinionem veterum fluvii illi originem ducunt. Putabant enim Asiam et Africam unam esse terram continentem et Nilum quoque ex Asia fluere in Aethiopiam et exinde in mare Mediterraneum. Tota haec opinio de configuratione orbis terrarum utique secundum nostras cognitiones erronea est. At erat veterum et reperitur quoque apud Iosephum et apud S. Patres (cf. *Engelkemper* l. c. p. 52 ss.). Loquitur itaque sacer auctor secundum sui temporis opinionem; loquitur ad suis aequalibus demonstrandum, qua in regione paradisus situs fuerit. Ut id assequeretur, debuit eorum opinandi modum adoptare. Verum itaque est Eden fuisse ultra illam regionem ex qua falso tum temporis existimatum est quattuor illa flumina originem ducere. Haec fere sunt, quae *Engelkemper* de situ paradisi exponit.

Quattuor fluvios paradisi esse Euphraten, Tigrin, Gangen et Nilum erat communissima antiquorum opinio. Cf. *Flav. Ios.* Ant. I. 1,3; Ps. Ionathan; Targum hieros.; *S. Aug.* De Gen. ad litteram VIII. 7, n. 13 apud *Migne* 34,378; *S. Epiphanius*, Ancoratus 58 apud *Migne*, P. Gr. 43,120; *S. Anastasius Sinaita*, Quaest. 23, *M.* 89,540; *Cosmas Indicopleustes*, Topogr. christ. l. II. *M.* 88,117 (Phison = Indus aut Ganges). Atque haec opinio toto medio aevo praevalebat.

Alia hypothesis paradisum in Armenia collocat et quattuor fluvios interpretatur Euphraten, Tigrin, Araxen (Gehon), Phasin (Phison), terram Hevilath autem Colchiden. Cf. *Reland*, De situ paradisi terrestris 1706 apud *Ugolini*, Thesaurus VII. Similiter *Fr. Kaulen* in periodico Katholik 1864 II. 1 et in Kirchenlex. *ed.* 2 s. v. Paradies quattuor fluvios interpretatur Euphraten, Tigrin, Araxen, Cyrum, et *K. von Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 462-466 (Beilage VII.) Araxen cum Phison componens insuper coniicit mare Caspium antiquitus coniunctum fuisse cum Oxiano lacu, in quem Oxus et Iaxartes effunduntur.

In Arabia paradisum fuisse imaginantur *Glaser* et *Hommel*, prior fluvios paradisi agnoscit Euphraten, Tigrin, Phison = *Wādi Dawāsir*, Gehon = *Wādi el-Rumma;* alter pro Tigride substituit *Wādi Sirḥān.* Cf. *Ed. Glaser*, Skizze der Gesch. u. Geogr. Arabiens, Berlin 1890, II. p. 317-356; *Fr. Hommel*, Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftl. Beleuchtung, München 1897, p. 314 ss.; Vier neue arab. Landschaftsnamen, nebst einem Nachtrag : Die vier Paradiesesflüsse, München 1901.

Aquilonem versus a Babylone urbe paradisum fuisse censet *Friedrich Delitzsch*, Wo lag das Paradies? Leipzig 1881, fluvios paradisi explicans Tigrin et Euphraten, qui prope Babylonem in tria dividatur fluenta : Euphraten, Pallacopam canalem ad occidentem Euphratis eique parallelum (= Phison) et canalem *Shaṭṭ el-Nīl* (Gehon) ad orientem Euphratis eique rursum coniunctum prope Ur (*Mughair*).

Ad ora Euphratis et Tigridis in regionem quam nunc *Shaṭṭ el-ʿArab* permeat, paradisum removet *B. Poertner*, Das biblische Paradies, Mainz 1901, fluvios paradisi designans Euphraten, Tigrin, Pallacopam (Phison?), Ulai, Eulaeum (Gehon?).

F. de Hummelauer, Comm. in Gen. p. 136. 137 censet fluvium paradisi aptissime intellegi Euphraten, qui e regione Eden i. e. Mesopotamia aut aliqua eius parte ingrediatur paradisum, quem prope Babylonem collocare haud vetaris, atque inde egressus et aliquo interiecto regionis tractu, quod voce משם minime excluditur, in aestuarium excrescat, in quod praeter ipsum Euphraten tres nobiles mergantur amnes scil. Tigris, Choaspes, Eulaeus. Ergo habetur fluvius paradisi, non qui dividitur, sed qui extenditur, spargitur, disseminatur atque ita ampliatus « fit in quattuor capita ». Idem interpres ad Gen. 13,10 adnotat : « Ex his perspicias, quomodo post viginti generationum traditionem veteres illi sibi paradisum cogitaverint scil. tamquam tractum Aegypti inferioris similem. Coniectura item assequeris, quomodo sibi finxerint flumen illud paradisi in quattuor capita divisum, quod scil. fingebant Nili simile in tot ramos diffluentis et Iordanis in valle Siddim plurimos rivos sibi adiungentis ».

In India fuisse paradisum ostendere conatur *E. Brosse* in Revue Thomiste 1894 fascic. 1 et 2.

PARALYSIS, PARALYTICUS (παραλυτικός). Paralysis legitur 1 Mach. 9,55 in Vulgata : Alcimus dissolutus est paralysi, παρελύθη i. e. nervorum resolutione correptus est. Qui eo morbo laborat vel membris captus est, dicitur paralyticus (cf. Matth. 4,24; 8,6; 9,2. 6; Marc. 2,3; Luc. 5,24).

PARASCEVE (παρασκευή). Uti vox graeca dicit apparationem, praeparationem, ita in libris evangeliorum appellatur feria sexta, utpote dies praeparationis, quo scil. praeparabantur quae ad diem sabbati necessaria erant. Cum enim sabbato non liceret succendere ignem v. g. ad cibos parandos (cf. Ex. 35,3), die praecedenti cibi erant parandi. Vocabatur feria sexta etiam προσάββατον Iudith 8,6; Marc. 15,42; de priore nomine cf. Matth. 27,62; Marc. 15,42; Luc. 23,54; Ioan. 19,14 (parasceve paschae, dies praeparationis ad sollemnitatem paschalem); 19,31. 42 (parasceve Iudaeorum, dies praeparationis pro Iudaeis). Ex quibus locis apparet Christum mortem in cruce obiisse feria sexta, qui dies simul fuit dies praeparationis pro festo paschali.

PARDUS. (נָמֵר, aram. Dan. 7,6 נְמַר, assyr. *nimru;* πάρδαλις) est *Felis leopardus* seu *F. pardus* Cuvier, hodie quoque satis frequens in montanis trans Iordanem, rarior cis Iordanem; cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 111-114. Montes pardorum, ubi multi pardi reperiuntur, appellantur Cant. 4,8 Libanus, Antilibanus, Hermon. Sed in Palaestina quoque pardos non defuisse collige ex Ier. 5,6 et Os. 18,7. Velocitas pardorum laudatur Hab. 1,8; eorum rapacitate impetus et insidiae hostium describuntur Ier. 5,6 : pardus vigilans super civitates eorum; Os. 13,7 : ero eis pardus in via Assyriorum i. e. si ab alienis auxilia et foedera petant, fore ut maxima iis evadant pericula annuente Deo (vel ex hebr. et fui eis pardus in via). Uti lupus, ita pardus quoque accubans cum haedo exhibetur ut symbolum et imago summae pacis Is. 11,6. Pardus qui valde velox est celerrimo saltu in praedam irruens apud Dan. 7,6 symbolum est regni et victoriarum Alexandri Magni. Demum pardus pellem habens variegatam praebet aptam imaginem Ier. 13, 23 : si mutare potest... pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Praeterea v. Eccli. 28,27; Apoc. 13,2.

PARENTES. Liberos habere eosque multos desiderabant parentes sibique gloriae reputabant. In iis enim cernebatur benedictio Dei (Gen. 1,28; 8, 17; 9,1) et impletio promissionis Abrahae factae (Gen. 12,2; 13,16) et merces quaedam pro observantia legis (Deut. 28,4). Quare proles numerosa ad favorem Dei referebatur : beati omnes qui timent Dominum... uxor tua sicut vitis abundans, filii tui sicut novellae olivarum... ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum (Ps. 127,1. 3. 4) et Prov. 17,6 : corona senum filii filiorum. Quare prole carere recensebatur inter opprobria et poenas divinas (cf. Gen. 16,2;

30,32; Ex. 23,26; 1 Reg. 1,6; Is. 47,9; Ier. 25,30; Luc. 1,25).

Pater vel etiam mater infanti nomen eligunt, quod nomen saepe petebatur ex re quadem memorabili (cf. Gen. 25,25; 35,18; 38,29) vel imponebatur tamquam fausta quaedam apprecatio (cf. Gen. 4, 25; 5,29; 29,33 s.; 30,24). Matres ipsae lactabant infantes (cf. Gen. 21,8; Ex. 2, 9; 1 Reg. 1,23; Cant. 8,1; Lament. 4,4; 2 Mach. 7,27). Parentibus officium incumbit liberos nutriendi, educandi. Vide s. v. EDUCATIO. Sollicite cavetur, ut parentibus sua constet ac maneat auctoritas. Unde primum est mandatum in promissione : honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi et sis longaevus super terram (Ex. 20,12; Deut. 5,16; Eph. 6,2) et Lev. 19,3 tamquam primum mandatum post generale illud : sancti estote, affertur : unusquisque patrem suum et matrem suam timeat. Praeterea in libris sapientialibus frequens legitur admonitio ut parentibus oboediatur; cf. Prov. 1,8; 6,20; Eccli. 3, 1-18 simul cum promissione benedictionis; 7,29. 30; Tob. 4,3 etc. Cui admonitioni pondus additur eo quod et benedictioni et maledictioni a parentibus prolatae magna vis in filios attribuitur; cf. Gen. 9,25. 26; 27,12 s.; 28,4; 49, 25; Eccli. 3,11. Supplicia eos manent qui parentes spernunt, percutiunt : maledictus qui non honorat patrem suum et matrem Deut. 27,16; filius qui a parentibus accusatur inoboedientiae, contumaciae, luxuriae, lapidibus obruetur Deut. 21,18-21; qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur; item qui eis maledixerit Ex. 21,15. 17; Lev. 20,9; Prov. 20,20; 30,17 : oculum qui subsannat patrem... effodiant eum corvi. Quare parentes, ne talia accidant, monentur, ut sedulo filios erudiant, puniant; cf. Prov. 13,24 qui parcit virgae odit filium suum; qui autem diligit eum, instanter erudit; 23,13; Eccli. 30, 1. 8-13, et Eccli. 7,25 filii tibi sunt? curva illos a pueritia; filiae tibi sunt? serva corpus illarum et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas; et magna cura et custodia filiabus habenda commendatur Eccli. 26,13-15. Neque tamen potestatem habent filios morte puniendi; nam Prov. 19,18 erudi filium tuum, ne desperes; ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam, et uti Deut. 21, 18 s. indicatur, non parentes ipsi soli, sed iudices accusatione audita filium reum condemnant et poena in lege statuta eum afficiunt. Tempore vero patriarcharum, quo paterfamilias res omnes gubernabat, ipse paterfamilias scelus patratum morte plectebat; ita Iudas, cum putaret Thamar nurum esse fornicatam, sententiam tulit : producite eam, ut comburatur (Gen. 38,24).

Magna erat auctoritas parentum ad matrimonia filiorum contrahenda. Saepe enim pater seligit sponsam pro filio, vel filiam cui ipse vult in matrimonio collocat; ita Abraham pro filio mittit servum in Mesopotamiam, ut ei uxorem adducat (Gen. 24,2 s.), Iacob quoque iubetur accipere uxorem de filiabus Laban (Gen. 28,2) et Gen. 21,21 legimus de Agar et Ismael : et accepit illi mater sua uxorem de terra Aegypti. Sichem quoque, cum Dinam filiam Iacob accipere uxorem desideraret, patrem adit : accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem, et Hemor pater eius rem cum Iacob patre filiae componere aggreditur (Gen. 34,4 s.). Samson quoque parentes adit, ut eam sibi quam vellet acciperent uxorem Iud. 14,2. 3; pariter patri praecipitur : trade filiam et grande opus feceris et homini sensato da illam. Sunt qui contendant filiabus nullum fuisse ius vel potestatem recusandi sponsum vel matrimonium a parentibus destinatum. Verum est plerumque rem ita narrari ac si sententia filiae nullatenus esset exquisita (cf. Gen. 29,19. 23. 27; 2 Reg. 13,13; 3 Reg. 2, 21); at contrarium tamen etiam clare proponitur Gen. 24,8 : sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento, ait Abraham; et Laban dicit : vocemus puellam et quaeramus ipsius voluntatem; cumque vocata fuisset, sciscitati sunt : vis ire cum homine isto? quae ait : vadam (Gen. 24,8. 57. 58); verum est eam h. l. rogari non de sponsalibus, sed de profectione desponsatione iam facta. Attamen id quod rei est satis ex verbis Abraham consequitur; insuper si Rebecca noluisset pergere in terram alienam, desponsatio nullum habuisset

effectum; nam Abraham constituerat : filium meum tantum ne reducas illuc (scil. in Mesopotamiam, Gen. 24,8). Utique magna erat potestas paterna; nam licuit ei filiam suam vendere in famulam (Ex. 21,7) id quod ad debita delenda usurpabatur, ita ut pater cum liberis se daret et venderet in servitutem (Lev. 25,39-41) vel filios filiasque venderet (Neh. 5,5; cf. Is. 50,1); immo creditor etiam matri debitoris abstulit filios (4 Reg. 4,1). Neque tamen licuit patri hereditatem pro arbitrio dividere in filios; cf. Deut. 21,15-17; ceterum vide s. v. HEREDITAS.

PARIUS (Πάριος); nomen derivatum ab insula, cui nomen Paros, quae celebris erat marmore albo, niveo (cf. *Vergil.* Aen. 3,126; *Ovid.* Met. 7,465). Unde S. Hieronymus locos, in quibus de marmore albo sermo est (hebr. שֵׁישׁ, שֵׁשׁ) vertit : marmor parium abundabat 1 Par. 29,2 et pario stratum lapide Esth. 1,6. Sed Cant. 5,15 solum legitur : columnae marmoreae (hebr. columnae marmoris albi). Ceterum v. s. v. MARMOR.

PARMENAS (Παρμενᾶς), unus e septem diaconis in ecclesia hierosolymitana (Act. 6,5). Cum de solo Nicolao dicatur eum fuisse proselytum (advenam), reliquos genere Iudaeos fuisse constat. Ceterum de Parmena nihil notum est.

PARTHI (Πάρθοι) dicuntur Act. 2,9 Iudaei et proselyti, incolae Parthiae regionis, qui ad festum pentecostes se in urbem Ierusalem contulerunt, quo festo scil. aderant in urbe Iudaei, viri religiosi ex omni natione quae sub caelo est (Act. 2,5). Posse etiam Parthos natione intellegi, patet ex v. 11, cum post illam enumerationem addatur : Iudaei quoque et proselyti. Cf. *Knabenbauer* ad h. l. — Praeterea habetur Dan. 11,44 allusio ad rebellionem Parthorum contra Antiochum IV. Epiphanem (v. ANTIOCHUS 3 in vol. I. col. 300) et commemoratur 1 Mach. 14,1-3; 15,22 Arsaces (v. s. v.) rex Parthorum.

Parthia est regio montana Asiae spectans a mari Caspio inter meridiem et ortum solis et contermina septemtrionem versus Hyrcaniae, ab oriente Arianae, meridiem versus desertis Carmaniae, occidentem versus Mediae. De historia Parthorum v. *Clinton,* Fasti Romani II. 1850, p. 243-263; *A. von Gutschmid,* Gesch. Irans u. seiner Nachbarländer 1888 (cum bibliographia p. 171 s.).

PARWAIM (פַּרְוַיִם, Φαρουίμ, apud *Swete* B Φαρουάιμ) regio, cuius auro Salomon usus est in templo exornando (2 Par. 3,6). Vulgata pro auro Parwaim praebet aurum probatissimum (3,7). Regio Parwaim probabiliter quaerenda est in regione arabica Ophir; v. s. v. AURUM 2.

PARTUS. Cum sterilitas esset uxoribus opprobrio et irrisioni (Gen. 16,4; 30,1; 1 Reg. 1,6), partus magno gaudio celebrabatur (cf. Gen. 21,6), uti v. g. Anna exsultavit nato Samuele. Quare mulieri recenter nuptae eiusmodi apprecatio fieri solebat : crescas in mille millia (Gen. 24,60) et : faciat Dominus hanc mulierem sicut Rachel et Liam quae aedificaverunt domum Israel (Ruth 4,11). Dolores partus, cum sint valde acuti et quandoque mulieri praegnanti subito obveniant, adhiberi solent ad magnam calamitatem comparatione efferendam; cf. Is. 13,8 quasi parturiens dolebunt; 21,3 angustia possedit me sicut angustia parturientis etc. cf. Eccli. 48,21; Ier. 6,24; 13,21; 30,6; Ez. 30,16; Os. 13,13 etc. Qui dolores mulieri praedicti erant : in dolore paries filios (Gen. 3,16); ne istis doloribus a conceptu uxores deterreantur, scribere videtur apostolus : volo ergo iuniores nubere, filios procreare et : mulier salvabitur per filiorum generationem (1 Tim. 2,15; 5,14). Ceterum mulieres hebraeas etiam sine ope obstetricum posse parere, iam indicatur Ex. 1,19. Auxilia humana non sufficere, immo homines plane esse impotentes, ut periculum imminens avertatur, declarat Ezechias rex comparatione : venerunt filii usque ad partum et non est virtus pariendi (Is. 37,3; 4 Reg. 19,3).

PASCHA, PHASE (פֶּסַח, aram. פַּסְחָא, LXX πάσχα, φασέκ vero in Paralip.). Ratio nominis explicatur Ex. 12,13. 23. 27 : transibo vos i. e. vobis parcam, transibo vobis parcens, de qua verbi

פֶּסַח notione vide quoque Is. 31,5. Decimo quippe die mensis primi « tollat unusquisque agnum per familias et domos suas; sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum » (Ex. 12,3). Agnus iste immolandus erat die 14. ad vesperam (hebr. inter duas vesperas) « et sument de sanguine eius ac ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum in quibus comedent illum » v. 7. Sanguis autem hic postibus applicatus signum est in domibus Iudaeorum non occisum iri primogenitum ea nocte qua omnes primogeniti Aegyptiorum erunt interimendi; « videbo sanguinem et transibo vos nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Aegypti » v. 13. Quare agnus ille vocatur : « victima transitus Domini est quando transivit super domos filiorum Israel in Aegypto percutiens Aegyptios et domos nostras liberans » v. 27 (hebr. זֶבַח פֶּסַח הוּא לַיהוָה). Quo ritu agnus ille paschalis in Aegypto debuerit comedi, narratur Ex. 12,8-11. Simul autem instituitur, ut habeant hunc diem in monumentum et celebrent eum sollemnem Domino in generationibus suis cultu sempiterno v. 14. Et quidem ita, ut primo mense die 14. ad vesperam iam comedant panes azymos et eosdem panes usurpent usque ad diem 21. ad vesperam, et ut dies prima (dies 15.) et dies septima (dies 21.) sint sollemnes neque ullum in eis fiat opus Ex. 12,15-20. Cur ea in sollemnitate panibus azymis sit utendum, etiam in eventu egressus ex Aegypto declaratur : fecerunt subcinericios panes azymos, neque enim poterant fermentari cogentibus exire Aegyptiis et nullam facere sinentibus moram (Ex. 12,39). Pascha erat celebrandum ab omni qui erat circumcisus, etiam ab alienigena, dummodo circumcisione se populo Dei adiunxerit (Ex. 12,43-48). Mensem autem primum esse mensem novarum frugum (אָבִיב *spica*, unde proprie mensis spicarum), quo mense egressi sunt, narratur Ex. 13,4. Severe praecipitur, ut pascha celebretur; « si quis et mundus est et in itinere non fuit et tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo; peccatum suum ipse portabit » (Num. 9,13). Quare « qui fuerit immundus super anima (propter mortuum), sive in via procul, faciat phase Domino in mense secundo, 14. die mensis ad vesperam; cum azymis et lactucis agrestibus comedent illud; non relinquent ex eo quidpiam usque mane et os eius non confringent, omnem ritum phase observabunt » (Num. 9,10. 11). Nomen ipsum pascha, phase proprie spectat ad diem 14.; nam « mense primo die 14. mensis ad vesperam phase Domini est » (Lev. 23,5; cf. Num. 28,16 et Ez. 45,21), sicut Iosephus quoque diem 14. vocat τὴν (ἡμέραν) τοῦ πάσχα (Ant. III. 10,5). Dies 15. autem est sollemnitas vel festus dies azymorum : « et 15. die mensis huius sollemnitas azymorum est » Lev. 23,6 ss.; cf. Deut. 16,1-8.

Secundo celebrabant filii Israel pascha in deserto Sinai anno secundo postquam egressi sunt de terra Aegypti mense primo, Num. 9,1 ss. Aliud commemoratur Ios. 5,10 : manserunt filii Israel in Galgalis et fecerunt phase 14. die mensis ad vesperam in campestribus Iericho. Celebre quoque est pascha ad quod celebrandum Ezechias rex invitavit missis epistulis ad Ephraim et Manassen et nuntiis ad universum Israel, quod mense secundo factum est, quia sacerdotes tempore suo non erant sanctificati nec populus congregatus 2 Par. 30,1 ss. Etiam celebrius est pascha quod Iosia rege celebratum est : « nec enim factum est phase tale a diebus iudicum qui iudicaverunt Israel et omnium dierum regum Israel et regum Iuda, sicut in 18. anno regis Iosiae factum est phase istud Domino in Ierusalem » (4 Reg. 23,22). De quo accuratius refertur 2 Par. 35,1-19. Hoc pascha quippe prae omnibus eminebat, quia « nec quisquam de cunctis regibus fecit phase sicut Iosias sacerdotibus et levitis et omni Iudae et Israel qui repertus fuerat et habitantibus in Ierusalem » 2 Par. 35,18; nam ipse rex « dedit omni populo agnos et haedos et reliqui peco-

ris triginta millia, boum quoque tria millia; haec de regis universa substantia »; porro duces quoque, principes domus Domini, principes levitarum, exemplum regis imitati, dederunt pecora ad faciendum phase 2 Par. 35,8. 9. Quare satis cernitur ratio cur eius sollemnitatis fiat mentio peculiaris. Neque ex tali mentione ullo pacto concludi potest aliis annis pascha non esse celebratum; solum dicitur hebr. non esse celebratum *sicut pascha hoc*. Cur solum tria illa commemorentur, facile cernitur. Illud Ios. 5,10 primum erat post ingressum et « comederunt de frugibus terrae die altero azymos panes et polentam eiusdem anni, defecitque manna postquam comederunt de frugibus terrae »; illud tempore regis Ezechiae id habuit memoria dignum, quod omnis Israel invitabatur et quod non primo mense sed secundo habebatur; illud tempore Iosiae, quod pariter omnis populus congregatus erat ex Iuda et Israel et quod rex et principes tanta usi sunt in multitudinem immensam liberalitate.

A die 15. mensis primi usque ad 21. praeter sacrificium cotidianum matutinum et vespertinum alia quoque sacrificia erant offerenda, quae Num. 28,18-25 recensentur. Die vero 16. primus messis (hordeaceae) manipulus erat offerendus cum sacrificio agni et libatione Lev. 23,10-13; ante hunc diem non licuit quidquam ex messe nova comedere Lev. 23,14.

In vita Iesu publica commemoratur pascha ad quod in urbem ascendit mox post nuptias in Cana Galilaeae (Ioan. 2,13). Postea per longius tempus, usquedum Ioannes Baptista mitteretur in carcerem, morabatur in Iudaea, revertitur in Galilaeam tempore illo quo dici potuit : adhuc quattuor menses sunt et messis venit (Ioan. 4,35); quare Luc. 6,1 tempus indicatur post alterum pascha; tertium pascha est pascha illud multiplicationis panis (Ioan. 6,1; Luc. 9,12) et quartum est pascha passionis (dies festus Ioan. 5,1 probabiliter est alterum pascha in vita Iesu publica, de quo ceteroquin certi reddimur ex Luc. 6,1). Verum alii (*van Bebber*, *Belser*) duo solum paschata vitae Iesu publicae attribuunt; v. CHRONOLOGIA in vol. I. col. 912.

Christum celebrasse coenam paschalem explicite solum narratur de coena immediate ante passionem. Die primo azymorum, quo necesse erat occidi pascha (Matth. 26,17; Marc. 14,12; Luc. 22,7), ergo die 14. mensis primi (Nisan), quaerunt discipuli : ubi vis paremus tibi comedere pascha? et cum facta esset hora discubuit (Luc. 22,14). Agnus paschalis erat immolandus inter duas vesperas (hebr.). Cum enim dies apud Iudaeos inciperet solis occasu, habebatur vespera duplex : vespera diei qui cessat et desinit, vespera diei qui ab occasu solis incipit. Unde intellegitur tempus inter solem ad occasum vergentem et crepusculum post solis occasum. Cum autem agni paschales saepe quam plurimi essent immolandi (fabulose refert Iosephus sub Cestio hostias immolatas esse 256.500; Bell. iud. VI. 9,3) Pharisaei fere totum tempus pomeridianum usque ad solis occasum posse intellegi tempus inter duas vesperas statuebant. Plura v. s. v. DIES.

De ritu celebrandi coenam paschalem multa traduntur in Mishna et Gemara; ea accurate describuntur apud *Ugolini* : de ritibus in coena Domini ex antiquitatibus paschalibus illustratis (Thes. Antiq. XVII. p. 1127-1188). Verum profecto in dubium vocandum est, uti in aliis rebus, ita hic, sintne ea quae in Talmude traduntur omnia et singula revera observata tempore antiquo. Saltem dici nequit quae certa sint, quae a rabbinis postea excogitata et ficta. Id quod eo magis attendi oportebit quia ipsi rabbini in caerimoniis assignandis minime consentiunt. Exempla habes apud *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2 II. p. 427 s. In evangelica narratione nihil de ritibus adnotatur, nisi unum illud : et *hymno dicto* exierunt in montem oliveti (Matth. 26,30; Marc. 14,26). Ex rabbinorum statutis psalmi 113-118 (Vulgata 112-117) qui communi nomine Hallel vocantur recitandi erant in coena paschali, et psalmi quidem 113 et 114 antequam accumberent, reliqui sumpto cibo post quartum poculum; si autem quintum addebatur poculum,

dicebatur quoque Hallel magnum, quod iterum aliter ab aliis designatur. Quare etiam illud *hymno dicto* varie concipitur aliis explicantibus de Ps. 115-118 (hebr.), aliis de Hallel magno (i. e. Ps. 118-137 vel 120-137 vel 135-137) vel de solo Ps. 136 (Vulgata 135).

Pro festivitate paschali captivum vel vinctum aliquem esse libertate donatum, consuetudo est quae ex sola narratione evangelica scitur (Matth. 27,15; Marc. 15,6; Luc. 23,17; Ioan. 18,39).

Apostolus scribit : pascha nostrum immolatus est Christus (1 Cor. 5,7) i. e. Christus est noster agnus paschalis, quem Iudaeorum agni praefigurabant; qua loquendi ratione declaratur agnum paschalem esse typum. Typum quoque assignat S. Ioannes evangelista, cum quae praecepta sunt de agno paschali (Ex. 12,46; Num. 9,12) in Christo impleta esse doceat : os non comminuetis ex eo (Ioan. 19,36).

PASSER. Ea voce redditur in Vulgata צִפּוֹר Lev. 14,4 (LXX ὄρνιθιον) et saepius eo capite, ubi de emundatione leprosi est sermo; pariter Ps. 10,2; 83,4; 101,8; 103,17; 123,7. Semel etiam דְּרוֹר (hirundo) redditur passer Prov. 26,2, sed Ps. 83 [84], 4 turtur. Ceterum צִפּוֹר latiorem habet significationem et dicitur generatim de avibus; etiam in Vulgata saepe avis legitur pro ea voce hebr.; ita Gen. 7,14; 15,10; Deut. 4,17; 14,11; 22,6; Prov. 6,5; 7,22; 26, 2; Iob 40,24; Is. 31,5; Ez. 39,4; Os. 11,11; Am. 3,5; aliis locis volucris Ps. 148,10; Ez. 17,23; 39,17; Eccle. 12,4; semel volatile Neh. 5,18. — Ceterum passeres, uti olim (cf. Matth. 10,29.31; Luc. 12,6.7; graece στρουθίον), ita hodie quoque in Palaestina vendi solent et comedi. Teste *H. B. Tristram* (Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 202) iuxta litus maris frequens est *Passer domesticus,* in mediterraneis autem *Passer cisalpinus* (germ. *Rotkopfsperling*) et *Passer salicarius* (germ. *Halsbandsperling*), de quibus v. *A. E. Brehm,* Thierleben V. (1882) p. 314 s. 317 s.

PASSUS. Spatium mille passuum Num. 35,4 quod in Vulgata legitur, ex textu hebr. est spatium mille cubitorum. Sex passus 2 Reg. 6,13 sunt sex gressus (qua voce צַעַד 2 Reg. 22,37 et Ps. 17,37 in Vulgata redditur). Et Act. 7,5 : et non dedit hereditatem in ea (terra Chanaan) nec passum pedis βῆμα ποδός i. e. tantum spatium quantum pede calcatur. At Act. 27,28 submittentes bolidem invenerunt passus viginti, et pusillum inde separati invenerunt passus quindecim (ὀργυιάς); sed ὀργυιά spatium dicit sex pedum. Ceterum v. s. v. MENSURAE.

PASTOPHORIUM (παστοφορεῖον, — φόριον); eo nomine apud LXX quandoque redditur hebr. לִשְׁכָּה conclave templo adiectum; in eiusmodi cellis vel conclavibus asservabantur vasa sacra; ibi quoque commorabantur sacerdotes et levitae; cf. 1 Par. 9,26; Ez. 40,17. Pastophoria 1 Mach. 4,38. 57 eiusmodi cellae templi appellantur. Alias in Vulg. vocantur exedrae, gazophylacia (cf. 1 Par. 9,26; Ez. 40,17, 45; 42,1; Neh. 10, 38 etc.).

PASTOR. Vitam pastoralem quam in Abel deprehendimus (Gen. 4,4) etiam patriarchae exercebant. Habebant enim greges ovium, boum, asinorum, camelorum, ita ut v. g. inter pastores Abraham et Lot rixae orirentur de pascuis (cf. Gen. 12,16; 13,5 ss.). Iacob pastoris officio fungens servivit Laban et reversus est ex Mesopotamia cum gregibus, quos singulari industria sibi acquisivit; fratrem quoque Esau sibi pecoribus donatis conciliare studuit (Gen. 29, 7-33,15). Filii Iacob pascebant greges (Gen. 37,16) et Iacob et filii eius cum gregibus suis in Aegyptum descenderunt et Pharaoni roganti : quid habetis operis, responderunt; pastores ovium sumus servi tui et nos et patres nostri (Gen. 47,3), et ad greges pascendos iis assignata est terra Gessen (v. 4. 6). Et cum filii Israel ex Aegypto egrederentur, ait Moyses Pharaoni (qui oves eorum et armenta remanere voluit) : cuncti greges pergent nobiscum; non remanebit ex eis ungula (Ex. 10,24. 26). In Palaestina quoque praeter agros et vineas etiam gregibus curam impendebant; ita praesertim in regione cui desertum Iuda nomen est et in regione ad orientem

Iordanis, ubi partem sibi postularant filii Ruben et Gad qui habebant pecora multa (Num. 32, 1 ss.). David iuvenis pastor erat, et ipse narrat Sauli regi, quomodo gregem tuitus sit contra leonem et ursum (1 Reg. 17,34-36). Nabal, vir dives, multos pastores habebat (1 Reg. 25,4). Quando oves tondebantur, convivia solebant instrui (1 Reg. 25,11; 2 Reg. 13,23 ss.). Ad custodiam gregum, praesertim tempore noctis, erigebantur caulae (cf. Gen. 29,7; Num. 32,16. 24. 36; 1 Reg. 24,4; 2 Par. 14,15; 32,28) et etiam turres (4 Reg. 17,9; 18,8), sicut v. g. narratur de Ozia rege : exstruxit etiam turres in solitudine (i. e. in regione gregibus pascendis idonea) et effodit cisternas plurimas eo quod haberet multa pecora tam in campestribus quam in eremi vastitate (2 Par. 26,10). Habitabant pastores in tentoriis, tabernaculis (Gen. 4,20; 13,18; Is. 38,12; Ier. 35,7. 10). Cum pecora mane ex caulis emitterent, et vespere in eas inducerent, numerabant ea, dum ea sub virga transirent (Lev. 27,32; Ier. 33,13 adhuc transibunt greges ad manum numerantis). Pastores bene custodire greges tenebantur; si quid furto ablatum esset, damnum restituere domino debebant (Gen. 31,39; Ex. 22,12); si quid a bestia devoratum erat, idque pastor prolato testimonio probare poterat, non tenebatur ad restitutionem (Ex. 22,13 hebr.). Seduli pastoris officia et studia indicantur Ez. 34,4. 14-16.

Cum patriarchae, Moyses (Ex. 3,1), David, Amos propheta (1,1; 7,14) vitam agerent pastoralem, munus pastoris erat honorificum. Id quod ex eo quoque elucet quod nomen pascendi, pastoris ad ipsum Deum referebatur; cf. Is. 44,23; 56,11; Ier. 2,8; 3,15; 10,21; Ez. 34,4. Pascere populum i. e. regere iubetur David rex 2 Reg. 5,2; 7,7. Populus saepe vocatur grex Domini; cf. 13,17; 23,2; Ez. 34,3 ss.; Mich. 7,14; Zach. 10,2 etc. et Dominus ut pastor describitur Ps. 22, 1. 2 (23,1. 2 hebr. Dominus pastor meus); 74,1; 79,2 (hebr. 80,2); Is. 40,11; Ier. 23,3; Ez. 34,11-16. Deus promittit se gregi suo provisurum esse pastores bonos Ier. 3,15; 23,4 et praesertim unum pastorem, servum suum David se esse suscitaturum Ez. 34,23. Ipse Messias pastorem se vocat : ego sum pastor bonus ὁ ποιμὴν ὁ καλός Ioan. 10,14; cf. Hebr. 13, 20; 1 Petr. 2,25; 5,4. Quare cum ipse Messias sit et appelletur pastor, pastor magnus ovium, pastor et episcopus animarum, princeps pastorum (l. c.), optime ad eum quem principem Ecclesiae suae in terris esse voluit dixit : pasce oves meas, pasce agnos meos (Ioan. 21,15-17).

PATARA (Πάταρα), urbs maritima Lyciae, celebris commercio, oraculo Apollinis. Cum Paulus apostolus tempore verno an. 59 a Corintho per Macedoniam et per oram maritimam Asiae tenderet Ierusalem, etiam Pataram venit; ibi invenit navem transfretantem in Phoenicen qua usus est ad iter prosequendum (Act. 21,1. 2).

PATER. Proxime dicitur de eo qui filium vel filiam genuit. Vide s. v. PARENTES. Sensu vero latiore dicitur de auctore generis vel gentis alicuius vel stirpis vel eius qui auctor est artis cuiusdam vel moris; ita Abraham dicitur pater Iudaeorum, pater multarum gentium, pater fidelium (quatenus fide sua exemplum est omnibus); ita Sem dicitur pater omnium filiorum Heber, Iabel pater habitantium in tentoriis atque pastorum, Iubal pater canentium cithara et organo (Gen. 4,20. 21; 10,21; 17,4; Rom. 4,1. 11 etc.). Similiter David auctor stirpis regiae pater dicitur regum Iuda, v. g. pater Amasiae regis (4 Reg. 14,3), pater Ioatham regis (l. c. 15,38) et ad Ezechiam regem fit sermo : haec dicit Dominus Deus David patris tui (20, 5) etc. Quare quam maxime usitatum est, ut generatim progenitores vel maiores vocentur patres. Ita nuntii a Moyse missi ad regem Edom loquuntur : nosti, quomodo patres nostri descenderint in Aegyptum (Num. 20,5). Singulari modo patriarchae Abraham, Isaac, Iacob dicuntur patres populi; ita saepe in Deut. : iuravit Dominus patribus vestris..., introducet te in terram, pro qua iuravit patribus tuis (1,8. 35; 4,31; 6,10 etc.). Verum ad perversos populi mores arguendos dicitur Ez. 16,3 : pater tuus Amorrhaeus et mater tua Cethaea. Ad notionem auctoris, effectoris etiam per-

tinet quod legitur Iob 38,28 : quis est pluviae pater?

Cum Deus sit creator hominum iisque summa liberalitate et benignitate beneficia praestet, in eum praecipua ratione nomen patris convenit. Et in Vetere Testamento quidem appellatur Deus pater populi electi : nonne ipse pater tuus qui possedit te et fecit et creavit te? (Deut. 32,6); tu enim pater noster, tu Domine pater noster, redemptor noster (Is. 63, 16; 64,8). Et Dominus loquens inducitur : ergo amodo voca me : pater meus; patrem vocabis me (Ier. 3,4. 19) et : si pater ego sum, ubi est honor meus? (Mal. 1,6). Cui appellationi plane congruit quod Deus populum Israel vocat filium suum primogenitum (Ex. 4,22). Deus porro se dicit singulari ratione patrem regis theocratici : ego ero ei in patrem et ipse mihi erit in filium (2 Reg. 7,14); ipse invocabit me : pater meus es tu (Ps. 88,27). Ceteroquin in Vetere Testamento Deus ab uno aliquo non solet pater invocari; nam Iob 34,36 valde dubium est, sitne versio Vulgata correcta; solum Eccli. 23,1. 4 fit precatio quasi ab uno solo : Domine pater et dominator vitae meae, ne derelinquas me in consilio eorum... Domine pater et Deus vitae meae. Quandoque comparatione quadam Deo patris nomen applicatur : quem enim diligit Dominus corripit et quasi pater in filio complacet sibi (Prov. 3,12) et : quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se (Ps. 102, 13).

In novo vero foedere, in foedere scil. gratiae, sollemne est Deum invocari et dici patrem singulorum. Ita enim Christus persaepe loquitur de Patre nostro caelesti, ita nos orare docuit, nos vocat filios Patris qui est in caelis, eamque appellationem singulis congruere indicat : Pater tuus reddet tibi (cf. Matth. 5,16. 43. 48; 6,1. 4. 6. 18 etc.); inde quoque apud apostolos usitatum est Deum vocare patrem nostrum (Rom. 1,7; 1 Cor. 1,3; 2 Cor. 1,2; Eph. 1,2; Iac. 1,27; 1 Ioan. 1,3 etc.). Si vero Christus de Patre suo loquitur, hoc nomen unice proprium est primae in SS. Trinitate personae, quae iure eximio Pater et est et vocatur, quo sensu Pater dicitur, quotiescumque de aliis quoque personis divinis mentio fit, uti : baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. — Disceptant quo sensu dicatur in oratione : Pater noster qui es in caelis etc.; verum certum videtur orationem dirigi ad Deum unum et trinum, neque formaliter solum ad primam in SS. Trinitate personam. Nos enim sumus filii adoptivi Dei, Iesus autem est filius Patris.

PATMUS (Πάτμος), parva insula maris Aegaei (Icarii) inter Sporades. Celebris est ob exsilium Ioannis apostoli ea in insula, in qua accepit visiones illas quas in Apocalypsi describit (Apoc. 1,9). Vocatur hodie *Patmo, Patino, Palmo, Palmosa.*

PATRIARCHAE. Ea voce 1 Par. 8,28 redditur רָאשֵׁי אָבוֹת, LXX ἄρχοντες πατριῶν. Quo nomine designantur ii qui l. c. v. 14-27 recensentur; sunt itaque capita vel principes cognationum seu coetus familiarum cognatarum. Ceterum vocatur Abraham patriarcha (Hebr. 7,4), David (Act. 2,20), filii Iacob duodecim patriarchae (Act. 7,8. 9) et iidem erunt intellegendi Tob. 6,20. Eo nomine tamquam auctores et conditores gentis singulari honore designantur.

In tabulis adiectis secundum *F. de Hummelauer* (Comm. in Gen. p. 201. 342. 347. 359) ob oculos ponuntur Patriarcharum Sethitarum anni, Patriarcharum Semitarum anni, Chronologia Semitarum secundum numeros Samaritani; v. col. 525-530.

Patriarcharum longaevitatem omnes textus (hebr., Sam., LXX, Vulg.) affirmant. Insignis plane est patriarcharum diluvio priorum longaevitas. Cum facto longaevitatis simul affirmatur factum universalius vitae hominum gradatim decrescentis ab Adam ad Moysen. Patriarcharum ab Adam ad Noe vita continetur annis 1.000 ad 700, a Noe ad Sarug annis 600 ad 200, a Sarug ad Moysen annis 180 ad 110. Cuius facti explicationem hanc adstruit *F. de Hummelauer :* «ad immortalitatem in paradiso efficiendam praeter arboris vitae fructum concessum fuisse protoparentibus insignem prorsus corporis vigorem huncque paradiso expulsis perseverasse atque nonnisi pau-

	Samaritanus.				Hebraeus.				LXX Iosephi.			
	A		B	C	A		B	C	A		B	C
	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno
	mundi	vitae		vitae mundi	mundi	vitae		vitae mundi	mundi	vitae		vitae mundi
1 Adam.....	130	130	800	930 930	130	130	800	930 930	230	230	700	930 930
2 Seth.....	235	105	807	912 1042	235	105	807	912 1042	435	205	707	912 1142
3 Enos.....	325	90	815	905 1140	325	90	815	905 1140	625	190	715	905 1240
4 Cainan.....	395	70	840	910 1235	395	70	840	910 1235	795	170	740	910 1535
5 Malaleel....	460	65	830	895 1290	460	65	830	895 1290	960	165	730	895 1690
6 Iared.....	522	62	785	847 1307	622	162	800	962 1422	1122	162	800	962 1922
7 Henoch....	587	65	300	365 887	687	65	300	365 987	1287	165	200	365 1487
8 Mathusala..	654	67	653	720 1307	874	187	782	969 1656	1474	187	782	969 2256
9 Lamech....	707	53	600	653 1307	1056	182	595	777 1651	1656	182	595	777 2251
10 Noe.....	1207	500	450	950 1657	1556	500	450	950 2006	2156	500	450	950 3106
Diluvium.....		600		1307		600		1656		600		2256

	Samaritanus.					Hebraeus.					LXX.				
	A		B	C		A		B	C		A		B	C	
	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno		Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno		Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	
	diluvii	vitae		vitae	diluvii	diluvii	vitae		vitae	diluvii	diluvii	vitae		vitae	diluvii
11 Sem.....	0	100	500	600	500	0	100	500	(600)	500	0	100	500	(600)	500
12 Arphaxad.	135	135	303	438	438	35	135-100	303 + 100	(438)	438	135	135	300(?) + 100	(535)	535
Cainan...	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	265	130	330	(460)	595
13 Sale.....	265	130	303	433	568	65	130-100	303 + 100	(433)	468	395	130	330	(460)	725
14 Heber....	399	134	270	404	669	99	134-100	270 + 100 + 60	(464)	529	529	134	270	(404)	799
15 Phaleg...	529	130	109	239	638	129	130-100	109 + 100	(239)	338	659	130	109 + 100	(339)	868
16 Reu.....	661	132	107	239	768	161	132-100	107 + 100	(239)	368	791	132	107 + 100	(339)	998
17 Sarug....	791	130	100	230	891	191	130-100	100 + 100	(230)	391	921	130	100 + 100	(330)	1121
18 Nachor...	870	79	69	148	939	220	79- 50	69 + 50	(148)	339	1100	179 (?)	69 + 60	(308)	1229
19 Thare....	940	70	75	145	1015	290	70	(75 + 60)	205	425	1170	70	(75 + 60)	205	1305

	A Genuit anno		B Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	
	mundi	vitae		vitae	mundi
11 Sem.....	1307	100	500	600	1807
12 Arphaxad...	1442	135	303	438	1745
13 Sale.....	1572	130	303	433	1875
14 Heber.....	1706	134	270	404	1976
15 Phaleg.....	1836	130	109	239	1945
16 Reu.....	1968	132	107	239	2075
17 Sarug.....	2098	130	100	230	2198
18 Nachor.....	2177	79	69	148	2246
19 Thare.....	2247	70	75	145	2322

Abraham	Sara	Ismael	Isaac	Iacob	Ioseph		Anno mundi
						Abraham nascitur	2247
10						Sara nascitur 17, 17	2257
75	65					Thare moritur, Abraham migrat ex Haran 11, 32; 12, 4	2322
						Expeditio Chodorlahomor	
85	75					Abraham ducit Agar 16, 3	2332
86	76					Nascitur Ismael 16, 16	2333
99	89	13				Promittitur Isaac, instituitur circumcisio 17, 1. 24. 25	2346
						Sodomae ruina : cf. 17, 21 et 18, 10	
100	90	14				Nascitur Isaac 21, 5	2347
137	127	51	37			Sara moritur 23, 1	2384
140	—	54	40			Isaac ducit Rebeccam 25, 20	2387
160		74	60			Nascuntur Esau et Iacob 25, 26	2407
175		89	75	15		Abraham moritur 25, 7	2422
—		114	100	40		Nuptiae Esau priores 26, 34	2447
		137	123	63		Moritur Ismael 25, 17	2470
		—	138	78		Iacob proficiscitur in Haran 31, 38. 41	2485
			145	85		Iacob ducit Liam et Rachelem 29, 18. 27	2492
			152	92		Nascitur Ioseph 30, 25; 31, 41	2499
			158	98	6	Iacob redit ex Haran 31, 38. 41	2505
			169	109	17	Ioseph a fratribus venditur 37, 2	2516
			180	120	28	Isaac moritur 35, 28	2527
			—	122	30	Ioseph coram Pharaone sistitur 41, 46	2529
						Anni septem fertilitatis	2529-2536
						Nati Ephraim et Manasse 41, 50 ante	2536
						Anni septem sterilitatis	2536-2543
				130	38	Ioseph a fratribus agnoscitur 45, 6	2537
				130	38	Iacob in Aegyptum descendit 47, 9	2537
				147	55	Iacob moritur 47, 28	2554
				—	110	Ioseph moritur 50, 22. 25	2609

latim in sequentibus generationibus defecisse, donec tandem aliquamdiu post diluvium ad eam vigoris mensuram redacti fuerint homines, qui illis competit natura » (Comm. in Gen. p. 206).

PATROBAS (Πατρόβας), vir christianus, quem Paulus salutatum vult (Rom. 16,14).

PATROCLUS (Πάτροκλος), pater Nicanoris (2 Mach. 8,9).

PAULUS (Παῦλος), gentium apostolus. Natus erat Tarsi in Cilicia (Act. 22,3 γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας), quare se vocat a Tarso, non ignotae civitatis civem (Ταρσεύς, Act. 21,39; cf. 9,11). Erat, ut ipse postea scribit, circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem Pharisaeus (Phil. 3,5), filius Pharisaeorum (Act. 23,6), educatus autem in urbe Ierusalem secus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatem paternae legis, aemulator legis (Act. 22,3), in cuius studio ac cognitione proficiebat supra multos coaetaneos, abundantius exsistens aemulator paternarum traditionum (Gal. 1,14) et secundum iustitiam quae in lege est conversatus sine querela (ἄμεμπτος, Phil. 3,6). Qua aemulatione legis etiam incitabatur, ut eos qui Iesu Christo nomen dederant persequeretur. Cum Stephanus lapidaretur, ipse testium i. e. eorum qui lapidabant (testes enim primos lapides iacere debebant) vestes custodiebat et erat consentiens neci Stephani (Act. 7,57. 59). Atque mox ipse in fideles saevire coepit; nam « devastabat ecclesiam per domos intrans et trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam » (Act. 8,2). Neque contentus erat vastatione ecclesiae hierosolymitanae, sed « adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini accessit ad principem sacerdotum et petiit ab eo epistulas in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset huius viae viros ac mulieres vinctos perduceret in Ierusalem » (Act. 9,1. 2). Et ipse scribit : supra modum persequebar ecclesiam Dei et expugnabam illam (Gal. 1,13; cf. 1 Cor. 15,9), blasphemus fui et persecutor et contumeliosus (ὑβριστής), sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (1 Tim. 1,13). In via ad Damascum subito circumfulsit eum lux de caelo et cadens in terram audivit : Saule, Saule quid me persequeris? Ego sum Iesus quem tu persequeris (Act. 9 3 ss.; 22,5 ss.; 26,12 ss.). Baptizatus ab Anania se contulit in Arabiam, ut vitam novam in se confirmaret; dein reversus Damascum confundebat Iudaeos affirmans Iesum esse Christum (Act. 9,10 ss. Gal. 1,17). Eorum tamen insidiis coactus urbem relinquere, venit Ierusalem tertio post conversionem anno, ut videret Petrum, apud quem mansit quindecim dies (Act. 9,22 ss.; 2 Cor. 11,32; Gal. 1, 18). Inde profectus est in partes Syriae et Ciliciae ad insidias Hellenistarum vitandas (Act. 9,29); a Barnaba Antiochiam ex Tarso adductus est ibique per annum docuit turbam multam et cum Barnaba Ierusalem se contulit ad eleemosynas perferendas (Act. 11,25-30). Reversus Antiochiam mox a Spiritu Sancto ad apostolatum gentium missus est, ad quem a principio a Christo erat electus (Act. 9,15; 13,1 ss.). De tribus eius itineribus apostolicis iam actum est s. v. CHRONOLOGIA Novi Testamenti.

Dum Corinthi versaretur, priorem et alteram epistulam ad Thessalonicenses scripsit, et, ut aliqui existimant, etiam epistulam ad Galatas (cf. *Cornely*, Introd. III. *ed.* 2, p. 369. 417 ss. 429). In ephesina commoratione primam quoque quam habemus epistulam ad Corinthios scripsit. Seditione a Demetrio argentario excitata coactus est relinquere Ephesum, se contulit Troadem, inde in Macedoniam, ubi alteram ad Corinthios dedit epistulam, demum Corinthum, ibique per tres menses moratus est (Act. 19,11-20,3; 2 Cor. 2,12. 13; 7,5) atque epistulam dedit ad Romanos (cf. Rom. 15,25). Ex 2 Cor. 11,23-29 simul discimus, quas persecutiones, aerumnas, plagas apostolus eousque iam expertus sit; de quibus pauca tantum in Act. referuntur; nihil v. g. in Act. de triplici naufragio, de quinque flagellationibus a Iudaeis inflictis, de periculis fluminum, latronum, de periculis vitae frequentibus etc. — A Corintho per Macedoniam Troadem, Miletum, Tyrum, Caesaream, Ierusalem est profectus (Act. 20,3-21,

17). Tumultuantibus autem contra eum Iudaeis et insidias ad eius necem struentibus factum est, ut a tribuno romano furori Iudaeorum eriperetur et Caesaream ad procuratorem Felicem mitteretur. Apud eum accusatur seditionis factae et templi violati; quam accusationem Paulus quidem facile diluit, at Felix tamen eum in custodia retinuit et cum expleto biennio successorem acciperet Porcium Festum, ei reliquit Paulum vinctum (Act. 21,18-24,27). Iterum coram Festo causa eius agitur et Paulus, ut Iudaeorum insidias evaderet coactus est appellare Caesarem, ad quem tandem Romam missus est. Eo advenit periculosa navigatione transacta et naufragio ad insulam Melitensem facto. A fratribus exceptus in libera detinebatur custodia et in domo privata cum milite custode habitabat et suscipiebat qui ad eum ingrediebantur praedicans evangelium.

Eo tempore epistulas scripsit ad Philippenses, Ephesios, Colossenses, ad Philemonem et forte etiam ad Hebraeos. Ex hisce etiam apparet ei certam fuisse spem liberationis : simul autem et para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis (Philem. v. 22).

Libertate donatus iter illud in Hispaniam quod antea iam proposuerat (Rom. 15,24) suscepit (cf. fragment. Murator. et Clemens romanus asserit Romae scribens Paulum ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως venisse). Inde reversus videtur se contulisse ad Cretam insulam (Tit. 1,5) et visitasse alias ecclesias, uti scripserat Phil. 2,24 et Philem. v. 22 et uti apparet ex iis quae scribit 1 Tim. 1,3; 3,14; Tit. 3,12 et 2 Tim. 4,20 : Trophimum reliqui infirmum Mileti (id quod ad iter illud, de quo in Act., referri nequit; nam ibi per Miletum Ierusalem proficiscens Trophimum adduxit secum in Ierusalem, Act. 21,29). Martyrium subiit Romae die 29. Iunii an. 67.

Ei in Act. constanter usque ad 13,9 nomen Sauli, inde Pauli inditur : Saulus autem qui et Paulus etc. Ex quo narrandi modo probabilissimum est eum assumpsisse nomen Pauli cum se in clientelam daret Sergio Paulo proconsuli quem ad fidem Christi perduxerat. Alii quidem censent, eum utpote civem romanum natum (Act. 22,28) duplex nomen semper habuisse, uti alii habent v. g. Ioannes Marcus; at in ea opinione nullatenus explicari potest, cur Lucas demum Act. 13,9 alterius nominis mentionem inferat.

Schema chronologicum vitae S. Pauli.

Anno circiter 3 p. Chr. nascitur Saulus Tarsi in Cilicia.

Duodecim annos natus Ierosolymis ad pedes Gamalielis eruditur.

Anno 29 aerae Dionysii mors et resurrectio Iesu Christi, origo Ecclesiae.

Anno 33 Saulus neci S. Stephani protomartyris consentit et Christianos hierosolymitanos persequitur Act. 7, 53; 8,3.

Anno 34 litteris a summo sacerdote impetratis Damascum proficiscitur ad Christianos persequendos, sed in itinere apparitione Domini convertitur Act. 9, 1-19; 22,5-16; 26,12-18.

Annis 34-37 post breviorem commorationem damascenam in Arabiam se recipit et Damascum reversus in longiore commoratione Iudaeos refutat Act. 9,19-23; Gal. 1,17. Eodem tempore Aretas IV. rex Nabataeorum (cf. 2 Cor. 11,2) Herodi Antipae bellum intulit propter uxorem (filiam Aretae IV.) repudiatam; ab expeditione contra Aretam IV. mandante Tiberio suscepta Vitellius Syriae legatus destitit audita morte Tiberii (cf. *Flav. Ios.* Ant. XVIII. 5,1-3), qui regnaverat ab anno 14 (in provinciis 11) — 37 p. Chr.

Anno 37 Damasco aufugere coactus et per murum in sporta submissus Saulus Hierosolyma proficiscitur ibique quindecim dies apud Petrum manet Act. 9,23-29; Gal. 1,18.

Annis 37-41 Caius Caligula imperator.

Saulus persecutione Iudaeorum Hierosolymis fugatur Act. 9,29; divina visione de futura sua missione confortatur Act. 22,17-21; in patriam suam Tarsum revertitur Act. 9,30.

Petrus primos ethnicos, Cornelium

eiusque familiam, in Ecclesiam recipit Act. 10,1-11,18; prima ecclesia ethnico-christiana Antiochiae fundatur Act. 11, 19-21 et ab apostolis approbatur misso Barnaba Act. 11,22-24.

Anno 42 vel 43 Saulus Tarso arcessitur a Barnaba et cum eo integrum annum Antiochiae evangelium annuntiat Act. 11,25. 26; Gal. 1,21.

Annis 41-54 Claudius imperator.

Anno 41 seu primo anno Claudii Herodes Agrippa I. filius Aristobuli filii Herodis I. rex confirmatur; cf. *Flav. Ios.* Ant. XIX. 5,1.

Anno circiter 42 martyrium S. Iacobi maioris et liberatio Petri e carcere Act. 12,1-17.

Anno 44 seu quarto anno Claudii Herodes Agrippa I. moritur Caesareae Act. 12,19-23; cf. *Flav. Ios.* Ant. XIX. 8,2.

Annis 44-48 procuratore Iudaeae Cuspio Fado ac deinde Tiberio Alexandro annona in Iudaea facta est, quam Agabus propheta Act. 11,28 praedixerat; cf. *Flav. Ios.* Ant. III. 15,3. XX. 2,5; 5,2.

Anno 43 vel 44 Saulus et Barnabas ab Antiochenis Hierosolyma mittuntur ad eleemosynas deferendas Act. 11,29. 30. Ad hoc fere tempus refertur visio 2 Cor. 12,2. Antiochiam reversus Saulus cum Barnaba et Ioanne Marco consuetis laboribus inter Christianos vacat Act. 12, 24. 25.

Annis 46-49 prima expeditio apostolica. Saulus, abhinc Paulus vocatus, Cyprum peragrat cum Barnaba et Ioanne Marco, deinde cum Barnaba Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam (i. e. provinciam Galatiae) Act. 13,1-4,25. Antiochiam reversi tempus non modicum (χρόνον οὐκ ὀλίγον) ibidem praedicant Act. 14,26. 27.

Anno 51 propter dissidium de observatione legis mosaicae exortum Paulus et Barnabas cum quibusdam aliis Hierosolyma mittuntur ad concilium apostolorum Act. 15,1-33; Gal. 2,1-10.

Antiochiam reversus Paulus per breve tempus evangelizat verbum Dei Act. 15, 34-36 et Petrum reprehendit, quod ab ethnico-christianorum commercio se retraxerit propter iudaeo-christianos Gal. 2,11 ss.

Annis 48-52 Ventidius Cumanus procurator Iudaeae.

Anno 48 seu octavo anno Claudii moritur Herodes, frater Agrippae I., rex Chalcidis in Libano.

Anno 48 vel demum 50 Herodes Agrippa II. filius Agrippae I. constituitur rex Chalcidis ac probabiliter Roma discedens illuc profectus est.

Anno 52 Herodes Agrippa II. loco Chalcidis a Romanis regnum patris sui Agrippae I. accipit (52-100) eodemque anno 52 iterum Romae praesens est, ubi Cumanus procurator coram Claudio accusatur et in exsilium mittitur. Cf. de annis 48-52 *Flav. Ios.* Ant. XX. 5,2; 7,1; Bell. iud. II. 11,6; 12,1. 8.

Annis 51-54 secunda expeditio apostolica Act. 15,36-18,22. Aestate anni 51 Paulus ab Antiochia profectus cum Sila peragrat Ciliciam, Phrygiam, galaticam regionem, Mysiam.

Anno 52 in Macedoniam transgressus fundat ecclesias Philippis, Thessalonicae, Beroeae, itinere terrestri Athenas profectus venit Corinthum, ubi Aquilam Iudaeum edicto Claudii Roma pulsum obviam habet.

Annis 52-54 Paulus Corinthi per 18 menses commoratus scribit epistulas 1. et 2. ad Thessalonicenses et ad Galatas, iter instituit in Illyricum Rom. 15,19 et in Achaiam reversus, postquam coram Gallione proconsule Achaiae accusatus ac liberatus est, Cenchreis navigat Ephesum et Caesaream, salutat ecclesiam hierosolymitanam et redit Antiochiam Syriae.

Anno circiter 51 decretum Claudii de Iudaeis Roma expellendis Act. 18,2. Cf. *Sueton.* Claudius 25; *Dio Cass.* Hist. rom. 60,6; *Oros.* Hist. VII. 6,15 et de edicto priore Claudii in favorem Iudaeorum *Flav. Ios.* Ant. XIX. 5,2. 3.

Anno 53 vel 54 Iunius Annaeus Gallio, frater Senecae philosophi, proconsul Achaiae Act. 18,12, antea consul (suffectus) anno 51 vel 52 (cf. *Plin.* XXXI. 6,32; *Seneca*, Epist. 104), scilicet postquam Seneca a Claudio ex exsilio revocatus est anno 49 (cf. *Tacit.* Ann. 12,8).

Annis 55-59 tertia expeditio apostolica Act. 18,23-21,15. Vere anni 55 peragrare incipit Galatiam et Phrygiam, Ephesi per

duos annos et aliquot menses commoratur; versus finem commorationis ephesinae scribit epistulam 1. ad Corinthios, deinde in Macedoniam profectus scribit 2 ad Corinthios, in Achaia hiemem peragens anno 59 scribit ad Romanos, redit per Macedoniam et per oram maritimam Asiae minoris Caesaream et Hierosolyma.

Anno 59 circa pentecosten Paulus Hierosolymis in vincula coniicitur et a Felice procuratore biennio (59-61) captivus retinetur Caesareae Act. 21,16-24,27.

Annis 61-62 iter romanum. Autumno anni 61 Paulus a Porcio Festo procuratore Romam mittitur et vere anni 62 Romam pervenit Act. 25,1-28,16.

Annis 62-64 Paulus Romae in custodia libera peragit Act. 28,16-31 ibique scribit ad Philippenses, Colossenses, Philemonem, Ephesios, Hebraeos.

Annis 54-68 Nero imperator.

Annis 52-61 Felix procurator Iudaeae.

Annis 61-62 Porcius Festus procurator Iudaeae.

Annis 62-64 Albinus procurator Iudaeae, cui succedit Florus anno 64 usque ad initium belli iudaici anno 66.

Anno 64 ante aestatem Paulus liberatus proficiscitur in Hispaniam, hiemem peragit in insula Creta, ubi Titum relinquit Tit. 1,5.

Anno 65 Paulus visitat ecclesias Asiae minoris et in Macedoniam proficiscitur; Timotheo Ephesi relicto ex Macedonia priorem epistulam scribit (cf. 1 Tim. 1,3).

Anno 66 iterum, ut ex 1 Tim. 3,14 colligendum videtur, ecclesias asiaticas visitat et per Miletum (cf. 2 Tim. 4,20) in Macedoniam et Epirum tendit, quo Titum per epistulam (cf. 3,12) invitat.

Anno 67 verno tempore Corinthum venit et cum S. Petro Romam proficiscitur (teste S. Dionysio Corinthiorum episcopo); Romae in vincula coniicitur, Timotheum per alteram epistulam ad se invitat, martyrio coronatur.

Historica discussio schematis chronologici.

S. Lucas in Actibus apostolorum stilo historico scribit et ordinem chronologicum sequitur, ut manifestum est in sex primis et 16 ultimis capitibus (cp. 1-6; 13-28). Quae 8,1-12,25 narrantur, synchronistico modo proponuntur. Ex historia autem profana non desunt aliqui synchronismi, quibus chronologiam Actuum apostolorum probabilem stabilire possimus.

Imprimis sunt tria temporis puncta, quae satis certo definiri possunt.

Primum temporis punctum est annus mortis Christi seu annus nascentis Ecclesiae, a quo S. Lucas narrationem suam orditur, scil. annus 29 aerae vulgaris (Dionysii) secundum probabiliorem sententiam.

Secundum temporis punctum est annus, quo Herodes Agrippa I. mortuus est (12,23). Secundum Flavium Iosephum Agrippa, filius Aristobuli, filii Herodis Magni, rex confirmatus est primo anno Claudii (imperatoris a mense Ianuario 41 — Oct. 54), a quo accepit, quidquid Iudaeae ac Samariae ad Herodis I. regnum pertinuerat (Ant. XIX. 5,1). Mortuus autem est Agrippa I. anno quarto Claudii seu anno 44 aerae vulgaris (l. c. 8,2 : « tertius iam annus effluxerat, ex quo totius Iudaeae regno potiebatur, cum in urbem Caesaream ingressus est... »).

Cum non sit probabile Agrippam statim ab initio regni in Christianos saevisse, martyrium S. Iacobi maioris et liberatio Petri e carcere (Act. 12,1-17) non ante annum 42 evenerunt. Atque haec confirmantur traditione aliunde (ex historia ecclesiastica) nota S. Petrum exordio (anno secundo) regni Claudii Romam perrexisse. Cf. Act. 12,17 : « et egressus abiit in alium locum (εἰς ἕτερον τόπον) ».

Cum his eventibus S. Lucas conectit iter hierosolymitanum Sauli et Barnabae ad eleemosynas Antiochenorum deferendas (11,30; 12,25). Mittuntur Saulus et Barnabas ad seniores (πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους). « Cum hic solum presbyteri nominentur, concludendum erit nullum adfuisse apostolorum in urbe; alias enim et apostoli et presbyteri nominantur (15, 4. 6. 22. 23; 16,4); proinde iter illud susceptum esse post annum 42, cum Petrus aliique apostoli iam dis-

cessissent; id quod confirmatur 12,25 » (*Knabenbauer* ad 11,30). Annona ab Agabo propheta praedicta probabilissime illa est, quae Claudio regnante Iudaeam affligebat, cum procuratores ibi essent Cuspius Fadus (44 — ?) et eius successor Tiberius Alexander (? — 48); cf. *Flav. Ios.* Ant. III. 15,3; XX. 2,5; 5,2 et vide s. v. AGABUS in vol. I. col. 159. Illud igitur iter ad collectas deferendas anno 43 vel 44 adscribendum erit.

Tertium temporis punctum, quod satis certo determinari potest, est biennium prioris captivitatis romanae S. Pauli.

Apostolus Romam missus est a Porcio Festo procuratore Iudaeae brevi, postquam hic in Iudaeam advenit. Narrat Flavius Iosephus : « Porcio Festo, qui Felici succederet, a Nerone misso primores Iudaeorum Caesaream incolentium Romam adscendunt et accusationem contra Felicem instituunt, dedissetque omnino poenas iniuriarum, quibus Iudaeos affecerat, nisi Nero fratris Pallantis, qui tum maxime apud eum in honore erat, precibus supplicibus multa indulsisset » (Ant. XX. 8,9). Iamvero Pallas, frater Felicis procuratoris Iudaeae, a Nerone veneno interfectus est anno 62 scil. P. Mario, L. Asinio consulibus (*Tacit.* Annal. 14,65). Ergo Festus Felici ante annum 62 successit. Attamen non diu ante. Flavius Iosephus enim narrat se post annum aetatis sextum ac vigesimum Romam profectum esse, ut sacerdotes quosdam sibi perfamiliares, quos Felix causam dicturos Romam miserat, liberaret (Vita 3); natus erat inter 16. Mart. 37 et 16. Mart. 38 scil. anno primo Caii Caligulae (Vita 1). Romam igitur pervenit Flavius Iosephus anno 63 vel 64; sed supponere licet eum hoc iter ad salvandos sacerdotes non diu post discessum Felicis distulisse. Unde inferimus Felicem anno 61 a procuratura esse remotum. Munere procuratoris potitus erat Felix anno duodecimo Claudii (*Flav. Ios.* Ant. XX. 7,1; Bell. iud. II. 12,8) i. e. anno 52. Quare biennio ante procuratoris discessum Paulus eum alloquitur Act. 24,10: « Ex multis annis te iudicem genti huic sciens bono animo pro me satisfaciam ». Captus igitur est Paulus Hierosolymis anno 59 circa pentecosten; biennio in captivitate caesariensi detentus est; autumno anni 61 a Porcio Festo Romam missus est; mense Octobri circa festum diem expiationis navis, qua Romam vehebatur, iuxta oram meridianam Cretae erat (Act. 27,9). Verno tempore anni 62 Romam pervenit, ubi biennio toto (διετίαν ὅλην) in captivitate libera manebat (28,30).

Accedit quod aestate anni 64 Nero magna urbis parte incendio deleta contra Christianos persecutionem excitavit; cf. *Tacit.* Annal. 15,41 : « Fuere qui adnotarent 14. Kalend. Sextiles principium incendii huius ortum ». Quodsi eo tempore Paulus, a Iudaeis velut auctor seditionis sectae Nazarenorum accusatus (Act. 24,5), Romae in custodia fuisset, mortem non effugisset. Iamvero post biennium captivitatis romanae Paulus iter in Hispaniam suscepit et ecclesias Asiae minoris et Macedoniae visitavit. Postremus igitur terminus captivitatis romanae erit ver anni 64 et postremus terminus procuraturae Felicis aestas anni 61.

Idem confirmatur iis, quae Flavius Iosephus de Porcio Festo eiusque successore Albino tradit. Albinus iam erat procurator, quando Iesus quidam Anani filius, quadriennio priusquam bellum esset exortum, in festo tabernaculorum (die 15. mensis septimi Tishri) iuxta templum vae Hierosolymis exclamare coepit, quo praesagio per septem annos et quinque menses repetito demum in obsidione urbis lapide ex balista excusso occubuit (Bell. iud. VI. 5,3). Iamvero bellum exarsit anno 66, obsidio urbis initium sumpsit paucis diebus ante festum paschatis anni 70. Albinus igitur iam procurator erat autumno anni 62. Res autem a Festo gestae (Ant. XX. 8,9-11) admodum paucae sunt, ut vix multo plus quam unius anni spatium requirant.

Supersunt difficultates quaedam historicae. Ut Tacitus narrat (Annal. 12,54), Felix iam pridem Iudaeae impositus simul cum Ventidio Cumano procuratore (48-52) in Palaestina erat, ita ut Cumano Galilaei, Felici Samaritae parerent. Porro secundum Chronicon Eusebii in versione armena Festus Felici successit

anno 14. Claudii i. e. anno 54, in textu S. Hieronymi anno secundo Neronis i. e. anno 56 (cf. *Euseb.* Chronicon *ed. Schoene* II. 152. 155). Insuper Tacitus ad primum tempus Neronis (ad initium anni 55) refert : « Et Nero..... demovet Pallantem cura rerum » (Annal. 13,14); ergo intercessio Pallantis pro Felice fratre locum habere non poterat nisi antequam a Nerone demoveretur.

Contra haec primo advertendum est, quae Felix Nerone imperatore gessit (*Flav. Ios.* Ant. XX. 8,1-9; Bell. iud. II. 12,8-14,1), non posse paucis mensibus comprehendi. Nero regnare coepit 13. Oct. 54 et Pallantem demovet brevi ante diem natalem Britannici, quo hic quartum decimum aetatis annum explebat (*Tacit.* Annal. 13,15), i. e. brevi ante 13. Febr. 55. Potius igitur assumendum est Pallantem, qui immensam pecuniam detinebat (*Tacit.* Annal. 14,65), iterum in gratiam Neronis rediisse. Idem evincit illa seditio Aegyptii pseudoprophetae, quae Nerone imperatore a Felice repressa est (*Flav. Ios.* Ant. XX. 8,4-6; Bell. iud. II. 13,1-5); nam post illam seditionem S. Paulus Hierosolymis in vincula coniicitur (Act. 21,38) et per biennium a Felice in custodia detinetur.

Secundo notandum est Flavium Iosephum res gestas suae aetatis ac gentis minutius narrantem fide digniorem esse Tacito et Eusebio. Chronicon Eusebii de Felice procuratore contraria tradit in textu armeno et S. Hieronymi, res iudaicas eius aetatis ex Flavio Iosepho haurit et notas chronologicas interdum minus feliciter supplet; v. g. discessum Felicis ad annum secundum Neronis ideo referre videtur, quia Flavius Iosephus in eodem capite ante discessum Felicis (Ant. XX. 8,9) aliqua de primo Neronis anno (8,4) notavit. Tacitus autem narrationem minus definitam praebet et suspicionem movet eo praesertim, quod Cumanus et Felix socii quidem culpae describuntur, sed solus Cumanus a legato Syriae Quadrato condemnatur, Felix autem inter iudices Cumani in tribunal recipitur.

Ex dictis efficitur tria magna itinera apostolica S. Pauli intra annos 44 et 59 facta esse. Iter tertium adscribendum videtur annis 55-59, iter secundum annis 51-54, concilium apostolorum anno 51; iter primum duorum vel trium annorum satis diu ante concilium apostolorum finitum erat, quoniam Paulus et Barnabas Antiochiam reversi morati sunt tempus non modicum cum discipulis (Act. 14,27).

S. Paulum Corinthum venisse anno 52 et Corintho in Syriam navigasse anno 54 ex synchronismis magna cum probabilitate evincitur.

Brevi post concilium apostolorum S. Paulus Antiochia cum Sila profectus visitavit ecclesias Syriae et Asiae minoris, in Macedonia evangelium praedicavit, et egressus ab Athenis venit Corinthum, ubi apud Iudaeum quendam nomine Aquilam Ponticum genere habitabat, qui nuper venerat ab Italia, eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma (Act. 18,1. 2). Decretum Claudii imperatoris contra Iudaeos memorant *Suetonius*, Claudius 25 : « Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit »; et *Dio Cassius,* Hist. rom. 60,6 : « Cum Iudaei adeo frequentes Romae iterum fierent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent exigi, non eiecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam agentes non passus est convenire ». Ex quibus Cassii verbis merito infertur illud *expulit* apud Suetonium explicandum esse secundum illud *Sueton.* Tiber. 36 : « expulit et mathematicos, sed deprecantibus..... veniam dedit ». Refert etiam *Orosius,* Hist. VII. 6,15 : « Anno eiusdem nono expulsos per Claudium Urbe Iudaeos Iosephus refert. Sed me magis Suetonius movet, qui ait hoc modo etc. ». Errat quidem Orosius quoad Flavium Iosephum, qui Ant. XIX. 5,2. 3 decretum Claudii in gratiam Iudaeorum ex primis annis Claudii refert, at decretum expulsionis neutiquam memorat. Nihilominus testimonium Orosii, cuius fontem ignoramus, non spernendum videtur, quatenus anno nono Claudii (anno 49) Iudaeos Roma expulsos esse dicit. Circa illud enim tempus decretum Claudii factum esse alia quoque consideratione suadetur.

Herodes Agrippa II., filius Agrippae I.,

ab initio regni Claudii usque ad annum 48 vel 50 Romae degebat, imperatori familiaris (*Flav. Ios.* Ant. XIX. 9,2). Vix fieri potuit, ut decretum contra Iudaeos praesente Agrippa prodierit. Sed postquam Herodes, rex Chalcidis in Libano, frater Agrippae I., anno octavo Claudii (anno 48) mortuus est, Agrippa II. declaratus est rex Chalcidis, quam probabiliter non ante annum 50 obtinuit; deinde Chalcide ablata regno Agrippae I. donatus est anno Claudii duodecimo completo seu anno 53 et Romae praesens erat anno 52, quando Ventidius Cumanus procurator Iudaeae coram Claudio accusatus et in exsilium missus est. (*Flav. Ios.* Ant. XX. 5,2; 7,1; Bell. iud. II. 11,6; 12,1-8 et cf. 14,4). Circa annum 51 igitur vel forte iam antea Agrippa ab urbe Roma probabiliter absens erat, ut regnum Chalcidis obtineret. Illi igitur tempori decretum Claudii contra Iudaeos videtur assignandum esse.

S. Paulus Corinthum reliquit in Syriam navigaturus, postquam coram Gallione Achaiae proconsule accusatus et liberatus est (Act. 18,12-17). Iamvero varia indicia historica innuunt Gallionem anno 53 vel 54 fuisse proconsulem Achaiae.

Annaeus, frater Senecae philosophi, cum a Iunio Gallione adoptatus esset, eius nomine vocabatur Iunius Annaeus Gallio. Eius consulatum memorat *Plinius* XXXI. 6,62 : « Praeterea est alius usus multiplex, principalis vero navigandi phthisi affectis, ut diximus, aut sanguine egesto, sicut proxime Annaeum Gallionem fecisse post consulatum meminimus ». Eum post consulatum in Achaia fuisse testatur Gallionis frater Seneca philosophus epist. 104 : « Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrim habere coepisset, protinus navem adscendit clamitans non corporis esse, sed loci morbum ». Ignoramus quidem, quonam anno consul fuerit; nomen eius in Fastis consularibus non traditur, in quibus consules ordinarii, non consules suffecti nominari solebant. Attamen aliunde scimus Senecam anno 49 ex exsilio revocatum Neroni magistrum esse datum. Cf. *Tacit.* Annal. 12,8 : « Agrippina.... veniam exsilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat ». Unde propter nepotismum in aula imperatoria vigentem probabile est Gallionem post annum 49 consulatum ac deinde proconsulatum Achaiae obtinuisse.

Itineri igitur secundo S. Pauli, quod a tertio itinere haud longo intervallo separatur (Act. 18,23), magna cum probabilitate annos 51-54 assignamus.

De itinere ad concilium apostolorum (anno 51) S. Paulus dicit Gal. 2,1 : « Deinde post annos quattuordecim (ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν) iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito ». De primo itinere hierosolymitano dicit Gal. 1,18 : « Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum et mansi apud eum diebus quindecim ». Ergo itineri primo hierosolymitano annus 37 et conversioni Pauli annus 34 assignandus erit.

Inter annos 34 et 37 inserendum est iter S. Pauli in Arabiam. Eodem tempore gestum est bellum, quod Aretas IV. rex Nabataeorum Herodi Antipae intulit propter uxorem (filiam Aretae IV.) repudiatam; Vitellius Syriae legatus ab expeditione contra Aretam suscepta destitit audita morte Tiberii (*Flav. Ios.* Ant. XVIII. 5,1-3) i. e. anno 37.

Quibus suppositis loci paralleli Act. et Gal. hoc modo inter se excipere videntur :

Act. 9,19 : prior commoratio Sauli conversi in Damasco urbe per dies aliquot (ἡμέρας τινάς).

Gal. 1,17 : abii in Arabiam et iterum reversus sum Damascum.

Act. 9,22 : altera commoratio damascena; 9,23 dies multi (ἡμέραι ἱκαναί).

Act. 9,26 : primum iter hierosolymitanum. = Gal. 1,18 : deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum (diebus 15).

Gal. 1,21 : Deinde veni in partes Syriae et Ciliciae.

Act. 11,25. 26 : Saulus et Barnabas Antiochiae per totum annum praedicant.

Act. 11,30 : iter Sauli et Barnabae hierosolymitanum ad collectas deferendas.

Gal. 2,1 : Deinde post annos quattuor-

decim iterum ascendi Ierosolymam (ad concilium apostolorum).

PAULUS, a quo apostolus gentium nomen assumpsisse censetur, est Sergius Paulus (Σέργιος Παῦλος), proconsul in insula Cypro, vir prudens; habitabat in urbe Papho (vide s. v.); accersivit Paulum et Barnabam desiderans audire verbum Dei, quem Elymas magus avertere studebat a fide. Elyma autem in poenam sceleris caecitate percusso proconsul credidit admirans super doctrina Domini Act. 13,6-12. Ipsum nomen Pauli cum titulo proconsulis in inscriptione cypriaca inventum est : ΕΠΙ· ΠΑΥΛΟΥ· (ΑΝΘ)ΥΠΑΤΟΥ; cf. *Palma di Cesnola,* Cyprus, its ancient cities, tombs and temples, a narrative of researches and excavations during ten years residence as American Consul in that island, London 1877, p. 425. 429. Plinius quoque in enumeratione auctorum nominat Sergium Paullum (ad librum II. et XVIII.; cf. Plinii secundi Nat. hist. recensuit *D. Detlefsen* I. p. 22. 42), quem eundem esse atque eum de quo Act. 13, aliqui ex eo quoque colligunt, quia in libris II. et XVIII. plura de Cypro insula traduntur. Olim saepius reprehendebatur Lucas quod Sergium Paulum vocaret proconsulem, cum Strabone teste Cyprus esset ἐπαρχία στρατηγική, provincia imperialis, quae itaque gubernaretur a propraetore. Verum Dio Cassius id supplet quod Strabo omiserat, Augustum imperatorem scil. Cyprum reddidisse populo (*Dio Cass.* 54, 4; *Strabo* XIV. 6,6); in provincias autem senatorias mittebantur proconsules, uti Dio Cassius de Cypro asserit explicite l. c. καὶ οὕτως ἀνθύπατοι καὶ εἰς ἐκεῖνα τὰ ἔθνη πέμπεσθαι ἤρξαντο (cf. *Vigouroux,* Le Nouveau Testament et les découvertes archéologiques modernes 1896, p. 199-205).

PAUPER. Quod Christus dicit : semper pauperes habetis vobiscum (Matth. 26,11), etiam in lege vetere ita enuntiatur, ut misericordia in pauperes praecipiatur : non deerunt pauperes in terra habitationis tuae; idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi qui tecum versatur in terra (Deut. 15,11). Ad pauperes sublevandos varia praecipiuntur : a paupere non est usura exigenda pro pecunia mutua; vestimentum quod pignoris loco est acceptum ei vespere reddi debet (Ex. 22,25. 26); prohibetur, ne in iudicio ius pauperis flectatur (Ex. 23,6); in messe spicae remanentes, in vinea racemi et grana decidentia pauperibus debebant relinqui (Lev. 19,9. 10; 23,22); pariter licuit in vinea uvas comedere et in segete spicas frangere et manu conterere (Deut. 23,24. 25); ita manipulus quoque qui ex oblivione in agro relictus erat pauperibus concedebatur (Deut. 24,19), item quae olivis collectis remanserunt in arboribus etc. (Deut. 34,20. 21) sicut ea quae anno sabbatico sponte in agris nascebantur (Ex. 23,11; Lev. 25,5). Admonitiones ad misericordiam pauperibus exhibendam omnino frequentes sunt; cf. Deut. 15,7 ss.; Prov. 14,21 qui miseretur pauperis, beatus erit; 14,31; 17,5 qui despicit pauperem, exprobrat factori eius; 19,17. faeneratur Domino qui miseretur pauperis; 21,13 qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur; 22,9 qui pronus est ad misericordiam benedicetur; de panibus enim suis dedit pauperi; cf. 22,16. 22; 28,27 qui dat pauperi non indigebit; qui despicit deprecantem sustinebit penuriam; 29,7. 14; 31,9. 20 manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem (mulier fortis); Eccli. 4,1 fili eleemosynam pauperis ne defraudes et oculos tuos ne transvertas a paupere; 4,2-11; 7,36 pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua; 10,26; 29, 12. 15; 34,25; Is. 58,7; Ez. 18,7; Dan. 4,24; Tob. 12,8 et praeclara exempla habentur Iob 29,16; 30,25; 31,16 ss. Quas tamen admonitiones saepe esse neglectas ostenditur frequentibus illis de oppressione pauperum querelis et reprehensionibus, quorum causam Deus suscipere ac tueri perhibetur; Ps. 9,13 non est oblitus (Deus) clamorem pauperum; Ps. 9 [10], 14. 17 tibi derelictus est pauper, desiderium pauperum exaudivit Dominus; 10,5 oculi eius in pauperem respiciunt. Impius vero insidiatur, ut rapiat pauperem 9 [10],9. Peccatores intenderunt arcum suum, ut deiiciant pauperem et inopem

36,14 etc. Cf. praeterea Eccli. 13,23 pascua divitum sunt pauperes; Is. 3,14 rapina pauperis in domo vestra et facies pauperum commolitis; 10,2 ut opprimerent in iudicio pauperes; 32,7; Ier. 2,34 inventus est in alis tuis sanguis animarum pauperum; 5,28 iudicium pauperum non iudicaverunt; Ez. 18,12; 22,29; Am. 2,6. 7; 4,1; 5,11; 8,4; Zach. 7,10 etc. Quare de Messia id inter alia quoque effertur : iudicabit pauperes populi (ius iis reddet) et salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem... liberabit pauperem a potente et pauperem cui non erat adiutor, ex usuris et iniquitate redimet animas eorum et honorabile nomen eorum coram illo (Ps. 71,4. 12-14).

Iesus autem ipsa sua vita et doctrina paupertatem summo affecit honore. Elegit quippe vitam pauperem; propter nos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (2 Cor. 8,9); pauperes praedicavit beatos, quoniam ipsorum est regnum caelorum (Matth. 5,3; Luc. 6,20); apostolos suos omnibus renuntiare iussit; fallacia divitiarum verbum Dei suffocari docet; paupertatem suasit iuveni illi : si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus etc. (Matth. 19,21) et : unum tibi deest; vade, quaecumque habes, vende et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo (Marc. 10, 21), atque iis qui propter se et evangelium omnes possessiones relinquunt centuplum promittit in tempore hoc et in saeculo futuro vitam aeternam (Marc. 10,29. 30). Eleemosynas largiri Iesus quoque iubet; cf. Matth. 6,2; Luc. 11, 41; 12,33 et eo quod monet pauperes semper nobis adfore (Matth. 26,11) et misericordes beatos praedicat, efficaciter stimulat suos ad iuvandos pauperes. Id in primordiis rei christianae etiam sedulo actum est; Act. 2,45 possessiones et substantias vendebant et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat; cf. 4,32. Colligebantur ab apostolis eleemosynae; cura pauperum iis cordi erat, ad quam fovendam diaconi instituebantur (Act. 6); in concilio apostolorum Paulo et Barnabae commendabatur, « ut pauperum memores essemus » (Gal. 2,10) et Paulus potest addere : quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Et quam vere id addat, elucet Rom. 15,26-28; 1 Cor. 16,1 s.; 2 Cor. 8,1-9,15. Ceterum vide Act. 11,29. 30; 24,17. Vehementer Iacobus apostolus eos increpat qui pauperes despiciunt 2, 2-6. Qualis maneat merces pauperem Christus parabola de Lazaro et divite docet (Luc. 16,22 ss.), et uti dicit iam a propheta praedictum esse, pauperibus et afflictis esse evangelizandum, ita in parabola quoque explicite ad coenam paratam vocari iubet pauperes (Luc. 4, 18; 7,22; 14,13. 22). Hisce vaticinia etiam quaedam consonant. Nam uti ipse rex Sion, Messias, dicitur venturus pauper (Zach. 9,9), ita populus quoque messianus pauper appellatur Soph. 3,12, quatenus scil. regnum messianum longe abesse significatur a fastu, pompa, tumultu regni terreni.

Ceterum in Vulgata plura vocabula hebraea ea voce redduntur; ita עָנִי Ex. 22,25[24]; Lev. 19,10; 23,22; Deut. 24, 12. 14. 15; 2 Sam. 22,28; Iob 29,12; Ps. 9,13 etc.; et דַּל Ex. 23,3; 30,15; Lev. 14,21 (ubi sicut et Ruth 3,10 ex oppositione patet, voci notionem pauperis omnino convenire); Lev. 19,15; 1 Sam. 2,8 ; Iob 20,19 etc.; כָּךְ Lev. 27, 8; דָּךְ Ps. 9,10; saepe vero אֶבְיוֹן Ex. 23,6. 11; Deut. 15,8. 9. 11; 24, 14; Iob 5,15; 19,16; חלכה Ps. 10 (hebr.), 8. 14; מִסְכֵּן Eccl. 4,13; 9,15; רָשׁ 1 Sam. 18, 23; 2 Sam. 12,1 ss.

PAVUS. Afferebantur pavi in Palaestinam tempore Salomonis, cum scil. naves eius una cum navibus Phoenicum commercium exercerent in Ophir (v. s. v.) et Tharsis (v. THARSIS 2) et inde afferrent aurum, argentum, dentes elephantorum, simias, pavos (3 Reg. 10,22 תֻּכִּיִּים; 2 Par. 9,21 תּוּכִיִּים; LXX omittunt). Vocem hebr. pavos interpretantur Targum, Peshitta, Arabs, S. Hieronymus, Rabbini; eam vocem recentiores referunt ad vocabulum malabaricum *tōgai* vel *tōghai* (cf. *Gesenius*, Thes. 1502). Ipsum nomen indicum patriam pavi demonstrat Indiam, ubi Alexander Magnus

ad flumen Hydraotim (Hyarotim) vidit « nemus opacum arboribus alibi inusitatis (invisitatis) agrestiumque pavonum multitudine frequens » (*Curt. Rufus*, Hist. Alex. M. 9,2) et « eiusmodi aves apud Indos videns, earum admiratione commotus, in eos qui has occiderent, gravem poenam constituit » (*Aelian.* Nat. anim. 5,21). « Ex barbaris ad Graecos exportatus esse dicitur. Primum autem longo temporis intervallo rarus, deinde studiosis elegantiae et pulchritudinis pretio spectatus fuit Athenis » (*Aelian.* l. c.). Graecos pavum sortitos esse a populis semiticis Asiae anterioris iam innuit nomen graecum ταώς, quod apud Atticos pronunciabatur ταῶς. (*Athen.* IX. 397 e). De propagatione lenta pavorum ex India ad Graecos et Romanos cf. praesertim V. *Hehn-O. Schrader*, Kulturpfl. u. Hausthiere 1894, p. 342-351. Eius propagationis primum vestigium cernitur 3 Reg. 10,22; 2 Par. 9,21. Emporia Ophir in Arabia australi et Tharsis in Africa orientali intermedia erant inter Palaestinam et regiones orientales. Hodie quoque *Pavo cristatus* Linné est frequentissimus in India orientali et animal fere domesticum. Cf. *A. E. Brehm*, Thierleben 1884 VI. p. 152.

PAX. Ea voce generatim significatur status tranquillus, a perturbatione alienus, condicio felicitatis, securitatis. Si agitur de variis gentibus, pax dicit condicionem a bello et simultate immunem, amicitiam quandam publicam; similiter inter homines privatos pax dicit concordiam, amicitiam, saltem eum statum qui ab infestatione et iniuria immunis sit. Si de singulis est sermo, designatur animi tranquillitas, secura mens, conscientia imperturbata, quieta. Deus populo suo si legem observaverit pollicetur Lev. 26,6 : dabo pacem in finibus vestris i. e. ab incursu hostili et belli tumultu eos tuebitur. Ad omnem timorem mali removendum dicitur in salutatione : pax tecum, ne timeas Iud. 6, 23; cf. Tob. 12,17; Luc. 24,36. De felicitate, prosperitate usurpatur v. g. Ps. 72,3 zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Si autem David quaerit : estne pax puero Absalom (2 Reg. 18,29. 32)? scire vult, sitne salvus, evaseritne omne proelii periculum, sitne superstes. Ea scil. voce solet fieri quaestio, quomodo quis valeat; ita Gen. 29,6 hebr. estne pax ei? Vulg. sanusne est? item Gen. 43,27 Vulg. salvusne est pater vester? et 4 Reg. 4,26 hebr. estne pax tibi? Vulg. rectene agitur circa te? Cf. Gen. 37,14; 1 Reg. 17,18; 2 Reg. 11, 7; 4 Reg. 10,13. Notio concordiae, amicitiae praevalet v. g. Ps. 40,10 homo pacis meae i. e. homo mihi familiaris; notio tranquillitatis animi et felicitatis v. g. Iob 9,4 : quis restitit ei (Deo) et pacem habuit?

Sollemne est apud prophetas pacis nomine felicitatem et salutem designare messianam. Quae appellatio plane congrua est. Nam uti peccato inimicitiae sunt constitutae inter Deum et hominem, inter hominis ipsius appetitus, inter homines, ita Messiae est has inimicitias tollere, sanare, remedium iis afferre adeoque pacem significatione latissima inducere. Quae pacis notio iam cernitur in primo vaticinio messiano, cum caput inimici diaboli per quem inimicitiae illae ope peccati inductae sunt praedicatur esse conterendum (Gen. 3,15). Eadem pacis notio designatur in promissionibus benedictionis quae omnibus gentibus fiet in semine Abraham (Gen. 12,3; 18,18; 22,18 etc.); immo non defuerunt qui Gen. 49,10 שִׁילֹה nomen Messiae *pacifici* deprehenderent. Typum Messiae pacifici videre licet in rege Salomone (2 Reg. 7,13. 14; 3 Reg. 5,5: 1 Par. 22,10; Hebr. 1,5) qui templum Dei aedificat, id quod de Messia quoque edicitur Dan. 9,24 et Zach. 6,13; quare ipse Messias dicitur שָׁלוֹם pax et tempus eius describitur imagine e regno Salomonis petito : sedebit vir subtus vitem suam et subtus ficum suam et non erit qui deterreat (Mich. 4,4; 5,5; 3 Reg. 4,25). Vocatur Messias princeps pacis, de eius tempore dicitur : pacis non erit finis (Is. 9,6. 7), quae pax variis exhibetur imaginibus (Is. 2,4; 11,6-9; 65,25; Mich. 4,3; Ps. 71,3. 7 etc.). Bona quae allaturus est nomine pacis declarantur; cf. Is. 52,7; 53, 5; 54,10; 57,19; 66,12; Ier. 33,9; Ez. 34,25; 37, 26; Agg. 2,10; Zach. 9,10.

Quare et rei naturae et vaticiniis plane congruit quod angeli nato Salvatore pacem hominibus annuntiant, quod Christus suos salutat : pax vobis, quod apostoli iubentur pacem dicere domibus in quas ingrediantur (Luc. 2,14; Matth. 10,12; Ioan. 20,26 etc.); et Christus quos benigne dimittit iubet vadere in pace, pacem eis apprecans et largiens Marc. 5,34; Luc. 7,50; 8,48 et suis se pacem dare, pacem relinquere, in se haberi pacem asserit Ioan. 14,27; 16,33. Quare apostoli quoque in suis epistulis gratiam et pacem fidelibus apprecantur (Rom. 1,7; 1 Cor. 1,3 etc. 1 Petr. 1,2; 2 Ioan. 3 etc.) et fructus iustificationis describitur : pacem habemus ad Deum per Iesum Christum (Rom. 5,1) et ipsum praemium a Deo nobis donandum pax appellatur (Rom. 2,10). Deus dicitur Deus pacis i. e. auctor pacis, largiens pacem, volens ut pax et concordia in omnibus regnet. Nam, uti per se patet, etiam pressiore notione concordiae, amicitiae pax dicitur in Novo Testamento. Ita monemur, ut quae pacis sunt sectemur (Rom. 14,19), et Deum non esse dissensionis Deum, sed pacis (1 Cor. 14,33) et Christum inimicitiis depulsis et pariete separationis sublato pacem effecisse inter Iudaeos et gentes, ipsum esse pacem nostram; cf. Eph. 5,14-17. Praeterea pax fructus quoque est quem Spiritus Sanctus opus Christi exsequens in cordibus fidelium efficit (Gal. 5,22). Unde patet, cur adeo frequenter pax fidelibus apprecatione exoptetur; nam pax Dei exsuperat omnem sensum (Phil. 4,7) et beati in pace esse dicuntur post varias huius vitae miserias et perturbationes (Sap. 3,3; cf. Is. 57,2; Rom. 2,10).

PECCATUM. Initium peccati est superbia (Eccli. 10,15; cf. Prov. 18,12), id quod in peccato protoparentum iam cernitur; nam a muliere initium factum est peccati (Eccli. 25,33); haec vero seducta est promissione : eritis ut Deus (Gen. 3,5), quam suggessit diabolus (cf. Sap. 2,24), homicida ab initio et mendax (Ioan. 8,44). Per peccatum autem Adami omnes constituti sunt peccatores et quale dominium exinde peccatum exercuerit in genere humano, apostolus pluribus describit (cf. Rom. 1,19-3,23; 7,7-25) et ipsa historia generis humani in documentis sacris et profanis abunde demonstratur. Uti in primo peccato iam proditur, peccatum est transgressio legis divinae, proin rebellio contra Deum, inoboedientia, quae eo magis est culpabilis, quia Deus adeo benignum se praestitit : filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me (Is. 1,2; 59,13); vae eis quia recesserunt a me (Os. 7,13) et quia peccato homo se reddit miserum, poenis obnoxium, et a bonorum omnium largitore recedens sibi fodit cisternas dissipatas (Ier. 2,13), peccatum et iniquitas dicitur נְבָלָה stultitia (1 Reg. 25,25; 2 Reg. 13,12; Is. 9,17; 32,6; Ier. 29,23 etc.). Varia peccatorum genera enumerantur Matth. 15,19; Rom. 1,27-32; 1 Cor. 6,9. 10; Gal. 5,19-21 quae opera dicuntur carnis. Etiam negotia quaedam nominantur, in quibus adsit magnum peccandi periculum; v. g. Eccli. 26,28 non iustificabitur caupo a peccatis labiorum, et 23,11 omnis iurans in toto a peccato non purgabitur, et 27,2 inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum, et 28, 10 abstine te a lite et minues peccata etc. Gravitas et damnum peccati proponitur, ut homines ab eo maxime sibi caveant Eccli. 21,2 : quasi a facie colubri fuge peccata; dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum; quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas; plagae illius non est sanitas. Et ne quis de misericordia Dei praesumat monetur Eccli. 5,6 : et ne dicas : miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur — misericordia enim et ira ab illo cito proximant et in peccatores respicit ira illius; non tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem. Frequentes sunt admonitiones ad paenitentiam de peccatis : convertere ad Dominum et relinque peccata tua; fili peccasti? non adiicias iterum et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur (Eccli. 17,21; 21,1; cf. 28,2; 35,3); auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur et si fuerint ru-

bra quasi vermiculus, velut lana alba erunt (Is. 1,16. 18); revertere ad me, quoniam redemi te (Is. 44,22), convertimini filii revertentes (Ier. 3,14) etc. Uti pessimum est de peccatis gloriari (peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt, Is. 3,9), ita animi est dolentis peccatum fateri : non confundaris confiteri peccata tua (Eccli. 4,31). Et eiusmodi confessionem nomine omnium in universum faciebat summus sacerdos die expiationis (Lev. 16,21); pariter praecipitur ei qui in alterum deliquit (Num. 5,7) et Deus generatim minatur se populum relicturum in potestate hostium, donec confiteantur iniquitates suas et maiorum suorum. Humili confessioni Deus veniam concedit : dixi : confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei (Ps. 31,5) et simulac David dixit : peccavi Domino, meruit audire a Nathan propheta : Dominus transtulit peccatum tuum (2 Reg. 12,13). Peccatorum confessionem Ioannes Baptista exigebat Matth. 3,6; ad eam adhortatur Iacobus 5,16; eius praemium commendat Ioannes : si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra (1 Ioan. 1,9). Christus, agnus Dei qui tollit peccatum mundi, qui non noverat peccatum, sed pro nobis factus peccatum, est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi (Ioan. 1,29; 2 Cor. 5,21; 1 Ioan. 2,2); semetipsum enim obtulit pro peccatis (cf. Hebr. 9,26. 28) sanguinem suum effundens in remissionem peccatorum (Matth. 26,28); quare et ipse peccata remisit (Matth. 9,2; Marc. 2,9; Luc. 7,48) et eam potestatem tradidit etiam apostolis (Ioan. 20,23). Tamquam remedium contra peccatum commendatur timor Domini : timor Domini expellit peccatum (Eccli. 1,27) et amor : qui diligit Deum exorabit pro peccatis et continebit se ab illis (Eccli. 3,4). Nullo modo potest peccator sibi impunitatem promittere : ne dixeris : peccavi et quid mihi accidit triste? Altissimus est enim patiens redditor (Eccli. 5,4), immo v. 5 docetur : de propitiato peccato noli esse sine metu.

Quale sit peccatum contra Spiritum Sanctum, patet ex Matth. 12,22-33 et Marc. 3,22-30. Pharisaei scil. ut nascentem in populo fidem plane exstinguerent et odium in Iesum provocarent, summa malitia contra veritatem aperte cognitam asserebant Iesum ope principis daemoniorum eiicere daemonia. Tale peccatum pronuntiatur l. c. nunquam iri remissum. Porro quam difficile sit eum converti qui fidem susceptam cum magno donorum divinorum contemptu abiecerit, apostolus bis graviter exponit (Hebr. 6,4; 10,26).

De sacrificio pro peccato vide s. v. HOSTIA.

PECUNIA, NUMMI. Nomen usitatum pro pecunia est כֶּסֶף argentum. Tempore antiquo non habebantur nummi certa forma certoque pondere cusi, sed in commercio emendi dabatur argentum non signatum forma, sed rudi pondere. Quare pecunia, argentum, pretium dicitur *appendi* i. e. dari certo pondere; cf. Gen. 23,16; Ex. 22,16 (hebr.); 2 Reg. 18, 12; 3 Reg. 20,39; Is. 33,18 (hebr.); 55, 2; Ier. 32,9; unde nomen nummi *siclus* שֶׁקֶל significat pondus, dein postmodum nomen hoc generale ad certum pondus certumque nummum applicabatur (cf. anglicum *pound*). Achan inter spolia vidit et sibi tulit regulam, hebr. linguam auri quinquaginta siclorum pondere (Ios. 7,21). Cum talentum appelletur כִּכָּר i. e. orbis, circulus, fortasse concludere licet segmenta illa auri argentique vel partes, quibus olim in commercio utebantur, quandoque formam annulorum habuisse, uti saltem apud Aegyptios in usu fuisse documenta quaedam ostendunt (cf. *Erman,* Aegypten II. p. 615). Quare ad pecuniam quoque solvendam refertur admonitio : non habebis in sacculo diversa pondera; pondus habebis iustum et verum (Deut. 25,13. 14; cf. Lev. 19,35; Prov. 16,11).

Siclus sanctuarii pondus habebat viginti גֵּרָה (Ex. 30,13; εἴκοσι ὀβολοί LXX et Vulg.). Ex ponderibus in Assyria inventis et inscriptione ponderis insignitis etiam multum lucis in pondera hebraica diffusum est. Ex iis scil. et illis, quae

Flavius Iosephus (Ant. III. 8,2; XIV. 7,1) adnotat, colligitur siclum aureum et siclum ut pondus consideratum habere grammata 16,37; sed siclus tamquam nummus argenteus habebat 14,55 grammata, ad quod pondus sicli qui inventi sunt accedunt (v. g. inventi sunt qui habent grammata 14,50-14,65). Secundum istud pondus habita ratione pecuniae modernae siclus aureus aequivalet 45 M. et argenteus 2,50 M. (monetae germanicae). Etiam in mna oportet distinguere inter mnam ut pondus et mnam ut pecuniam. Mna pondus habebat sexaginta siclos i. e. grammata 982,2 (ad siclos 60 cf. Ez. 45,12). Sed mna pecunia habebat quinquaginta siclos; mnae sexaginta unum efficiunt talentum, et proin talentum habebat siclorum tria millia. Mna argentea ut pecunia habebat grammata 50 × 14,55 i. e. 727,5, et mna aurea 50 × 16,37 i. e. 818,5. Unde secundum nostros nummos mna argentea aequivalet 50 × 2,5 i. e. 125 M. et mna aurea 50 × 45 i. e. 2250 M. Etiam talentum ut pondus et ut pecunia distinguitur. Ut pondus habet secundum ea quae de mna pondere dicta sunt 60 × 982,2 i. e. 58932 grammata i. e. 58,932 kilogrammata. Ut pecunia talentum aureum complectitur 60 × 818,5 i. e. 49,110 kilogr., talentum vero argenteum 60 × 727,5 i. e. 43,650 kilogr. Unde talentum aureum ratione habita nostrae pecuniae aequivalet, cum talentum habeat tria millia siclorum, 3 000 × 45 i. e. 135000 M.; talentum argenteum 3 000 × 2,5 i. e. 7 500 M. vel quod est idem, talentum aureum 60 × 2 250 M. et argenteum 60 × 125 M. — Unde habetur hic conspectus :

PECUNIA AUREA

		1	16,37	=	45
	1	50	818,5	=	2250
1	60	3000	49110	=	135000
Talentum	Mina	Siclus	grammata		Mark (Shilling)

PECUNIA ARGENTEA

		1	14,55	=	2,5
	1	50	727,5	=	125
1	60	3000	43650	=	7500
Talentum	Mina	Siclus	grammata		Mark (Shilling)

Nominatur Gen. 33,19; Ios. 24,32; Iob 42,11 tamquam quoddam pecuniae genus קְשִׂיטָה, quam veteres versiones agnum, ovem interpretantur; recentiores etymologicam significationem ex arabico petentes explicant aliquid pensi, ponderati (sicut scil. siclus, mna, talentum et pondus et pecuniam dicunt). Coniectant ex Gen. 33,19 et 23,15 aequivalere quattuor siclos; at cum ibi de rebus plane diversis agatur, coniectura est plane inanis, unde praestat fateri nos nescire quid significet.

Post exsilium, cum Iudaei imperio Persarum subessent, nummorum aureorum Persarum mentio infertur Esdr. 2,69; 8,27; Neh. 7,70-72, ubi in textu darici nominantur, LXX δραχμαί, χρυσοῖ, Vulg. auri solidi, drachmae; similiter 1 Par. 29,7; vide s. v. DARICUS. Aequabat daricus duas drachmas aureas; eius pondus normale aequabat ad minimum 8,4 grammata, eius valor 20 Mark (Shilling).

Ex nummis graecis in s. litteris nominantur : stater (Matth. 17,26[27]), drachma (Luc. 15,8. 9), didrachmum (Matth. 17,23 [24]), mna (Luc. 19,13 ss.), talentum (Matth. 18,24; 25,15 ss.). Talentum atticum aequabat 60 minas = 6000 drachmas.

Drachmae vero distinguuntur secundum normam aeginensem et secundum

normam atticam. Norma acginensis in usu erat in Macedonia usque ad Alexandrum Magnum, in Peloponneso (excipe Corinthum), in magna parte Graeciae et in regno Ptolemaeorum; pondus habebat 6,20 grammatum et pretium argenti computatur M. 1,7. Drachma attica pondus habet 4,366 grammatum; tetradrachmon pondus habet 17,46 gr.; pretium argenti drachmae reputatur M. 0,78, tetradrachmi autem M. 3,13; stater idem nummus est atque tetradrachmon (cf. Matth. 17,27). Norma haec attica valebat in Macedonia (ex tempore Alexandri Magni), in Sicilia et in regnis illis (excipe Aegyptum), quae ex regno Alexandri post eius mortem exorta sunt. Mina igitur attica aequabat 100 drachmas (circiter 78 M.). Didrachmum erat nummus argenteus, duas drachmas atticas aequans, seu semistater. Distinguere oportet staterem argenteum (= 4 drachmas atticas) et staterem aureum, qui pondo valebat duas drachmas, sed valore exaequabat 20 drachmas atticas argenteas. Nummis graecis etiam adnumerandum videtur minutum, λεπτόν Marc. 12, 42; Luc. 12,59; 21,2; erat dimidia pars quadrantis romani.

Ex nummis romanis in s. litteris nominantur denarius, as (assarius), quadrans, dupondius. Denarius erat numisma census (Matth. 22,19), merces operariorum diurna (Matth. 20,2 ss.), stipendium diurnum militis romani (*Tacit.* Annal. 1,17). Denarii tempore Christi exhibebant imaginem et superscriptionem (Matth. 22,19-21; Marc. 12,16). Denarius aureus exaequabat 25 denarios argenteos. Denarius argenteus antiquitus decem assibus constabat, inde ab anno 217 a. Chr. seu 537 u. c. sedecim assibus; antiquior pondo valebat 4,55 grammata, recentior 3,898 grammata (circiter 70 Pf.). As, assarius erat nummus aereus (= 5 Pf., postea 4,4 Pf.); duo assarii sunt dupondius (Matth. 10,29; Luc. 12,6). Quadrans (Matth. 5,26; Marc. 12,42) est quarta pars assis (= 1,1 Pf.).

Apud Romanos denarius par habebatur drachmae, apud Iudaeos siclus argenteus tetradrachmo. Adverte denique Matth. 26,15; 27,3 ss. argenteum (ἀργύριον scil. νόμισμα) utpote nummum Iudaeorum designare siclum argenteum, sed Act. 19,19 denarium (ἀργύριον) designare nummum graecum scil. drachmam atticam.

Nummi domestici sub principibus hasmonaeis cudebantur. Siclos nummos esse cusos prima mentio fit 1 Mach. 15, 6 : « et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua »; quae scripta sunt ab Antiocho VII. Sidete ad Simonem Machabaeum ante annum 174 aerae Seleuc. = 139/138 a. Chr. Ceterum Simon inde ab anno 170 aerae Seleuc. = 143/142 a. Chr., quo tempore ablatum est iugum gentium ab Israel (1 Mach. 13,41) nummos cudere coeperat. Sicli argentei a Simone cusi inscribuntur *siclus Israelis* vel pro dimidio pretio eiusmodi monetae *semisiclus* cum anni indicatione v. g. annus primus, in parte postica autem : *Hierosolyma sancta;* nummi aenei inscribuntur : *liberationis Zion.* Nulli autem sunt sicli ultra annum quartum Simonis. Videntur igitur principes hasmonaei post Simonem aeneos tantum nummos cudisse inscriptione nominis hebraici et emblematibus signatos. Immo etiam nummi Herodis I. Magni et Herodianorum sunt aenei characteribus graecis insigniti v. g. βασιλέως Ἡρώδου.

Cf. praesertim *J. Eckhel*, Doctr. num. vet. 8 voll. Vindobonae 1791-98; *F. de Saulcy*, Recherches sur la numismatique Judaïque, Paris 1854; *idem*, Numismatique de la Terre Sainte, Paris 1874; *F. W. Madden*, Coins of the Jews, London 1881, nova ed. 1903 (cum bibliographia ab anno 1849-79 pag. 317-324); *Fr. Hultsch*, Griech. u. röm. Metrologie *ed.* 2. Berlin 1882; *Barclay V. Head*, Historia numorum, a manual of greak Numismatics, Oxford 1887 (cum bibliographia non completa quidem, sed amplissima praecipuorum operum pag. XIX.-XXVI.).

PELAGUS Ion. 2,6 v. IUNCUS.

PELLICANUS v. ONOCROTALUS.

PELLICATUS Lev. 18,18 : sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies; ita sensum textus hebr. rite expressit S. Hieronymus; לְצָרֹר ad concubinam, ad uxorem secundam (cf. 1 Sam. 1,6 צָרָה, uti vocem illam Lev. 18,18 explicat ex 1 Sam. 1,6 et ex arabico *P. de*

Lagarde, Nachrichten der kgl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen 1882). Unde textum hebr. vertes : mulierem ad sororem eius non accipies in uxorem secundam. Qua lege itaque prohibetur, ne quis duas sorores simul habeat uxores. Falso itaque anglicani ex eo loco deducunt prohiberi sororem uxoris mortuae ducere; quam falso id ex eo colligant, *P. de Lagarde* quoque l. c. demonstrat.

PELUSIUM, urbs arte et natura munita, revera clavis Aegypti, quam quicumque ab oriente hostis Aegyptum aggrediebatur occupare studebat. Ea voce reddit S. Hieronymus סִין Ez. 30,15. 16, et Pelusium potest vere dici robur Aegypti, uti סִין eo loco dicitur. Cum aramaice significet *lutum* et Pelusium etiam ad πηλός eiusdem notionis alludere videatur, forte satis explicatur, cur S. Hieronymus ita verterit. Intellegi Pelusium סִין etiam censet *Brugsch,* Diction. géogr. de l'ancienne Égypte p. 913. 1091. LXX autem habent in v. 15 Σαΐς et v. 16 Συήνη; hanc de Syene explicationem etiam *Ebers* praefert monens nomen aegyptiacum fuisse antiquitus Sun pro Syene et hodierno *Assuān.* Sun situm erat prope primam cataractam Nili et natura valde munitum erat inserviebatque ad Aegyptum tuendam contra invasiones turmarum hostilium ex meridiana regione erumpentium (*Ebers* s. v. Sin apud *Riehm-Baethgen,* Handwb. d. bibl. Altert.).

PENTAPOLIS (Πενταπόλις), regio vel coetus quinque urbium. Eo nomine Sap. 10,6 comprehenduntur urbes in valle Siddim olim sitae : Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, Bala (Segor), cf. Gen. 10,19; 13,10; 14,2. 8. Quattuor priores interierunt iudicio Dei, qui eas « subvertit in ira et furore suo » Deut. 29,23; cf. Gen. 19,28. Vide SIDDIM.

PENTECOSTE (πεντηκοστή scil. ἡμέρα, dies quinquagesima, scil. post pascha). Die 16. mensis Nisan offerebatur primus manipulus hordei. Ab eo die numerandae erant septem hebdomades plenae usque ad alteram diem expletionis hebdomadis septimae i. e. dies quinquaginta et die quinquagesimo festum erat celebrandum, festum scil. messis, festum in primitiis frugum messis triticeae, festum primitivorum, quod propter septem illas a paschate hebdomadas etiam festum hebdomadum vocabatur (cf. Ex. 23,16; 34,22; Lev. 23,15 ss.; Num. 28,26; Deut. 16,9). Haec sollemnitas uno die absolvebatur, in quo ab omni opere servili abstinendum erat et coetus sacer celebrabatur (Lev. 23,21; Num. 28,26 hebr.). Eo die offerri debebant panes primitiarum duo de duabus decimis (unius scil. epha) similae fermentatae et cum hisce panibus offerri debebant septem agni, unus vitulus, arietes duo in holocaustum, dein hircus pro peccato et duo agni anniculi tamquam hostiae pacificorum. Praeterea alia quoque sacrificia praescribuntur (cf. Lev. 23,17-20 et Num. 28,27-30) neque unquam omittebatur holocaustum sempiternum, quod mane et vespere fiebat. Insuper commendatur, ut sponte sacrificia offerant (Lev. 23,38; Num. 29,39). Diem pentecostes ad legislationem in monte Sinai referri, in s. litteris quidem non innuitur; at circa illud tempus Israelitas ad Sinai pervenisse legemque a Deo accepisse certum est ex Ex. 19,1 ss.

Celeberrimus est dies pentecostes ille, quo post Christi in caelum ascensum Spiritus S. in apostolos et discipulos descendit Act. 2,1 ss. iique induti sunt virtute ex alto. Eo quoque die lex evangelii sollemni modo est promulgata praedicante Petro et annuntiante : certissime ergo sciat omnis domus Israel quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis (Act. 2,36) et eo die Ecclesia Christi publice constituta est eique baptismo collato circiter tria millia aggregata sunt.

Secundum textum graecum Tob. 2,1-6 dies erat pentecostes, cum Tobias surgeret e coena et occisum Israelitam quendam domi occultaret et sepelirét noctu. Praeterea eius festi mentio fit 2 Mach. 12,32; Act. 20,16; 1 Cor. 16,8.

Insuper v. s. v. FESTIVITATES.

PENULA (φελόνη, φαιλόνη). Legitur 2 Tim. 4,13 : penulam quam reliqui

Troade apud Carpum veniens affer tecum et libros, maxime autem membranas. Vox latina et graeca dicit pallium, amiculum summum, corpori circumdatum quo quis se ab iniuria tempestatis et pluviae tutabatur. Cum apostolus scribat v. 21 : festina ante hiemem venire, pallio illo tempore hiemis se indigere innuit. Syrus quidem interpres vocem intellexit de theca vel capsula libraria, et ita intellegi ab aliquibus iam refert S. Chrysostomus, qui ipse explicat τὸ ἱμάτιον (τινὲς δέ φασιν γλωσσόκομον, ἔνθα τὰ βιβλία ἔκειτο, ad l. c. *M.* 62,656). At ita non posse explicari patet, quia explicite additur libros esse afferendos, maxime autem membranas. Si de capsula libraria praecciperetur, per se evidens esset, illam non esse asportandam vacuam relictis libris.

PEPO. Pepones (הָאֲבַטִּחִים, οἱ πέπονες) enumerantur inter fructus Aegypti ab Israelitis in deserto desideratos Num. 11,5. Cum versionibus antiquis concordat vox arabica *baṭṭīkh*, qua generice omnes fructus ex familia Cucurbitacearum designantur. Iam antiquissimis temporibus in Aegypto colebantur *Cucumis melo* Linné, *Cucumis Chate* Linné, *Lagenaria vulgaris* Linné, *Cucurbita citrullus* Linné = *Citrullus vulgaris* Schrader; atque hodie quoque in Aegypto abundant *Cucumis sativus* Linné, *Cucumis Chate* Linné, *Cucumis melo* Linné, *Cucumis Dudaim* Linné, *Cucurbita pepo* Linné, *Cucurbita lagenaria* Linné = *Lagenaria vulgaris* Serînge, *Cucurbita citrullus* Linné. Nomine arabico *baṭṭīkh* ab Aegyptiis designatur *Cucurbita citrullus* Linné seu *Citrullus vulgaris* Schrader; nomine *baṭṭīkh djebbeli* Cucumis sativus ab Arabibus monticolis cultus, cuius fructus non grandis, dulcissimus; nomine *baṭṭīkh brullosi* Cucumis sativus ad Deltae promontorium Brullos cultus, cuius fructus interdum cubitalis diametri, dulcissimus, intus albus, saepe ruber. Cf. *Forskal, Woenig, Loret.* In Syria a *Ghōr el-Ṣāfiye* usque ad lacum *Ḥūle* et prope *Marash* coluntur *baṭṭīkh aṣfar* = pepo flavus, Cucumis melo, et *baṭṭīkh akhḍar* = pepo viridis, Cucumis citrullus, praeter alias Cucurbitaceas, quas *Post* in Flora syriaca recenset.

Cf. *I. Loew*, Aram. Pflanzennamen 1881 p. 351-2 (n. 297); *P. Forskal*, Flora aegypt.-arab. 1775 p. 167-9; *F. Woenig*, Pflanzen im alten Aegypten 1886 p. 200-207; *V. Loret*, Flore pharaonique 1892 p. 73-75; *F. Hasselquist*, Reise nach Palaestina, *ed. C. Linné* 1762 p. 527 ss.; *U. J. Seetzen*, Reisen *ed. Kruse* III. p. 158. 209. 350; *G. E. Post*, Flora of Syria 1896 p. 322-5. Praeterea v. CUCUMIS.

PEQOD (פֶּקוֹד), gens cum Babyloniis et Chaldaeis foedere iuncta contra Iudaeam et Ierusalem (Ez. 23,23 Φακούκ, A καὶ Φούδ, Vulgata nobiles). Eiusdem mentio fit in textu hebr. Ier. 50,21. Ex inscriptionibus cuneiformibus innotescit gens *Puqūdu* Elamitis contermina et foedere iuncta. Cf. *Delitzsch*, Paradies 240 s.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 117. 120.

PERAEA v. GALAAD 4 in fine.

PERDIX (קֹרֵא i. e. clamans; πέρδιξ) memoratur in nonnullis locutionibus comparativis et proverbialibus. Persecutio continua, quam David a rege Saul sustinebat, confertur 1 Sam. 26,20 cum persecutione, quam venator infert perdici in montibus (LXX loco perdicis erronee νυκτικόραξ); quae comparatio eo aptior evadit, si iam antiquitus fortasse venatio perdicis eo modo instituebatur, quo hodie solent Arabes scil. ut perdix tamdiu excitetur et exagitetur, donec fatigatione confecta uno ictu interficiatur. Sicut perdix venatrix in canistro inclusa ceteras in laqueos ab aucupe paratos inducit, sic et cor superbi dolos molitur Eccli. 11,32. Modo proverbiali dicitur Ier. 17,11 : perdix fovit quae non peperit; quam locutionem plerique explicant ex populari opinione, cuius iam S. Hieronymus ad h. l. meminit, perdicem ova alterius perdicis i. e. aliena furari iisque incubare, at pullos ex ovis excusos avolare et perdicem relinquere; eodem modo divitias male partas dilabi. Alii Ier. 17,11 ita vertere posse censent : perdix fovet (ova) et tamen non parit i. e. pullos ex ovis non excudit; referunt enim ova perdicis,

cum sint valde sapida, diligenter exquiri et perdicem iis frequenter privari ac proinde frustra iis incubuisse; simili ratione peccatores divitiis multo labore comparatis subito privari. Cf. *Knabenbauer,* Comm. in Ier. p. 230 s.

Secundum *H. B. Tristram* (Fauna and Flora of Palestine 1884 p. 123 s.; Nat. Hist. of the Bible 1889 p. 224 ss.; The Land of Moab 1874 p. 129. 144 s.) per totam Palaestinam a Libano ad austrum Iudaeae in montanis abundat *Caccabis saxatilis* Gray (*Cacc. Khukar* Gray, *Caccabis graeca*); eius loco regiones planas Genesareth, Esdrelon, Saron, Accho et litus Phoeniciae occupat *Francolinus vulgaris* Stephens, vallem autem Iordanis, fauces circa mare Mortuum, Arabiam Petraeam *Ammoperdix heyi.* Praeterea in desertis frequens est *Pterocles arenarius* Temminck et *Pterocles alchata* Gray (*Pter. setarius*); cf. *Tristram,* Fauna and Flora of Pal. p. 122.

PEREGRINUS vide s. v. ADVENA.

PERGAMUM (Pergamus, Πέργαμος), urbs Mysiae maioris (Apoc. 1,11; 2,12) prope sinum Elaiten ad fluvium Caicum sita, quae fuit sedes regum Attalorum et Eumenum, celebris inventione et confectione membranarum, quae ex urbis nomine vocantur, bibliotheca et cultu Aesculapii; ab anno 129 a Chr. et deinceps imperio suberat romano.

PERGE (Perga, Πέργη), urbs Pamphyliae ad ripam occidentalem Cestri fluvii sita, distans a mari stadia sexaginta. Prope urbem in colle situm fanum erat Dianae antiquissimum et sanctissimum (ut Cicero ait, in Verrem II. 1,20), ad quod undique magna hominum copia quotannis confluebat. Eam urbem adiit S. Paulus; ibi Ioannes Marcus discessit ab eo et Barnaba Ierosolymam reversurus Act. 13,13; illi autem, cum ex Lycaonia et Pisidia rediissent, loquebantur verbum Domini in Perge, indeque in Attaliam profecti sunt Act. 14,24.

PERIBOLUS; legitur Ez. 42,7. 10 pro hebr. גָּדֵר murus (quam vocem alias invenimus versam maceriam Is. 5,5; Mich. 7,11; saepem Eccl. 10,8; Ez. 13,5; Esdr. 9,9). In peribolo sanctorum, probabiliter in atrio templi, in loco scil. frequentato, exposita est scriptura illa in tabulis aereis incisa, quae refertur 1 Mach. 14,27 ss.; cf. 1 Mach. 14,48.

PERIPSEMA (περίψημα) testibus Hesychio et Suida sordes sunt, quae radendo ab aliqua re auferuntur, sordes detersae, purgamentum. Eodem nomine iuvenis quoque appellabatur quem olim quotannis Athenienses veluti peccatis omnium civium oneratum in mare proiiciebant tamquam piaculum. Notione piaculi videtur haec vox adhiberi 1 Cor. 4,13 (vide *Cornely* ad h. l. et cf. Tob. 5,19 graece).

PERISCELIS, proprie id quod circa crus ponitur; nomen est ornamenti quod mulieres in crure, in tibia gerere solebant eo modo, sicut armillas in brachiis (Num. 31,50; Is. 3,20). Ponitur priore loco pro אֲצַעֲדָה, altero loco pro צְעָדָה; hebr. utroque loco explicant de catenulis cruralibus, quae ornamentis tibiarum conexae cogebant mulieres gressibus parvis incedere et quae cum incederent simul edebant tinnitum.

PERIURIUM. Uti alia scelera a prophetis accusantur, ita periuria quoque (cf. Ier. 7,9; Zach. 5,3; Mal. 3,5 et cf. Eccl. 9,2; Sap. 14,25; Os. 4,2) et Sapiens petit: mendicitatem ne dederis mihi, ne egestate compulsus furer aut periurem nomen Domini (Prov. 30,8. 9); indicat scil. periculum aliquod periurii. Periuros apostolus recenset simul cum aliis peccatoribus gravissimis 1 Tim. 1,10. Ceterum vide s. v. IURARE, IURAMENTUM.

PERSAE, PERSIS (פָּרַס, Πέρσαι, ἡ Περσίς, in inscriptionibus *Pārça,* pers. *Pārs, Fārs,* arab. *Fāris*). Persarum prima mentio fit in cantico Iudith 16, 12: « Horruerunt Persae constantiam eius et Medi audaciam eius »; nominantur Persae et Medi Assyriis subiecti. Tamquam milites mercede conducti commemorantur Persae in exercitu Tyriorum Ez. 27,10; neque vox פָּרַס explicanda est cum aliquibus de Perorsis vel

de Pharusiis quorum mentionem faciunt *Plinius* V. 1,10 et *Ptolemaeus* IV. 6,16. 17 [*ed. Müller-Fischer* 6,5. 6]; sed cum Phoenices colonias habuerint ad sinum Persicum (*Movers*, Phoenizier II. 2 p. 165 et II. 3 p. 254 ss.), facile explicatur, quomodo de Persis mentio fiat. Propheta Persas quoque exercitui Gog et Magog attribuit 38,5. Hic quippe regni Dei hostis ultimus coetum vel exercitum suum colligit ex regionibus plurimis maximeque dissitis. Primus rex Persarum fuit Cyrus 558-521, qui anno 550 Medos vicit et anno 538 Babylone potitus est. Cyro successerunt Cambyses 529-522, Pseudo-Smerdis 522, Darius I. Hystaspis 521-486, Xerxes 486-465, Artaxerxes I. Longimanus 465-424, Darius II. Nothus 424-405, Artaxerxes II. Mnemon 405-359, Artaxerxes III. Ochus 359-338, Arses 338-336, Darius III. Codomannus 336-331. Reges Persarum in sacris litteris nominantur Cyrus, Darius I. et probabiliter etiam II., Xerxes seu Assuerus Esth. 1,1 ss., Artaxerxes I. Longimanus (cf. Esdr. 1,1 ss.; 4,7. 24; 6,14 etc.), et ultimus qui victus est ab Alexandro Darius III. Codomannus 1 Mach. 1,1 (vide singulorum nomina). Cum ab initio regni Persarum Medi haud mediocrem partem exercitus constituerent et Persarum rex Cyrus quasi succederet regi Medorum, dicitur apud Danielem regnum Medorum atque Persarum. Verum 1 Mach. 1,1 rex dicitur Persarum et Medorum, quia decursu temporis sane Persae potiorem dignitatem in omnibus consecuti sunt. Symbolo significatur regnum Persarum Dan. 2,39 et praesertim 7,5, ubi regnum duabus partibus constans clare exhibetur; in urso considerare poteris voracitatem i. e. in regno expugnandi alias gentes studium et « tres costae in ore eius inter dentes » censeri possunt regna babylonicum, lydicum, aegyptiacum, quae in praedam acta sunt a Persis. Alio symbolo exhibetur regnum Persarum Dan. 8,3. 4 : aries habens cornua duo, unum excelsius altero atque succrescens postea, i. e. designatur potentia Medorum atque Persarum; verum potentia Persarum crevit, ita ut Persae in regno evaderent primores. Aries iste cornibus

ventilat contra occidentem, aquilonem, meridiem i. e. Persae sibi subiecerunt profecti ab oriente contra occidentem Babyloniam, Asiam minorem, Syriam, contra aquilonem gentes ponticas et scythicas, contra meridiem Aegyptum. Verum aries hic percutitur ab hirco qui impetu in eum irruit ab occidente i. e. regnum Persarum ab Alexandro Magno devincitur; cf. Dan. 8,20.

Persis proprie dicta erat regio inter Carmaniam, Mediam, Susianam, sinum Persicum sita. « Post Carmaniam » inquit *Strabo* XV. 3,1 « Persis est, multa sane in ora illius sinus, qui ab ea nomen habet, sed longe maior in mediterranea, praesertim secundum longitudinem quae ab austro et Carmania ad septemtrionem et Medicas gentes pertendit... Gentes regionem hanc incolunt Patischores et Achaemenidae, quorum hi honestae vivendi rationi student, Cyrtii autem et Mardi latrones, alii vero agricolae ».

Persis regio dicitur 1 Mach. 3,31. 32 sensu latiore ad designandas provincias Seleucidarum trans Euphraten. Eodem latiore sensu legitur 6,1, ubi cum codicibus aliquibus legi oportet ἐν Ἐλυμαΐδι ἐν Περσίδι; Elymais scil. erat provincia regni persici. Persis et Media 1 Mach. 6,56 et 14,2 designat regnum Parthorum duabus provinciis praecipuis nominatis; Arsaces rex Persidis et Mediae i. e. Mithridates I. omnes provincias Seleucidarum trans Euphraten sibi subiecerat et regnum Parthorum ab India usque ad Euphraten extenderat; is nominatur 1 Mach. 14,2. Etiam 2 Mach. 1,19 Persis dicitur de regione trans Euphraten : « cum in Persidem ducerentur patres nostri » i. e. in Babyloniam; in exsilio illo babylonico sub imperio demum veniebant Cyri regis Persarum et qui remanebant vivebant sub regibus Persarum; unde modus loquendi tempore posteriore facile intellegitur; cf. 1,20; 9,1. — De regno persico, quorum reges quattuor (post Cyrum i. e. Cambyses, Pseudo-Smerdis, Darius, Xerxes) commemorantur, vox legitur Dan. 11,2.

Vide tabulam MEDIA et PERSIA delineatam secundum recentiores geographos : *W. Sieglin*, Atlas antiquus; *To-*

maschek, Zur hist. Topographie von Persien, Wien 1883-5; *Royal Geogr. Soc.* Persia, Afghanistan, Beluchistan, London 1892.

PERSEPOLIS (Περσέπολις), caput Persidis provinciae. Legitur 2 Mach. 9,2 Antiochum intrasse Persepolin et templum voluisse spoliare; verum prohibitum esse et ad fugam compulsum. De eadem re narratur 1 Mach. 6,1-4, ubi secundum lectionem receptam urbs illa vocatur Elymais in Perside; sed auctoritate codicum ibi legendum videtur ἐν Ἐλυμαΐδι, praesertim cum urbs Elymais nullibi, provincia autem Elymais valde nota sit. Persis igitur ex notione veterum sumenda erit sensu latiore. Antiochum autem templum in Elymaide voluisse spoliare testimonio quoque scriptorum historiae saecularis constat; cf. *Polybius*, Reliq. lib. 31,11 προέθετο στρατεύειν ἐπὶ τὸ Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἰς τὴν Ἐλυμαΐδα et *Appianus*, Syr. 66 τὸ τῆς Ἐλυμαίας Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐσύλησεν. Uterque igitur commemorat regionem Elymaeam (cf. *Appianus*, Syr. 32) neque tamen urbem nominat. Dubium igitur est, num 2 Mach. 9,2 agatur de Persepoli urbe regia an forte de aliqua *urbe Persarum* v. g. de Susis, ubi dea aelamitica Nanea (v. s. v.) colebatur. De Persepoli urbe v. *Stolze*, Persepolis, duo vol. 1882.

PERSES, Perseus (Περσεύς), rex Macedonum, filius et in regno successor Philippi III., ultimus rex Macedoniae (179-168 a. Chr.). Perses bellum cum Romanis quod pater eius praeparavit suscepit anno 171; verum anno 168 ab Aemilio Paullo consule apud Pydnam in Macedonia devictus est; de cuius clade mentio fit 1 Mach. 8,5. Fugit Perses in Samothracen; sed captus a Romanis in triumpho Aemilii Paulli ductus est. Post aliquot annos diem obiit in captivitate romana (cf. *Polybius*, lib. 27-29; *Livius* 42,11 ss.; 44,40 ss.; 45,4 ss.; *Iustin.* 33,1. 2; *Florus* 2,12).

PERSIS (Περσίς), mulier christiana Romae degens, quam Paulus salutatam vult : salutate Persidem carissimam (τὴν ἀγαπητήν) quae multum laboravit in Domino Rom. 16,12.

PES. Praescriptum erat sacerdotibus, ut lavarent in labro aeneo manus et pedes, quando ingressuri sunt ad tabernaculum testimonii et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant thymiama Domino Ex. 30,19. 20. Hospitibus et peregre venientibus pedes lavabantur (Gen. 18,2; 19,2; 24,32; 43,24 etc.), quod officium a famulis praestabatur; unde Abigail dicit ad Davidem : ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei (1 Reg. 25,41). Id negare alienum censebatur a vera in hospitem caritate. Quare Christus dixit Pharisaeum reprehendens : intravi in domum tuam; aquam pedibus meis non dedisti (Luc. 7,44); ipse vero in summum humilitatis exemplum etiam hoc amoris documentum exhibuit discipulis, ut eorum pedes lavaret (Ioan. 13,1 ss.). Ad luctum exprimendum etiam lotio pedum omittebatur (cf. 2 Reg. 19,24). — Euphemismo quandoque pedes dicuntur; ita pedes operire hebr. Iud. 3,24; 1 Reg. 24,4; cf. Is. 36,12; Ez. 16,25. Pedem ponere in aliquo loco ius dicit possessionis; ita Deut. 11,24 locus quem calcaverit pes vester, vester erit. Quandoque pes dicitur per synecdochen de homine itinerante, adventante etc. v. g. benedixit tibi Dominus ad pedem meum (Gen. 30,30 hebr. i. e. ad introitum meum); Is. 52,7 quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem; Prov. 1,15 fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt etc. Obsequium, oboedientia, subiectio exprimitur vario modo : sedere ad pedes alicuius, i. e. more discipulorum doceri ab aliquo; cf. Act. 22,3; Ps. 8,8 omnia subiecisti sub pedibus eius; Ps. 109,2 ponam inimicos scabellum pedum tuorum, et Is. 66,1 terra dicitur scabellum pedum Domini et caelum sedes eius; Ps. 17,39 cadent (adversarii) subtus pedes meos etc.

PESILIM (פְּסִילִים, τὰ γλυπτά) Iud. 3,19. 26 ab aliquibus explicatur nomen proprium loci. Vulgata : idola, locus idolorum.

PESTIS, pestilentia. Ea voce reddi-

tur דֶּבֶר exterminium, pernicies, pestis; morbus ille quo Aegyptii percussi sunt (Ex. 9,15) ita designatur. Revera intellegi pestem, apparet ex eo quia saepissime coniungitur cum fame et gladio (bello); iam tempore famis et belli morbi contagiosi, pestilentia grassari solent; haec tria Deus populo legis contemptori minari solet (Lev. 26,25; Deut. 28,21; Ier. 14,12; 21,9; Ez. 6,11 etc.). Cathedra pestilentiae Ps. 1,1 ex hebr. est cathedra irrisorum, qui scil. impie et blaspheme de Deo rebusque sacris rident easque in ludibria vertunt; contra eiusmodi homines loquitur Is. 5,19; 28,9 ss. — Uti apud Graecos et Latinos homō perniciosus, pestifer appellabatur λοιμός, pestis, ita quoque 1 Mach. 10,61 ἄνδρες λοιμοί et 15,3. 21 et tamquam λοιμός pestis etiam Paulus designatur a Tertullo causidico Act. 24,5 (Vulgata homo pestifer). Pestilentes appellantur in Vulgata Prov. 15,12 et 19,25 et 21,11 et 29,8 irrisores (cf. hebr. לֵץ).

PETRA. Dicitur metaphorice Deus petra, cum sit fortissimum suorum munimentum et refugium et inconcussum quasi fundamentum, in quo populi salus et reipublicae firmitas ac stabilitas collocata sit. Ita 2 Reg. 22,2 Dominus petra mea et robur meum; saepius in textu hebr. סֶלַע Ps. 17 [18],3 (Vulg. firmamentum meum), 30[31],4 (fortitudo mea), 41[42],10 (susceptor meus) et צוּר Ps. 17 [18],3 (Vulg. adiutor meus), v. 32. 47 (Deus). Inde concluseris singularem exprimi auctoritatem et dignitatem, cum Christus nomen petrae Simoni apostolo conferat. — Petra de qua lapides exciduntur ad aedificia construenda imago est auctoris gentis Is. 51,1 : attendite ad petram unde excisi estis... attendite ad Abraham patrem vestrum.

PETRA (הַסֶּלַע cum articulo : rupes, petra; ἡ Πέτρα), urbs quondam primaria Idumaeorum inter mare Mortuum et sinum Aelaniticum sita, quam Amasias rex Iuda expugnavit et novo nomine symbolico Iectehel (vide s. v.) appellavit (4 Reg. 14,7; cf. 2 Par. 25,12). Postmodum inter urbes Edom praecipuum locum obtinuit Bosra (v. BOSRA 1); Petrae autem urbis in s. litteris mentio non habetur nisi Is. 16,1; 42,11. De textu Iud. 1,36 non una est interpretum sententia; fines meridianos Amorrhaeorum Petram usque protensos fuisse censet cum multis aliis *F. de Hummelauer* ad h. l. et cf. s. v. AMORRHAEI; alii vero cum *Keil* ad h. l. designari malunt petram illam prope Cadesbarne Num. 20,8. 10 commemoratam et aqua contradictionis celebrem.

Saeculo quarto a. Chr. exeunte Petra erat urbs principalis Nabataeorum, quae gens arabica sedes antiquas Edomitarum inter mare Mortuum et sinum Aelaniticum occupaverat (*Diod. Sic.* 19,94-100). Describitur a Strabone (XVI. 4, 21) : « Metropolis Nabataeorum Petra nominatur; sita enim in loco alioqui aequabili et plano, sed undique rupibus munito, extrorsum praecipite et abrupto, introrsum vero fontes ad hortos et aquationem uberrimos habente. Extra hunc ambitum regio magna ex parte deserta est, praesertim Iudaeam versus. Hinc Ierichuntem brevissimum iter est trium dierum aut quattuor, ad Palmetum vero quinque ». Similiter Plinius (IV. 28,144) : « Nabataei oppidum incolunt Petram nomine in convalle, paulo minus 2 mil. pass. amplitudinis, circumdatum montibus inaccessis, amne interfluente; abest a Gaza oppido litoris nostri 600 mil. pass., a sinu Persico 135 mil. pass.; huc convenit utrumque bivium, eorum qui Syria Palmyram petiere et eorum qui a Gaza venerunt ». A Flavio Iosepho (Ant. IV. 4.7) urbis nomen pristinum Arce (Ἄρκη) fuisse traditur, nomen recens Petra; ac paulo infra (7,1) additur : « Urbs in terra Arabiae primas obtinet ac etiamnum ab omnibus de nomine regis arabici, qui eam condidit, Receme (Ῥεκέμη *ed. Niese*) vocatur, Graecis Petra dicta ». Onom. (*ed. Lag.* 145, 9; 286,71) : « Petra civitas Arabiae in terra Edom, quae cognominata est Iecthahel et a Syris Recem (Ῥεκὲμ παρὰ Ἀσσυρίοις) dicitur ».

Ex posteriore historia addere iuvat tam Hyrcanum II. quam Herodem (postmodum Magnum) Petram ad reges Nabataeorum pro tempore confugisse (*Flav. Ios.* XIV. 1,4; 13,9; Bell. iud. I. 6,2;

13,8). Pompeii aetate regio Nabataeorum Romanis subiecta est et apud scriptores Romanorum ac Graecorum Arabia Petraea audit i. e. Arabia cum urbe principali Petra. Anno 106 p. Chr. *Arabia quae ad Petram* a Traiano imperatore provincia romana facta est (*Dio Cass.* 68,14; cf. *Ammian. Marc.* XIV. 8, 13). Saeculo denique quarto p. Chr. Arabia in duas provincias divisa est, quarum altera erat Arabia cum urbe principali Bostra, altera *Palaestina tertia* cum urbe principali Petra (cf. *Rohden,* de Palaestina et Arabia provinciis Romanis quaestiones selectae Diss. Berol. 1885).

De Petra generatim cf. *Reland,* Palaestina p. 926 ss.; *C. Ritter,* Erdkunde XIV. 1103-1141; *K. v. Raumer,* Palaestina 1860 p. 276-278. 451 ss.; *F. de Saulcy,* Numismatique de la Terre Sainte p. 351-353, pl. XX. 1-6; *R. E. Brünnow* u. *A. v. Domaszewski,* Die Provincia Arabia, Strassburg 1904, I. p. 125-428.

PETRA DIVIDENS (סֶלַע הַמַּחְלְקוֹת, i. e. petra evasionum vel ex aliorum opinione : petra divisionum; Πέτρα ἡ μεριισθεῖσα) in deserto Maon sita, ad quam David Saulem fugiens ex planitie eiusdem deserti descendit (1 Reg. 23,28); eo utique sensu descendit, quo etiam 25,1 (cf. 24,1) scil. meridiem versus profectus est.

PETRA ETAM v. ETAM 4.

PETRA HOREB, quam percutiens Moyses aquam populo eduxit (Ex. 17,6); cf. s. v. HOREB et SINAI.

PETRA OREB (צוּר עוֹרֵב i. e. rupes corvi; Σοὺρ Ὠρήβ), locus cisiordanicus in tribu Ephraim nec procul a Iordane situs, qui nomen accepit a proelio, quo Oreb (*Corvus*) princeps Madianitarum ab Ephraimitis caesus est (Iud. 7,25; cf. 8,3). Flagellum istud, quo Madianitae in petra Oreb prosternebantur, in memoriam revocatur Is. 10,26 (LXX ἐν τόπῳ θλίψεως); cf. Ps. 82,12. Coniicitur esse *'Osh el-Ghurāb* (i. e. nidus corvorum) inter montem Quarantania et Iordanem.

PETRA REMMON v. REMMON 3.

PETRUS, princeps apostolorum. Nomine suo vocabatur Simon, erat filius Ionae (probabilissime Ioannis; ita enim in codicibus melioribus et editionibus criticis legitur Ioan. 1,42 et 21,15. 16. 17), frater Andreae, oriundus ex Bethsaida (Ioan. 1,44), verum habitabat in Capharnaum, in qua urbe simul cum Andrea fratre domum possidebat, in qua eius quoque socrus degebat (Marc. 1,29). Andreas discipulus erat Ioannis Baptistae ab eoque ad Iesum sequendum est inductus; Andreas autem fratri Simoni statim attulit nuntium esse Messiam inventum eumque ad Iesum adduxit, qui statim prospiciens futuram eius et Ecclesiae condicionem eum salutavit : tu vocaberis Cephas (i. e. petra; Ioan. 1, 41 s.). Haec facta sunt statim ab initio vitae publicae Christi ante nuptias in Cana Galilaeae; verum eo tempore Simon nondum ad continuam sequelam Iesu se addixit. Cum Iesus post pascha e Iudaea rediret in Galilaeam et in synagoga in Capharnaum praedicasset, divertit in domum Simonis, socrum eius febricitantem multosque alios ad domum illam asportatos sanavit. Statim ab initio Petrus prae aliis distinguitur. Id iam cernitur in promissione nominis Cephae, tum eo quod Iesus a synagoga in domum Petri ingreditur. Die sequenti cum Christus reliquisset urbem, « Simon et qui cum eo erant » quaerunt Iesum (Marc. 1,36). In navicula Simonis praedicat Iesus, Simoni concedit miraculum piscationis largissimae et cum Simon humillime se fateretur peccatorem, ei suam annuntiat dignitatem futuram : eris homines capiens (Luc. 5,1-10). In electione apostolorum primus nominatur (cf. Matth. 10,2) et in quattuor catalogis apostolorum primum obtinet locum (Matth. 10,2; Marc. 3,16; Luc. 6,14; Act. 1,13). Praeclara illa confessione Iesu filii Dei facta Iesus nomen Petri declarat : super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam (Matth. 16,18), quibus verbis ea Petri assignatur auctoritas qua Ecclesia consistat firma et munita contra impetus diabolicos. Petro dicitur : et tibi dabo claves regni caelorum (l. c.); erit igitur in re-

gno Dei summus rerum administrator et vicarius ipsius Domini (cf. Is. 22,22); et praeterea in verbis : quodcumque ligaveris etc. ei confertur summa potestas legifera et iudicialis. Munus eius et officium clare quoque designatur Luc. 22,31. 32 : Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Periculum enim commune omnibus ei indicatur; quomodo Christus providerit, enuntiatur; uno Petro firmo et incolumi omnes constituentur firmi et incolumes : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Demum post eiusmodi promissiones et declarationes Christus ei curam totius gregis sui commisit post resurrectionem (Ioan. 21,16-17). Cum itaque Christus ab initio primam inter apostolos ei dignitatem conferre intenderet, etiam inter tres illos apostolos Petrus cernitur quos Christus prae reliquis familiariter adhibuit; ita interfuit resuscitationi filiae Iairi, transfigurationi, et testis quoque assumptus est agoniae in horto (cf. Marc. 5,37; 9, 1; 14,33).

Indolis erat fervidae, quandoque nonnihil praeceps, uti quando Dominum de passionis praedictione reprehendit (Matth. 16,22), vel quando audacter ex navi in undas egressus Domino obviam it, at mox timens mergi coepit clamans : Domine salvum me fac (Matth. 14,28-30). Eadem indoles deprehenditur, dum se paratum declarat cum Domino in carcerem et in mortem ire et omne negationis periculum a se longissime abesse opinatur, neque minus, cum in horto unus contra turbam militum audacter gladium stringeret. Eandem indolem etiam in lotione pedum prodidit, dum prius omnino negaret se permissurum, ut Dominus lavaret pedes, verum edoctus de significatione exclamaret : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput (Ioan. 13, 8. 9). Inde quoque maiorem sui fiduciam capiens Domini monitione neglecta ad triplicem illam negationem devenit. Neque enim, prout Dominus monuit, in horto orationi se dedit ad periculum superandum, sed somno; ingressus in atrium pontificis sese periculo exponit, cum tamen Christus in horto dicens : sinite hos abire, potius significaverit satius esse ut abirent discipuli et periculo sese subtraherent. Ad primam ancillae interpellationem statim negat audacter, id quod ab indole fervidiore et praecipite non est alienum; post a ministris circumdatus et quaestionibus exagitatus timori et ignaviae plane succumbit. Verum Iesu gratia et misericordia ad facti paenitentiam revocatus in fletu amaro indolem fervidam Dominique amantem iterum prae se fert. Et quantopere hoc suo lapsu confidentiam sui exuerit, apparet humili illa et fere timida responsione, quam dat Domino roganti : diligis me plus his? (Ioan. 21,15). Iam longe abest ab illa gloriatione : etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor (Matth. 26,33; Marc. 14,29). Uti Iesus Petrum negantem respexit (Luc. 23,61) et ipso aspectu eum ad resipiscentiam benigne adduxit, ita per angelum iubet mulieres dicere discipulis et Petro nuntium de resurrectione, qua mentione Petri facta ei et venia concessa et summa quaedam consolatio allata est; insuper gratiam auxit Christus Petro prae aliis apparens et pristinam eius dignitatem eo favore confirmans. Et Petrus munere suo confirmandi fratres iam incipit fungi; nam reliqui, qui mulierum verbis fidem non adhibuerunt, profitentur : surrexit Dominus vere et apparuit Simoni (Luc. 24,34; 1 Cor. 15,5).

Petrus se esse primatem eo quoque ostendit quod post ascensionem Domini electionem apostoli qui Iudae locum occuparet fieri iuberet et die pentecostes stans cum undecim primus annuntiaret evangelium et Ecclesiam Christi natam esse palam declararet (Act. 1,15; 2, 14 s.), et cum apostoli sisterentur tribunali synedrii, Petrus causam agit (Act. 4,8; 5,29); per Petrum quoque Deus hypocrisin et mendacium Ananiae et Saphirae miraculo terroris pleno punit (Act. 5,3 s.). Cum coetus christiani essent constituti per Iudaeam, Samariam, Galilaeam, Petrus pertransibat universos miraculis quoque a Deo factus insignis (Act. 9,32 s.) et cum versa-

retur in Ioppe, revelatione edocetur alienigenas esse in Ecclesiam suscipiendos lege mosaica non interveniente (Act. 10,1 ss.). In carcerem coniectus ab Herode, dum sine intermissione ab Ecclesia pro eo fiunt obsecrationes ad Deum, ab angelo educitur et urbem relinquit : abiit in alium locum (Act. 12, 1-17). In urbe iterum adest tempore concilii quod dicitur apostolorum, in quo cum magna fieret conquisitio, surgens Petrus declaravit alienigenis iugum legis mosaicae nullatenus esse imponendum; eius sermone omnis conquisitio statim cessavit, « tacuit autem omnis multitudo » (Act 15,1-12) et ex Gal. 2,7 comperimus Petrum eo tempore potissimum conversioni Iudaeorum operam suam impendisse et hanc sibi provinciam selegisse. Qua muneris ratione etiam ille eius agendi modus explicatur, de quo Gal. 2,11 s. edocemur. Petrus scil. Antiochiae aliquo tempore post concilium apostolorum cum christianis alienigenis cibos capiebat. Cum autem iudaizantes quidam legisque aemulatores advenissent, se ab ethnico-christianorum consuetudine et mensa subtraxit, ne scil. ab illis aemulatoribus traductus legis violatae impediretur quam maxime in studio Iudaeos ad Christum adducendi. Paulus autem causam fidelium tuitus Petrum quem ethnico-christiani offensi iam reprehendebant palam quoque increpare necessarium duxit. Inter eos non fuisse doctrinae discrimen, ex priore Petri vivendi modo satis elucet; insuper cum iudaizantes illi advenissent, sane gravis exstitit causa pro Petro ita se gerendi, ut non accessus ad Iudaeos et praedicatio impediretur.

Verum ex eo tempore pauca de eo constant. Ex 1 Cor. 9,5 discimus eum varia itinera apostolica suscepisse; cum Corinthi essent qui dicerent : ego vero Cephae, etiam ibi eum praedicasse certum videtur, id quod S. Dionysius Cor. omnino affirmat et S. Clemens Rom. innuit (cf. *Euseb.* H. E.; 2,25; *Clemens* 1 Cor. 47). Romae quoque Petrum praedicasse (immo eum anno 42 ibi Ecclesiam romanam fundasse omnino probabile est) praeter alia documenta antiquitatis etiam ex priore eius epistula constat : salutat vos Ecclesia quae est Babylone collecta 5,13 i. e. Romae, uti sine ulla dubitatione explicandum est (cf. *Cornely,* Introd. III. p. 620 s.). Petrum curam semper habuisse Iudaeo-christianorum etiam ex priore eius epistula elucet, quae quamvis scripta sit ad ecclesias ex utraque natione Iudaeorum et gentium collectas, tamen singulari quadam ratione et frequenti Veteris Testamenti usu Iudaeo-christianos respicere et edocere videtur.

Ceterum de duabus eius epistulis vide *Cornely,* Introductio in U. T. libros sacros *ed.* 2 III. p. 623-649; ibi quoque p. 618. 619 invenies tractatam quaestionem, utrum in iis regionibus quibus epistulam suam priorem inscripsit etiam praedicaverit necne. De eius martyrio Romae facto tradunt historiae ecclesiasticae. Eum revera Romae fuisse ibique mortem obiisse etiam in actibus apocryphis apostolorum frequenter asseritur neque ulla unquam alia urbs eum sibi honorem vindicavit.

I. KNABENBAUER.

PHACEE (פֶּקַח, Φακεέ), filius Romeliae. Pater eius ignobilis erat, quod inde patet quia Isaias eum per contemptum filium Romeliae vocare solet 7,4. 5. 9; 8,6 (cf. 2 Reg. 20,1; 3 Reg. 12,16). Erat Phacee dux (שָׁלִישׁ) Phaceiae regis, fortasse dux cohortis ad corpus regis tuendum; sed contra eum coniuratione facta cum quinquaginta Galaaditis in palatium irruit et interfectis Argob et Arie (hebr.), qui igitur regem defendebant, regem occidit et regnum usurpavit anno 52 Azariae regis Iuda. Phacee fecit malum coram Domino, non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat (4 Reg. 15,25-28). Regnum Iuda saepius bellica expeditione infestavit; ita iam ultimis annis Ioatham regis Iuda (4 Reg. 15,37), maxime vero tempore Achaz regis, cui prius bellum intulit magna clade Iudaeis illata (2 Par. 28,5. 6), mox foedere inito cum Rasin, rege Syriae, expeditionem suscepit contra Ierusalem eo consilio ut regnum Iudae traderet filio Tabeel (4 Reg. 16,5; Is. 7,1-6). Verum domum David regno privari Deus nondum per-

misit; « haec dicit Dominus Deus; non stabit et non erit istud » ita Isaias Achaz regem nimio terrore percussum edocet et duos illos reges caudas vocat titionum fumigantium, qui itaque aliquid molestiae inferent, at mox nocendi potestate destituentur. Id factum est, cum Theglathphalasar rex Assur Damascum obsideret et expugnaret et bellum quoque Phacee inferret; nam « cepit Aion et Abeldomum Maacha et Ianoe et Cedes et Asor et Galaad et Galilaeam et universam terram Nephthali et transtulit eos in Assyrios » 4 Reg. 15,29. Uti Phacee coniuratione facta regem occidit, ita eandem ipse quoque sortem expertus est : coniuravit autem et tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee et percussit eum et interfecit (v. 30). Ex inscriptionibus cuneiformibus regis Theglathphalasar affert *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. l. p. 246-248 textum : Peqakh regem eorum occidi; Osee constitui super eos. Sed cum reges Assyriorum ea quae per alios faciunt sibi solent adscribere, id facile cum narratione biblica conciliatur; insuper eo loco, ubi *Schrader* vertit : occidi ego, textus assyriacus mancus et truncatus est. De ratione temporis vide s. v. CHRONOLOGIA in vol. I. col. 900 ss. Phacee viginti annis Samariae regnasse dicitur 4 Reg. 15,27, id quod pugnare videtur cum 4 Reg. 17,1 (anno duodecimo Achaz regis Iuda regnavit Osee); unde alii ei annos attribuunt viginti novem. Ceterum ex ratione annorum quae ex cuneiformibus documentis colligitur, bellum quo Theglathphalasar regiones Galilaeae invasit gestum est anno 734, Damascus autem obsessa et expugnata est annis 733 et 732 (cf. *Schrader* l. c.; *Brunengo*, La Chronologia biblico-assira, p. 35).

PHACEIA (פְּקַחְיָה. Φακείας), filius Manahem regis Israel, qui patri suo Manahem in regno successit; regnavit per duos annos Samariae, fecit malum coram Domino et coniuratione facta a Phacee in suo palatio occisus est; vide s. v. PHACEE.

PHADAIA (פְּדָיָה, פְּדָיהוּ; Φαδαΐας, Φαδαΐα). **1.** Pater Zebidae matris Ioakim regis Iuda, oriundus de Ruma (4 Reg. 23,36; LXX Φαδαΐλ).

2. Filius Iechoniae filii Ioakim, pater Zorobabel et Semei (1 Par. 3,18. 19); sed v. SALATHIEL.

3. Pater Ioel principis dimidiae tribus Manasse tempore Davidis (1 Par. 27,20).

4. Filius Pharos Nehemiam adiuvans in aedificandis muris Ierusalem (Neh. 3,25).

5. Unus ex illis (sacerdotibus), qui Esdrae legem legenti a sinistris adstiterunt (Neh. 8,4).

6. Beniaminita ex maioribus Sellum incolae Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,7).

7. Levita a Nehemia praefectus horreorum constitutus (Neh. 13,13).

PHADASSUR (פְּדַהְצוּר, Φαδασσούρ), pater Gamaliel principis tribus Manasse tempore Exodi (Num. 1,10; 2,20; 7,54. 59; 10,23).

PHADON (פָּדוֹן, Φαδών), princeps familiae Nathinaeorum, qui duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,44; Neh. 7,48 [47]).

PHAHATH MOAB (פַּחַת מוֹאָב, Φαὰθ Μωάβ) est nomen cognationis, quae probabilius tribui Iuda accensenda est et nomen accepisse censetur a principe quodam tribus Iuda, qui in terra Moab praefectum agebat (cf. 1 Par. 4,22). Eius cognationis plerique duce Zorobabel (Esdr. 2,6; Neh. 7,11), aliqui duce Esdra (Esdr. 8,4) ex captivitate redierunt. Filii Phahath Moab commemorantur Esdr. 10,30 et Neh. 3,11; eorum princeps totam familiam repraesentans inter signatores foederis Neh. 10,14 recensetur.

PHALAIA (פְּלָאיָה, LXX omitt.), levita, qui Esdrae verba Legis explicanti adstitit et cum Nehemia inter signatores foederis recensetur (Neh. 8,7; 10,10 [11]).

PHALEA (פַּלְחָא, Φαδαείς, Φαλαί), princeps populi, inter signatores foederis tempore Nehemiae enumeratus (Neh. 10,24 [25]).

PHALEG (פֶּלֶג, Φαλέγ, Φάλεχ), filius Heber et frater Iectan (Gen. 10,25; 11,

16 ss.; 1 Par. 1,19. 25; Luc. 3,35). Ratio nominis redditur Gen. 10,25 (1 Par. 1,19) : eo quod in diebus eius divisa sit terra. Proin quinta a Noe generatione iam ita creverant homines numero, ut in varias regiones fuerit emigrandum. Eam divisionem h. l. exprimi censent recentiores. Antiquiores verba illa referebant ad confusionem linguarum Gen. 11,8 et divisionem inde secutam; sed de illa divisione adhibetur verbum פוּץ; unde si ab illa divisione nomen accepisset, non Phaleg, sed aliud exspectandum esset nomen.

PHALEL (פָּלָל, Φαλάλ), filius Ozi, in restituendis muris Ierusalem tempore Nehemiae occupatus (Neh. 3,25).

PHALET (פֶּלֶט, Φάλεκ), quartus filius Iahaddai cuiusdam in genealogia Iuda (1 Par. 2,47).

PHALETH (פָּלֶת, Θάλεθ, A Φάλεθ), filius Ionathan ex posteris Ierameel primogeniti Hesron (1 Par. 2,33).

PHALLET (פַּלֵּט, Ἰωφαλήτ, A Φαλλήτ), filius Azmoth (viri vel urbis; v. AZMAVETH 3), Beniaminita, qui Davidi in Siceleg fugitivo se iunxit (1 Par. 12,3).

PHALLONITES seu **PHALONITES** (הַפַּלּוֹנִי) legitur 1 Par. 11,27 (LXX ὁ Φελωνεί, A Φαλλωνί) et 27,10 (ὁ ἐκ Φαλλοῦς) ut cognomen Helles herois davidici. Verum ex 2 Reg. 23,26 dubium non est, quin legi oporteat הַפַּלְטִי, Vulg. de Phalti (LXX ὁ Κελωθεί) i. e. oriundus de Phalti seu Bethphalet (vide s. v.) oppido in meridie Iuda.

PHALLU (פַּלּוּא, Φαλλούς, Φαλλού, Φαλλούδ), secundus filius Ruben, pater Eliab et progenitor familiae Phalluitarum (Gen. 46,9; Ex. 6,14; Num. 26,5. 8; 1 Par. 5,3). Praeterea Num. 16,1 legendum videtur Phallu pro Pheleth (vide s. v.).

PHALTI (פַּלְטִי, Φαλτί). **1.** Filius Raphu de tribu Beniamin, unus ex exploratoribus ad explorandam terram Chanaan missis (Num. 13,10 [9]). Cf. s. v. IEPHLETI.

2. Phalti, filio Lais de Gallim, Saul filiam suam Michol uxorem dedit, quam antea Davidi dederat. Verum postquam David rex constitutus est, uxorem suam, quam Saul ipsi fugienti ademerat, sibi reducendam curavit per Abner; eam Phalti (Phaltiel) plorans secutus est usque Bahurim (1 Reg. 25,44; 2 Reg. 3,15).

3. Phalti 2 Reg. 23,26 v. PHALONITES.

PHALTIAS (פַּלַטְיָה, Φαλεττί, Φαλεττιά, Φαλαεττιά). **1.** Filius Hananiae filii Zorobabel (1 Par. 3,21).

2. Unus ex principibus Simeonitarum, qui tempore Ezechiae regis expeditionem in montem Seir contra reliquias Amalecitarum susceperunt (1 Par. 4,42).

Idem nomen hebr. gerunt, qui in Vulgata scribuntur PHELTIA, PHELTIAS.

PHALTIEL (פַּלְטִיאֵל, Φαλτιήλ, Φαλτιήλ). **1.** Filius Ozan, dux tribus Issachar, unus ex duodecim viris ad dividendam terram transiordanicam electis (Num. 34,26).

2. Phaltiel 2 Reg. 3,15 v. PHALTI 2.

PHANTASMA (φάντασμα) i. e. spectrum, quo sensu legitur Matth. 14,26 et Marc. 6,49. Eadem notione vox etiam apud profanos adhibetur.

PHANUEL (פְּנוּאֵל; Φανουήλ, sed Gen. 32,30. 31 [τὸ] εἶδος [τοῦ] θεοῦ).

1. Locus, quo Iacob patriarcha cum angelo nocte luctatus est dicens : vidi Deum facie ad faciem (Gen. 32,30 [31]); h. l. hebr. פְּנִיאֵל, sed v. 31 [32] פְּנוּאֵל. Nomen repertum esse censetur in inscriptione regis aegyptiaci Sesac : *Penuaru* suffecta littera *r* pro litera *l*, qua Aegyptii carebant (*M. Müller*, Asien und Europa p. 168). Ex Gen. 32,22 ss. consequitur locum Phanuel fuisse in orientali regione Iordanis ad fluvium Iaboc. Gedeon Madianitas in planitie Iezrael devictos persequens traiecto Iordane primum in Soccoth, deinde in Phanuel pervenit turrimque Phanuel destruxit (Iud. 8,8. 17). Ieroboam autem locum aedificavit i. e. munivit (3 Reg. 12,25); cum eius mentio l. c. fiat post Sichem, videtur fuisse arx praecipua regionis

transiordanicae. *G. Schumacher* in Mitt. d. D. Pal.-Ver. 1901 p. 2 componit Phanuel cum *Medwar Nōl* ad orientem Gerasae haud procul a fluvio Iaboc.

2. Filius Hur filii Ephratha et pater urbis Gedor (1 Par. 4,4); v. GEDOR 1.

3. Filius Sesac, unus ex principibus cognationum Beniamin, qui Hierosolymis habitabant (1 Par. 8,25).

4. Pater Annae prophetissae de tribu Aser (Luc. 2,36).

PHARA (פָּרָה, Φαρά), servus Gedeon, qui cum Gedeon ad exploranda castra Madianitarum descendit (Iud. 7,10. 11).

PHARA urbs (1 Mach. 9,50) vide s. v. THAMNATA.

PHARAI (פַּעֲרַי) de Arbi seu Arabita (v. ARAB), heros in exercitu Davidis 2 Reg. 23,35 (LXX Οὐραιοερχεί ex fusione nominum Pharai et Arbi). Loco parallelo 1 Par. 11,37 idem vocatur Naarai filius Asbai (v. ASBAI).

PHARAM (פַּרְאָם, Φειδών), rex urbis Ierimoth in Sephela, qui cum aliis quattuor regibus Gabaon oppugnavit et a Iosue interfectus est (Ios. 10,3).

PHARAN Gen. 14,6 : campestria Pharan (אֵיל פָּארָן, LXX ἡ τερέβινθος τῆς Φαράν) vide s. v. AELATH.

PHARAN (פָּארָן, Φαράν) desertum. De situ deserti Pharan edocemur hisce : filii Israel profecti de deserto Sinai per viam trium dierum venerunt ad locum cui nomen inditum est Incensio (Tabeera), dein ad Sepulcra concupiscentiae, inde ad Haseroth et inde in desertum Pharan; ex eo deserto missi sunt exploratores, qui per plagam meridianam (Negeb) ascenderunt et reversi venerunt in desertum Pharan in Cades (Num. 10,12. 33; 11,3. 34; 13,1 ss. 18. 27). Cades alias attribuitur deserto Sin (Num. 27,14; 33,36; Deut. 32,51 etc.); unde pars septemtrionalis Pharan eo nomine quoque designabatur. David ex deserto Iudae descendit in desertum Pharan (1 Reg. 25,1). Mons Pharan (Deut. 33,2; Hab. 3,3) qui nominatur cum Sinai et Seir et Theman (quae est pars septemtrionalis Seir) designat regionem montuosam in magno illo deserto Pharan quod maiorem partem paeninsulae Sinai occupat, in quo corpora Israelitarum contumacium prostrata sunt (cf. Num. 14,29. 32). Idem desertum etiam nominatur 3 Reg. 11,18. Circumscribitur itaque desertum Pharan (hodie *Bādiet el-Tīh*) per montana Sinai, vallem Araba, Negeb seu meridiem Palaestinae et desertum Sur.

PHARAO, nomen quo reges Aegypti designantur; aegyptiace in hieroglyphis legitur *Peraa*, magna domus; unde titulus vel nomen congruit cum designatione hodierni gubernii turcici : sublimis porta (cf. *Ebers*, Aegypten und die Bücher Mose's 1868 p. 263); idque eo praesertim confirmatur, quod, uti refert Horapollon (Hieroglyphica I. 6 *ed. Leemanns*, 1835), rex Aegypti appellabatur οἶκος μέγας. Nomen Pharao iam in antiquissimis monumentis reperitur (*Ebers* l. c. p. 264), sicut etiam in historia Abraham et Ioseph sermo est de Pharaone. Notatu dignum est, quod advertit *H. J. Heyes*, Bibel u. Aegypten I. (1904) p. 21-24 (provocans ad Proc. Soc. Bibl. Arch. XXIII. 1901 p. 72-76), usque ad dynastiam 22. nomen Pharao in textibus popularibus scribi solere sine addito nomine proprio, inde ab anno 1000 a. Chr. autem additis nominibus propriis. In s. litteris quoque nomen Pharaonis plerumque legitur sine addito nomine proprio. Ex quinque regibus Aegypti, quorum nomina traduntur : Sesac, Sua, Tharaca, Nechao, Ephree (Hophra), solummodo duo, Nechao et Ephree, appositione *Pharao* designantur (4 Reg. 23,29 ss.; Ier. 46,2; 44,30). In pentateucho nomen Pharao semper legitur sine addito nomine proprio, unde apparet antiquitatem pentateuchi ex hac parte potius confirmari, quam impugnari posse.

Reges aegyptiaci in monumentis tamquam dii salutantur et ornantur; repraesentantur enim saepe in ornatu et vestibus deorum; tituli ipsis induntur : filius Ra, filius deorum, bonus deus etc. Ramses II. v. g. appellatur in columna, quae tertio anno regni eius erecta est : Horus, aureus Horus, filius Ra, qui sem-

per et perpetuo vitam largitur, fulgens in throno inter vivos, sicut pater eius Ra, bonus deus, deus Set; die quo natus est dii dixerunt: nos genuimus eum; deae dixerunt: ex nobis prodiit etc.; in carmine ex tempore dynastiae undecimae dicitur: dii qui ante fuerunt requiescunt in suis pyramidibus (cf. *Erman*, Aegypten und aeg. Leben im Alterthum p. 91. 92. 95. 103. 113. 117). Unde quae Ez. 29,3 Pharao loquitur: meus est fluvius et ego feci mihi (eum; cf. hebr.), nullo modo a regia iactantia sunt aliena.

PHARATHON (פִּרְעָתוֹן, Φαραθών), urbs terrae Ephraim in monte Amalec (Iud. 12,15) i. e. in illa parte montis Ephraim, quae speciali nomine mons Amalec designabatur. Pharathonitae illustres commemorantur Abdon iudex, qui in urbe patria etiam mortuus et sepultus est (Iud. 12,13. 15) et Banaias de filiis Ephraim (2 Reg. 23,30; 1 Par. 11, 31; 27,14; v. BANAIAS 2). Censetur esse hodiernum *Fer'ata* circiter 8 km a Sichimis (*Nābulus*) Ioppen versus (*Guérin*, Samarie II. 179; *Legendre*, Carte de la Palestine); aliis tamen praeplacet *Fir'aun* ab urbe Samaria (Sebaste) occidentem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 164; *Smith*, Historical Geography of the Holy Land, Plate I. et V.); alii inter utramque opinionem ancipites haerent, ut *Riess*, Bibel-Atlas.

De alia urbe Φαραθών (LXX 1 Mach. 9,50; Vulg. Phara) vide s. v. THAMNATA.

PHARES (פֶּרֶץ, Φάρες), filius Iuda, quem ex Thamar nuru sua habuit. Ratio nominis explicatur Gen. 38,29. Eius mentio et filiorum ac posterorum eius fit Gen. 46,12; Num. 26,20. 21; Ruth 4,12. 18; 1 Par. 2,4. 5; 4,1; 9,4; 27,3; Neh. 11,4. 6; Matth. 1,3; Luc. 3,33.

PHARES (פָּרֶשׁ, A Φάρες), filius Machir ex Maacha genitus (1 Par. 7,16).

PHARES (Dan. 5,25-28) v. MANE, THECEL, PHARES.

PHARIDA (פְּרִידָא, Φερειδά), unus ex servis Salomonis, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Neh. 7,57). Idem Esdr. 2,55 scribitur Pharuda (פְּרוּדָא, Φαδουρά).

PHARISAEI (Φαρισαῖοι). Nomen idem est ac פְּרוּשִׁים vel פְּרִישִׁין, ita in Talmude nominantur, i. e. separati, ἀφωρισμένοι (*Clem.* Hom. 11,28); et bene Origenes adnotat: qui maius aliquid profitentes dividunt se ipsos quasi meliores a multis, secundum hoc Pharisaei dicuntur, qui interpretantur divisi et segregati (ad Matth. 23,2) et S. Hieronymus: Pharisaei a Iudaeis divisi propter quasdam observationes superfluas nomen quoque a dissidio susceperunt (c. Lucif. 23). Observabant traditiones seniorum (Matth. 15,2; Marc. 7,3; Gal. 1,14), quibus scil. praecepta legis accuratissime ad actiones quotidianas applicabantur, modi praescribebantur ad levissimam transgressionem vel neglegentiam vitandam. Exempla sunt: ante omnem comestionem lavare manus (Matth. 15,2), lavari, quotiescumque quis a foro, loco publico redit, quia ibi fortasse immunditiem aliquam ex contactu etc. contraxit; vasa, urceos, lectos crebro lavare (cf. Marc. 7,2 ss.), decimas solvere de minimis quoque (Matth. 23,23; Luc. 11,42) etc. Eorum scil. studium in id dirigebatur, ut tamquam observantissimi legis ab omnibus honorarentur, qua severa religione et observantia magnam sibi apud populum auctoritatem conciliabant et merito duces populi vocari possunt. Verum cum isto rigore et minutissima observantia coniunctam fuisse apud multos magnam morum corruptionem, hypocrisin, superbiam, neglegentiam mandatorum gravissimorum, omnino elucet ex reprehensionibus Christi. Illis enim palam obiicit: quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? bene prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; vae qui mundatis quod deforis est calicis, intus autem pleni estis rapina et immunditie; similes estis sepulcris dealbatis, serpentes genimina viperarum etc. (cf. Matth. 15, 3 ss.; 23,13-33). Eorum malitia satis apparet in narratione evangelica: reprehendunt Iesum, quod cum publicanis

et peccatoribus ad eos convertendos conversatur, quod sabbato sanat aegros; quamvis tot ac tanta patret miracula ad suam missionem probandam, non solum omnem ei denegant fidem, sed etiam populum avertunt dicentes eum pacto cum Beelzebub inito mira patrare; cum Herodianis ineunt consilium ad eum perdendum; insidias ei struere, in verbis eum captare conantur; demum ut Christus teterrimo addiceretur supplicio crucis, effecerunt odio, clamoribus, falsis accusationibus.

Pharisaei plurimum valebant auctoritate; scribae vel legis doctores plerumque erant Pharisaei et cum in synedrio praeter sacerdotes et seniores etiam scribae essent, Pharisaei quoque summae illius potestatis participes erant.

Ea quae in narratione evangelica habentur, iis quoque illustrantur, declarantur quae Iosephus de Pharisaeis refert : Pharisaei accurate legalia (τὰ νόμιμα) explicare censentur; inter se amant et in communem utilitatem concordiam colunt (Bell. iud. II. 8,14). Tantae sunt auctoritatis apud plebem, ut si quid contra regem vel contra pontificem dicunt, continuo credatur. Pharisaei multa instituta populo tradiderunt a patribus accepta quae in Moysis legibus scripta non sunt ideoque ea Sadducaeorum genus repudiat dicitque ea pro legalibus habenda quae scripta sint; quae autem a patribus tradita sint non esse servanda. Atque accidit ut de his quaestiones eis gravesque contentiones orirentur, Sadducaeis locupletes solum in suas partes pertrahentibus, Pharisaeis autem multitudinem habentibus sociam et adiutricem (Ant. XIII. 10,5. 6). Erat Iudaeorum quaedam secta qui legis accuratam observantiam iactabant, quibus se Deo caros esse simulantibus mulieres erant addictae. Ii Pharisaei vocantur qui regibus maxime ausi sunt resistere, cauti et ad aperte bellandum laedendumve prompti. Et quidem cum universa Iudaeorum natio iurasset se Caesaris regisque rebus fauturos esse, ii non iurarunt, cum essent supra sex millia (Ant. XVII. 2,4). Tantae apud populum sunt auctoritatis, ut quaecumque

ad religionem pertineant, supplicationes et sacrificia, ista ex eorum interpretatione fiant. Sadducaeorum opinioni suffragantur pauci, sed dignitate primi; atque ab iis nihil fere agitur; nam si quando magistratus gerunt, inviti et necessitate coacti Pharisaeorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus (Ant. XVIII. 1,3. 4).

Hisce quoque satis elucet, cur αἵρεσις, secta Pharisaeorum commemoretur Act. 15,5 et 26,5. Origo Pharisaeorum ita videtur explicari. Iam tempore Machabaeorum mentio fit synagogae i. e. congregatae multitudinis Assidaeorum i. e. חֲסִידִים piorum, qui a reliquis Iudaeis distinguuntur et ipso nomine tales designantur qui singulari studio pietati i. e. observationi accuratae legis se dedant (1 Mach. 2,42; 7,13; 2 Mach. 14,6). Cum eo tempore et deinceps multi Iudaeorum iique nobiles, immo saepius ipsi pontifices mores Graecorum imitari et in consuetudinem inducere non vererentur, facile intellegitur, illos pios in dies magis evasisse aemulatores legis et legem ipsam voluisse tueri et in tuto collocare saepe circa eam erecta i. e. traditionibus suis et explicationibus et ad singulas actiones applicationibus, quibus vita magis separaretur a vivendi ratione aliorum. Ita exstiterunt traditiones seniorum et multa illa onera quae scribae i. e. legis doctores imponebant. Iosephus cum narrasset Ionathan legatos misisse Romam et ad Spartanos infert : sub hoc autem tempus tres erant Iudaeorum sectae (αἱρέσεις), quarum una Pharisaeorum dicebatur, altera Sadducaeorum, tertia vero Essenorum (Ant. XIII. 5,9). De illa legatione vide 1 Mach. 12,1 ss.; facta est c. an. 144 a. Chr. Pharisaeorum mentionem facit Iosephus scribens de Hyrcano, qui prius eorum amicus, sed ab iis propter pontificatum simul cum imperio assumptum se reprehensum reputans ad Sadducaeorum partem transiit et Pharisaeorum apud populum auctoritatem frangere studuit; at frustra (Ant. XIII. 10,5-6). Deinceps Pharisaei erant adversarii pontificum et principum Machabaeorum, Aristobuli et Alexandri Iannaei (l. c. XIII. 13, 5; 16,1)

et sub Alexandra maiorem quam antea habebant auctoritatem Pharisaei adepti sunt; omnia enim Pharisaeis gerenda permisit iisque oboedire multitudinem iussit et si quod institutum Hyrcanus eius socer aboleverat eorum quae Pharisaei a patribus acceperant, id illa restituit; itaque regni nomen habebat ipsa, potestatem vero habebant Pharisaei (l. c. 16,2). Ab eo tempore (an. 76 a. Chr.) Pharisaei illa fruebantur auctoritate apud populum quam et evangelica narratio et Iosephus (locis antea citatis v. g. Ant. XVIII. 1,3) testantur; erant duces populi, at duces caeci.

Ex Pharisaeis quoque non defuerunt qui praedicato evangelio nomen Christo dederunt. Verum illos aemulationem legis retinuisse, videmus eo quod « surrexerunt quidam de haeresi Pharisaeorum qui crediderunt dicentes : quia oportet circumcidi eos (qui ex gentibus crediderant), praecipere quoque servare legem Moysi » (Act. 15,5), id quod in concilio apostolorum reiectum est. Inde concludere licet illos quos apostolus in epistulis oppugnat tamquam fautores observationum iudaicarum apud Galatas, Colossenses, etiam fuisse Pharisaeos.

Nominantur Pharisaei : Simon (Luc. 7,36. 40), Gamaliel (Act. 5,34), Paulus (Act. 23,6; 26,5; Gal. 1,14; Phil. 3,5).

Cf. *Krüger* in Theol. Quartalschr. 1887 p. 429-460. 599-631. 702; 1894 p. 431-496; *Narbel,* Étude sur le parti pharisien, son origine et son histoire, Paris 1891; *Berthelet,* Stellung der Israeliten u. der Iuden zu den Fremden 1876, p. 123 ss.; *E. Schürer,* Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 II. p. 380 ss. cum bibliographia.

I. KNABENBAUER.

PHARNACH (פַּרְנָךְ, Φαρνάχ), pater Elisaphan de tribu Zabulon (Num. 34,25).

PHAROS (פַּרְעֹשׁ, Φαρές, Φόρος). Filii Pharos 2172 duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,3; Neh. 7,8). Alii 150 duce Zacharia cum Esdra redierunt (Esdr. 8,3). Septem ex eadem familia uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,25). Phadaia filius Pharos Nehemiam adiuvit in muris Ierusalem restituendis (Neh. 3,25). Idem nomen legitur inter signatores foederis (Neh. 10,14).

PHARPHAR (פַּרְפַּר, Ἀφαρφά, cod. A Φαρφαρά), fluvius Damasci (4 Reg. 5, 12), quem aliqui ob nominis similitudinem cum *Wādi Barbar* componunt (*G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I.; *Riess,* Bibl-Atlas *ed.* 3 p. 25), plerique autem cum *Nahr el-Aʿwadj,* qui in superiore cursu vocatur *Nahr-el-Sābirānī.* Cf. *W. M. Thomson,* The Land and the Book III. p. 359. 398. 429 s.

PHARSANDATHA (פַּרְשַׁנְדָּתָא, Φαρσὰν καὶ Νεσταίν, cod. A Φαρσανεστάν, cod. ℵ Φαρσαννεσταίν, Φαρσαννεστάν), primus inter decem filios Aman a Iudaeis interfectos (Esth. 9,7).

PHARUDA v. PHARIDA.

PHARUE (פָּרוּחַ, cod. B omittit, cod. A Φαρρού), pater Iosaphat praefecti salomonici in Issachar (3 Reg. 4,17).

PHARURIM (פַּרְוָרִים, Φαρουρείμ) 4. Reg. 23,11; vox eadem ac פַּרְבָּר 1 Chron. 26,18, ubi S. Hieronymus vertit *cellulas.* Eo nomine designatur aedificium adstructum ad partem occidentalem atrii exterioris templi. Cf. s. v. IERUSALEM VII. 3.

PHASE v. PASCHA.

PHASEA (פָּסֵחַ), princeps familiae Nathinaeorum, qui duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,49 LXX Φισόν; Neh. 7,51 LXX Φεσή). Ioiada filius Phasea Nehemiam adiuvit in muris Ierusalem restituendis (Neh. 3,6 LXX Φασέχ).

Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulg. 1 Par. 4,12 scribitur PHESSE.

PHASELIS (Φασηλίς), urbs magna Lyciae, in parte orientali ad sinum Pamphylium sita, enumeratur inter urbes, ad quas ex senatus consulto missa est epistula Lucii consulis in favorem Iudaeorum (1 Mach. 15,23; cod. B εἰς τὴν Βασιλεῖδα, cod. ℵ εἰς Φασηλίδα). Ruinae urbis apud *Tekirova* repertae sunt. Cf. *Herod.* 2, 178; *Strabo* XIV. 3,9; *Thucyd.* 2,69; 8,88; *Polyb.* XXX. 9,4 ss.

PHASERON (Φασιρών), tribus quaedam arabica, quam Ionathas Mach. prope Bethbessen (vide s. v.) percussit (1 Mach. 9,66). Praeter nomen de illa tribu nihil constat.

PHASGA (הַפִּסְגָּה, Φασγά Deut. 3, 17; saepius ὁ λελαξευμένος). Situs montis huius ita describitur Deut. 34,1 : ascendit Moyses de campestribus Moab super montem Nebo in verticem Phasga contra Iericho, ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan et universum Nephthali terramque Ephraim et Manasse et omnem terram Iuda usque ad mare novissimum et australem partem et latitudinem campi Iericho usque Segor (cf. 3,27) et 3,17 dicitur mare salis (mare Mortuum) esse ad radices Phasga montis (cf. 4,49; Ios. 12,3; 13,20). Ex eo quoque monte Balaam tentavit maledicere Israelitis Num. 23,14. Regnum Sihon meridiem versus continebat quoque montem Phasga; postea tribus Ruben eum complectebatur (cf. Ios. 12,3; 13,20). Vallis prope montem invenitur enumerata inter stationes Israelitarum Num. 21,20. — Nomine Phasga pars septemtrionalis montium Abarim comprehendebatur, quae hodie *Rās Ṣiyāgha* audit. Ceterum v. ABARIM.

PHASHUR v. PHASSUR 4.

PHASPHA (פַּסְפָּה, Φασφαί), filius Iether de stirpe Aser (1 Par. 7,38).

PHASSUR (פַּשְׁחוּר, Πασχώρ). **1.** Filius Emmer, sacerdos, praefectus primarius templi, qui Ieremiam prophetam percussit et in nervum (cippum) misit, sequenti tamen die de nervo eduxit; propheta autem ei vindictam divinam denuntiat (Ier. 20,1-6).

2. Filius Melchiae, legatus simul cum Sophonia sacerdote a rege Sedecia ad Ieremiam missus, ut eius sententiam de expeditione Nabuchodonosor exquireret scil. quid vates nomine Dei regi annuntiaret (Ier. 21,1). Idem Ier. 38,1 (hebr. Vulg., non apud LXX) inter eos nominatur, qui mortem Ieremiae machinantur postulantes a Sedecia rege, ut occidatur. Eum sacerdotem fuisse non constat; Melchia quidem est princeps quinti ordinis sacerdotum (cf. 1 Par. 24,9), sed idem nomen etiam extra ordinem sacerdotalem invenitur (cf. Esdr. 10,25. 31); adde Ier. 21,1 Sophoniam solum vocari sacerdotem, unde probabilius est Phassur ei ordini non esse accensendum.

3. Pater Gedeliae (Ier. 38,1).

4. Filius Melchiae, sacerdos (1 Par. 9,12). In albo redeuntium ex Babylone recensentur 1247 filii Phassur inter sacerdotes (Vulg. Pheshur Esdr. 2,38 et Phashur Neh. 7,41). Idem nomen sacerdotale legitur inter signatores foederis (Neh. 10,3; Vulg. Pheshur), et inter maiores Adaia incolae Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,12; Vulg. Pheshur). Sex sacerdotes ex posteris Phassur uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,22; Vulg. Pheshur).

PHATAIA (פְּתַחְיָה, Φαδαιά). **1.** Levita, qui uxorem alienigenam duxerat (Esdr. 10,23). Probabilius idem est ac Phathahia (Neh. 9,5), qui cum aliis levitis officio sacro functus est, quando populus paenitens ab alienigenis se separavit.

2. Phathahia, filius Mesezebel, de familia Zara filii Iuda, ad manum regis (Artaxerxis), ut rebus Iudaeorum consuleret (Neh. 11,24; LXX Παθαιά).

PHATHAHIA v. PHATAIA 1 et 2.

PHATHURES Ez. 29,14; 30,14; Phatures Ier. 44,1. 15; Phetros Is. 11, 11 (פַּתְרוֹס; Φαθωρῆς, Παθούρης) est designatio Aegypti superioris seu australis, cuius urbs praecipua erant Thebae (No; cf. *Brugsch,* Geogr. Inschriften I. p. 175). Nomen explicat *Ebers* (Aegypten und d. Bücher Mose's 1868 p. 119) ex *Pather-res* i. e. domus Hathor (deae) australis. Eadem regio Is. 11,11 (Vulg. Phetros) collocatur inter Chus seu Aethiopiam et Mesraim, quod artiore sensu Aegyptum inferiorem designat. Eiusdem regionis incolae appellantur Gen. 10,14 Phetrusim (פַּתְרֻסִים, Πατροσωνιείμ).

Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. (ad 4 Reg. 19,37) II. p. 21; *Delitzsch,* Paradies p. 310.

PHATUEL (פְּתוּאֵל, Βαθουήλ), pater Ioelis prophetae (Ioel 1,1).

PHAU (פָּעוּ Gen. 36,39; פָּעִי 1 Chron. 1,50; Φόγωρ), urbs Adad (Adar) ultimi regis Edom. Eusebius eam sitam esse dicit in regione Gebalitica (Onom. *ed. Lag.* 299,84), quae in Vetere Testamento terra Edom seu mons Seir vocatur (v. GEBAL). Aliqui cum Phau componunt *el-Phauara*, quem locum in *Djebāl* commemorat *Seetzen* (Reisen *ed. Kruse* III. p. 18).

PHEDAEL (פְּדַהְאֵל, Φαδαήλ), filius Ammiud de tribu Nephthali, unus ex duodecim viris ad dividendam terram transiordanicam electis (Num. 34,28).

PHEGIEL (פַּגְעִיאֵל, Φαγαιήλ, Φαγεήλ), filius Ochran, princeps tribus Aser tempore exodi ex Aegypto (Num. 1,13; 2,27; 7,72. 77; 10,26).

PHELDAS (פְּלְדָשׁ, Φαλδάς), sextus filius Nachor, fratris Abraham, ex Melcha genitus (Gen. 22,22). De tribu eius nominis nihil innotuit; aliquas coniecturas recenset *Dillmann* ad h. l.

PHELEIA (פְּלָיָה, Φαρά, cod. A Φαλαιά), tertius filius Elioenai de regia domo David descendens per Zorobabel (1 Par. 3,24).

PHELELIA (פְּלַלְיָה, A et א Φαλαλιά), sacerdos ex posteris Melchiae et maioribus Adaia incolae Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,12).

PHELETH (פֶּלֶת, Φάλεθ), pater Hon Rubenitae, qui cum Core, Dathan et Abiron contra Moysen surrexit (Num. 16,1). Sed nomen proprium Hon errori librarii originem debere putatur; textus ita emendandus videtur, ut potius Abiron dicatur filius Eliab filii Pheleth filii Ruben. Iamvero inter filios Ruben alias Pheleth non recensetur, sed Phallu; unde h. l. pro Pheleth substituendus erit Phallu. Cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.

PHELETHAEI 2 Reg. 20,23 vel **PHELETHI** 2 Reg. 8,18; 15,18; 20,7; 3 Reg. 1,38. 44; 4 Reg. 11,19; 1 Par. 8,17 (פְּלֵתִי, Φελετί) v. CERETHAEI.

PHELONITES (הַפְּלֹנִי, ὁ Φεδωνεί) cognominatur Ahia heros in exercitu Davidis (1 Par. 11,36). Sed pro Ahia Phelonite potius legendus est Eliam Gelonites, ut ex 2 Reg. 23,34 colligitur.

PHELTI (פַּלְטִי, A Φελτεί), sacerdos de familia Moadiae in diebus Ioacim filii Iosue pontificis (Neh. 12,17).

PHELTIA (פַּלְטָיָה; Φαλτιά), princeps populi inter signatores foederis (Neh. 10,22[23]).

PHELTIAS (פַּלְטִיָּהוּ, Φαλτίας), filius Banaiae, princeps populi et socius Iezoniae principis in consiliis improbis promovendis, contra quos Ezechiel vaticinari iubetur (Ez. 11,1). Mors Pheltiae ab Ezechiele visa (11,13) est praedictio certa fore ut princeps ille poenam mortis subeat in tumultu chaldaico.

PHENENNA (פְּנִנָּה, Φεννάνα), uxor Elcanae, quae habebat filios, dum altera eius uxor, Anna, sterilis erat; quare Phenenna aemulam suam, alteram uxorem, affligebat, probabiliter ei exprobrans quod Deus vulvam eius conclusisset. Vir cum uxore utraque statuto tempore se contulit ad sanctuarium in Silo, obtulit sacrificia et dedit Phenennae et cunctis filiis eius et filiabus partes (1 Reg. 1,1-6).

PHEREZAEUS (פְּרִזִּי, Φερεζαῖος). Pherezaei una erant ex septem gentibus, quas incolas terrae palaestinensis S. Scriptura enumerare saepius solet. Cum Pherezaei Gen. 10 non recenseantur, existimare licet eos Chananaeis non fuisse affines, sed forte antiquiores regionis incolas. Eos habitasse in regione montana septemtrionem versus a Bethsan et Iezrael sequitur ex Ios. 17,15. 16. Devicti sunt in Bezec (Iud. 1,4); Salomon rex eos fecit tributarios (3 Reg. 9,20; 2 Par. 8,7). Commemorat Eusebius duos vicos Bezec a Neapoli (Sichem) 17 mil. pass. Scythopolin versus (Onom. *ed. Lagarde* 237,52). Ea fere in regione etiam eos fuisse ex Gen. 13,7 non est improbabile. Cf. praeterea Gen. 15, 20; 34,30; Ex. 3,8. 17; 23,23; 33,2; 34, 11; Deut. 7,1; 20,17; Ios. 3,10; 9,1;

11,3; 12,8; 24,11; Iud. 3,5; Esdr. 9,1; Neh. 9,8; Iudith 5,20.

PHERMESTHA (פַּרְמַשְׁתָּא, Μαρμασιμά), septimus ex decem filiis Aman, qui a Iudaeis interfecti sunt (Esth. 9,9).

PHESDOMIM 1 Par. 11,13 (פַּס דַּמִּים, Φασοδαμίν) et 1 Reg. 17,1 (אֲפֶס דַּמִּים, Ἐφερμέν, Vulg. in finibus Dommim), urbs tribus Iuda prope Socho (*Shuweike*; v. SOCHO 1) et Azecam sita, iuxta quam Philisthaei castrametati sunt, antequam Goliath Israelitis illuderet et a Davide percuteretur (1 Reg. 17,1; cf. s. v. AZECA). Postea quoque ibidem pugnatum est inter Philisthaeos et Israelitas 1 Par. 11,13; loco parallelo 2 Sam. 23,9 pro בְּחָרְפָם *quando exprobraverunt* emendandum esse בְּפַס דַּמִּים *in Ephesdammim* censent *Thenius*, *Bertheau*, *Boettcher*, *F. de Hummelauer*. — Situs certo determinari nequit. *Van de Velde* agnoscit Dommim in ruinis *Damun* hora et dimidia fere a *Shuweike* distantibus inter septemptrionem et orientem (cf. Karte von Palaestina 1866); sed exploratores anglici nostrae aetatis vestigium loci *Damun* non repererunt.

PHESHUR v. PHASSUR 4.

PHESSE (פַּסֵּחַ, Βεσσῆε), in genealogia Iuda 1 Par. 4,12 est familia quam Esthon genuit; adnumeratur viris Recha, quae vox locum habitationis nobis ignotum indicare putatur.

PHETEIA (פְּתַחְיָה, Φεταιά), princeps familiae sacerdotalis, cui sors decima nona in ministerio Domini a David designata est (1 Par. 24,16).

PHETHOR (פְּתוֹר, Num. 23,5 Φαθουρά), patria Balaam arioli in Mesopotamia prope Euphraten (Num. 22,5; Deut. 23,4[5] et cf. s. v. BALAAM). Correspondere videtur in inscriptionibus assyriacis *Pitru*, in aegyptiacis *Pedru* (?). Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 143; *Delitzsch*, Paradies p. 269; *Max Müller*, Asien und Europa nach altaegyptischen Denkmaelern p. 291. — Aliter *F. de Hummelauer*, Comment. in Num. p. 258-261, locos citatos interpretatur : Pathur Ammonitidis in Aram (cf. Num. 23,7).

PHETROS, PHETRUSIM v. PHATURES.

PHICOL (פִּיכֹל, Φιχόλ, Φιχώλ) nominatur princeps exercitus Abimelech regis Gerarae, quocum Abraham in Bersabee foedus pepigit (Gen. 21,22) et etiam dux militum alterius Abimelech regis Gerarae, quocum Isaac in Bersabee foedus pepigit (Gen. 26,26). Uti nomen Abimelech appellatio communis regum Gerarae fuisse a multis existimatur, ita Phicol quoque ducis militum; ceterum cf. s. v. ABIMELECH 1.

PHIGELUS (Φύγελος, Φύγελλος) 2 Tim. 1,15; ipse et Hermogenes nominantur ex Asianis, qui, ut Timotheus scit, a Paulo se averterant vel eius precibus obsequi renuerant.

PHIHAHIROTH (פִּי הַחִירֹת; Ex. 14,2. 9 ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, Num. 33,7 ἐπὶ στόμα Ἐπιρώθ, 33,8 ἀπέναντι Εἱρώθ), statio Israelitarum inter Magdalum et mare Rubrum (Suph), quae respicit Beelsephon (Ex. 14,2. 9; Num. 33,7. 8); castra autem Israelitarum erant e regione Phihahiroth. Attamen ex iis, quae s. v. MAGDALUM 1 diximus, castra fortasse erant inter Magdalum et mare Suph simulque e regione Phihahiroth. Agnoscitur Phihahiroth idem esse atque *Pikeheret* seu *Pikerehet*, locus pagi *Thuku* i. e. Socoth haud longe a Phithom, quamquam aliqui identitatem inter Phihahiroth et *Pikeheret* addubitant. Ceterum hoc saltem constat Phihahiroth in pago Socoth quaeri oportere.

Cf. *F. de Hummelauer* in Ex. 14,2; *Egypt Expl. Fund*, Atlas of Ancient Egypt, London 1894, p. 19; *E. Naville*, The storecity of Pithom and the route of the Exodus 1885, p. 30; *M. Jullien*, L'Égypte, Lille 1891, p. 136.

PHILADELPHIA (Φιλαδέλφεια,-ια), urbs Lydiae, condita vel saltem denuo aedificata ab Attalo II. Philadelpho, ex quo nomen sortita est. Sita est orientem versus a Sardibus, ad orientales radices Tmoli montis. Ad eam ecclesiam Ioannes scribere iubetur, quae perse-

cutiones est experta a Iudaeis, cui auxilium divinum promittitur Apoc. 1,11 et 3,7-13. Cf. *Ramsay*, Hist. Geogr. of Asia Minor 1890, p. 16. 44. 54. 59. 80. 86; *id.* Cities and Bishoprics of Phrygia I. p. 196; II. p. 353; *Le Camus*, Les sept Églises de l'Apocalypse 1896, p. 203-216.

PHILARCHES (Φυλάρχης), amicus erat Timothei, ducis Syrorum, vir scelestus, qui in multis Iudaeos afflixerat; a Iudaeis victoribus occisus est (2 Mach. 8,32).

PHILEMON (Φιλήμων), vir nobilis colossensis, a Paulo fidem edoctus et eius quoque adiutor (συνεργός) in evangelica praedicatione, in cuius domo coetus religiosi celebrabantur. Ad eum apostolus epistulam dedit ex priore captivitate romana eumque de fide et caritate laudat eique Onesimum servum, qui aufugerat et a Paulo ad fidem adductus erat commendat (cf. *Cornely*, Introd. III. *ed.* 2 p. 519-522).

PHILETUS (Φίλητος; al.-ός) 2 Tim. 2,17; excidit a veritate dicens et docens resurrectionem iam esse factam; proin negavit resurrectionem corporum et mentis ad meliora conversione constitui resurrectionem affirmavit. Doctrinam eam serpere instar cancri apostolus scribit et fidem quorundam esse subversam.

PHILIPPI (Φίλιπποι), urbs Macedoniae, in ora septemtrionali maris Aegaei, inter urbes Neapolim et Amphipolim sita. Nomen habet a Philippo I. rege Macedoniae qui ex vico, cui nomen Krenides erat, urbem insignem exstruendam et muniendam curavit. Erat urbs natura et arte firma. Vocatur Act. 16, 12 *prima* partis Macedoniae civitas; sed probabilior est lectio : quae est primae partis Macedoniae civitas. Quattuor regionum, in quas Romani Macedoniam diviserunt (*Liv.* 45,29) prima erat orientalis Macedoniae pars, cuius caput Amphipolis. Cf. *Blass*, Acta apost. 1895 ad h. l.; *Belser*, Beiträge zur Apostelgesch. 1897, p. 76. Inhac lectione omnis evanescit difficultas. Quibus variis rationibus explicare tentaverint lectionem pervulgatam : quae est prima partis Macedoniae civitas, vide apud *Knabenbauer*, Comm. in Act. p. 281.

Vocatur l. c. colonia; iam anno 45 a. Chr. post pugnam Antonii et Octaviani contra Brutum et Cassium colonia romana eo deducta est eaque aucta pugna ad Actium facta; vocabatur colonia Augusta Iulia Philippensis. Ea in urbe primum in Europa Paulus praedicavit Act. 16,12 ss.; multis diebus ibi commoratus est Paulus; sed cum daemonem, spiritum pythonem e puella eiecisset, ab hero, cui quaestus divinationis perierat, Paulus et Silas delati sunt et a magistratu virgis caesi in carcerem missi sunt; noctu orantes terrae motu facto et ostiis apertis solutisque vinculis a custode educti sunt, quem cum tota domo fidem edoctum baptizabant. Altero die cum honore a magistratu dimissi fratribus salutatis profecti sunt. Coetus fidelium in urbe proficiebat. Ibi Lucas videtur remansisse, usque dum in tertia sua expeditione apostolica anno 59 Paulus iterum urbem invisit (20,6). Amorem tenerum Apostolus Philippensibus semper servavit, uti testis est eius ad eos epistula, de qua vide *Cornely*, Introd. III. *ed.* 2 p. 482-493.

Cf. *W. M. Ramsay*, S. Paul the Traveller and the Roman Citizen 1900, p. 206 ss.; *id.* The Church in the Roman Empire, 1896, p. 156 ss.; *F. Vigouroux*, Le Nouveau Test. et les déc. arch. modernes 1896, p. 211-229.

PHILIPPUS (Φίλιππος). **1.** Philippus, rex Macedoniae, pater Alexandri cognomento Magni 1 Mach. 1,1; 6,2; est Philippus II. filius Amyntae (an. 359-336 a. Chr.).

2. Philippus III, rex Macedoniae filius Demetrii II. rex paenultimus Macedoniae (an. 221-179 a. Chr.). Is devictus est a T. Quinctio Flaminio, duce exercitus romani, anno 197 a. Chr. ad Cynoscephalas in Thessalia; de cuius clade 1 Mach. 8,5 agitur.

3. Philippus, genere Phryx, qui erat σύντροφος (Vulg. collactaneus) i. e. sodalis educatus familiariter cum Antiocho IV. Epiphane (2 Mach. 5,22; 9,29). Cum Antiochus rex anno 169 ab Ierusalem discederet ablatis mille et octingentis talentis de templo, in urbe reliquit

Philippum praepositum, qui ipso rege crudelior erat. Eius ferocitatis exemplum cernitur eo quod eos qui in speluncis latenter sabbati diem celebrabant flammis succendi iussit (2 Mach. 5,22; 6,11). Cum autem Iudas Machabaeus prospere Deo iuvante pugnaret contra persecutores populi Dei, Philippus ad Ptolemaeum ducem Coelesyriae et Phoenicis scripsit, ut auxilium ferret regis negotiis; Ptolemaeus misit Nicanorem cum viginti millibus eique adiunxit Gorgiam rei bellicae peritissimum (2 Mach. 8,8 ss.). Simul cum Antiocho rege erat in expeditione illa in Persidem (1 Mach. 6,1 ss.); nam Antiochus morti proximus in terra aliena Philippum amicum suum vocavit et praeposuit eum super universum regnum et dedit ei diadema et stolam suam et annulum, ut adduceret Antiochum filium et nutriret eum et regnaret (1 Mach. 6,14. 15). Redux ex Perside Philippus Antiochiam urbem occupavit, ut negotia regni susciperet. At Lysias, apud quem Antiochus, regis filius, Eupator erat, noluit Philippum regnare, sed pugnavit contra eum et urbem Antiochiam vi et armis occupavit. Ita Philippus coactus est fugere ad Ptolemaeum Philometorem in Aegyptum, cum Lysias contra ipsum etiam Antiochum regis filium concitasset; nam 2 Mach. 9,29 legimus : transferebat autem corpus (Antiochi regis) Philippus, qui metuens filium Antiochi ad Ptolemaeum... abiit. Id quod eo quo dictum est modo cum narratione 1 Mach. 6,17. 55-63 facillime conciliatur. Neutiquam enim 2 Mach. 9,29 ita explicari debet, ut redux ex Perside *statim* abierit in Aegyptum; verum id longiore spatio interiecto factum esse, satis indicatur ὃς καὶ διευλαβηθείς etc. inserto καί. Qua ratione autem Lysias effecerit, ut filius Antiochi neglecta patris voluntate Philippum e munere commisso deturbandum esse consentiret, indicatur 2 Mach. 13, 33, quo simul patet eum invitum ad illud consilium esse adductum. Videtur enim Lysias ei persuasisse Philippum rebellasse et ab eo defecisse.

4. Philippus apostolus, a Bethsaida oriundus, erat inter primos Iesu discipulos (Ioan. 1,43 ss.) et adduxit ad Iesum Nathanael i. e. Bartholomaeum; quare in albo apostolorum legimus : Philippus et Bartholomaeus (Matth. 10, 3; Luc. 6,14; Marc. 3,18). Ante panum multiplicationem Iesus quaerit ex Philippo tentans eum : unde ememus panes, ut manducent hi? et Philippus, oblitus potestatis miraculorum iam apostolis traditae nec memor ipsius Iesu potentiae, respondit quasi de pecunia Christus quaereret : ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat (Ioan. 6,5. 6). Cum die palmarum quidam gentiles Iesum videre desiderarent, adeunt Philippum (Ioan. 12,21); fortasse ipsum eius nomen graecum istis alienigenis fiduciam addidit, ut per eum sisterentur Iesu. Cum Christus dixisset de Patre : amodo cognoscetis eum et vidistis, Philippus ei dicit : Domine ostende nobis Patrem et sufficit nobis! Iesus debilem eius fidem carpit respondens : tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem; quomodo tu dicis : ostende nobis Patrem? cf. Ioan. 14,7-9.

5. Philippus, diaconus et evangelista i. e. praedicator evangelii, Act. 6,5. Persecutione post lapidationem Stephani exorta, cum fideles per regiones Iudaeae et Samariae dispergerentur, Philippus Samariae praedicabat et signa faciebat multosque, immo etiam Simonem magum ad fidem adduxit et baptizavit (Act. 8,1-13). Monetur Philippus ab angelo, ut se conferat ad viam quae descendit ab Ierusalem in Gazam; ibi virum invenit Aethiopem, qui erat praepositus thesauris Candacis reginae, legentem dum curru vectus iter faceret Isaiam prophetam; ei annuntiat Iesum eumque baptizat. Tum spiritu Dei rapitur Azotum et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis donec veniret Caesaream (Act. 8,26-40). Ibi in urbe Caesaraea Paulus cum sociis domum eius ingressi manserunt per dies aliquot Act. 21,8. 9; quo loco simul refertur : huic erant quattuor filiae virgines prophetantes.

6. Philippus tetrarcha, filius Herodis Magni ex Cleopatra Hierosolymitide (Luc. 3,1; cf. *Flav. Ios.* Ant. XVII. 1,3; Bell. iud. I. 28,4). De tetrarchia Philippi

vide s. v. ITURAEA; eius urbs principalis erat Paneas, quae a Philippo amplificata nomen novum Caesareae Philippi sortita est (v. CAESAREA 1).

7. Philippus, filius Herodis Magni ex Mariamme filia Simonis pontificis, maritus Herodiadis, quae nuptias incestas cum Herode Antipa iniit (Marc. 6,17; cf. Matth. 14,3; Luc. 3,19). Flavius Iosephus (Ant. XVII. 1,2; XVIII. 5,1. 4; Bell. iud. I. 28,4) eum solo nomine Herodis i. e. nomine generico designat; perperam igitur aliqui Protestantes Evangelistas erroris accusabant, quasi maritum Herodiadis dixissent Philippum tetrarcham et non Herodem Philippum; cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2, II. p. 3.

PHILISTHAEUS pl. Philisthaei, Philisthiim, Philisthini (פְּלִשְׁתִּי, pl. פְּלִשְׁתִּים [פְּלִשְׁתִּימ Am. 9,7; 1 Chron. 14,10]; LXX Φυλιστιείμ Pentat., Iosue, Eccli. 46,21; 1 Mach. 3,24, alias Ἀλλόφυλος, Ἀλλόφυλοι; Ioseph. aliique scriptores Graeci Φυλιστῖνοι vel Παλαιστῖνοι), nomen incolarum Philisthaeae (פְּלֶשֶׁת, Παλαιστίνη).

I. De terra Philisthaeorum. — Philisthaea a Sihor, rivo Aegypti, longitudine 24 horarum excurrit usque ad Sorec rivum, qui paulo infra Ioppen in mare effunditur, a mari medio latitudine 10 fere horarum usque Bethsames (1 Sam. 6,18). Huius terrae partes geographicae distinguuntur tres: a) Negeb (a Gaza ad meridiem spectans), b) planities (ora maritima חוֹף הַיָּם et Sephela); c) regio montana (Iudaeae finitima). — Praeter pentapolim (cf. II. 5) oppida maioris momenti sunt Gerara, Gezer, Thamnatha, Siceleg, Gob, Gebbethon, Ioppe, Lachis, Saphir.

II. De incolis. — **1.** Hanc regionem quattuor nationes incolebant: Philisthaei, Avvim et Enacim (Gazae, Geth, Azoti etc. Ios. 11,22; 13,3; Deut. 2,23), Gessuri (in parte meridiana Ios. 13,2; 1 Reg. 27,8), Canaanitae. Spatio autem temporum ceterae cum Philisthaeis intime coaluerunt.

2. Philisthaei egressi de Chasluim et de Caphtorim (Gen. 10,14; Deut. 2,23; Am. 9,7; Ier. 47,4) eam terram, quae ab iis Philisthaea vocata est, non uno tempore occuparunt. Iam Abrahami aetate moribus regionis inductis Gerarae regnum condiderunt (Gen. 20). Unde multitudine populi aucta profecti reliquas terrae partes petierunt. — Eos esse advenas ex nomine et hebraeo (פָּלַשׁ, aeth. *falasha* = migrare) et graeco (ἄλλος, φυλή) patere dicunt; eosdem esse Semitas ex eorum historia et lingua et religione colligit *Fr. Schwally*, Die Rasse der Philister, in Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie von *Hilgenfeld* 1891, 103 ss. 255. Alii vero Philisthaeos non Semitas, sed « semitizatos » tantum esse dicunt. Cf. etiam CERETHAEI.

3. Religio Philisthaeorum fuit partim singularis. Proprius eorum erat Dagon (v. s. v.) deus et Derceto (Δερκετώ, Atargatis) dea (*Diod.* 2,4), cui utrique fuit superne humana, infra piscis forma. Communis Canaanitarum erat cultus Baal et Astaroth (v. s. v. BAAL). — Philisthaei religionum erant diligenter colentes; sacerdotes et vates magna erant inter eos auctoritate (1 Reg. 6,2; Is. 2,6). Circumcisione eos caruisse in sacris litteris saepe effertur (Iud. 14,3; 15,18; 1 Reg. 14,6; 17,26. 36; 31,4; 2 Reg. 1,20; Ier. 9,25. 26).

4. Eminebant in Philisthaeis constantia quaedam animi et perseverantia in consiliis persequendis, animus fortis, studium belli, libera quaedam contumacia (1 Reg. 4,9). — Gens erat satis opulenta et admodum culta. Imprimis studebat agriculturae et rei pecuariae (Iud. 15,4. 5; 1 Reg. 6; 4 Reg. 8,2 etc.); posterioribus temporibus etiam mercaturam fecit modicam. Architecturae et sculpturae erat perita, in ferro pretiosisque metallis effingendis et aliis artibus exercitata (Iud. 16,25-30; 1 Reg. 5; 13,19 s.; 17,5 s. etc.). Iam aetate satis remota videtur habuisse usum singularem pecuniae (Iud. 16,5. 18).

5. Terra Philisthaeorum in quinque civitates descripta erat, quae secundum capita appellabantur Gaza, Azotus, Ascalon, Geth, Accaron. Hae etsi sui iuris essent, tamen intime inter se iunctae erant, ita ut unius rei publicae speciem

praeberent. Singulis praeerant singuli סַרְנִים (ἄρχοντες, σατράπαι, satrapae, principes, reguli), qui summis et magistratibus et imperiis fungebantur. Hoc munus utrum hereditate an suffragio delatum sit, ignoramus. Neque magis accepimus, quae ratio inter hos סַרְנִים et reges intercesserit; hi enim posterioribus temporibus exstiterunt (1 Reg. 21,12; 27,2; 29,2). Davidis quidem aetate unius Achis, regis Geth, mentio fit; sed incertum est, an ipse fuerit inter סַרְנִים et an postea reges in eorum locum successerint (Ier. 25,20).

6. Virtute bellica et rei militaris peritia semper insignes erant. Ac primo quidem bello maritimo utebantur; in picturis enim Aegyptiorum cum Ramse III. classi confligentes depinguntur (*Lauth*, Aus Aegyptens Vorzeit, Berlin 1881,361). Postea vero novis sedibus occupatis pugnam colebant terrestrem. Exercitiis militaribus diligenter operam navabant, nulli illius aetatis genti cedebant in armatura (1 Reg. 17,5 ss. 45; 21,9; 22, 10; 2 Reg. 21,16.). Exercitus constabat ex partibus tribus; curribus falcatis, equitibus, peditibus (1 Reg. 13,5); hi erant et gravis et levis armaturae. Sagittarii multum valebant (1 Reg. 31,3); curruum usui (Iud. 1,19; 1 Reg. 13,5; 2 Reg. 1,6) favebat planities magna Sephelae. Ratio belli gerendi praeclare exculta erat; omnia quinque illi סַרְנִים communi consilio administrabant (Iud. 16,5. 8; 1 Reg. 29,3 ss.). Ad pugnam proficiscebantur secundum מַחֲנִים (1 Reg. 17,1; 29,1), אֲלָפִים (milia) et מֵאוֹת (centurias 1 Reg. 29,2). Castris utebantur munitis, praesidia per hostium terras disponebant (1 Reg. 13,3), arces et oppida habebant operibus saepta. In bellis praedam sectabantur (1 Reg. 13, 17. 18; 23,1), corpora caesorum crudeliter tractabant (1 Reg. 31,9); victores redeuntes excipiebantur a feminis ovantibus. Denique belli usus inde patet, quod haec natio tam pusilla identidem populum Israel subegit. Quare mirum non est, quod David rerum potitus regiam cohortem ex hac gente tam bellicosa elegerit. — Gentes subactas, sed contumaces armis spoliabant (1 Reg. 13,19 ss.; cf. Iud. 3,31; 5,8); parentium vero res volebant quam florentissimas. Quae sequebantur, non soli, sed cum sociis coniuncti efficere solebant; magna enim in iis erat sollertia finitimos contra Israelitas incitandi.

III. De rebus gestis Philisthaeorum. — Historia Philisthaeorun apte in duo spatia dividitur.

1. Philisthaei de *principatu* cum finitimis contendunt.

a) Quando Philisthaei in terram illam, quae ab iis nomen duxit, immigraverint, incertum est. Sed Abrahami et Isaac aetate regione Gerarae eos iam potitos esse in libris sacris indicatur (Gen. 21, 32. 34; 26,1. 8. 14 ss. 18). Moysis autem temporibus ibidem opibus valuerunt (Ex. 13,17 ss.). Ipsi oppida maritima praecipue occupaverant, cum ii, qui antea illa loca incoluerant, vicis et rure contenti esse deberent. Quinque illae civitates iam tum constitutae videntur. — Israelitas quoniam fines Philisthaeorum iis a Deo promissi erant (Ios. 15,4. 11. 45), primo statim adventu cum illis in controversiam venire consentaneum erat. Sed Iosue vivo consiliis eorum non successit (Ios. 13,2 ss.). Postea vero gens Iudae Gazam, Ascalon, Accaron etsi tandem aliquando expugnasset (Iud. 1,18), tamen diu tenere non potuit (Iud. 3,3). — Inter hos finitimos perpetua necessario oriebantur certamina, quae primo quidem, quamdiu singulae tribus in suis provinciis occupandis detentae erant, dimicationibus fortuitis et minutis disceptabantur, postea vero, quo magis crescebant alterutrius vires, eo maiora fiebant et acriora.

b) Brevi Philisthaei ad advenas aggrediendos satis se valentes videntur existimasse. Quare ut et vexarent eos et sibi ea, quae ad victum necessaria essent, compararent, latrocinia in fines Dan et Iudae fecerunt partemque suae potestati subiecerunt. Quaedam irruptio a Samgar traditur repulsa esse (Iud. 3,31; 10,11). — Extrema iudicum aetate Israelitas diuturna servitute presserunt; tum Samson facinora praeclara edebat (Iud. 13-16), tandem post 40 annos,

clade ad Masphath accepta a Samuele reiecti sunt (1 Reg. 7,1-14). — Exiguis suis finibus conclusi et tribuum Israel Saule rege coniunctione perterriti extrema ausi sunt. Paulo enim post illam cladem trans Masphath progressi fauces inter Gabaon et Machmas occuparunt, ut partem Israel septemtrionalem et australem distinerent et inde in totam terram dominarentur. Res tam prospere successit, ut per multos annos Israelitas premerent. Tandem autem a Saul et Ionathan victi (1 Reg. 14,13 ss.) brevi post in valle terebinthi aciem instruxerunt; tum David et Goliath enecuit et complures clades iis intulit (1 Reg. 17,1 ss.; 18,25; 19,8). Nihilominus illas incursiones saepe repetierunt, quibus, cum David esset extorris, partem Palaestinae meridianam sub dominationem suam redigebant. Ad septemtrionalem quoque partem subigendam per planitiem Esdrelon usque Sunam profecti sunt (1 Reg. 28,4). In monte Gelboe proelium commiserunt, in quo Saul eiusque filii tres ceciderunt et exercitus fugatus est (1 Reg. 31). Davidi demum contigit, ut hostes multis cladibus illatis (2 Reg. 5,17-25; 21, 18-20) e terra expelleret atque etiam Geth eiusque oppidis potiretur (1 Par. 18,1). Salomon imperium quoddam in totam Philisthaeam exercuit (3 Reg. 4,21).

c) Regno post Salomonis mortem scisso Philisthaei iugum quidem exuerunt, pristinam autem gloriam non recuperaverunt. Cum reges in finibus tuendis neglegentiores essent, Philisthaei Gebbethon ceperunt praesidioque ibi posito (3 Reg. 15,27; 16,15) regnum perpetuo infestarunt. In Roboam autem, rege Iudae, satis inerat prudentiae, ut Geth propugnaculum quoddam ad illos domandos operibus muniret (2 Par. 11,8). Sed cum Iosaphat regi tributa contulissent (2 Par. 17,11), Ioram regnante simul cum Edomitis rebellantes terram suam in libertatem vindicarunt. Geth quoque videntur recepisse. Cum Arabibus foedere iuncti ipsa Hierosolyma expugnarunt (2 Par. 21,10 ss.; Ioel 4,4). Hazael Syrus bellum Iudae inferens Ioppe, Azotum (2 Par. 26,6 ss.; Am. 6,2), Geth (4 Reg. 12,17) cepit. Tamen reges Iudae cum convaluissent, imperium denuo protulerunt. Ioas enim Geth Benadad victo eripuit (4 Reg. 13,25); eandem urbem cum paulo post descivisset, Ozias recuperavit, moenia e fundamentis disiecit, Philisthaeos reddidit tributarios (2 Par. 26,6). Hi vero ab Achaz rege rursus defecerunt magnamque Iudae partem occupaverunt (2 Par. 28,18).

2. Philisthaei pro *libertate* decertant cum magnis antiquitatis imperiis.

a) Ea bella, quae inter Aegyptios et Assyrios Babyloniosque exardescebant motusque illi gentium, quibus Israelitae in exsilium eiecti sunt, Philisthaeis quoque funesta erant. — Iam *Rammān-Nirārī* III., rex Assyriorum, inter terras sibi subiectas praeter Syriam, Tyrum, Sidonem etiam Philisthaeam numerat (*Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 203 ss. ad 4 Reg. 13). Theglathphalasar se Gazam cepisse ac bona deosque abduxisse gloriatur (ib. I. p. 247 ad 4 Reg. 15). Sargon Hannonem Gazaeum foederatosque Aegyptios ad Raphiam prostravit Gazamque diruit; eius imperator (Tartan) Azotum cepit, cuius rex Azurī tributum solvere recusaverat (ib. II. p. 87 ss. ad Is. 20,1). — Sanherib Ascalon et Accaron, quae oppida cum Ezechia rege foedus contra eum inierant, expugnavit et Padi, quem regem Accaron cives Ezechiae proditorem tradiderant, in regnum reduxit (ib. I. p. 280 ss. ad 4 Reg. 18). Etiam Asarhaddon imperium orae maritimae obtinuit (ib. II. p. 23 ad 4 Reg. 19).

b) Posteriora tempora Philisthaeis erant acerbissima. Psammetichus Azotum oppidum bene munitum post oppugnationem 29 annorum cepit poenasque repetiit gravissimas (*Herod.* 2,157). Eodem fere tempore caterva Scytharum in terram illam se superfudit templumque Veneris Ascalonitae exspoliavit (*Herod.* 1,105). Qua re Aegyptii imperium Philisthaeae videntur amisisse; Nechao enim e pugna ad Mageddo commissa reversus Gazam percussit (Ier. 47,1). Post insignem cladem Aegyptiis ad Charcamis inflictam Babylonii Philisthaeam quoque facili negotio subegerunt.

c) Philisthaei quamvis graviter his casibus afflicti, tamen sub iugo Babyloniorum detenti potentiam quandam recuperaverunt. Cum regnum Chaldaeorum ad Persas delatum esset, libertatem quandam videntur retinuisse. Gazaei autem soli ausi sunt Cambysi bellum Aegyptiis illaturo resistere (*Polyb.* 16, 40). Post pugnam ad Pelusium factam Philisthaea regno Persarum adiuncta ad quintam satrapiam pertinebat. Reguli autem singularum civitatum more Persarum videntur mansisse (Ier. 25,20; cf. *Herod.* 8,67). — Aetate Esdrae mulieres Philisthaeae Iudaeis dimittendae erant (Neh. 13,23). Tum Azotaei hebraice (aramaice) non iam loquebantur (ib. 13,34); fortasse propter venaliciariam (Ioel 3, 4 s.; Am. 1,6 ss.) lingua graeca iam magis in usu erat. — Alexandro Magno Gaza, urbs tum celebris et bene munita, per duos menses restitit; cum capta esset, decem milia oppidanorum trucidati sunt, feminae et pueri sub hasta venierunt; cultu igitur Philisthaeo exstincto Hellenismus, qui vocatur, per oram maritimam diffusus est. — Temporibus quidem Machabaeorum Ἀλλόφυλοι saepe commemorantur, sed gentiles generatim significantur.

Cf. *Calmet,* Dissert. de origine et nominibus Philisthaeorum in Proleg. et dissert. etc. *ed. Mansi.* — *Movers,* Phönicier, Bonn 1841 et Berlin 1849-50; *Hitzig,* Urgeschichte und Mythologie der Philistäer, Leipzig 1845; *Aug. Knobel,* Völkertafel der Genesis, Giessen 1850; *Stark,* Gaza und die philistäische Küste, Iena 1852; *Max Müller,* Asien und Europa 387 ss.

H. WIESMANN.

PHILOLOGUS (Φιλόλογος), vir christianus quem Paulus salutatum vult (Rom. 16,15). Cum scribat: salutate Philologum et Iuliam, Nereum et sororem eius, fuerunt qui putarent Iuliam fuisse uxorem Philologi; vide s. v. IULIA.

PHILOMETOR (Φιλομήτωρ) cognomen Ptolemaei VI. regis Aegypti, qui regnavit an. 181-145 a. Chr. (2 Mach. 4,21; 9,29; 10,13). Vide s. v. PTOLEMAEUS 1.

PHILOSOPHIA. Semel ea voce utitur Paulus Col. 2,8, monens Colossenses, ne se sinant decipere per philosophiam, quam inanem fallaciam vocat; διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης. Hoc scil. loquendi modo (neque praepositione neque articulo repetitis) clare indicat epexegetice illam describi philosophiam quae nihil aliud sit nisi vana et inanis deceptio; eam philosophiam proponi ait secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi. Proin eius auctores esse homines; argumentum autem vel res circa quas versetur esse elementa mundi; quae elementa aliqua ratione designari videntur v. 20-23, cum dicatur fideles mortuos esse cum Christo ab elementis mundi; ideoque ne sibi imponi sinant: ne tetigeritis, neque gustaveritis etc. Proin docet eam philosophiam opponi Christo eiusque doctrinae. Cum a v. 9 ss. apostolus summam exponat Christi dignitatem, divinitatem, atque omnia bona salutis ab eo solo in nos dimanasse pluribus ostendat, innuit ea phiolosophia etiam comprehendi, quae de falsa angelorum religione perstringit v. 18.

PHINEES (פִּינְחָס, Φινεές). **1.** Filius Eleazar filii Aaron (Ex. 6,25; 1 Par. 6, 4. 50), sacerdos. Celebratur propter zelum quo scelus Zambri fornicationemque ultus est Num. 25,6-15; unde verbis Domini laudatur: Phinees avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo (Num. 25,11). Quod praeclarum facinus saepius laudatur Ps. 105,30. 31: et stetit Phinees et placavit et cessavit quassatio et reputatum est illi in iustitiam in generationem et generationem usque in sempiternum, et Eccli. 45,28-30; Mathathias, qui ipse zelatus est legem, ut fecit Phinees Zamri filio Salomi, iamiam moriturus inter alia exempla etiam ita filios ad aemulationem legis provocat: Phinees pater noster zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotii aeterni (1 Mach. 2,26. 54). Uti Phinees fortiter fornicationem cum Madianitide ultus est, ita quoque cum bellum susciperetur contra Madianitas, ipse missus est cum exercitu a Moyse, qui etiam vasa sancta et tubas ad clangendum tradidit ei

(Num. 31,6). Cum tribus Ruben et Gad et dimidia Manasse erecto ad Iordanem altari suspicionem movissent et iam belli periculum immineret, Phinees cum decem principibus missus est ad causam inquirendam et rem pacifice composuit (Ios. 22,11-53). In terrae distributione ei attributa est urbs Gabaath in monte Ephraim (Ios. 24,33). Tempore belli contra Beniaminitas Phinees est in Bethel, ubi erat arca, fungens officio sacerdotali et nomine Israelitarum Dominum consuluit (Iud. 20,28). Demum ex 1 Par. 9,19. 20 discimus Phinees etiam fuisse ducem eorum qui ex filiis Core erant custodes vestibulorum tabernaculi et custodes introitus castrorum Domini.

2. Alter e filiis Heli sacerdotis 1 Reg. 1,3; duo isti filii Ophni et Phinees, filii Belial, nescientes Dominum neque officium sacerdotum ad populum 1 Reg. 2,12 ss. suo rudi et avaro agendi modo homines retrahebant a sacrificio Domini; insuper vitiis carnis erant impliciti. Heli quidem eos admonuit; at illi non audierunt vocem patris sui. Per prophetam quendam Deus patrem reprehendit eique praedixit fore, ut ambo filii moriantur uno die (1 Reg. 2,34). Vaticinium eventu comprobatum est, quando ad debellandos Philisthaeos illi arcam foederis in castra comitati clade a Philisthaeis inflicta occisi sunt (1 Reg. 4,4 ss.; cf. 14,3).

3. Phinees, pater Eleazar levitae (Esdr. 8,33).

PHINON v. PHUNON.

PHISON (פִּישׁוֹן, Φισῶν), unus e quattuor fluviis, qui in descriptione situs paradisi nominantur (Gen. 2,11); v. PARADISUS.

PHITHOM (פִּתֹם, Πειθώ), urbs tabernaculorum (i. e. promptuarium), quam Israelitae ad angariam adacti Pharaoni exstruxerunt, sicuti etiam alteram urbem tabernaculorum Ramesses (Ex. 1,11). Erat urbs aegyptiaca *Pi Tum* seu *Ha Tum* i. e. habitaculum dei *Tum* caput provinciae *Thuku* vel *Thaket* i. e. Socoth (Ex. 12,37), eo loco sita, ubi Romanorum tempore Heroopolis seu Ero Castra, nunc *Tell el-Maskhuta* occidentem versus a lacu *Timsāḥ* in *Wādi Ṭūmīlāt*.

In monumentis ibidem repertis Ramesses II. nominatur neque aliud nomen regium legitur; unde confirmatur opinio communis Ramessen II. fuisse oppressorem Hebraeorum. Cf. *E. Naville*, The store-city of Pithom and the route of the Exodus, London 1887; *Egypt Expl. Fund*, Atlas of Ancient Egypt, London 1894, p. 7. 19.

Praeterea LXX Gen. 46,28 : « Misit autem (Iacob) Iudam ante se ad Ioseph, ut nuntiaret ei » addunt καθ' Ἡρώων πόλιν. Nomen urbis h. l. ortum esse ex corruptione vocum לְהוֹרֹת לְפָנָיו in לחירו פלין et earundem vocum alteram versionem esse suggerit *Lagarde* (Mittheilungen IV. 150 ss., Goettingen 1891). « Neque tamen repugnat Ioseph et Iacob reapse prope Heroopolim invicem occurrisse..... Eo reapse itinere Iacob Aegyptum ingredi debuit, cum mare Rubrum multo longius tum ad aquilonem porrigeretur ipseque lacus *Timsāḥ* ad illud pertinuerit » (*F. de Hummelauer* ad Gen. 46,28).

PHITHON (פִּיתוֹן, פִּיתֹן, Φιθών, Φαιθών), unus ex quattuor filiis Micha filii Meribbaal ex posteris Saul (1 Par. 8,35; 9,41).

PHLEGON (Φλέγων), christianus ecclesiae romanae, quem S. Paulus salutat (Rom. 16,14), unde fide et pietate in ecclesia eminuisse dicendus est; praeter nomen nihil de eo cognitum est.

PHOCHERETH (פֹּכֶרֶת הַצְּבָיִים i. e. irretiens, reti capiens dorcades) recensetur inter servos Salomonis, qui duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,57 : filii Phochereth, qui erant de Asebaim, υἱοὶ Φασράθ, υἱοὶ Ἀσεβωείν, Neh. 7,59 : filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, υἱοὶ Φακάραθ, υἱοὶ Σαβαείμ). Ex etymologia supra indicata patet Sabaim non esse nomen loci, sed pertinere ad nomen proprium viri.

PHOEBE (Φοίβη) Rom. 16,1 : commendo vobis Phoeben sororem nostram (i. e. mulierem christianam) quae est in ministerio (οὖσαν διάκονον) ecclesiae, quae

est in Cenchris, prope Corinthum; erat itaque diaconissa; per eam Paulus epistulam Romam misit. Eam laudat apostolus : ipsa quoque adstitit multis et mihi ipsi (v. 2); quare vult ut et christiani Romae ei opem ferant in quocumque negotio eorum auxilio indiguerit.

PHOENICE (Φοινίκη), regio maritima Syriae mediae, imprimis regio « adclivis Libano monti » (*Ammian. Marcell.* XIV. 8,9). Nominatur in coniunctione cum Coelesyria 2 Mach. 3,5 : Apollonius dux Coelesyriae et Phoenicis; item 3,8; 4,4; 8,8; simul cum Syria 10,11. Persecutione prima illa in Ierusalem facta (Act. 8,1) aliqui fideles etiam pervenerunt in Phoenicen, verbum Dei loquentes solum Iudaeis Act. 11,19. Phoenicem pertransierunt Paulus et Barnabas (et Titus Gal. 2,1) iter facientes ab Antiochia ad concilium apostolorum in Ierusalem Act. 15,3. Item Paulus eiusque socii a Patara navigarunt in Phoenicem et ad Tyrum appulerunt Act. 21,2. 3. Ceterum in s. litteris regio illa nominari solet : partes Tyri et Sidonis, circa Tyrum et Sidonem, fines Tyri et Sidonis, ἡ παράλιος (χώρα) Tyri et Sidonis (cf. Matth. 15,21; Marc. 3, 8; 7,24. 31; Luc. 6,17; Act. 12,20); vocatur quoque Chanaan (Is. 23,11), et incolae Phoenices etiam Chananaei appellantur; cf. Num. 13,30; Ios. 5,1 etc.; inde ortum est, ut Chananaeus etiam significet mercatorem, institorem (Ez. 17,4; Prov. 31, 24; Ps. 12,7; Soph. 1,11).

Phoenices, quatenus unam gentem constituunt, in s. litteris non memorantur. Sed videtur nomen Sidonis et Sidoniorum, nisi per ipsum contextum ad urbem eiusque incolas restringatur (cf. Gen. 19,19; Iud. 1,31; 2 Sam. 24,6; 3 Reg. 17,9 coll. Luc. 4,26; Is. 23,2. 4. 12; Ez. 28,21 s.), intellegendum esse de Phoenice et Phoenicibus generatim. Recensentur Gen. 10,15-18 inter filios Chanaan Sidonius primogenitus, Aracaeus, Sinaeus, Aradius, Samaraeus (v. s. vv.); urbes igitur principales phoeniciae a descendentibus Chanaan conditae sunt. Etiam apud Stephanum Byzantinum legitur : Chna, sic Phoenice vocabatur. Ad quem locum adnotat *Thomas de Pinedo* (s. v. Phoenice) : « Quod nihil aliud est nisi truncum ex Chanaan nomen. Id etiam confirmatur ex D. Augustino in expositione Epist. Pauli ad Romanos : Unde interrogati rustici nostri, qui sunt, Punice respondentes, *Canani,* corrupta scilicet, sicut in talibus solet una litera, quid aliud respondent quam Chananaei. Consentiens etiam inter eruditos opinio est, Poenos i. e. Africanos seu Carthaginenses fuisse Phoenicum colonos ». Similiter ad Stephanum s. v. Chna adnotat *Holstenius* : « Philo Biblius Sanchoniatonis interpres apud Eusebium de Praeparat. Evangelica meminit : Chna qui Phoenicis cognomine primus insignis fuit. Quod nomen ex decurtato Chanaan natum esse plusquam verisimile est ». Phoenices olim ad sinum Persicum habitasse indeque transgressos oram maritimam Syriae occupasse referunt *Herod.* 1,1; 7,89; *Strabo* XVI. 3,4; et in epitoma historiarum Pompei Trogi refert *Iustinus* XVIII. 3,2 : « Tyriorum gens condita a Phoenicibus fuit, qui terrae motu vexati relicto patrio solo ad Syrium stagnum (? mare Mortuum) primo, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidoniam appellaverunt; nam piscem Phoenices sidon vocant ». Linguam phoeniciam maxime affinem esse linguae hebraicae seu linguae Chanaan (Is. 19,18) et generatim linguis semiticis notum est ex inscriptionibus, ex nominibus propriis phoeniciis, ex vocabulis apud scriptores graecos et romanos occasione data allegatis, ex sententiis quas apud Plautum (in comoedia *Poenulus*) pronuntiat Hanno Carthaginiensis. Sed facile patet inde quaestionem ethnographicam non dirimi, cum Chanaanitae inter Semitas degentes eadem lingua uti iisdemque moribus imbui potuerint. Quaenam fuerit sedes primitiva Phoenicum, ex fontibus historicis nondum innotescit. Cf. etiam *G. Rawlinson,* History of Phoenicia, p. 54; *Th. J. Ditmar,* Ueber das Vaterland der Phoenizier, Berlin 1889.

Extendebatur Phoenice ab Eleuthero fluvio (*Nahr el-Kebīr*) austrum versus usque ad Carmelum vel etiam paululum ultra Carmelum Doram usque. Cf. *Ptolem.*

V. 15,4 [*ed. Müller-Fischer* 13,3]. Ceterum iam apud veteres extensio variabat; cf. *Strabo* XVI. 2,2; *Plin.* V. 12 (13), 67; 19. 20 (17. 18), 75-79. Urbes Phoenicum singulae singulis regibus (v. ETHBAAL et HIRAM) parebant neque unam rempublicam constituebant. Primatum dignitatis inter Phoenicum civitates tota antiquitas Sidoni attribuebat, quae etiam nomine matris Tyri, matris Aradi honorabatur. Inde ab anno 1000 a. Chr. Tyrus (v. s. v.) primatum obtinebat. In magnis regnorum Asiae anterioris conflictationibus deinceps Phoenices subditi fiebant Assyriis, Chaldaeis, Persis, Macedoniis, Ptolemaeis, Seleucidis, denique Romanis. Aevo apostolico Phoenice pertinebat ad provinciam Syriae.

Celeberrimi sunt Phoenices commercio, industria mercantili, navigatione. Laudantur eorum opera textilia (Ez. 27, 18. 21; *Homer.* Il. 6,290), panni purpurei (v. PURPURA), vasa vitrea (v. VITRUM); memorantur etiam opera fictilia *Strabo* III. 5,11; *Scylax,* Periplus 112 apud *C. Müller,* Geogr. Gr. min. I. p. 94 cum nota). — Religionem Phoenicum in Israelitas funestum influxum exercuisse abunde demonstrat historia Salomonis, Achab et Iezabel; immo iam aevo Iudicum filii Israel servierunt Baalim et Astaroth et diis Syriae ac Sidonis etc. Iud. 10,6. Principes deorum phoeniciorum erant Baal et Astarte (v. BAAL). Ex inscriptionibus phoeniciis circa 50 nomina idolorum innotescunt; cf. *Lidsbarski,* Handbuch der nordsemit. Epigraphik 1898, p. 152 ss.

De religione Phoenicum cf. *W. Baudissin,* Studien zur semit. Religionsgesch. I. et II. (1876 et 1878); *F. Baethgen,* Beiträge zur sem. Religionsgesch. 1888; *M. J. Lagrange,* Les religions sémitiques 1903, p. 70 ss. et p. 351-393 (Les mythes phéniciens); *Chantepie de la Saussaye,* Lehrbuch d. Religionsgesch. I. (1905), p. 348-383.

De Phoenicibus generatim cf. *F. C. Movers,* Phoenizier I. (1841), II. (1849-56); *C. Ritter,* Erdkunde XVI. XVII; *V. Guérin,* Galilée II. p. 180-546; *R. Pietschmann,* Gesch. der Phoenizier 1889; *H. Winckler,* Altorient. Forsch. I, 5 (1897), p. 421 ss. II. 1 (1898), p. 65 ss.; 2 (1899), p. 295 ss.; *idem,* Die Bedeutung der Phoenizier für die Kulturen des Mittelmeeres, in Ztschr. für Socialwiss. VI. (1903), p. 337 ss. 434 ss.; *G. Perrot* et *Ch. Chipiez,* Hist. de l'art dans l'antiquité III. Phénicie-Cypre, 1885.

PHOENIX. 1. Phoenix avis. Iob ex virtutum exercitio optimam spem concipit prosperae ac diuturnae fortunae dicens : In nidulo meo moriar et sicut palma multiplicabo dies (Iob. 29,18). Textum hebr. כַּחוֹל Vulg. vertit : sicut palma, Itala : sicut arbor palmae. LXX ὥσπερ στέλεχος φοίνικος i. e. sicut truncus palmae. Obvia quidem significatio vocis חוֹל est *arena;* verum traditio rabbinica asserit hoc loco phoenicem avem designari atque huic explicationi ipsa graeca versio φοίνιξ favere videtur, quae vox et palmam et avem phoenicem significat. Iam interpretes LXX palmam voluisse exprimere vix credibile est, cum alias φοίνιξ correspondeat voci תמר *palma,* nunquam voci חוֹל. Quodsi nihilominus vocem adeo notam חוֹל singulari prorsus ratione φοίνιξ expresserint, illam explicationem de phoenice ave suadere dicendi sunt, quam recentiores multi proponunt et iam proposuerunt *Malvenda, Mariana, Calmet, Pineda, Tirinus, Menochius, Vatablus,* alii. Unde vertendum erit : in nidulo meo (hebr. cum nido meo) moriar et sicut phoenix multiplicabo dies i. e. vitam longaevam eamque vegetam florentemque spero. Cf. *Knabenbauer* in Iob 29,18.

2. Phoenix (Φοίνιξ), portus Cretae respiciens ad africum et ad corum (Act. 27,12), hodie *Porto Lutro* in litore Cretae meridiano occidentem versus. Cf. *Strabo* X. 4,3; *Ptolem.* III. 17,3 [*ed. Müller-Fischer* 15,3] : Φοινικοῦς λιμήν, Φοῖνιξ (al. Φοίνιξ) πόλις; *Anonymi* Stadiasmus maris magni n. 328; *Stephanus Byz.* s. v. Φοινικοῦς; *Knabenbauer* ad Act. 27,12; *F. Vigouroux,* Nouv. Test. et les déc. mod. 1896, p. 331. 332.

PHOGOR (פְּעוֹר, חַפְּעוֹר, Φογώρ).

1. Mons Phogor (Num. 23,28), ad quem ex monte Phasga Balac duxit Balaam, ut Israelitis malediceret et qui respicit solitudinem (הַיְשִׁימוֹן, LXX τὴν ἔρημον) i. e. vallem Iordanis ad marginem ma-

ris Mortui spectantem inter septemtrionem et orientem usque ad *Wādi Ḥesbān;* est vertex in montibus Abarim et quidem in eorum parte septemtrionali seu montanis Phasga, haud procul a monte Nebo (*Djebel Nebā*) aquilonem versus quaerendus; v. ABARIM.

2. Idolum Phogor (Num. 25,18; 31, 16) seu Beelphegor (Num. 25,3. 5; Deut. 4,3; Ios. 22,17; Ps. 105 [106], 28; Os. 9, 10); vide s. v. BAAL.

3. Bethphogor (Ios. 13,20), fanum Phogor (Deut. 3,29; 4,46), Phogor (Deut. 34,6); v. BETHPHOGOR.

4. Eiusdem nominis hebraici censetur esse urbs montis Iuda (LXX Ios. 15, 59 Φαγώρ); enumeratur in quinta provincia undecim urbium montis, quae apud LXX l. c. inseritur, sed in textu massor. et in Vulgata deest et urbes prope Bethlehem et Ierusalem complectitur. Eusebius commemorat villam Phogor prope Bethlehem, ad quem Eusebii locum S. Hieronymus addit: quae nunc Phaora nuncupatur (Onom. *ed. Lag.* 300,4; 123,22). Hodie ruinae *Faghūr* meridiem versus a Bethlehem et paululum occidentem versus a via, quae Hebronem ducit (*Dillmann* ad Ios. 15,59 allegans *Seetzen, Robinson, Tobler*); cf. *Conder* and *Kitchener*, Large Map of West. Palestine, sheet XVII; Reduced Map, sheet 14.

PHOLLATHI (פַּלְטִי, Ἰαφθοσλααθί, A Φολλαθί), octavus filius Obededom (1 Par. 26,5).

PHORATHA (פּוּרָתָא, Φαραδάθα), quartus inter filios Aman, quos Iudaei occiderunt (Esth. 9,8).

PHOSECH (פָּסֵחַ, Βαισηχί, A Φεσηχί), filius Iephlat filii Heber de stirpe Aser (1 Par. 7,33).

PHRYGIA (Φρυγία), regio Asiae minoris, sita fere inter Lycaoniam, Pisidiam, Lydiam, Mysiam, Bithyniam et Galatiam proprie dictam. Ex ea quoque regione aderant in Ierusalem die effusionis Spiritus S. in discipulos (Act. 2, 10). In secundo itinere apostolico S. Paulus cum sociis Phrygiam pertransiit (Act. 16,6), item in tertio confirmans fratres (18,23), unde patet eum iam in secundo itinere ibi coetus fidelium constituisse. Phryx genere erat Philippus, amicus Antiochi IV. Epiphanis (2 Mach. 5,22; v. PHILIPPUS 3).

Limites Phrygiae multum variabant variis temporibus. Iuxta *Diodorum Sic.* 7,13 Phryges maris imperium tenuerunt 25 annis circa a. 900 a. Chr. Distinguit *Diodorus* 18,3 Phrygiam Magnam et Phrygiam ad Hellespontum; item *Strabo* XIII. 8,1 : « Phrygia altera vocatur Magna, cuius rex fuit Midas et cuius partem Galatae occupaverunt, altera Parva, quae ad Hellespontum est et quae circa Olympum, cui etiam Epicteti nomen ». Aetate romana Phrygia fere habebat limites supra indicatos, sed a Romanis inter duas provincias Asiae et Galatiae distributa distinguebatur Phrygia Asiana et Phrygia Galatica. Cf. imprimis *W. M. Ramsay,* Hist. Geogr. of Asia Minor 1890; *id.* The Church in the Roman empire 1893; *id.* Cities and bishoprics of Phrygia 1895-7.

PHUA. 1. Phua (פּוּה, Φουά, Φούτ), secundus filius Issachar (Gen. 46,13; Num. 26,23; 1 Par. 7,1).

2. Phua (פּוּאָה, Φουά), pater Thola iudicis (Iud. 10,1).

3. Phua (פּוּעָה, Φουά), una ex obstetricibus, quas Pharao iussit puerulos Hebraeorum interficere (Ex. 1,15).

PHUD (Φούδ) regio, quam Holofernes in prima sua expeditione vastavit (Iudith 2,23 graece). Coniicitur esse Pisidia vel forte colonia quaedam Libyum (Phuth) Africae. Cf. *Fl. de Moor,* Le livre de Iudith 1895, p. 40-41.

PHUL (פּוּל, Φούλ). Ex Alexandro Polyhistore, qui ipse ex Beroso (immediate vel mediate) hausit, refert Eusebius exstitisse Chaldaeorum regem cui nomen Phulus erat, quem Hebraeorum quoque historia memorat quemque item Phulum appellat; hic Iudaeam invasisse dicitur (cf. *Müller,* Fragmenta hist. gr. II. p. 503, *edit. Firmin-Didot; G. Richter,* Berosi Chald. Hist. 1825, p. 62. 77). Pariter in canone Ptolemaei Πῶρος numeratur rex Chaldaeorm. Iam satis certum

est Phul esse nomen alterum quod gessit Theglathphalasar III. Iuxta 4 Reg. 15, 19 Phul indixit Manahem regi Israel tributum; idem constat ex monumentis cuneiformibus de Theglathphalasar, qui se quoque nominat regem Chaldaeae vel Babyloniae. In canone Ptolemaei pro annis quinque (731-726 a. Chr.) ponuntur nomina duo i. e. reges duo Kinzir et Por (Pulu), quorum unus certe est rex, alter regis vicarius. Iam ex monumentis Assyriorum colligitur anno 731 Theglathphalasar a Merodach Baladan regem Babyloniae esse salutatum et ab eo quoque alium dynasten babylonicum, Kinzir, esse devictum. Unde pro eo tempore, quando ex monumentis Assyriorum Theglathphalasar in Babylonia dominatur seseque regem Babyloniae vocat, in canone Ptolemaei assignatur Πῶρος; et post quinque annos (726) in canone Ptolemai alius assignatur rex. Iam ex monumentis Assyriorum pariter eodem tempore Theglathphalasar mortem obiit. Quod legitur 1 Par. 5,26 : et suscitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum et spiritum Thelgathphalnasar (ita Vulg.) regis Assur, et transtulit Ruben et Gad etc., iam ipso loquendi modo admirationem excitat, quia duobus nominatis tamen subditur quid unus fecerit. Unde in priore membro latet mendum; versio syriaca solum fert Theglathphalasar, versio arabica solum Phul. Ceterum vide s. v. THEGLATHPHALASAR. Phul esse eundem regem cum Theglathphalasar III. vide apud *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 219 ss., ad 4 Reg. 15,19; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive I. p. 458 ss.; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, III. p. 498 ss.

PHUNON (פּוּנֹן, Φινώ), statio Israelitarum in deserto, ad quam ex monte Hor et Salmona pervenerunt et de qua profecti venerunt in Oboth (Num. 33,42-43). Idem nomen Gen. 36,41 et 1 Par. 1, 52 legitur Phinon (פִּינֹן, Φινών), quibus locis enumeratur sextus inter undecim duces Edomitarum, qui Horraeis exstirpatis totam regionem Edom occupaverant, dux Phinon. Etiam apud Eusebium et S. Hieronymum statio Israelitarum et civitas principum Edom eadem habetur : Φαινών, Phaenon, nunc viculus in deserto, ubi aeris metalla damnatorum suppliciis effodiuntur inter civitatem Petram et Zoaram (Onom. *ed. Lag.* 299, 85; 123,9). — Praeterea in Onom. sedes Dedan populi ceturaei prope metallum Phaeno (Phunon) collocantur, ut diximus s. v. DADAN 2. SS. Patres saepius commemorant metalli fodinam Phaeno, in quam christiani tempore persecutionum mittebantur; eadem postmodum erat sedes episcopalis (cf. *Reland*, Palaestina, p. 952). Hodie *Fenān* non procul a Petra septemtrionem versus in latere orientali vallis Araba. Cf. Revue biblique, 1898, p. 114.

PHUR, PHURIM (פּוּר, פּוּרִים, Φρουραί). Esth. 3,7 vox phur explicatur voce hebr. גּוֹרָל sors; item 9,24 ss. Aman scil. dicitur sortem misisse quo die et quo mense Iudaei essent interficiendi. Eius vero consilio everso et hostibus Iudaeorum occisis diebus tertio decimo et quarto decimo mensis Adar isti dies vocati sunt phurim et sollemnis eius eventus celebritas annua festum Phurim. Cf. Esth. 11,1. Verum 2 Mach. 15,36 festus ille dies appellatur ἡ μαρδοχαικὴ ἡμέρα, i. e. dies 14. mensis Adar.

Vocem פּוּר varie explicare conabantur. *P. de Lagarde* ex persico *farwardigan* prius explicare tentabat (Mittheilungen II. 380), quod tentamen postea reliquit et ad vocem mandaeam פּוּחרא i. e. convivium remisit; *Zimmern* monuit hanc vocem nil aliud esse nisi assyriacum *puhru* i. e. concio, conventus; eo nomine significari quoque concionem deorum in die primo anni novi, quo *sortes* anni novi sint definitae (cf. *Schwally*, Leben nach dem Tode, p. 42). Quod si ita est, Esth. 3,7 habetur explicatio vocis secundum rem.

PHUTH (פּוּט et Is. 66,19 mendose פּוֹל; Φούδ) recensetur Gen. 10,6 et 1 Par. 1,8 inter gentes Chamitarum. In textu hebr. Phuth aliis in locis coniungitur cum Lubim, Cush, Ludim (cf. Is. 66,19; Ier. 46,9; Ez. 27,10; 30,5; 38,5; Nah. 3,9). Apud LXX loco eius Αἰθυες, in Vulg.

Libyes, Africa ponuntur. Interpretes haud pauci omnino probabile censent tribus quasdam Phuth in illas partes Africae immigrasse quae Libya vocantur. Ita enim explicari videtur, cur LXX Λίβυες habeant; Flavius Iosephus quoque refert Phuten fundasse Libyam et incolas suo nomine Φούτους appellasse; esse quoque ait fluvium eiusdem nominis ἐν τῇ Μαύρων χώρᾳ et graecos quoque scriptores regionis Phutes mentionem facere (Ant. I. 6,2); flumen Fut *Plinius* quoque (V. 1,13) et *Ptolemaeus* (Φθούθ IV. 1,3; *ed. Müller-Fischer* IV. 1,2 Φούθ) commemorant in Mauritania Tingitana. Sed haec videntur longius esse petita.

Primus *E. de Rougé*, Recherches sur les monuments, qu'on peut attribuer aux six premières dynasties, 1866, p. 4 s. advertit nomen et gentem Phut in aegyptiaco *Punt* agnosci posse. Unde *G. Ebers*, Aegypten u. d. B. Mose's, 1868, p. 63-71 interpretans *Punt* = fugam componit Put cum nomadibus Arabiae, Aegyptiorum clientibus. E contra *H. Brugsch*, Die altaegypt. Voelkertafel, p. 38. 45. 51. 59. 66 (V. Orientalisten-Congress, Berlin 1882) contendit Puṭ = *Punt* quaerendum esse in litore aegyptiaco maris Rubri austrum versus, ubi hodie *Somali*. *W. M. Müller*, Asien u. Europa nach altaegypt. Denkmälern, 1893, p. 106-120 pluribus demonstrat Pūt = *Punt* saltem in sensu strictiore esse regionem africanam, maris Rubri oram aethiopicam australiorem.

PHUTIEL (פּוּטִיאֵל, Φουτιήλ), pater uxoris Eleazar filii Aaron, quae peperit Phinees (Ex. 6,25).

PHYLACTERIA (φυλακτήρια). Inter alia gloriae laudisque pietatis captandae exempla Christus exprobrat Pharisaeis : dilatant phylacteria sua Matth. 23,5. Dicitur quippe Ex. 13,9 : et erit quasi signum in manu tua et quasi monumentum ante oculos tuos, et Deut. 6,8 : ligabis ea quasi signum in manu tua eruntque et movebuntur inter oculos tuos; quae verba ut ad sonum litterae implerent, Iudaei gestare solebant phylacteria, quae interpres syrus eadem voce designat qua apud Iudaeos appellabantur Tephillin (תְּפִלִּין). Quae *Buxtorf* (Lex. chald. talm. rabb. col. 1743) ita describit : est lorum coriaceum duplex quod precaturi sibi alligant, unum circa caput, alterum brachio sinistro. In eius medio est cellula, cui inclusa est membranula continens inscriptos hos quattuor versiculos Scripturae Ex. 13,2. 5; Deut. 6,4; 11,13. 14. 15. Cellula ista in oratorio capitis distincta est in quattuor cellulas alias, quibus singulis una membranula convoluta includitur. Haec cellula arcte consuitur... Haec Tephilla alligatur circa caput ita ut cellula sit in media fronte, ubi pili desinunt, ut sit quasi ante oculos. Altera quae manui applicatur, alligatur brachio sinistro, ubi manui iungitur, quod ea pars vicinior est cordi et sic preces iudicentur magis ex corde proficisci aut cor in precibus magis afficiatur et ardeat. Ita ille. Ceterum loci descripti in utraque cellula ita communiter traduntur : Ex. 13, 1-10. 11-16; Deut. 6,4-9; 11,13-21. Nomen Tephillin refertur ad orationem; nomen graecum referri potest ad legis memoriam conservandam et avertendam oblivionem eius; sed etiam considerabantur saltem a Iudaeis posterioribus, instar amuletorum ad avertenda mala, praecipue ad abigendos daemones seu nocentes in universum; nam in Targum ad Cant. 8,3 legitur : dixit coetus Israel : ego electus sum prae omnibus populis, quia ego alligo tephillin manui sinistrae meae et capiti meo, infixa est scheda mezuza (i. e. postis, ita vocant rabbini schedas quas in postibus ianuarum abscondunt, *Buxtorf* l. c. 654) in latere dextero ianuae meae; tertia pars e regione thalami mei (respicit thalamum), ut non sit facultas nocenti ad me laedendum. — Eiusmodi lora itaque Pharisaei expandere, dilatare, maiora et latiora facere solebant, quo omnium oculis inferrent suam legis in memoria servandae pietatem. Flavius Iosephus (Ant. IV. 8,13) de iis ita statui scribit recitans legem Deut. 6,8. 9 : « ostiis autem suis praecipua inscribant quae eis benefecerit Deus, itidemque in brachiis quisque ostendat et quaecumque Dei potentiam indicare possunt et eius erga ipsos benevolentiam in fronte et brachio inscripta gerant, ut undique perspicuum sit Dei erga eos studium ». Iesus usum

illum non reprehendit; verum vituperat Pharisaeos quod ea faciant latiora (quam usus fert apud alios) ad suam ostentandam pietatem. Ceterum veteres iam monent locos illos Ex. Deut. esse intellegendos, ut praecepta Dei et meditentur et opere compleant (S. Hieronymus, Paschasius, Theophylactus).

I. KNABENBAUER.

PIGMAEI, Pygmaei, quae vox legitur in Vulgata Ez. 27,11, a S. Hieronymo explicata est ἀπὸ τῆς πυγμῆς, sed eo sensu, ut bellatores ad bella promptissimi intellegantur, quia graeco sermone vox in certamen vertatur. LXX vertunt φύλακες; hebr. legitur גַּמָּדִים, Targum praebet Cappadoces. Atque profecto exspectatur nomen proprium, quia in membro antecedente, cui istud est parallelum, legitur : filii Aradii erant super muros tuos. Unde *Cornill* (ad l. c.) ex Gen. 10,18 emendat legens צְמָרִים (Samaraei); *P. de Lagarde* legit sequens Targum גַּמָּרִים, quia in lingua armenica Gamir in plurali tantum usurpari solitum Cappadoces designet (Mittheilungen I. p. 211).

PIGMENTA; ita 4 Reg. 20,13 et Esth. 2,12 in Vulg. vertitur hebr. בְּשָׂמִים, quae vox alias reddi solet in Vulg. aromata (cf. Ex. 25,6. 30; 30,23; 35,28; 3 Reg. 10,2. 10; 2 Par. 16,14 — odoramenta Is. 39,2); vide s. v. UNCTIO, UNGUENTUM.

PIGNUS v. ARRHA.

PILA. Soph. 1,11 : ululate, habitatores pilae, i. e. mortarii (הַמַּכְתֵּשׁ). Eo nomine partem urbis Ierusalem designari et veteres et recentiores fatentur. Quaenam sit pars, ex ipso nomine colligunt; et alii quidem putant designari urbem inferiorem in valle depressa, vallem scil. Tyropoeon, quae inter collem Acram in parte occidentali et montem Moria in orientali parte protenditur; alii aiunt intellegi partem superiorem eiusdem vallis, quae hodie vocatur *el-Wād*. Ea in valle fuisse forum rerum venalium et mercatorum domus concludi potest, cum l. c. continuo sequatur : conticuit omnis populus Chanaan (mercatorum). Notione mortarii vox etiam adhibetur Prov. 27,22.

Alia plane vox legitur in Vulg. Is. 22,18 : quasi pilam (Dominus) mittet te (Sobnam) in terram latam et spatiosam i. e. quasi sphaeram, globum, turbinem, rhombum. Explicatur Sobnam proiectum iri in exsilium in terram longinquam, quam poenam ei infligere eumque a dignitate deturbare res sit facillima, ac si vir proiiceret pilam.

PILATUS (Πειλᾶτος, Πιλᾶτος). Ab anno 6-41 p. Chr. procuratores romani septem administrabant Iudaeam. Quintus eorum erat Pontius Pilatus ab anno 26-36 p. Chr., de quo praeter evangelia etiam ex Iosepho et Philone constat. In epistula Agrippae I. quam Philo refert Pilatus esse dicitur indolis inflexibilis, durissimae, crudelis, superbae; et accusatur corruptelae, rapacitatis, iniustitiae, quia iudicio non instituto capitis damnet et saevitiam plane intolerabilem depromat (cf. *Philo*, de legatione ad Caium 38, *ed. Mangey* II. 590; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3 I. p. 488 ss.). Hisce non dissonant quae apud Iosephum referuntur. Ita Pilatus fecit quod nemo procuratorum ante eum fecerat; signa militaria cum effigie Caesaris in urbem intulit, ut leges iudaicas aboleret et Iudaeos cogere tentavit praesentem mortem minatus, ut rei eousque inauditae acquiescerent (Ant. XVIII. 3,1; Bell. iud. II. 9,2. 3); item ad aquaeductum construendum pecuniam sacram templo dicatam cum Iudaeorum maxima offensione impendit; insuper quia ea de re acrius conquerebantur, a militibus, quos habitu iudaico et occultos sub veste fustes habentes sese turbis inserere iusserat, male habiti, fustigati, partim trucidati sunt (Ant. l. c. 2; Bell. iud. l. c. 4). Ex Luca 13,1 discimus Galilaeos quosdam, dum sacrificiis offerendis in templo essent intenti, iussu Pilati occisos esse, « quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum »; quam iniuriam causam fuisse aliqui opinantur inimicitiarum inter Herodem et Pilatum, de quibus refertur Luc. 23,12. Simile quoddam facinus postea quoque commisit,

cum Samaritanos ad montem Garizim magno agmine ascendentes a militibus dispergi et occidi iuberet (Ant. XVIII. 4,1), quae iniuria occasio fuit, ut tandem a Vitellio Romam proficisci iuberetur, ut ad obiecta a Iudaeis crimina coram imperatore responderet.

In historia passionis Domini primo se praebet contemptorem Iudaeorum (Ioan. 18,31); perspicit quidem accusationem rebellionis esse conflictam (cf. Ioan. 18, 33-38); at simul advertens quam maxime interesse sacerdotum et Pharisaeorum ut Iesus condemnaretur, rem ingratam a se removere tentat mittens Iesum ad Herodem (Luc. 23,6 ss.). At frustra. Iesus ab Herode ad eius denuo mittitur tribunal et duces Iudaeorum vehementius expostulant condemnationem. Contra eos agere Iesumque quem innocentem esse ter declaravit pro sua potestate dimittere non audet, timens offendere duces Iudaeorum, quos non in se vult irritare, ne forte se accusent; nam Pilatus male sibi conscius est crudelitatis et iniustitiae. Unde diverticula quaerit; plebem appellat, quam sibi Iesum postulare liberum sperat. Qua tergiversandi ratione audaciores et impudentiores fiunt duces Iudaeorum, ignaviam et timiditatem procuratoris bene perspicientes. Quare frustra eos emollire vel iis satisfacere studet castigatione et flagellatione Iesu. Tandem ei minantur accusationem quod auctoritatem Caesaris non satis tueatur, quibus minis cedit; sed qua est superstitione, lotis manibus se putat purgare posse et a se removere scelus sanguinis innocentis effusi (cf. Matth. 27,15 ss.; Luc. 23,15 ss.). Indignationem suam de ducibus Iudaeorum et stomachum satis prodit seligens eam inscriptionem et titulum qui Iudaeis maxime ingratus esse debuit et aspere negans ullam eius immutationem (Ioan. 19,22). Cum lege romana statueretur, ut corpora damnatorum ad sepulturam concederentur cognatis vel amicis (*Quintil.* Declam. 6,9. 21; *Ulpianus*, Digest. 48,24,1; cf. *Friedlieb*, Archaeologie der Leidensgeschichte, 1843, p. 170; *Wetstein* ad Matth. 27,58), corpus Iesu facile concessit Iosepho ab Arimathaea. Et cum principes sacerdotum et Pharisaei eum iterum adeant: iube custodiri sepulcrum, statim se ab eis expedire studet et fatigatus eosque contemnens ait: habetis custodiam; ite custodite sicut scitis (Matth. 27, 64. 65).

Olim non licuit magistratibus romanis uxores (Matth. 27,19) in provincias abducere; verum ex tempore Augusti mos contrarius invaluit et frustra conatus est Tiberio imperatore Severus Caecina legem illam antiquam denuo in morem inducere (cf. *Tacitus*, Annal. 3, 33 s.).

Pilatus a Vitellio Romam missus eo advenit Tiberio iam vita functo. Refert Eusebius (H. E. 2,7 et Chronic. *ed. Schoene* II. 150 s.) provocans ad scriptores graecos et romanos Pilatum in multas incidentem calamitates propria se manu interfecisse. Idem narratur in evangelio apocrypho : Mors Pilati (*Tischendorf*, Evang. apocr. 1876, p. 456 ss.), ubi varia fabulosa adduntur. Secundum alios a Nerone capitis damnatus dicitur (*Malalas*, *ed. Dindorf*, p. 250 ss.; Chronicon pasch. *ed. Dindorf* I. 459; *Ioannes Antiochenus* apud *Müller*, Fragmenta histor. graec. IV. 574; *Suidas*, Lex. s. v. Νέρων); immo in apocrypho Παράδοσις Πιλάτου sub Tiberio capitis damnatur bonus factus christianus (*Tischendorf*, Evang. apocr. p. 449 ss. cf. *Schürer* l. c. I. p. 492. 493).

I. KNABENBAUER.

PILOSI (שְׂעִירִים, δαιμόνια) Is. 13,21 et 34,14 inter varia animalium genera enumerantur, a quibus regiones olim cultae, verum in deserta redigendae incolentur. Eadem voce hebr. qua proprie designantur hirci, haedi, contemptim appellantur idola Lev. 17,7; 2 Par. 11, 15. Ad Is. 13,21 adnotat S. Hieronymus : « Vel incubones vel satyros vel silvestres quosdam homines, quos nonnulli fatuos (faunos?) ficarios vocant, aut daemonum genera intellegunt ».

PINCERNA (מַשְׁקֶה) Gen. 40,1 vel potius pincernarum praefectus (שַׂר הַמַּשְׁקִים, ἀρχιοινοχόος) Gen. 40,2, in textu coptico *refuoth*, explicari solet per titulum in antiquis textibus aegyptiacis usi-

latum *ān utḫu*, quo non pincerna sensu strictiore, sed administrator triclinii designatur (*Naville*, *Wiedemann* apud *H. J. Heyes*, Bibel u. Aegypten I. 1904, p. 170 ss.). Monumenta aetatis posterioris etiam pincernam proprie dictum in aula regia exhibent; cf. *H. Brugsch*, Die Aegyptologie, p. 223; *Lumbroso*, Recherches sur l'économie politique de l'Égypte sous les Lagides, p. 211. In aula Artaxerxis I. regis Persarum Nehemias (1,11) erat pincerna (οἰνοχόος).

PINNA, PINNACULUM. Diabolus Iesum statuit super pinnam templi (Luc. 4,9), super pinnaculum templi (Matth. 4,5) i. e. statuit eum in fastigio, in parte extima tecti templi, ut scil. inde delapsus quasi caelitus advectus videretur et turbae admirationem sibi conciliaret; nam populari opinione credebatur : Christus cum venerit, nemo scit unde sit (Ioan. 7,27). Alii istud πτερύγιον in aedificio quodam templo adiecto quaerunt, in porticu Salomonis (cf. *Flav. Ios.* Ant. XX. 9,7) vel in porticu regio (στοὰ βασιλική), ex cuius tecti summitate aspectus patebat ad profunditatem immensam, εἰς ἀμέτρητον τὸν βυθόν (l. c. XV. 11,5).

PINUS. 1. Pinus explicatur in Vulgata imprimis nomen heb. אֹרֶן, quod semel tantum in S. Scriptura occurrit (Is. 44,14). Ob soni affinitatem plerosque *oren* in *ornum* vertisse animadvertit *Hiller* (I. 367). At reiecta hac arbore, quae in Palaestina non nisi in Libano montibusque septemtrionalibus invenitur, ac pariter refutatis acere et sorbo (*Ursinus*) et lauro talmudistarum (ערי, *Löw*, p. 299) atque cedro (assyr. *erinu*), ipse *Hiller* et plerique recentiores cum LXX (πίτυς) et Vulgata *pinum* retinent. Tres eius species in Palaestina crescunt, *Pinus pinea* L., *P. halepensis* Mill., *P. brutia* Tenore (fam. *Coniferae*). At cum propheta dicat « *plantavit* pinum », textus potius de *P. pinea* ubique propter dulces nuces culta intellegendus videtur; cuius lignum statuis faciendis satis aptum erat. — De specie « arboris arabicae, spinosae, bacciferae » Arabibus *arān* dictae, quam cl. *Celsius* pro *oren* proponit et *Tristram* etiam ut possibilem admittit, nil certi videtur constare.

Cf. de pinu *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2, p. 924-30; *E. Boissier*, Flora orient. V. 694-6; *G. E. Post*, Flora of Syria 750; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 1,70-4. — Praeterea cf. *I. H. Ursinus*, Arb. bibl. 115-122; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 367-9; *O. Celsius*, Hierobot. I. 185-93; *W. Gesenius*, Thes. I. 152-3; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,242-4; *P. Cultrera*, Flora bibl. 418; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, p. 335 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, p. 229. 244; *J. Smith*, Bible Plants 107 s.; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen, p. 299; *W. H. Groser*, Trees and plants ment. in the Bible 38 s.

2. Pinus praeterea legitur pro hebr. תִּאַשּׁוּר Is. 60,13, quod in eadem prophetia 41,19 *buxus* explicatur, supposito quod idem ordo verborum in utroque textu et loco servatus sit. V. BUXUS.

3. Denique ligna pinea vocantur עֲצֵי אַלְגֻּמִּים 2 Par. 2,8[7], quae alibi thyina dicuntur; vide THYINUM LIGNUM.

L. FONCK.

PISCINA. Ad aquas imbrium et fontium colligendas et asservandas construebantur piscinae vel lacus; cf. Eccle. 2,6 : et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium. Piscinae commemorantur in Gabaon (2 Reg. 2,13), in Hebron (2 Reg. 4,12), in Samaria (3 Reg. 22,38); in Ierusalem piscina superior (4 Reg. 18,17; Is. 7,3), piscina vetus (Is. 22,11) et piscina inferior (Is. 22,9), de quibus v. s. v. IERUSALEM III. 5 in vol. II. col. 679 ss.; piscina Siloe (Neh. 3,15; Ioan. 9,7. 11; cf. Is. 8,6 et v. SILOE); probatica piscina, Bethsaida (Vulg.) Ioan. 5,2, de qua v. BETHSAIDA piscina in vol. I. col. 656-9. Mentio fit Cant. 7,4 piscinarum in Hesebon. Comparatur quoque Ninive propter multitudinem militum piscinae aquarum (Nah. 2,8), idque eo aptius quia urbs Ninive accadice ita scribitur, ut domus piscis explicetur (cf. *Strassmaier*, Verzeichniss der akk. assyr. W. n. 6238. 6261).

Aquaeductus hierosolymitanos vide apud *M. Hagen*, Atlas biblicus Tab. 20

et 22; de aquis Gihon v. GIHON; de piscinis Salomonis prope *Urṭās* cf. etiam s. v. ETAM 2.

PISCARI, PISCES. Piscatio fiebat hamo (Is. 19,8; Hab. 1,15; Iob 40,20; Matth. 17,26), sagena i. e. reti maiore, quo in aquam immisso et expanso pisces multi simul concluduntur (Is. 19,8; Hab. 1,15; Matth. 13,47), reti minore (חֵרֶם, δίκτυον, ἀμφίβληστρον; cf. Ez. 26,5. 14; 47,10; Hab. l. c.; Matth. 4,18. 20; Luc. 5,4 etc.); fiebat quoque noctu (Luc. 5,5; Ioan. 21,3). Lege statuitur : omne quod habet pinnulas et squamas tam in mari quam in fluminibus et stagnis comedetis; quidquid autem pinnulas et squamas non habet, abominabile vobis (Lev. 11,9-12). Apud Romanos quoque pisces squamis carentes a sacrificiis exsulabant; cf. *Plin.* XXXII. 2 (10), 20. In aquis Aegypti pisces repertos esse multos et bonos, clarum est ex Num. 11,5; Is. 19,8; Ez. 29,4; in lacu Genesareth copiam piscium saepius esse captam, ipsa narratione evangelica proditur (Luc. 5; Ioan. 21). « Varia in eo sunt piscium genera figura et sapore ab alterius loci piscibus diversa » (*Flav. Ios.* Bell. iud. III. 10,7) et in fonte qui Capharnaum ab incolis appellatur pisces reperiri Coracino (qui in Alexandrina palude alitur) similes, unde fontem illum esse venam Nili nonnullos existimasse narrat Iosephus l. c. n. 8. Tyrios ad forum hierosolymitanum asportasse pisces, immo eos in sabbatis filiis Iuda vendidisse, Nehemias non sine dolore refert (Neh. 13,16). In ipsa urbe porta una ad murum septemtrionalem haud procul a turre Hananeel appellabatur porta piscium, quod sane documentum est piscium copiam in urbem esse allatam (cf. 2 Par. 33,14; Neh. 3,3; 12,38; Soph. 1,10). Pisces quoque sale conditos et asservatos esse, ipso nomine urbis Tarichaearum iuxta litus australe lacus Genesareth indicatur (ταριχεία, salsura; de urbe cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. III. 10,1; *Strabo* XVI. 2,45; *Robinson,* Palaestina III. p. 513. 518. 547).

Apud *H. B. Tristram,* Fauna and Flora of Palestine 1884 enumerantur, p. 162-177, *Freshwater fishes, Sub-class* Teleostei, ordo Acanthopterygii cum familiis : Blenniidae, Mugilidae; ordo Pharyngognathi cum familia Chromidae (Chromis niloticus, Ch. Tiberiadis, Ch. Andreae, Ch. Simonis, Ch. Flavii Iosephi, Ch. microstomus, Ch. Magdalenae, Hemichromis sacra); ordo Physostomi cum familiis : Siluridae, Cyprinodontinae, Cyprinidae (Capoeta damascina, Cap. syriaca, Cap. fratercula, Cap. socialis, Cap. amir, Cap. sauvagei, Barbus canis, B. beddomii, B. longiceps etc.), Muraenidae (Anguilla vulgaris).

Piscis grandis quem Deus praeparavit ad Ionam deglutiendum (Ion. 2,1) olim communiter existimabatur balaena, contra quam opinionem advertunt *Sanctius, Corn. a Lapide, Menochius,* aliique balaenam etsi oris hiatu grandi polleat, tamen gula esse angustiore. Quare a recentioribus interpretibus censetur esse squalus (gallice *requin,* germanice *Hai*), v. g. *Carcharias glaucus* Cuvier, qui in mari Mediterraneo frequens est et usque ad 3,5-4,5 m. excrescit (cf. varia quae citat *Knabenbauer* ad Ion. 2,1). Piscis qui Tobiam aggressus est, potest censeri silurus, piscis fluvialis, maximae molis, audacia insignis, qui in quodcumque animal, etiam in hominem grassatur; potuit attrahi branchia et in viaticum sale condiri; fel ad oculorum albugines extergendas utile credebatur (cf. *Bochartus,* Hieroz. pars post. lib. 5, cap. 14, p. 748 ss. Francofurti ad Moenum 1675). Ex Siluridis reperiuntur plurimae species in aquis dulcibus regionum calidiorum, praesertim in Africa, Indiis orientalibus et regionibus Asiae intermediis. Cf. *Leunis-Ludwig,* Zoologie I. (1885) § 537.

PISIDIA (Πισιδία), regio Asiae minoris, quam S. Paulus in primo itinere apostolico peragravit (Act. 13,14; 14, 23). Sita erat septemtrionem versus a Pamphylia et Lycia usque ad terminum meridianum Phrygiae; pertinebat ab anno 33 a. Chr. ad romanam provinciam Galatiam.

PISTACIAE, scil. nuces arboris *Pistacia vera* Linné, a recentioribus communiter intelleguntur nomine בָּטְנִים, de quo v. TEREBINTHUS 2.

PISTOR v. PANIS.

PLACENTA. Commemorantur in libris sacris placentae mellitae (צַפִּיחִת בִּדְבַשׁ, Vulg. simila cum melle, LXX ἐγχρὶς ἐν μέλιτι) Ex. 16,31; placentae adipatae (לְבִיבוֹת, Vulg. sorbitiunculae, LXX κολλυρίδες) 2 Reg. 13,6. 8. 10, fortasse in figuram cordis redactae vel ex aliquorum opinione genus quoddam operis pistorii tenue et convolutum, gall. *omelette*, angl. *pancake;* placentae ex ficubus siccis confectae (דְּבֵלִים) seu palathae 1 Reg. 25,18; 30,12; 4 Reg. 20, 7; 1 Par. 12,40; Is. 38,21; placentae uvarum (צִמּוּקִים, צִמֻּקִים, Vulg. ligaturae seu alligaturae uvae passae) 1 Reg. 25,18; 30,12; 2 Reg. 16,1; 1 Par. 12,40. Eiusmodi placentae uvarum (אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים) erant alimentum languentium (Cant. 2,5), praesertim in itinere (2 Reg. 6,19; 1 Par. 16,3) et etiam idolorum symbolis insignita idolisque oblata in epulis sacrificalibus comedebantur (Os. 3,1). Ex Ier. 7,18; 44,19 colligitur efformatas esse placentas (כַּוָּנִים, LXX χαυῶνας), reginae caeli (Istar, Astarte) in modum cornuum, quibus vel figura lunae vel taurus Astartae sacer exprimeretur. Cf. *P. Scholz,* Goetzendienst u. Zauberwesen p. 300.

PLAGAE AEGYPTIACAE. Plaga dicitur frequenter de poenis a Deo inflictis, de morbis molestis v. g. de lepra. Maxime notandae sunt decem plagae aegyptiacae (Ex. 7,14-12,36). Iis cor Pharaonis se indurare dicit Deus, quia rege liberationem populi Israel promittente auferens singulas plagas praescit regem ad priorem reversurum esse contumaciam et cor suum denuo induraturum plaga transacta; quare saepius ve rissime dicitur : « et ingravatum est cor Pharaonis » vel : « videns Pharao, quod data esset requies, ingravavit cor suum » (cf. Ex. 8,15. 32). Plagae autem ad ipsius regionis indolem et naturam exactae sunt; similibus enim calamitatibus regionem quandoque affligi constat. Miraculum igitur in eo cernitur, quod plaga a Moyse annuntiatur, quod iubente Moyse desinit, quod ipsa plaga solito maior est et multo gravior ac vehementior, quod tot plagae variae brevi temporis spatio inter se excipiunt, quod Israelitae eorumque regio a plagis erant plane immunes. Mira quoque arte Deus singulas plagas sic disposuit, ut secundum veterum concipiendi modum omnes mundi visibilis provinciae ac virtutes cum Iahwe contra Pharaonem dimicarent. Qua ratione plagae aegyptiacae eventibus naturalibus comparari possint et variis mundi visibilis provinciis ac virtutibus correspondere videantur, illustrabit schema subsequens, de quo cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Ex. Lev. p. 83 ss.

Primum anni tempus, quod dicitur inundatio, a die 20. Iulii ad diem 20. Novembris :

Binarius primus :
Plagae ex aqua
Ex. 7,14-8,15.

Prima plaga : aqua in sanguinem conversa 7,14-24. Moyses Pharaoni nomine Iahwe portentum praenuntiat. Mox per Aaronis virgam aquae fluminis (Nili) et aquae cum flumine connexae canalium et paludum mutantur in colorem sanguineum fiuntque piscibus et hominibus insalubres. Magi aegyptiaci portentum in quibusdam aliis aquis imitantur. Pharao induratus perseverat. « Incipiente fere Iulio mense tam fluminis quam canalium aquae turbantur, viridescunt, foetorem edunt, vermibus scatent fiuntque hominibus, non vero piscibus insalubres. Coloris viridis rationem assignant materiam e paludibus Aethiopiae advectam. Post aliquos dies aquae transeunt in colorem sanguineum, sunt vero omnino potabiles et salubres. Colorem aliqui repetunt ex humo e flumine aliquo Aethiopiae advecta, alii fortasse probabilius ex animalculis quibusdam infusoriis. Verum materia illum colorem continens subsidet in campis superioris Aegypti, ut color ille sanguineus in Aegypto media et inferiore haud observetur. Hoc phaenomenon primae plagae utique est affine..... Primam plagam non posse intellegi de solo illo consueto rubescentium aquarum phaenomeno,

indubie efficitur inde, quod illud phaenomenon *consuetum* fuerit, quotannis certo tempore eoque facile computando recurrens, ergo *signi* rationem minime habuerit. Quodsi igitur plagam cum eo phaenomeno conferre lubeat, dicendum erit phaenomenon consuetum obtigisse modo *insueto,* non in superiore solum, sed etiam in inferiore flumine, atque ea intensitate, ut aqua sanguinei coloris, quae secus salubris est, non hominibus tantum, sed vel ipsis piscibus facta sit lethalis » (*F. de Hummelauer* l. c. p. 84. 85 s.). Alii vero ad litteram explicandum esse censent aquam in sanguinem esse mutatam.

Secunda plaga : ranae 7,25-8,15. Tempore annuae inundationis Aegyptus ranis abundare solet. Portentum igitur non tam in re quam in modo agnoscendum est. Ad vocem Moysis ascendunt ranae in maxima copia ex aquis corruptis fluvii itemque canalium et paludum ; intrant domos tam principum quam plebeiorum, cum tot essent numero, ut neque satis spatii neque satis alimenti sub divo reperirent; penetrant usque ad lectum Pharaonis, ad furnos et ad alveos pistorios, in quibus massa asservabatur; Aegyptios munditiei amantissimos undique molestant. Plagam auxerunt magi per incantationes suas, sed ranas auferre non valebant. Pharao Moysis apud Iahwen intercessionem expetit. Mortuae sunt ranae de omnibus praeter aquas locis. Ex acervis autem ranarum putrescentium orta sunt varia genera insectorum, quibus tertia et quarta plaga Aegyptiis infligitur; Pharao enim promissa mox revocavit.

Binarius secundus :
Plagae e terra
Ex. 8,16-32.

Tertia plaga : sciniphes 8,16-19. « Portentum erat in culicum infinito numero ad nutum Aaronis pullulantium; item in eo, quod illud omnes magorum artes excedere indubie agnosceretur. Probabilius, uti prima plaga secundae, ita haec tertia quartae aequalis exstitit, ut nonnisi una tandem cum muscis etiam sciniphes exterminarentur. Pharao immotus permansit » (*F. de Hummelauer* ad h. l.). Est haec quoque plaga condicionibus Aegypti naturalibus adaptata; mensibus enim Octobri et Novembri culices ad instar pulveris excitati circumvolitant, ova humo spargunt, pungendo magnos tuberes excitant, ut somnum carpere homines nequeant nisi conopeo seu tenui velo circumvoluti.

Quarta plaga : muscae 8,20-32. Dominus per Moysen praenuntiat plagae gravitatem ac tempus simulque terrae Gessen exemptionem a plaga. Muscae in ipsas domos penetrant sicut antea ranae. Pharao concedit sacrificium Hebraeorum extra fines Aegypti offerendum, sed mox concessa revocat. In Aegypto muscae adeo frequentes sunt, ut Isaias (7,18) Aegyptios muscas vocet. Ab austro quandoque myriades muscarum advehuntur, haud raro in unum pagum irruunt vicino pago abstinentes, homines ac pecora molestant, ophthalmiam causare solent, immo aliquae sunt etiam perniciosae.

Binarius tertius :
Plagae ex igne (?)
Ex. 9,1-12.

Quinta plaga : pestis pecorum 9,1-7. Eximitur terra Gessen, omnia quae moriuntur animalia fuerunt Aegyptiorum. Pecudum pestis in Aegypto dici nequit esse periodica; sed interdum in Delta aegyptiaco tanta erat, ut boves ex Syria et insulis Archipelagi accersendi fuerint. Miraculo igitur adscribendum est, quod a Moyse praenuntietur et efficiatur.

Sexta plaga : cutis eruptiones 9,8-12. Moyses ex mandato Domini cinerem spargit versus quattuor caeli partes, quo symbolo significatur plaga caelitus omni Aegypto immittenda, morbus cutis in iumentis et hominibus. Varii eius generis morbi Aegyptios molestare solent praesertim tempore inundationis Nili. Causas morborum aliqui assignant aquas corruptas (*Volney,* Voyage en Syrie et en Égypte, 1792, I. p. 145-6; *Niebuhr*, Reisebeschr. I. 131), alii vero aestum (*Sonnini,* Reisen II. 334; *Wittmann,* Reis. II. 106); cessante aestu cessare morbum cutis testatur etiam *U. J. Seetzen*, Reisen *ed. Kruse* III. 377 et cf. 204 s. 209. Frequenter in Aegypto scabies tam animalia quam homines

afficit; cf. *Pruner*, Krankheiten des Orients p. 105. 112 s. 142.

Secundum anni tempus, quod dicitur germinatio segetis, a die 20. Novembris ad diem 20. Martii ;

Binarius quartus :
Plagae ex aëre
Ex. 9,13-10,20.

Septima plaga : grando 9,13-35. « Priores plagae sex omnes cum fluminis inundatione quadamtenus connectebantur. Ubi iam illud anni tempus advenit, cui a germinatione segetum nomen, contra segetes convertitur Dei indignatio. Quae portentorum classis sollemne v. 13-16 exordium habet, quo simul a praecedentibus evidentius discernitur. Ipsa septima plaga illustriore stilo describitur. De ea futura non sine ironia v. 17-19 Pharao edocetur, dies et hora indicitur, portenti magnitudo v. 23-25 vividius describitur; ad Moysis nutum incipit portentum, eo orante cessat; quam intercessionem efflagitaverat Pharao » (*F. de Hummelauer* ad h. l.). Portentum eo evidentius a Iahwe factum cernitur, quo rarius grando in Aegypto fieri solet; cf. *Pruner*, Krankheiten des Orients, p. 36; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. p. 333.

Octava plaga : locustae 10,1-20. Praenuntiat Moyses locustas destructuras esse eam cerealium partem, quae grandinem evaserat, sive quod tempore grandinis nondum germinasset (triticum, spelta etc.), sive quod grando certis finibus continetur. Vento orientali e Sinaitide seu Arabia locustae advehuntur, ad intercessionem Moysis vento a mari Mediterraneo flante in mare Suph proiiciuntur. Locustae frequentissimae sunt in regionibus Orientis, nubium instar quandoque solem obscurant, herbas ac folia devorant, vento advehuntur et asportantur; Syriam et Arabiam imprimis vehementer molestant; in Aegypto, uti monumenta et exploratores testantur, plaga locustarum rarior quidem est, sed non ignota. Cf. *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. p. 334-340.

Tertium anni tempus, quod dicitur messis, a die 20. Martii ad diem 20. Iulii :

Binarius quintus :
Plagae e caelo
Ex. 10,21-12,36.

Nona plaga : tenebrae 10,21-29. Universam Aegyptum excepta terra Gessen tenebrae occupant per tres dies. Pharao Hebraeos sine gregibus dimissurus postulata Moysis denegat, Moysen a conspectu suo abigit. Tenebrarum etiam causa naturalis in Aegypto habetur. In Africa septemtrionali ex desertis meridianis flat ventus vehementissimus, qui in Algeria appellatur *simun* i. e. venenum, in Italia *scirocco*, in Hispania *solano*. Arabes in Aegypto eundem ventum appellant *khamsīn* i. e. quinquaginta, quoniam per quinquaginta dies furere solet scil. circa veris aequinoctium ab exeunte mense Martio usque ad medium mensem Maium; neque tamen per illos 50 dies continuos flat, sed biduis, triduis, quatriduis interiectis. Ex deserto Libyae advehens ingentem copiam ardentis arenae secum fert, solem obscurat, immo etiam magnos commeatus arenis obruit, sicuti exercitum Cambysis contra Ammonios missum (Herod. 3, 26). Cf. *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. p. 341-347.

Decima plaga : interitus primogenitorum Aegypti 11,1-12,36. « Cum probabile sit priorem cuiusque binarii plagam perseverasse durante posteriore eiusdem binarii plaga, pari iure coniiciat quis, nonam etiam plagam decimae exstitisse aequalem. Non ulla igitur intercessit lux inter atroces illas tenebras luctuosamque illam mediam noctem. Hebraei pro epulo paschali iam antea (12,3) omnia paraverant, inter decimam et quartamdecimam diem mensis intercessit triduum 10,22; secundum Sap. 18,1 tenebrae regionem Gessen non occupaverant » (*F. de Hummelauer* ad Ex. 11,1 ss.).

Plaga annuntiatur 11,1-10; lex Phase a Deo fertur 12,1-20 et a Moyse promulgatur 12,21-28; plaga describitur 12, 29-36. Coniiciunt fuisse pestem. Poterat haec quoque plaga ab eventu aliquo naturali esse profecta. Sed veri nominis portentum evincunt praedictio Moysis, interitus primogenitorum una dimidia

nocte per totam Aegyptum secutus, praeservatio Hebraeorum.

PLANITIES, prout variis vocibus hebr. exprimitur, varias regionis partes designat. Voce מִישׁוֹר et מֵישָׁר designatur generatim regio plana, praecipue vero planities montana inter Arnonem fluvium et Hesebon (Deut. 3,10; 4,43; Ios. 13,9. 16. 17. 21; 20,8; Ier. 48,8. 21; 2 Par. 26,10). — Voce בִּקְעָה designatur generatim vallis aperta, late patens et in specie campus in terra Sennaar (Gen. 11,2), campus Iericho (Deut. 34,3), planities Libani subter montem Hermon (Ios. 11,17; 12,7) i. e. planities ad meridiem et occidentem Caesareae Philippi vel etiam *Merdj ʿAyūn*, campus Maspha ad radices Hermon (Ios. 11,3. 8), campus Aven (Am. 1,5) i. e. campus Damasci vel probabilius Coele Syria, hodie *Beqāʿa*, inter Libanum et Antilibanum (v. AVEN 1), campus Mageddo (Zach. 12,11; 2 Par. 35,22), campus Ono (Neh. 6,2) i. e. *Kefr ʿAnā* prope Lyddam. — Voce עֲרָבָה designatur generatim regio deserta et cum articulo plerumque vallis in utraque ripa Iordanis inferioris et maris Mortui usque ad sinum Aelaniticum (v. ARABA). — Voce שְׁפֵלָה designatur generatim regio plana et imprimis regio depressa a Ioppe usque ad torrentem Aegypti (v. s. v. IUDA 2).

PLANTAE. 1. *Textus S. Scripturae.* Scientia de plantis apud Israelitas non magis invenitur quam aliae scientiae theoreticae. Salomo quidem narratur 3 Reg. 4,33 disputasse de omnibus lignis, a cedro quae est in Libano usque ad hyssopum quae egreditur de pariete. Sed nusquam se produnt cognitiones quae rationes vitae practicae excedant. Immo de plantis ipsis minus se videntur occupasse quam e. g. de animalibus. In historia creationis considerantur ut tegumentum terrae nec proprii diei opus constituunt (Gen. 1,11 s.); distinguuntur in herbas et ligna (ib. cf. Ex. 9,25). Ordo quidam aestimationis arborum apparet in fabula Ioatham de eligendo rege lignorum (Iud. 12,8-15), utique iuxta utilitatem. Hic enim finis plantis erat praestitutus, ut essent in escam hominibus et cunctis animantibus (Gen. 1,29 s.). Non solum autem in paradiso Deus produxerat omne lignum ad vescendum dulce, sed et pulchrum visu (Gen. 2,9). Postquam vero peccavit homo, qui positus fuerat, ut operaretur et custodiret paradisum voluptatis (Gen. 2,15), terra maledicta in opere eius spinas et tribulos ei germinabat, ut in laboribus comederet ex ea cunctis diebus vitae suae (Gen. 3,18 s.). Et haec fere sunt quae innumeris locis per S. Scripturam redeunt: plantae victum ac partim vestitum homini praebent, visui eius placent ac multiplici modo vitae humanae fata repraesentant, sed et cultus earum laborem ei exhibet. Quae autem homini sunt pretiosa, inter munera quoque quae Deo offeruntur conspicuum habent locum. Quae oculos eius delectant, ea in ornamentum quoque cedunt sanctuarii. Eo vero ab animalibus differunt, quod nihil in eis invenitur immundi, quod hominem coinquinet; nihil cuius imago, ut animalium figurae, prohibeatur aut a sanctuario excludatur. Atque ita factum est, ut et in omni lingua figurata plantae amplissime adhibeantur quae aut magnitudinem aut pulchritudinem et suavitatem, sed simul quoque quae fragilitatem et caducitatem terrenarum rerum depingant. Nec privata tantum contemplatio naturae in cedris et palmis, in liliis et rosis, in herbis et graminibus absorbebatur, sed etiam praecipua festa annua intime cum vita vegetationis ligantur: pascha cum initio messis frumenti, pentecoste cum eius fine, festum tabernaculorum cum collectione olivarum et uvarum. Oppugnatur autem a prophetis cultus ille idololatricus, qui in lucis et sub arboribus frondosis saepe a populo exercebatur (cf. s. v. LUCUS). Abraham vero et ipse plantavit nemus (tamaricem) in Bersabee, et invocavit ibi nomen Domini Dei aeterni (Gen. 21,33), antequam scilicet Deus certum locum assignasset, ubi ipse coleretur.

Catalogum plantarum quae inveniuntur in sacro textu v. s. v. ARBORES et ARBUSTA et s. v. HERBAE; de singulis cf. proprios articulos.

Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. A. 71-76; *F. Lundgreen*, D. Benutzung d. Pflanzenwelt i. d. alttest. Religion (Beih. z. Zeitschr. f. d. altt. Wissensch. XIV.) 1908; *A. Wünsche*, D. Bildersprache d. Alt. Test. 1906; *K. Furrer* ap. *Schenkel* Bibellex. s. v. Pflanzenreich; *G. E. Post* ap. *Hastings*, Dict. of the Bible s. v. Natural history; *K. C. W. F. Bähr*, Symbolik d. mosaischen Cultus 1837-39; *V. Thalhofer*, D. unblutigen Opfer d. mos. Cultes 1848; *J. H. Kurtz*, D. alttest. Opferkultus 1862.

2. *Exploratio plantarum biblicarum.* Duae distingui possunt sectiones inter eos qui plantis aliisve rebus naturalibus S. Scripturae operam dederunt. Alii, generatim veteres, imprimis studuerunt directe textus illustrare atque mediis maxime philologicis nominum sensus determinare, usum litterarium variarum rerum comparative proponere; ad rerum vero ipsarum elucidationem nonnisi data occasione et raro recurrunt. Studia haec vel ipso titulo librorum fere distinguuntur, cum a plantis etc. « biblicis » denominari soleant. Alii, magis scientiae rerum incumbentes, in regionum biblicarum condiciones sive botanicas sive alias inquisiverunt, ita ut non solum praebeant legentibus S. Scripturam auxilium quasi lexici realium, sed intimiorem et cohaerentem cognitionem ipsarum rerum quas sacri auctores commemorant. Haec utique tractari non poterant, antequam scientiae ipsae naturales ad debitam pervenissent evolutionem. Magna vero pars laboris scientifici adhuc praestanda est, ut scilicet non solum nostri temporis de his rebus scientia tradatur, sed etiam ideae de rebus naturalibus, quales veteres sive scriptores sive lectores sacri textus habebant componantur historice. Huius studii quaedam initia, a rationalistis maxime, facta sunt relate ad ea quae dicuntur cum evolutione religionis cohaerere; at generatim sobrietas historica in iis maxime desideratur.

Aetate Sanctorum Patrum quaestiones de rebus naturalibus, de plantis et similibus vix vel incidenter tractatae sunt. Hoc eo facilius intellegitur, quod plerique allegoricae interpretationi se dedicarunt. Specimen modi, quo talia considerabantur, videre est apud S. Eucherium Lugdunensem (Formulae spiritalis intelligentiae, sub nn. IV. VII. et : Instructionum lib. II. — *Migne*, Patr. lat. 742 C ss. et 811 C ss. Cf. edit. *C. Wotke*, Corp. scr. eccl. lat. Vindobonae 1894). Clavis Melitonis (*Eus.* H. E. 426 — *Migne* XX. 392 B), quae fortasse de his quoque quaestionibus agebat, interiit. Nihilominus exemplum accuratioris tractationis e primis exegeseos christianae annis est disputatio Iulium Africanum inter et Origenem de arboribus πρῖνος et σχῖνος in historia Susannae (Dan. 13, 54 s. 58 s. — *Migne* XI. 41-85). Alterum exemplum famosum exstat in dissidiis de hedera vel cucurbita in historia Ionae (Ion. 4,6 ss.). Neque Patres neque peregrini, qui inde a temporibus Constantini loca sancta adire coeperunt, ad cognitionem plantarum biblicarum multum conferunt; et ex iis qui post expeditiones cruciatas Palaestinam visitarunt solus *Iacobus de Vitriaco* (Historia Hieros. l. I. c. 85, ap. *Bongars*, Gesta Dei per Francos I. B. 1099 s. Cf. *R. Röhricht*, Bibliotheca geograph. Palaestinae 1890, n. 121,) nominandus est (cf. *E. H. F. Meyer*, Gesch. d. Botanik IV. 1857, p. 110-13).

Inde vero a tempore renatarum scientiarum maior attentio tribui coepit rebus botanicis aliisque naturalibus condicionibus Terrae Sanctae, quando harum rerum periti plagas orientales visitarunt. Inter hos eminet *P. Belon du Mans*, Les observations de plusieurs singularitez et choses mémorables trouvées en Grèce, Asie, Judée, Égypte, Arabie et autres pays estranges, redigées en trois livres. Paris 1553 (de editionibus cf. *Röhricht* l. c. n. 678. Quantum fieri potest prima publicatio tantum indicabitur etiam in sequentibus). Huic accedit *L. Rau(ch)wolff*, Aigentliche beschreibung der Rais, so er vor dieser Zeit gegen Auffgang inn die Morgenländer... vollbracht..., Augsburg 1581 (*Röhr.* 758). *Alpinus* vero, qui scripsit De plantis Aegypti... Venetiis 1592 (cf. *J. G. Th. Graesse*, Trésor I. 86 b), plantas biblicas theologis reliquit. E visitantibus Palaestinam *Phil. a SS. Trinitate* (*Röhr.* 1001) et *B. de Monconys* (*Röhr.* 1062; deest in indice s. v. Botanik) plantas in inscriptionibus se tracta-

turos promittunt. Plus vero elucidationis attulerunt *Th. Shaw* (*Röhr.* 1352), *J. B. Tavernier* (*Röhr.* 1053), *J. Chardin* (*Graesse* II. 121 b), *L. d'Arvieux* (*Röhr.* 1113) et maxime *J. P. Tournefort* (*Graesse* VI. B 180 b), donec *Fr. Hasselquist*, Iter Palaestinum, *ed. C. Linné* Stockholm 1757 (*Röhr.* 1435) pro veterum studiis litterariis de plantis, ipsarum substituit investigationem plantarum; eodem fere tempore, quo et *J. F. Gronovius*, ex herbario olim a *Rauchwolff* allato et Lugduni Batav. adhuc servato edidit: Flora orientalis..., Lugd. Bat. 1755 (*Röhr.* 758 C s. v. *Rau(ch)wolff*), et primum publicatum est *A. Russell*, Natural history of Aleppo, London 1756 (*Röhr.* 1460), et sub auspiciis cl. *Linnaei B. J. Strand* scripsit: Flora Palaestinae... Upsaliae 1756 (*Röhr.* 1461).

Usque ad illa vero tempora ratio tractandi plantas biblicas fuerat prorsus alia. Cum inde a saec. 16. antiquitates aliaeque S. Scripturae res investigari inciperent, praevalebant considerationes symbolicae ac morales. Ita comparati fere sunt: *L. Lemnius*, Similitudinum ac Parabolarum quae in Bibliis ex Herbis atque Arboribus desumuntur dilucida Explicatio, Antwerpiae 1569 (*Graesse* IV. 159 b; opus reimpressum in: *I. Tirinus*, In univ. S. Script. comment., Venetiis 1774 LXX-XCIV); *F. B. Amico*, Trattato delle piante..., Roma 1609 (*Röhr.* 837); *I. Meursius* (iunior), Arboretum sacrum, Leodii 1642 (*C. G. Jöcher*, Allg. Gelehrten-Lex. 1750 s. v.; reimpressum ap. *R. Rapin* S. I., Horti ed. Utrecht 1672); *I. H. Ursinus*, Arboretum biblicum; *id.*: Arboreti biblici continuatio, Norimbergae 1663 (*Röhr.* 1124); *Mauril de Saint-Michel*, Phytologie sacrée..., Angers 1664 (*Graesse* IV. 449 a); *A. Cocquius*, Historia ac contemplatio sacra plantarum..., Vlissingae 1664 (*Röhr.* s. v. *Cosquius* 1125; *Jöcher* s. v. *Cocq*); *W. Westmacott*, Theobotanologia or a Scripture herbal, London 1694 (*M. Gandoger* ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bible I. 1868); *M. Hillerus*, Hierophyticon *ed. S. Pfister*, 2 vol. Traiecti ad Rhen. 1725 (*Röhr.* 1307); *I. I. Scheuchzer*, Physica sacra..., *ed. I. A. Pfeffel*, 4 vol. Augspurg und Ulm 1731-35 (*Graesse* VI. A 300 a)... Modo magis sobrio in ipsas plantas tantum inquisivit, utique imprimis ex fontibus litterariis hauriens, etiam arabibus, quos *Abulfadli* congesserat, *O. Celsius*, Hierobotanicon, 2 vol. Upsaliae 1745-47 (*Röhr.* 1422). Hic liber veterum cognitiones excellenter complectitur, ita ut in suo genere dicendus sit classicus. Denique accedit *I. Gessner*, Phytographia sacra, 2 vol. Turici 1759-73 (*Gandoger l. c.*).

Non est huius loci colligere ea quae de plantis dicta leguntur in geographiis, velut apud *A. Relandum* l. I. cc. 56. 57 (*Röhr.* 1312), vel encyclopaediis, velut ap. *A. Calmet* (*Röhr.* 1349), vel in dissertationibus de re rustica, velut *B. Ugolino* (Thesaur. XXIX. 1-520), aut de fertilitate Palaestinae, velut *J. T. Brugge*, Dissert. philolog. de fertilitate atque sterilitate Terrae Canaan, Traiecti ad Rhen. 1743 (*Röhr.* 1413), similibus (cf. *Röhr.* 1510. 1512. 1529. 1530). Alii coeperunt illustrationes, etiam botanicas, ad S. Scripturam ex itinerariis colligere, e. g. *B. L. Eskuche*, Erläuterungen der heil. Schrift aus morgenländischen Reisebeschr. 2 vol. Lemgo 1745-55 (*Röhr.* 1423); *Th. Harmer*, Observations on various passages of Scripture..., London 1764 (*Röhr.* 1478). Notissimum huius generis opus est *E. F. K. Rosenmüller*, Das alte und neue Morgenland, 6 vol. Leipzig 1818-20 (*Röhr.* 1667). Alia occasione data in ipsis commentariis ad s. textum occurrunt, vel in apparatibus biblicis et libris isagogicis, v. g. *B. Lamy*, Apparatus biblicus l. III. c. 3, Venetiis 1756 (cf. *Röhr.* 1204).

Nova explorationum scientificarum epocha incipit a finibus saec. 18. Imprimis *C. Niebuhr* scripsit Beschreibung von Arabien, Kopenhagen 1772 (*Graesse* IV. 674 b) et: Reisebeschr. nach Arabien, 3 vol. Copenhagen 1772-1837 (*Röhr.* 1484); idemque edidit socii sui defuncti *P. Forskal*, Flora Aegyptiaco-Arabica, Hauniae 1775 (*Graesse* s. v. *Niebuhr* IV. 674 a). Ex itinerariis huius temporis citari solent *C. S. Sonnini*, Voyage dans la haute et la basse Égypte, 3 vol. Paris an VII (1800 — *Graesse* VI. A 439 a), *G. A. Olivier*, Voy. dans l'empire Ottoman, 6 vol. Paris 1801-07 (*Röhr.* 1550), *Aucher Eloy*, Relations de voyages en

Orient..., *ed. M. le Comte Jaubert*, 2 vol. Paris 1843 (*Röhr.* 1745). Prae ceteris vero *U. J. Seetzen* (*Röhr.* 1615), cuius observationes variis locis prodierunt, *G. Brocchi* (*Röhr.* 1704), *Bové* (*Röhr.* 1762), *W. M Clure Thomson* (*Röhr.* 1813), *J. Russegger* (*Röhr.* 1825) nominandi sunt, cum vel ipse *E. Robinson* (*Röhr.* 1885) atque etiam magis *T. Tobler* (*Röhr.* 1824) prae topographicis et archaeologicis rationibus generatim res naturales satis neglegant, et *Robinson* geographiam physicam non perduxerit usque ad floram Palaestinae. Alios vide apud *E. Boissier*, Flora or. I. p. XXI-XXV. Pleraque composuit *C. Ritter* in : Allgemeine Erdkunde 2 *ed.* XIV-XVII., Berlin 1848-55 (*Röhr.* 2179).

Directe plantas tractaverunt in hac periodo *J. J. La Billardière*, Icones plantarum Syriae rariorum..., Lutetiae Paris. 1791 (*Röhr.* 1545); *C. B. Clarke*, List of all the plants coll. in Greece, Egypt and the Holy Land, London 1823 (*Gandoger* l. c.); *I. S. Duncan*, Botanical Theology, 2 *ed.* Oxford 1826 (*Gandoger* l. c.); *J. Taylor*, Bible Garden, 2 *ed.* London 1839 (*Gandoger* l. c.); *H. F. Jaubert* et *E. Spach*, Illustrationes plantar. orient., 5 vol. Paris 1842-57 (*Graesse* III. 454 b); *M. Tallcott*, Scripture Herbal, London 1842 (*Gandoger* l. c.); *J. Decaisne*, Enumération des plantes recueillies dans les deux Arabies, la Palestine, Paris 1845 (*Gandoger* l. c.); *J. Young*, Trees and flowers in Scripture, London 1848 (*Gandoger* l. c.); *A. Pratt*, Plants and Trees of Scripture, London 1851 (*Gandoger* l. c.); *R. Tyas*, Flowers from the Holy Land..., London 1851 (*Röhr.* 2264); *D. Gorrie*, Illustrations of Scripture from botanical science, London 1853 (*Gandoger* l. c.); *R. E. Griffith*, Anhang ap. *W. F. Lynch*, Bericht ü. d. Expedition d. Ver. Staaten..., ed. germ. *N. N. W. Meissner*, Leipzig 1854 (cf. *Röhr.* 2175); *E. Cosson* et *Kralik*, Catalogue des plantes observées en Syrie et en Palestine par *MM. de Saulcy* et *Michon*..., Paris 1854 (*Röhr.* 2361); *Habeeb Risk Allah Effendi*, The thistle and the cedar of Lebanon, *ed.* 2 London 1854 (*Röhr.* 2370); *J. H. Balfour*, The plants of the Bible, Edinburgh 1857 (*Gandoger* l. c.); *id.* Phyto-Theology, 3 *ed.* Edinb. 1859 (ib.); *P. Cultrera*, Flora biblica..., Palermo 1861 (ib.); Botanique biblique, Genève 1861 (ib.); *H. T. Osborne*, Plants of the Holy Land, Philadelphia 1861 (ib.); *Th. Kotschy*, Umrisse v. Südpalästina i. Kleide d. Frühlingsflora; *id.*, die Sommerflora des Antilibanon; *id.*, Der Libanon und seine Alpenflora in : Verh. d. k. k. bot. Gesellsch. Wien 1861 et 1864; *Figari-Bey*, Studi scientifici sull 'Egitto e sue adjacente, 2 vol. Lucca 1864-65 (*Röhr.* 2818); *G. Blessner*, Flora sacra, New York 1864 (*Gandoger* l. c.); *V. Cesati*, Piante di Terra santa, Vercelli 1866 (ib.).

Quae in geographiis et similibus de plantis dicuntur omitto, praecipui vero qui integram historiam naturalem tractaverunt hi nominentur : *T. M. Harris*, Natural History of the Bible, 12 *ed.* Boston 1820 (*Gandoger* l. c.); *W. Carpenter*, Scripture Natural History, London 1828; latine ap. *Migne*, Curs. Script. Sacr. III. 491-790; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterthumskunde IV. A. Leipzig 1830 (cf. *Röhr.* 1667); *J. Kitto*, The phys. geogr. and natural History of the Holy Land, 2 vol. London 1841 (*Röhr.* 1953); *M. F. Mande*, Scripture Natural History, London 1848 (*Gandoger* l. c.); *F. A. Cox*, The Geogr., Topogr. and natural History of Palestine (*Röhr.* 2281); *J. Young*, Scripture Natural History, 3 *ed.* London 1859 (*Gandoger* l. c. 1869); *J. Duns*, Biblical Natural Science, 2 vol. London 1863-65 (*Gandoger* l. c.); *H. B. Tristram*, Natural History of the Bible, London 1867 (*Röhr.* 2798,6.)

Eodem anno publicari coepit *E. Boissier*, Flora orientalis, 6 vol. Genève 1867-88. Speciatim de Palaestinae exploratione optime meruit *H. B. Tristram*, cuius socii *B. T. Lowne* ex priore expeditione et *W. Amherst Hayne* ex posteriore publicarunt investigationes suas botanicas, alter in Journ. of the Linnean Soc. Bot. 1866 IX. 201-08 (*Röhr.* 2906), alter ap. *Tristram*, The Land of Moab, Appendix C, p. 389-400. Ipse vero *Tristram* in : Survey of Western Palestine composuit volumen : The Fauna and Flora of Palestine, London 1884

(*Röhr.* 2798, 15), cui accessit in eodem opere volumen alterum : *H. C. Hart*, Some account of the Fauna and Flora of Sinai, Petra and Wâdy'Arabah, London 1881 (cf. Ztschr. d. D. Pal.-Ver. 1892, 114). Facile vero princeps inter auctores est *G. E. Post*, qui cum Beryti resideret post multorum annorum studium confecit : Flora of Syria, Palestine and Sinai..., Beirut s. a. (1896 — cf. *Röhr.* 3084 et Ztschr. d. D. Pal.-Ver. 1900, 79 ss.). Hoc tempore plura etiam de plantis scripta sunt in : Palestine Exploration Fund, Quarterly Statements inde ab anno 1869 et in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. ab anno 1878, quorum enumeratio limites huius articuli excederet. Ab 1878-1895 in voluminibus respectivis Ztschr. d. D. Pal.-Ver. cum aliis etiam scripta de botanica Palaestinae enumerantur; de sequentibus annis mox relationem exhibebit *P. Thomsen* in bibliographia quae citatos articulos usque ad nostra tempora continuabit. Praeterea de recentioribus studiis botanicis agunt in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. 1883, 219-29 *P. Ascherson*, qui fusius tractat librum *E.* et *W. Barbey*, Herborisations au Levant..., Lausanne 1882, et herbarium quod in Palaestina collegit *O. Kersten*, denique ib. 1900,79-92 *H. Christ*. Ex his temporibus addi possunt : Flowers and Fruits of Palestine, London. Magaz. 1867, XLVII. 36 ss. (*Röhr.* 2962); *F. Hamilton*, La botanique de la Bible, Nice 1871 (*Röhr* 3172); Biblische Naturgeschichte, Calw 1874 (*Röhr.* 3313); *J. A. Paine*, Natural History. A list of plants..., Pal. Epl. Soc. New York 1873, 93-130.133-48 (*Röhr.* 3261,3. 4); *H. Zeller*, Feldblumen aus dem hl. Land, Basel 1875 (*Gandoger* l. c.; *J. Smith*, Bible plants..., London s. a. (1878 — *Gandoger* l. c.); *L. Haynald*, Die Gummiharze enthaltenden Pflanzen der Hl. Schrift (hungarice) Klausenburg 1879; *C. J. v. Klingräff*, Palästina u. seine Vegetation, in : Oesterr. bot. Zeitschr. XXX. 1880 (*Gandoger* l. c.); *I. Loew*, Aramäische Pflanzennamen, Leipzig 1881 (ib.); *Selah Merrill*, Fruit Culture in Palestine, U. S. Consul. Rep. Washington 1884; *id.* The natural history of Palestine, Athenaeum 1886, 10. Jul. (*Röhr.* 3318,26 et 33); *M. Gandoger*, Plantes de Judée, in : Bull. de la Soc. botanique de France XXXIII, XXXV, XXXVI, Paris 1884 86,89 (ib.); *O. Ankel*, Grundzüge der Landesnatur des Westjordanlandes, Frankfurt a. M. 1887; *W. A. Groser*, The trees and plants in the Bible, London 1888 (ib.); *A. E. Knight*, Bible plants and animals, London 1889; *L. Fonck*, Streifzüge durch die biblische Flora, Freiburg 1900; *J. Wimmer*, Palästinas Boden mit seiner Pflanzen-und Tierwelt, Köln 1902; *A. A. Temple*, Flowers and Trees of Palestine, London 1907.

Comparari etiam possunt, quae de plantis monumentorum Assyriae et Aegypti scripserunt : *E. Bonavia*, *Schweinfurth*, *Loret*, *Moldenke* (cf. *Fonck*. Streifz. XI. — XIII.) et *V. Hehn*, Kulturpflanzen und Haustiere, 6. *ed.* Berlin 1894 aliaque de botanica populorum classicorum.

Cf. praeter supra citata : *G. B. Winer*, Handb. d. theol. Literatur, 3 *ed.* Leipzig 1838; *L. Diestel*, Gesch. d. Alten Testamentes i. d. christl. Kirche, Jena 1869.

H. I. CLADDER.

PLATANUS (עַרְמוֹן, πλάτανος) est una ex arboribus, quarum virgis Iacob uuss est, ut e pecoribus Laban plurima gignerentur varii coloris Gen. 30,37. Ob ramorum amplitudinem cum regno Assur comparantur Ez. 31,8 platani (עַרְמֹנִים, LXX ἐλάται i. e. pinus). Sapientia describitur Eccli. 24,19 tamquam platanus exaltata (addit Vulgata : iuxta aquam in plateis). Rabbini inepte castaneam interpretantur (cf. *O. Celsius*, Hierobot. I. p. 512 ss.; *M. Hiller*, Hierophyt. I. p. 402 s.), quae in Palaestina et Syria non crescit nisi exotica in plantariis Libani (*H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible 1889, p. 345). Ad Gen. 30,37 et Ez. 31,8 Targum דלוב et Peshitta דולבא interpretantur. Eadem voce *dulb* hodie quoque ab Arabibus designatur *Platanus orientalis* Linné, quae in Palaestina et Syria frequens est iuxta aquas et altitudinem 20 m vel etiam maiorem attingit; cf. *G. E. Post*, Flora of Syria 1896, p. 734; *E. Boissier*, Flora orient. IV. p. 1161-2.

PLATEAE civitatis (Gen. 10,11) v. RECHOBOTH IR.

PLEIADES v. STELLAE.

PLUMARIUS. Ea voce redditur חֹשֵׁב Ex. 26,1. 31 (quae alias vertitur polymitarius Ex. 35,35 et 38,23 etc.); ceterum frequenter רֹקֵם Ex. 26,36; 27, 16; 28,39; 35,35; 36,37; 38,18. 23; 39, 28. Adhibetur iis in locis vox utraque de arte textrina. Priore voce designatur ars qua in bysso retorta fila vel stamina trium colorum (hyacinthina, purpurea, coccina) ita arte textrina texuntur, ut figurae cherubim efformentur Ex. 26,1. 31 hebr., vel ut cum filis illis albis, hyacinthinis etiam fila aurea iungantur Ex. 28,6; 39,3. Altera voce designatur generatim ars texendi fila diversi coloris, quae dicitur ars seu opus phrygionium, phrygium, cum existimatum sit artem eam in Phrygia primum esse inventam. Cf. *Plinius* VIII. 48,196 ; « pictas vestes acu facere Phryges invenerunt, ideoque phrygioniae appellatae sunt; aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus rex, unde nomen Attalicis; colores diversos picturae intexere Babylon maxime celebravit ».

PLUMBUM (עוֹפֶרֶת et עֹפֶרֶת, μόλιβος et μόλιβδος) iam in Pentateucho legitur Ex. 15, 10 : submersi sunt quasi plumbum (Aegyptii) et Num. 31,22 una cum auro, argento, aere, ferro, stanno. In plumbi laminis stilo ferreo scriptitari solitum erat, ut in sermone tragico ac sublimi Iob 19,24 aperte supponitur (de interpretationibus v. *Knabenbauer* ad h. l.); cf. *Tacit.* Ann. 2,69 : nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum; *Pausan.* IX. 31,4. Fatuo nihil esse gravius ac molestius enuntiatur comparatione Eccli. 22,17 [12] : plumbo quid est gravius? et 47, 20 [18] recensetur Salomonis laus : ut plumbum complesti (multiplicasti) argentum. Recensetur plumbum inter metalla viliora, quae argento admixta sunt Ier. 6,29; Ez. 22,18. 20 et inter divitias, quas negotiatores Tyri de Tharsis (Tartesso in Hispania austro-occidentali) ad nundinas et fora Tyri afferebant Ez. 27.12. — De voce אֲנָךְ, quam etiam plumbum aliqui interpretantur, vide s. v. STANNUM.

PODERES (ποδήρης) vestis est ad pedes usque pertingens, vestis talaris. Dicitur de veste sacerdotali summi sacerdotis Sap. 18,24; intellegitur tunica illa quae describitur Ex. 28,31-34; 39, 20-24, ex qua descriptione etiam percipitur, cur dicatur Sap. l. c. in ea veste totum fuisse orbem terrarum. Vox habetur quoque in Vulg. Eccli. 27,9 : si sequaris iustitiam, apprehendes illam et indues quasi poderem honoris; Apoc. 1,13 Filius hominis cernitur vestitus podere; graece etiam saepius legitur Ex. 28,4; Eccli. 45,9 etc.

POENA. Multiplices poenas Deus legis transgressoribus minatur, invasionem hostium, direptionem bonorum, servitutem, sterilitatem terrae, morbos omnis generis, incursionem bestiarum; cf. Lev. 26,14-39; Deut. 28,15-68; quae qua ratione in noxios evenerint, satis testatur historia sacra (cf. lib. Iudic.; 1 Reg. 7,3; 4 Reg. 17,7-23; 2 Par. 12, 2; 21,13 ss. etc.). Praeterea variis criminibus variae poenae proponuntur, quae a iudicibus erant infligendae. Ita poena mortis. Haec infligebatur lapidatione (vide s. v.) v. g. in eos qui de semine suo Moloch offerebant, in incantatores et divinatores (Lev. 20,2. 27), in idololatras (Deut. 13,6-11; 17,5), in blasphemos (Lev. 24,14), in violatores sabbati (Num. 15,35), in filios contumaces (Deut. 21,21), in adulteros et puellam fornicariam (Deut. 22,21. 24), immo etiam in bovem cornupetam (Ex. 21,28. 32). Et sunt qui censeant intellegi lapidationem quotiescumque in lege dicatur : interficietur, sanguis super eum. Atque poena mortis multis sceleribus proponitur : ita homicidio, parricidio, ei qui hominem raptum vendiderit, ei qui admonitus bovem cornupetam non recluserit, qui sole orto furem occiderit, maleficis (Ex. 21,12. 15. 16. 17. 29; 22, 3); eadem poena variis flagitiis contra castitatem statuitur Lev. 20,9-18. Videtur poena mortis etiam combustione statui Lev. 20,14 (ubi « vivus » utique in hebr. non legitur neque apud LXX) et Lev. 21,9. Utique sunt qui combustio-

nem fieri solius cadaveris volunt ad maiorem ignominiam criminis, eo scil. modo, quo ad opprobrium poenae augendum cadaver mortui in patibulo quandoque appendebatur (Deut. 21,22. 23); sed cum iam Gen. 38,24 legatur : producite eam (quae fornicata est), ut comburatur, ea poena Israelitis ignota non fuit; quare non est, cur l. c. ab obvio sensu verborum recedatur. Combustio cadaveris facta est postquam Achan est lapidatus (Ios. 7,15. 25). Ad eiusmodi maiorem ignominiam etiam mutilatio cadaverum fiebat (cf. 2 Reg. 4,12). Poena mortis gladio quoque inferebatur : percuties habitatores urbis illius in ore gladii et delebis eam ac omnia quae in illa sunt usque ad pecora (Deut. 13,15; agitur de urbe idololatra); cf. 1 Reg. 15,33 : et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.

Aliud poenarum genus statuebatur lege talionis : oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore (Ex. 21,24. 25; Lev. 24,20); manus mulieris qua apprehendit verenda viri debuit abscindi (Deut. 25,11. 12). Testis mendax eadem poena afficiendus erat, qua alterum suo falso testimonio plecti voluit (Deut. 19,19). Alia poena verberibus constabat; ita in delicto cum serva (Lev. 19,20) et Deut. 25,2 in universum praecipitur : sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent et coram se facient verberari; pro mensura peccati erit et plagarum modus, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant. Plagas esse inflictas baculo, ex eo concludere licet, quia frequens in castigationibus est baculi שֵׁבֶט mentio; cf. Prov. 10,13 (hebr.); 13,24; 23,13; 26,3 ubique in hebr. (in Vulg. virga). Castigatio quae calumniatori uxoris est infligenda (יִסְּרוּ) verberibus probabilissime fiebat, unde bene Vulg. verberabunt illum Deut. 22, 18. In novi foederis libris etiam flagellatio in synagogis commemoratur (Matth. 10,17) et Paulus de se narrat : a Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis caesus sum (2 Cor. 11,24. 25); cf. Act, 5,40; 22,19; 26,11.

Aliud poenae genus a iudicibus infligendum erat mulcta pecuniaria; ita calumniator uxoris (praeter verbera) centum siclos argenti solvere debebat patri uxoris (Deut. 22,19). Fur debuit duplum eius quod furatus erat restituere; qui damnum intulit, illud reparare et restituere debuit (Ex. 22,4-14); qui depositum negaverit vel vi quidquam extorserit, rem inventam non reddiderit, debuit cuncta integra restituere et insuper quintam partem domino solvere (Lev. 6,2-5) et si non fuerit qui recipiat, dabunt Domino et erit sacerdotis (Num. 5,8) et insuper oportuit arietem in sacrificium offerre (l. c.). Maior quoque restitutionis mensura imponitur, si fur bovem vel ovem iam occiderit aut vendiderit : quinque boves pro uno bove, quattuor oves pro una reddet (Ex. 22,1; 2 Reg. 12,6); qui virginem violaverit, dabit patri eius quinquaginta siclos argenti et eam accipiet in uxorem, quam nunquam licet dimittere (Deut. 22,28; cf. Ex. 22,16). Qui in rixa alium percusserit, debet ei restituere damnum emergens et impensas in medicos (Ex. 21,19); qui mulierem praegnantem percusserit ita ut abortum fecerit, solvet quantum maritus postulaverit et arbitri iudicaverint (Ex. 21,22).

Poena carceris lege mosaica non statuitur; Lev. 24,12 reus solum custoditur, « donec nossent quid iuberet Dominus ». Sed eiusmodi poena, quae in Aegypto infligebatur (Gen. 39,20; 40, 3 ss.; 41,10; 42,19), postea quoque apud Israelitas in morem est inducta; ita Ieremias saepius libertate privatus tenetur captivus, mittitur in nervum 20,2; 32,2; 36,5; mittitur in lacum lutosum 38,6; item Hanani propheta mittitur ab Asa in nervum 2 Par. 16,10 et Esdr. 7,26 carcer, exsilium tamquam ordinariae poenae statuuntur. Unde in libris novi foederis carcer inter punitiones consuetas exhibetur; Ioannes Baptista mittitur in carcerem (Matth. 11,2), debitores carcere mulctantur (Matth. 18,30), apostoli in carcerem mittuntur (Act. 5,18. 21; 12,4), Saulus fideles tradebat in

custodiam (Act. 8,4; 22,4; 26,10). Christus commemorat poenam immersionis in mare Matth. 18,6.

Alia poenarum genera commemorantur quae apud extraneos in usu erant : igne frigere, in Babylonia (Ier. 29,22), qui cruciatus etiam tempore persecutionis per Antiochum factae adhibebatur 2 Mach. 7,5; mitti in fornacem ardentem, in lacum leonum (Dan. 3,20; 6,7. 16; 14,30); τυμπανίζειν, ἐπὶ τὸ τύμπανον προσάγειν τινά, tympano cruciare, fustibus lorisque hominem super rotam (?) extensum diverberare (2 Mach. 6,19; Hebr. 11,35); crucifixio (Matth. 27,32; v. CRUX); custodia militaris, qua quis cum milite se custodiente alligabatur catena (cf. Act. 28,16).

Tempore belli in victos et captivos saepius horrenda supplicia exercebantur; cf. Iud. 8,7. 16; 2 Reg. 12,31 (1 Par. 20,3); 2 Par. 25,12; 4 Reg. 8, 12; 15,16; Am. 1,13; Is. 13,16. 18; Os. 14,1.

POENITENTIA (ita in editionibus Vulgatae, alias paenitentia). In libris veteris foederis hac voce variae dictiones hebr. redduntur, imprimis שׁוּב 3 Reg. 8,33 agentes poenitentiam, hebr. revertuntur ad te (Domine), in v. 47 si egerint poenitentiam in corde suo, hebr. si redierint ad cor (i. e. si eos poenituerit); similiter 2 Par. 6,24. 37; et 2 Par. 7,14 si egerit poenitentiam a viis suis pessimis, hebr. si redierint a viis suis malis; item Ier. 18,8 et Ez. 18,21. 30; 33,14. Ad notionem poenitendi proxime accedit hebr. נָחַם; unde ea vox saepius in Vulg. declaratur; cf. Iud. 21,6 ducti poenitentia et v. 23; 1 Reg. 15,29; Iob 42,6; Ier. 8,6; 18,8. 10; 31,19. Etiam נכנע i. e. humiliari in Vulg. redditur poenitentiam agere 2 Par. 33,12. 19. Verum longius a notione poenitentiae receditur Iob 42,10 et Lament. 2,14, ubi שְׁבוּת ea voce in Vulg. redditur, pariter בּטה Iob 24,23 et מִקְוֶה Esdr. 16,2; immo etiam notioni laudandi Deum et nomen eius praedicandi substituitur notio poenitentiae Lev. 5,5 et 3 Reg. 8,35.

Ponitur poenitentia pro poena, gr. ἀνταπόδομα Eccli. 48,8 : qui ungis reges ad poenitentiam (i. e. ad poenam; cf. 3 Reg. 19,15; 4 Reg. 8,12, per quos scil. mala aliis infligantur); et pro gr. ἐπιστροφή Eccli. 49,3 : ipse (Iosias) directus est divinitus in poenitentiam gentis i. e. ut reduceret populum ad cultum Dei ab idololatria. Notio poenitendi exprimitur Sap. 19,2 voce μεταμελεθῆναι et Eccli. 33, 20. Ceterum vox graeca eo significatu communis et usitata est μετάνοια. μετανοεῖν, qua quidem per se immediate enuntiatur mentis mutatio, resipiscentia, mentem in melius mutare, animum emendare; at simul iuncta est notio doloris ac detestationis errorum et peccatorum, uti usu quoque scriptorum profanorum comprobatur; ita *Lucianus* de Saltat. 84 ἀνανήψαντα μετανοῆσαι ἐφ' οἷς ἐποίησεν, ὥστε καὶ νοῆσαι ὑπὸ λύπης. *Plutarchus* μετάνοιαν dicit esse λύπην δι' ἀλγηδόνος etc. Quem autem noxarum vere poenitet, is quoque paratus est et promptus, ut eas in se ipso puniat et pro culpis admissis satisfaciat. Quare voce poenitentiae rite exprimitur μετάνοια, de qua loquuntur et quam praecipiunt Ioannes Baptista, Christus, apostoli (cf. Matth. 3,2. 8. 11; 4,17; 11, 22 in cilicio et cinere poenitentiam agere etc. Act. 2,38; 5,31 etc. Rom. 2,4 etc. 2 Petr. 3,9; Apoc. 2,5 etc.). Poenitentiam de peccatis admissis tamquam praeparationem et aditum ad regnum messianum prophetae quoque indicant; cf. Ier. 3,21-25; Ez. 16,61; Dan. 9,5; Mich. 7,9.

POLENTA (קָלִי; 1 Sam. 17,17 קָלִיא; Ios. 5,11 קָלוּי partic. pass. a קָלָה; LXX plerumque ἄλφιτον) vi vocis hebr. est frixum, tostum scil. frumenti, imprimis tritici hordeique grana tosta, quibus Hebraei vescebantur Lev. 23,14 (LXX πεφρυγμένα χίδρα νέα); Ios. 5,11; Ruth 2, 14; 1 Sam. 17,17; 25,18; 2 Sam. 17,28; Iudith 10,5. Bis legitur קָלִי 2 Sam. 17, 28; prius vertitur in Vulgata polenta, alterum vero frixum cicer. Unde Rabbini distinguendum esse dicunt tostum ex frugibus et tostum ex leguminibus. Hodie quoque in Syria et Aegypto grana frumenti a ruricolis comeduntur, postquam in frixorio tosta vel etiam una cum aristis igni tradita et cribrata sunt.

P. Forskal, Flora aegyptiaco-arabica *ed. C. Niebuhr,* 1775, p. LIII. de zea (germ. *Mais*, gall. *maïs, blé de Turquie*) adnotat : Spicae assatae edules, sapidae. Cf. *F. Hasselquist,* Reise nach Palaestina *ed. C. Linnaeus,* 1762, p. 191; *U. J. Seetzen,* Reisen *ed. Kruse* I. p. 94; III. p. 221; *E. Robinson,* Palaestina. II. p. 660; *id.* Neuere bibl. Forsch. p. 215. Apposite monet *O. Celsius,* Hierobot. II. p. 232 : « Fuisse pulmentum quoddam ex tritico tosto paratum, Scriptura tacente, non erat temere asseverandum ».

POLYMITUS, POLYMITARIUS. Saepius ita explicatur hebr. חֹשֵׁב; vide s. v. PLUMARIUS. Appellari polymita ait *Plinius* VIII. 48 (74),196 ea quae plurimis liciis texta sunt. In Vulg. legitur vox quoque Gen. 37,3. 23 de tunica Ioseph, hebr. פַּסִּים, quam vocem 2 Reg. 13,18. 19 in Vulg. redditam invenimus *talaris:* recentiores explicant de tunica manicata. Quod habetur Ez. 16,13 vestita es polymito, hebr. מֻשִׁי, explicandum erit de veste subtili (ita vox in v. 10 declaratur, Vulg.) vel secundum Rabbinos de veste serica; S. Hieronymus notat Symmachum polymitum dixisse, ἄνθιμον Aquilam. Demum Ez. 27,24 etiam רִקְמָה redditur in Vulg. polymita.

De 2 Reg. 21,19 : Filius Saltus polymitarius vide s. v. ADEODATUS.

POMA, fructus arboris seu ligni (פְּרִי עֵץ, καρπὸς ξύλου, ὁ καρπὸς τῶν ξύλων) Gen. 1,29; Ex. 10,15; Lev. 23,40 distinguuntur a frugibus agri (פְּרִי הָאֲדָמָה), quibuscum inter fructus terrae (פְּרִי הָאָרֶץ) computantur.

Fructus arborum, arbustorum et fruticum in s. litteris memorantur : amygdala, capparis, cidonia (si forte cum malo sub uno nomine comprehenditur; v. MALUM), colocynthis, coriandrum, cucumeres, dactylus (quatenus palma memoratur), faba, ficus, glans (quatenus quercus memoratur), iuniperus (v. MYRICA), labrusca (fructus vitis silvestris), malogranatum (malum punicum), malum, mandragora, morum, nux, oliva, pepo, pistacia (v. TEREBINTHUS 2), siliqua, sycomorum, uva.

Praeter leges de decimis et primitiis quaedam quoad fructus arborum et fruticum praecipiuntur. Ex arboribus pomiferis recentibus Lev. 19,23 per primos tres annos fructus non erant comedendi, sed velut praeputia arborum habebantur. Arbores pomiferae circa urbem obsessam succidi Deut. 20, 10 prohibentur. In vinea proximi Deut. 23,24[25] licet uvas manducare, non auferre. Uvae in vindemia relictae vel deciduae Lev. 19,10 indigentibus sunt dimittendae; quae remanent post olivarum collectionem et post vindemiam, Deut. 24,20. 21 pauperibus permittuntur. Aetate Seleucidarum Demetrius I. Soter Iudaeis promisit dimidiam partem fructuum arborum, quam regibus debebant, remissum iri 1 Mach. 10,30 et Demetrius II. Nicator omnibus in Ierusalem sacrificantibus, minime apostatis, remisit quae prius quotannis acceperat ex fructibus terrae et arborum 1 Mach. 11,34.

POMARIUM (פַּרְדֵּס, παράδεισος) Eccl. 2,5 et Cant. 4,13 (Vulg. h. l. paradisus). Vocem hebr. Neh. 2,8 legimus in Vulg. explicatam verbo saltus; designatur nemus arte consitum, hortus ad amoenitatem et imitationem naturae factus. Vocem hebr. et graecam ex zendica *pairidaēza* depromptam dicunt, qua circumvallatio significetur. Pomarium (παράδεισος) legitur Dan. 13,4. 7 etc.; vetus latina versio etiam viridarium praebet.

PONDUS, vide s. v. MENSURAE, PECUNIA.

PONTIFEX, qui ut summus sacerdos in ordine sacerdotali primum occupabat locum. Nominatur sacerdos magnus הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל (Lev. 21,10; Num. 35, 25. 28; Ios. 20,6 etc.) vel sacerdos unctus הַכֹּהֵן הַמָּשִׁיחַ Lev. 4,3 ss.; 6,10 hebr., vel sacerdos primus, hebr. הַכֹּהֵן הָרֹאשׁ 4 Reg. 25,18; 2 Par. 19,11; 24, 11; 26, 20; 31,10; Esdr. 7,5. Cum nomine proprio Aaron, Eleazar etiam iungitur solum appellatio sacerdos; cf. Num 3,32 הַכֹּהֵן; 25,7; 26,1. 3. 63; 27, 21; 33,38; Ios. 19,51; 21,1. Vocatur in libris graecis Vet. Test. et in Novo Te

stamento ἀρχιερεύς; apud LXX ὁ ἱερεὺς μέγας, ὁ ἱερεὺς ὁ πρῶτος, ὁ ἡγούμενος (ἀρχιερεύς Lev. 4,3).

Quibus ritibus Aaron consecratus sit pontifex, describitur Ex. 29,1-37; 40,12-15; Lev. 8,1-35. Eius consecratio differt a consecratione aliorum sacerdotum eo quod praeter vestimenta communia sacerdotum induebatur vestibus pontificalibus et quod caput eius oleo effuso ungebatur Ex. 29,7; Lev. 8,12; 21,10 : sacerdos maximus inter fratres suos super cuius caput fusum est unctionis oleum. Eodem modo reliqui quoque pontifices erant consecrandi; nam Ex. 29,29 legitur : vestem autem sanctam qua utetur Aaron (hebr. vestes sanctas) habebunt filii eius post eum, ut ungantur in ea (in iis) et consecrentur manus eorum. Vestes pontificales hisce constituebantur praeter vestes communes sacerdotales : tunica (מְעִיל), ephod (superhumerale), rationali (חֹשֶׁן) cum Urim et Thummim (doctrina et veritate, Vulg.), tiara (מִצְנֶפֶת, μίτρα).

Tunica describitur Ex. 28,31. 35; 39, 22-26; erat tota contexta hyacinthina (תְּכֵלֶת), in cuius medio supra erit capitium i. e. ita erat contexta, ut in medio esset aperta quo super caput induceretur; aperturae adsutus erat limbus; ut Iosephus refert, aperta quoque erat qua manus exseruntur (Ant. III. 7,4). Ad oram infimam adsuta erant mala granata facta ex hyacintho, purpura, cocco, quibus tintinnabula aurea ita inserebantur, ut malum granatum (punicum) et tintinnabulum inter se exciperent (Ex. 28,33. 34; 39,24-26; Eccli. 45,10; Iosephus l. c. et Bell. iud. V. 5,7 : ex fimbriis autem pendebant tintinnabula aurea et mala punica alternatim intertexta παράλληλοι). De numero tintinnabulorum nihil certo constat; Eccli. l. c. dicitur : et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro; Rabbini loquuntur de 72; alii de 12 vel 50 vel 80 (cf. *P. Scholz*, Die heiligen Alterthümer I. p. 203). Cur tintinnabula essent tunicae affigenda, ratio redditur : « ut audiatur sonitus, quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini » (Ex. 28,35) et Eccli. 45,11 : « dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo in memoriam filiis gentis suae » scil., ut dicitur Num. 10,9 de tubis : et erit recordatio vestri coram Domino.

Ephod vel superhumerale (Vulg., ἐπωμίς LXX, Iosephus, Philo) describitur Ex. 28,6-12; 39,2-7; textum erat opere polymitario (vide s. v.) ex bysso, hyacintho, purpura, cocco, filis aureis; constabat pannis duobus, quorum alter anterior, alter posterior erat, usque ad lumbos demissus; duae istae plagulae iungebantur humeralibus כְּתֵפוֹת; erant scil. duo frusta quae usque in humeros protrahebantur, ut anterior plagula iungeretur cum posteriore fibulis gemmatis. Ipsum ephod continebatur cingulo (Ex. 28,8 hebr.), quod eodem modo iisdemque rebus erat contextum. In humeralibus autem ponendi erant duo lapides onychini (v. ONYCHINUS LAPIS) qui aurea funda inclusi erant et insculpta gerebant nomina duodecim filiorum Israel, sex in uno, sex in altero iuxta ordinem nativitatis eorum (Ex. 28, 10). Natu maiores dexterum humerum obtinuisse Iosephus dicit (Ant. III. 7,5); « portabit Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum ob recordationem » (Ex. 28,12), scil. ut Deus recordetur populi sui (cf. v. 29 memoriale coram Domino in aeternum).

Rationale erat quoddam pectorale, contextum opere polymito iisdemque rebus uti ephod, quadratum, duplex (duabus plagulis constans, uti bursa nostratium sacerdotum, quo corporale recondunt), mensuram palmi habens longitudine et latitudine. In eo ponebantur quattuor ordines gemmarum, et in quovis ordine seu serie tres gemmae, quarum nomina habes Ex. 28,17-20; gemmis istis duodecim pariter insculpebantur nomina duodecim filiorum Israel seu tribuum. Hoc vero pectorale (LXX περιστήθιον 28,4; alias λόγιον, λογεῖον) duabus catenulis aureis cum ephod coniungebatur (Ex. 28,13. 14. 22-27) « et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat iunctura fabrefacta et a se

invicem rationale et superhumerale nequeant separari » (v. 28). Aaron igitur in pectorali quoque portabat nomina filiorum Israel, quando ingrediebatur sanctuarium « memoriale coram Domino in aeternum » v. 29. In pectorali oportuit reponere Urim et Thummim (LXX δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, Vulg. doctrinam et veritatem). Verum quid istis significetur, non explicatur in sacris litteris; unde id unum comperimus ex Num. 27,21 hebr. summum sacerdotem per ea in causa communi exquirere a Domino quid sit agendum; quare subsidia sunt quibus a Domino populo tribuantur φωτισμοὶ καὶ τελειώσεις (uti Symmachus et Theodotio vertunt), illustrationes et perfectae agendi rationes. Per ea responsum Domini exquiritur, quando ephod esse applicandum legitur (cf. 1 Reg. 23,9; 30,7) et dicitur Dominum esse consultum (1 Reg. 10,22; 2 Reg. 2, 1; 5,23 etc.). Ceterum v. URIM et THUMMIM.

Tiara (Ex. 28,39 : tiaram byssinam facies) non describitur. Uti Iosephus ait (Ant. III. 7,6), tiara erat similis tiaris aliorum sacerdotum, sed super eam altera erat hyacinthina (ὑπὲρ [*ed. Niese* ὑπ'] αὐτὸν δὲ συνερραμμένος ἕτερος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος). In tiara autem cernebatur imminens fronti pontificis lamina de auro purissimo, cui insculptum erat קדש ליהוה Sanctum Domino et quae vitta hyacinthina tiarae erat adiuncta (cf. Ex. 28,36. 37; 39,30. 31; Lev. 8,9). Vocatur quoque diadema sanctum vel corona sancta נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ (Ex. 29,6; 39, 30; Lev. 8,9) et Eccli. 45,14 : corona aurea supra mitram eius expressa signo sanctitatis et gloria honoris.

Ornatum pontificis Iosephus praeter Ant. l. c. etiam describit Bell. iud. V. 5,7. Eo indutus erat pontifex quoties munere pontificio in sanctuario fungebatur; neque tamen eo uti licuit die expiationis, cum in sanctum sanctorum esset ingrediendum Lev. 16,4.

Antiquo tempore vestes pontificales et sacerdotales asservabantur in conclavibus sanctuario adnexis (4 Reg. 22,14 mentio fit custodis vestium). Sed, uti Iosephus scribit (Ant. XV. 11,4), Asmonaei reges et sacerdotes in arce quam aedificarant (quae postea Antonia vocabatur) ornatum pontificalem asservabant; eum Herodes quoque eo in loco custodivit et post eius obitum fuit in potestate Romanorum usque ad tempus Tiberii Caesaris; sub eo enim Vitellius, Syriae praetor, Iudaeis petentibus id effecit apud Tiberium, ut Iudaeis ornatus ille redderetur. Mansit in eorum potestate usque ad mortem regis Agrippae I.; nam tum Cassius Longinus qui Syriam administrabat et Cuspius Fadus procurator Iudaeae imperarunt, ut reponeretur in arce Antonia. At Iudaei apud Claudium Caesarem obtinuerunt, ut ornatus templo restitueretur. Accuratius narrat Iosephus Ant. XVIII. 4,3 Hyrcanum I. pontificem arce exstructa ibidem ornatum asservasse idemque post eum reliquos fecisse; ibi pariter refert de Vitellio et XX. 1,1-2 exponitur, qua ratione mandatum illud Longini et Fadi non pervenerit ad exsecutionem. Demum Tito urbem obsidenti a sacerdote quodam, filio Thebuthi, cui nomen erat Iesus, cum multis aliis rebus pretiosis etiam vestes pontificiae traditae sunt (Bell. iud. VI. 8,3).

Pontifex munus habebat peculiare die expiationis Lev. 16,2-34; eius quoque erat pro se et toto populo offerre sacrificium pro peccato Lev. 4,3 ss. et in rebus gravioribus per Urim et Thummim voluntatem Domini exquirere (verum Urim et Thummim recensentur inter res quae in templo secundo defuerint); res iudicatu difficiliores ad eum referendae erant (Deut. 17,8); pontificem quoque praesidem synedrii fuisse, satis apparet ex Matth. 26,57. 59. 63. 65; Act. 5,21; 7,1; 23,2. Ei commissa erat suprema cultus divini cura; sacerdotum aliorum caput et princeps exsistebat et custos thesaurorum templi (cf. 4 Reg. 12,7 ss.; 22,4). Officio et munere quovis sacerdotali fungi poterat, quotiescumque ei libebat; sed vestes pontificales a Romanis non tradebantur nisi ad tres dies festos magnos et ad diem expiationis. Praecipue eius erat in sacrificio cotidiano mane et vespere oblationem similae perficere secundum normam Lev. 6,20-23 (hebr. 12-16) praescriptam; cf. Eccli. 45,17 :

sacrificia eius consumpta sunt igne cotidie et Iosephus : sacerdos propriis sumptibus et cotidie bis offert Deo farinam oleo maceratam et modica coctione duratam estque mensura eius farinae unus ἀσσάρων (decima pars ephi); huius autem unam partem dimidiam mane, alteram vero vespere in ignem iniicit (Ant. III. 10,7). At saltem posteriore tempore pontificem hanc oblationem minime cotidie per se ipsum perfecisse, verum suis sumptibus quidem, sed per alium sacerdotem, satis colligitur ex iis quae idem Iosephus alibi scribit : pontifex cum ipsis (sacerdotibus) quidem, non tamen semper, ascendebat (ad altare et templum), sed diebus quibusque septimis et noviluniis et si quando patria festivitas atque annua celebritas ab omni populo ageretur (Bell. iud. V. 5,7). Qua potestate valuerit etiam in Iudaeos extra Palaestinam degentes elucet ex Act. 9,1. 2. 14; ab eo enim Saulus petiit et accepit epistulas in Damascum ad synagogas et potestatem alligandi et vinctos perducendi in Ierusalem viros ac mulieres invocantes nomen Iesu. Reges ab eo esse unctos, exempla habes 3 Reg. 1,34. 39 : sumpsit Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo et unxit Salomonem; 4 Reg. 11,12 et 2 Par. 23,11.

Ut alii sacerdotes, ita pontifex quoque immunis esse debuit a variis defectibus, qui Lev. 21,16-23 enumerantur et in universum praecipitur : omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis non accedet offerre hostias Domino nec panes Deo suo (v. 21). Quare Antigonus, ne Hyrcanus ad pontificatum ultra posset assumi, ei aures abscidit (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 13,10; Bell. iud. I. 13,9). Etiam magis quam alii sacerdotes cavere debuit ab omni contaminatione; praeter ea quae omnibus interdicuntur et Lev. 21,1-9 habentur, alia quaedam ei praecipiuntur, ne scil. in luctu caput discooperiat (hebr. potius explicant : ne capite soluto i. e. capillis solutis incedat) neve vestimenta scindat « et ad omnem mortuum non ingredietur omnino, super patre quoque suo et matre non contaminabitur; virginem ducet uxorem, puellam de populo suo; viduam autem et repudiatam et sordidam (vitiatam, oppressam) meretricem non accipiet » (v. 10-15); neque egredietur de sanctuario pompae funebris causa (v. 12 ita erit intellegendum). Vestem scindere solum prohibitum ei erat luctus pro mortuo demonstrandi gratia, uti ex v. 10. 11 consequitur; quare ob aliam causam, ob adversitates publicas, ob auditam blasphemiam licuit (cf. 1 Mach. 11,71; Matth. 26,65).

Qua aetate quis pontificatum suscipere possit, non directe statuitur lege. Pro levitis quidem statuitur annus trigesimus usque ad quinquagesimum Num. 4,3 (1 Par. 23,3) vel etiam a viginti quinque annis Num. 8,24, ut ministrent; unde idem aliqui pro pontifice statui opinantur. At eius rei exempla non habentur. Sed Herodes pontificatum Aristobulo τῷ παιδί tradidit isque annos natus septemdecim vestitu pontificio indutus in sollemnitate tabernaculorum sacras peregit caerimonias (Ant. XV. 3, 1. 3). Verum id erat eo tempore, quando iam in usu videbatur positum, ut contra legem alius constitueretur pontifex priore superstite. « Quam legem primus Antiochus Epiphanes violavit abdicato Iesu et fratre eius Onia constituto; secundus vero Aristobulus Hyrcanum fratrem summovit, tertius autem Herodes principatum sacerdotii Aristobulo τῷ παιδί reddidit » (Ant. XV. 3,1), et Herodes saepius pontifices munere privavit aliis constitutis (cf. Ant. XV. 9,3; XVII. 4,2 et 6,4), id quod praesides quoque romani et Agrippa fecerunt (Ant. XVIII. 2,2; XIX. 6,2. 4; 8,1; XX. 9,1. 7; XX. 10). Tempore Machabaeorum pontifices simul erant principes populi rerumque civilium administratores; « consenserunt eum (Simonem) esse ducem suum et summum sacerdotem, donec surgat prophetа fidelis » 1 Mach. 14,41 (cf. v. 35. 47). Atque generatim magna fuit pontificis auctoritas; quod de Aaron dicitur Eccli. 45,7 : excelsum fecit Deus Aaron, in universum valet de pontifice, quia sacram eius dignitatem ipsa religio venerationi maxime commendat. Quanto in honore fuerit pontifex, documento quoque est quod Iosabeth filia regis Ioram nupsit Ioiadae

pontifici (2 Par. 22,11); Ptolemaeus filius Abobi, dux, gener erat Simonis pontificis (1 Mach. 16,11); Herodes quoque, ut dignitatem regiam servans posset in matrimonium ducere filiam Simonis formosissimam, Simoni honorem pontificatus contulit (Ant. XV. 9,3). In rebus quoque civilibus et in ratione gubernandi pontificum auctoritatem saepius valuisse exemplo sunt Heli, qui iudicavit Israel quadraginta annis (1 Reg. 4,18), Ioiada (4 Reg. 11,4 ss.; 2 Par. 23, 1 ss.), Helcias (4 Reg. 22,4 ss.), Iosue (Esdr. 3,2; Zach. 3,1).

Sunt qui pontificem etiam doctorem fuisse infallibilem existiment (cf. *Vincenzi*, de Hebraeorum et Christianorum sacra Monarchia, p. 3. 13 etc.). Verum id nequit probari. Nam Deut. 17,9. 10 solum constituitur iudex in causis difficilioribus, si scil. iudices ordinarii variant in iudicio ferendo inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram quae omnia longe absunt ab infallibili magisterio in docenda veritate religiosa. Quod si requiris, invenies non apud pontificem Veteris Testamenti, verum apud prophetas (cf. *Cornely*, Introd. II. 2, p. 271 ss.).

Aarone defuncto filius Eleazar dignitate pontificali auctus et a Moyse vestibus Aaron indutus est (Num. 20,28). Eleazar erat pontifex sub Iosue quoque (Ios. 14,1; 17,4; 19,51; 21,1 quibus locis nomen eius ante Iosue ponitur). Eum secutus est filius eius Phinees (de quo Num. 25,6-9; Iud. 20,28; Eccli. 45,28; vide s. v. PHINEES). Quinam secuti sint pontifices, videtur colligi posse ex enumeratione posterorum 1 Par. 6,4 ss. 50-53 (hebr. 1 Chron. 5,30 ss.; 6,35-38) et Esdr. 7,1-5. Attamen enumeratio est genealogica, non elenchus pontificum. Ultimo Iudicum tempore erat pontifex Heli, qui erat ex familia Ithamar (cf. 1 Reg. 14,3 et 22,20 et 1 Par. 24,3. 6), de quo Iosephus quoque : « primus Heli ex familia Ithamar, alterius Aaronis filii, pontificatum obtinuit » et censet post Ozi (1 Par. 6,5) pontificatum ad Heli transiisse, ita ut stirps eius usque ad tempora Salomonis eam haberet dignitatem ; nam sub Salomone posteros Eleazari eam recuperasse dicit (Ant. V. 11,5; VIII. 1,3). Cur et quando pontificatus ex familia Eleazari ad familiam Ithamar transierit, in sacris litteris non traditur. Finxerunt Rabbini illam esse remotam, quia eius pontifices multiplicium tempore Iudicum scelerum fuissent auctores neque votum Iephte solvissent (cf. *Selden*, de succ. in pontif. hebr. 1,2; *Uyolini*, Thes. XII. col. 230). Illam mutationem iam post Ozi esse factam, ut Iosephus refert, dubium videtur. Nam a morte Aaron usque ad Heli solum quinque pontifices fuisse, incredibile videtur, cum fluxerint anni 440 a morte Aaron usque ad quartum annum Salomonis (cf. 3 Reg. 6,1); eritne igitur dicendum seriem illam esse incompletam non obstante voce genuit 1 Par. 6,4. 5? id quod utique assumi *potest*, si quis Iosephi auctoritatem tanti aestimat. Tempore vero Davidis ita sermo fit ac mentio de Sadoc et Abiathar sacerdotibus, ut et prae aliis sacerdotibus nominentur et pari inter se dignitate habeantur; cf. 2 Reg. 8,17; 15,24. 29. 35; 17.15; 19,11 ; 20,25; 1 Par. 15,11; 18,16; 24,3. 6. 31. Erat Sadoc sacerdos coram tabernaculo Domini in Gabaon (1 Par. 16,39); arca autem Domini erat tempore Davidis in civitate David, ad quam eam adduxerat e domo Obededom (2 Reg. 6,11 ss.). Quare uti Sadoc erat sacerdos primus ad tabernaculum in Gabaon, ita Abiathar sacerdos primus in civitate David ad arcam. Salomon autem eiecit Abiathar, qui a partibus steterat Adoniae, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini quem locutus est super domum Heli in Silo (3 Reg. 2,27; cf. 1 Reg. 2,31). Ita pontificatus statutus est in familia Eleazar; nam Salomon posuit Sadoc sacerdotem pro Abiathar (3 Reg. 2,35).

Et deinceps pontificatus permansit in familia Eleazar (cf. 1 Par. 6,8 ss.); ex ea quippe familia erat Iosedec pontifex tempore expugnationis urbis per Chaldaeos 1 Par. 6,15 et post exsilium pontifex est Iosue filius Iosedec (Esdr. 3,2; 5,2; Neh. 12,26; Agg. 1,1. 12; 2,3 etc.). Verum in ea enumeratione a Sadoc usque Iosedec aliqui pontifices non recensentur quos tamen ex libris historicis novimus; ita ibi non legitur Ioiada

(4 Reg. 11,4 etc. 2 Par. 23,1) neque Urias (4 Reg. 16,10. 11); insuper quamvis in ea enumeratione tres viri, nomine Azarias, reperiantur, tamen Azarias pontifex sub Ezechia (2 Par. 31,10. 13) nemo illorum esse potest; non ille 1 Par. 6,9 neque ille 6,10; nam neque nepos Sadoc, neque nepos eius nepotis vivere poterat tempore Ezechiae; neque ille 1 Par. 6,13 qui est filius Helciae; Helcias enim erat pontifex sub Iosia rege, pronepote Ezechiae regis. Saraias v. 14, pater Iosedec, a Nabuchodonosor in Reblatha occisus est (4 Reg. 25,18. 21).

Post reditum ex exsilio enumerantur pontifices Iosue, filius Iosedec; « Iosue autem genuit Ioacim et Ioacim genuit Eliasib et Eliasib genuit Ioiada et Ioiada genuit Ionathan et Ionathan genuit Ieddoa » (Neh. 12,10. 11); verum pro Ionathan lege Iohanan, uti elucet ex v. 22 et 23 (hebr. LXX); de eo narrat Iosephus Ant. XI. 7,1; de Ieddoa XI. 8,4 s.; post eum in pontificatum successit filius eius Onias I. (Ant. XI. 8,7) qui epistulam accepit ab Ario (Areo) rege Spartiatarum (1 Mach. 12,7. 8. 20 — regnavit Areus 309-265 a. Chr.). Ei successit filius eius Simon qui Iustus cognominatus est; eo mortuo, cum solum superstes esset filius eius infans, frater eius Eleazar gessit pontificatum (Ant. XII. 2,5); post eum Manasses eius avunculus; dein Onias II. filius Simonis Iusti tempore Ptolemaei III. Euerget. (247-222 a. Chr.; cf. Ant. XII. 4,1. 2); ei successit filius eius Simon II., huic Onias III. filius eius (Ant. XII. 4,10), de quo legitur 2 Mach. 3,4. 5. 9 etc. 4,1 etc. Frater eius Iason (Iesus, Ant. XII. 5,1) Antiocho Epiphani multum obtulit pecuniae, ut Onia deposito sibi daretur pontificatus. Eum obtinuit; verum post triennium a Menelao supplantatus est qui ipse summum sacerdotium ab Antiocho pecunia oblata obtinuit, quamvis utpote natus ex tribu Beniamin (2 Mach. 4,23 et 3,4) sacerdos minime esset (secundum Iosephum Menelaus frater erat Iasonis, XII. 5,1); post eum factus est pontifex Alcimus, qui et Iacimus vocatur (Ant. XII. 9,7), de quo 1 Mach. 7,9 etc. 9,54-56, « cui nemo statim successit, sed per septennium civitas mansit pontifice destituta » (Ant. XX. 10). Dein Alexander Balas constituit pontificem Ionathan fratrem Iudae Machabaei (153 a. Chr.; 1 Mach. 10,20 ss.) et deinceps sacerdotes et principes erant ex familia hac : Simon, frater Ionathan (142-135 a. Chr.; 1 Mach. 13,31-16,16), Ioannes Hyrcanus, filius Simonis (1 Mach. 16,21-24; Ant. XIII. 8,1 ss., 135-104 a. Chr.), Aristobulus, filius Hyrcani (XIII. 11,1; 104-103 a Chr.), Alexander Iannaeus, frater Aristobuli (XIII. 12,1; 103-76), Hyrcanus II. filius Alexandri (XIII. 16, 2), qui a fratre suo iuniore, Aristobulo II., coactus est, pontificatu et imperio se abdicare anno 69 et utramque dignitatem fratri cedere i. e. Aristobulo II. (XIV. 1,2; 67-63 a. Chr.); sed postquam Aristobulus II. a Pompeio devictus est, Pompeius pontificatum restituit Hyrcano II. (XIV. 4,4; XX. 10; 63-40 a. Chr.); at Antigonus filius Aristobuli II. ei abscidit aures, ut ineptus evaderet ad eam dignitatem, quam ipse Antigonus, simul cum imperio tenuit ab anno 40-37 (cf. Ant. XIV. 14-16; XX. 10).

Urbe ab Herode expugnata pontifices ad eius nutum eligebantur et reiiciebantur. Ita sub eius imperio gesserunt pontificatum : Ananelus, sacerdos ex Babylone evocatus, Aristobulus III., ultimus Machabaeorum, quem iuvenem 18 annos natum in balneo suffocari iussit, iterum Ananelus, Iesus ὁ τοῦ Φαβήτος (Φιαβί), Simon, Matthias, Ioseph, Ioasar. Etiam ab Archelao tres pontifices constituti sunt : Eleasar, Iesus ὁ Σεέ, Ioasar (secundo); a Romanis vero : Annas, Ismael, Eleasar, Simon, Caiphas, Ionathan, Theophilus; ab Agrippa I. : Simon Kantheras, Matthias, Elionaeus; ab Herode, fratre Agrippae, principe Chalcidis, qui a Claudio Caesare petiit et impetravit templi potestatem et eius creandi pontifices, constituti sunt Ioseph, Ananias, ultimus pontifex, qui in s. libris commemoratur (Act. 23, 2; 24,1).

Ab Agrippa II. pontifices constituti sunt : Ismael, Ioseph Kabi, Ananus filius Anani, Iesus filius Damnaei, Iesus filius Gamalielis, Matthias filius Theophili; a populo tempore belli iudaici constitutus est Phannias seu Phinasus, filius Samuelis.

De his cf. Ant. XV.-XX.; *Selden* l. c.

1,11 (*Ugolini* l. c. XII. col. 282 ss.); *Schürer,* Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3, II. p. 214 ss.

In quantum ab Antiochi Epiphanis tempore summum sacerdotium a pristina exciderit dignitate et institutione, utpote saepius factum venale, a viris pessimis occupatum quandoque, ad arbitrium collatum, ademptum, crebris mutationibus obnoxium, obscuris sacerdotibus tributum, ipsa illa quae adscripta est enumeratione satis patet. « Sunt qui ab Herodis temporibus pontificatum gesserunt usque ad diem quo Titus templum et civitatem captam flammis vastavit, in universum XXVIII, tempusque illorum anni CVII » (Ant. XX. 10). Inde vero etiam explicatur, cur in Evangeliis, in Actibus apostolorum, apud Iosephum frequens sit mentio τῶν ἀρχιερέων, pontificum, summorum sacerdotum. Eo quippe nomine designantur ii quoque qui fuerunt in ea dignitate constituti aliquando et omnes illi qui ad familias eorum pertinebant. Immo haud pauci existimant etiam principes familiarum vel ordinum sacerdotalium qui erant viginti quattuor (1 Par. 24,7-18; cf. 1 Mach. 2,1 ex filiis Ioarib; Luc. 1,5 de vice Abia) eo nomine esse insignitos. Certum est Iosephum quoque loqui de *multis* pontificibus eodem tempore sibi faventibus (Vita 38); alias scribit de duobus pontificibus, Anania et Ionathan, vocat Ananum natu maximum pontificum, refert de spectatissimis pontificum (cf. Bell. iud. II. 12, 6; IV. 3, 7. 9; 4,3 etc.).

Ex institutione pontifex debuit manere in dignitate usque ad mortem (cf. Num. 35,25); unde « et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere » (Hebr. 7,23). Iesus Christus pontifex noster est, qui ingressus est pro nobis in sanctuarium caeleste, nobisque aditum ad illud aperuit, qui semetipsum obtulit sacrificium pro delictis populi, adimplens in se typum pontificis aaronitici, qui sacrificio oblato cum sanguine sacrificali semel in anno ingrediebatur in sanctum sanctorum terrestre ad populum expiandum (cf. Hebr. 3,1; 7,24-28; 9,7-14. 23-28; 10,12 ss.). Cum autem praedictum sit, Messiam fore sacerdotem, non secundum Aaron, sed secundum Melchisedech, simul indicabatur legis antiquae ablatio; translato enim sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat (Hebr. 7,12).

I. KNABENBAUER.

PONTIUS, vide s. v. PILATUS.

PONTUS (Gen. 14,1. 9) v. ARIOCH 1.

PONTUS (Πόντος) Act. 2,9 et 1 Petr. 1,1. Designatur provincia Asiae minoris. Nomen depromptum a mari, cui Pontus Euxinus indita est appellatio, regionem septemtrionalem Asiae minoris ad illud mare sitam indicat a Phaside usque ad Halyn. Alio tempore aliae quoque regiones eo nomine comprehenduntur. Ita Mithridates rex Ponti non solum regionem ponticam, sed etiam Paphlagoniam et Cappadociam possidebat. Sed regio pontica, Pontus, proprie dicta sita est inter Colchidem, Armeniam, Cappadociam, Galatiam, Paphlagoniam; concluditur itaque orientem versus Phaside fluvio, meridiem versus Antitauro et Paryadre montibus, occidentem versus Haly flumine, septemtrionem versus ipso mari. — Ex ea regione oriundus erat Aquila; dicitur Ponticus genere (Act. 18,2).

POPULUS (לִבְנָה) nominatur Gen. 30,37 inter arbores, quarum virgis usus est Iacob ad procuranda ex pecoribus Laban quamplurima varii coloris et Os. 4,13 inter arbores, subter quas idololatria exercebatur. Priore loco LXX virgam populeam interpretantur ῥάβδον στορακίνην, altero loco LXX et Aquila vertunt λευκή, sicuti etiam Peshitta *khaura* i. e. populus alba. Unde ait *I. D. Michaelis,* Suppl. ad lex. hebr. p. 1404: « Divisae non recentiorum sed et veterum sententiae styracem inter et populum albam... Neutrarum sunt Chaldaei et Samaritanus partium nomen לבן servantes, quod quid illorum in lingua significet, nondum constat ».

Populus alba Linné, arab. *ḫaur* appellata, 10-20 m alta passim in humidioribus Syriae locis invenitur (*G. E. Post,* Flora of Syria, 1896, p. 744); attamen textus Os. 4,13 potius arbores in collibus postulat. Accedit quod in versione arabica Gen. 30,37 vox hebr. red-

ditur *lubna*. « Haec interpretatio », inquit *Michaelis* l. c., « non testium quidem numero, sed linguae arabicae consensu vincere videtur, cui *lubna* styrax; nec etymo destituimur, dicta quippe arbor a lacte; describunt enim Arabes ut lac emittentem mellis instar, quo et suffitus fiat. Nobis iam hoc arboris gummi storax dicitur, cuius bonus odor frequensque in suffimentis usus ». Atque hodie quoque idem nomen arabicum *libna* praeter alia nomina *ḥauz* et *abhar* gerit *Styrax officinalis* Linné, arbor 3-6 m alta, frequens in collibus umbrosis usque ad regiones subalpinas Libani, Antilibani et Amani; cf. *G. E. Post* p. 518; *E. Boissier*, Flora orient. IV. p. 35. Praeterea v. STORAX.

PORCIUS v. FESTUS.

PORCUS v. SUS.

PORPHYRIO inter aves immundas recensetur Lev. 11,18 (רָחָם) et Deut. 14, 17 (רָחָמָה). LXX Lev. 11,18 interpretantur κύκνον, sed in eodem versu cygnum (תִּנְשֶׁמֶת) reddiderunt πορφυρίωνα. Item Deut. 14,17 LXX porphyrionem interpretantur ἔποπα et pro upupa scribunt ποσφυρίωνα. Eandem avem scribunt Onkelos יְרָקְרִיקָא, Ionathan, Peshitta, Talmudici שְׁרָקְרָקָא, Saadias et Arabs Erpenii *rakham*. Ex arabica lingua *Bochartus* (Hieroz. II. l. 2, c. 26 et 27) probat voce רחם designari vulturis speciem et probabilissime quidem eam, quae ab Aristotele (Anim. hist. 9,32[22]) vocatur percnopterus et sic describitur : « Est insuper aliud genus [aquilarum], cuius alae nigris maculis variantur (περκνόπτερος), capite candido, grandissimum, alis brevissimis, cauda oblonga, vulturi similis; vocatur oripelargus [ciconia montana] et hypaëtus [subaquila]; lucos habitat; vitia eadem habet quae reliquae, virtutibus earum carens omnibus ; capitur enim et fugatur a corvis et ceteris, quippe gravis et inepta ad parandum sibi victum et cadavera rapit semperque esurit ac vociferatur querula ». Similia refert Plinius (X. 3,8) : « Item quarti generis [aquilarum] est percnopterus, eadem oripelargus, vulturina specie, alis minimis, reliqua magnitudine antecellens, sed imbellis et degener, ut quam verberet corvus; eadem ieiunae semper aviditatis et querulae murmurationis; sola aquilarum exanima fert corpora, ceterae, cum occidere, considunt ». Hisce descriptionibus correspondet *Neophron percnopterus* Gray ex familia Vulturidarum, vultur aegyptiacus, frequens in Europa meridiana ac praesertim in Africa septemtrionali, ubi sanitati publicae magnum servitium praestat animalia morticina devorans; quam ob rem ab Aegyptiis olim colebatur et hodie quoque apud Orientales familiaris est circa vicos et fimeta; cf. *Leunis-Ludwig*, Zoologie I. (1883) § 281, n. 2. In omni Palaestina frequentissimus est ab ineunte vere, sed hieme non conspicitur. Cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible. 1889, p. 179-180. Nomen רחם vultur percnopterus ab indole pia et misericordi erga pullos et cognatos sortitus est, de qua veteres multa fabulosa congesserunt; cf. *Bochart* l. c. cap. 27 ad quartam obiectionem.

Aliis vero auctoribus (v. g. *P. Cultrera*, Fauna biblica, 1880, p. 320) cum Vulgata praeplacet רחם = porphyrio. In regionibus orientalibus frequens est *Porphyrio* Brisson ex familia Rallidarum ordinis Grallarum; inter quattuordecim species cum porphyrione Vulgatae componi potest *Porphyrio veterum* Gmelin. Cf. *Leunis-Ludwig* l. c. § 317, n. 4.

PORRUS (חָצִיר, τὸ πράσον). Porri et caepe et allia enumerantur inter fructus Aegypti ab Israelitis in deserto desideratos Num. 11,5. Vocem חציר, inquit *O. Celsius*, Hierobot. II. p. 263 s., « unico tantum hoc Scripturae loco *porrum* significare volunt eruditi, cum pro *gramine* vel *herba* plusquam vicies usurpetur... Nempe *porro* nomen graminis inductum est propter similitudinem, quam cum gramine habet, ut observat *Buxtorfius*, Lex. talm. p. 1101. Nam et formam graminis habet et cultro secatur, ut gramen falce ». Eadem voce חציר etiam aramaice interdum porrus designatur; cf. *I. Loew*, Aram. Pflan-

zennamen, 1881, p. 226-8 (n. 169). Iuxta Plinium XIX. 6(33), 110 porrus est laudatissimus in Aegypto. Species porri antiquis nota videtur intermedia esse inter *Allium porrum* Linné et *Allium ampeloprasum* Linné, fortasse Allii ampeloprasi varietas *Allium porrum* Don; cf. *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées, 1883, p. 81; *V. Loret*, Flore pharaonique, 1892, p. 37. 38 et v. ALLIUM.

PORTA. Aliqua portae urbis descriptio ceruitur Iud. 16,3 : Samson apprehendit ambas portae fores cum postibus suis et sera (vecte); cf. 1 Reg. 23,7; 3 Reg. 4,13; Ps. 147,13. In fastigio portae super murum erat speculator annuntians periculum imminens, hostem appropinquantem (cf. 2 Reg. 18,24). Memoratur etiam coenaculum portae 2 Reg. 18,33. Portis firmiter clausis civitas ab incursu hostili defendebatur (Ios. 2,5. 7). Inde explicatur quid sibi velint dictiones : vectes ferreos confringere, portas aereas conterere, portas inimicorum possidere (cf. Is. 45,2; Gen. 22,17), portas hostium subvertere (Iud. 5,8). Ad portas urbium i. e. ad fora quae portis adiacebant, vel ad locum publicum qui ipso portae aedificio exhibebatur, negotia varia peragi solebant, fiebant contractus, iudicia; ita iam Abraham contractum emptionis peragit cunctis audientibus qui ingrediebantur portam civitatis (Gen. 20,10. 18); in porta civitatis adsunt seniores, eos adit mulier, cui levir ius denegat (Deut. 25,7; cf. Ruth 4,11); item filius contumax ducendus est ad seniores et ad portam iudicii Deut. 21,19; cf. 22,15; Iob 31,21; quare dicitur : ne conteras egenum in porta (Prov. 22,22) i. e. iudicio et de muliere forti praedicatur : nobilis in portis vir eius quando sederit cum senatoribus terrae (Prov. 31,23) et prophetae quoque conqueruntur : arguentem in porta supplantabant (Is. 29,21), pauperes deprimi in porta (Am. 5,12 etc.); etiam contra Ieremiam iudicium fit a principibus sedentibus in introitu portae domus Domini novae (Ier. 26,10). Reges quoque Achab et Iosaphat sedentes iuxta portam Samariae de bello suscipiendo consultabant turba prophetarum circumdati (3 Reg. 22,10). Commercium quoque et negotiatio tractabatur in porta (cf. 4 Reg. 7,1); stans iuxta introitum portae Absalom sollicitabat corda filiorum Israel (2 Reg. 15,2); quae publice annuntianda erant, pariter in porta, in platea portae, in area portae promulgabantur; cf. 2 Par. 32,6; Prov. 1,21 : Sapientia in foribus (in introitu) portarum urbis profert verba sua; 8,3 iuxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur. Ieremias iubetur stare in porta filiorum populi et loqui (17,19); Nehemias quoque congregavit populum ad plateam quae est ante portam aquarum 8,1. 3. 16. Etiam capita occisorum iuxta introitum portae, tamquam in loco ut omnibus iudicium peractum innotescat, exponuntur (4 Reg. 10,8). Ibi homines etiam congregabantur ad confabulandum, ad res novas audiendas etc. Ps. 68,13 : adversum me loquebantur qui sedebant in porta.

Cum inferus, sheol consideretur tamquam habitaculum firmum, ex quo iam nemo possit exire, non est mirum ei portas adscribi; ita sermo fit de portis mortis Ps. 9,15; 106,18; Sap. 16,13. In portis quoque firmitas, munimentum, potentia declaratur; unde personificatione dicitur : portae inferi non praevalebunt adversus eam (Ecclesiam) Matth. 16,18, ubi ipsum verbum οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς indicat agi de aggressione, oppugnatione, incursu hostili (cf. Act. 19, 16).

PORTARIUS i. e. custos portae; cf. 4 Reg. 7,11 (Ier. 37,12); 1 Par. 16, 42 filios Idithun fecit esse portarios; vide s. v. IANITOR.

PORTICUS, area tecta et columnis instructa. De porticu templi salomonici 3 Reg. 6,3 vide s. v. TEMPLUM 2. Piscina illa ad portam ovariam, Bethesda, habuit quinque porticus, στοάς (Io. 5,2; v. BETHSAIDA piscina). Commemoratur porticus Salomonis (Ioan. 10,23; Act. 3,11; 5,12); describit Flavius Iosephus porticum orientalem exterioris templi opus Salomonis regis (Ant. XX. 9,7), quam plerique porticum Salomonis Io. 10,23 etc. esse censent. Alii tamen eam esse intellegendam existimant, quam regiam βασιλικήν Iosephus appellat,

quae longitudine ab orientali valle ad occidentalem usque pertinebat (Ant. XV. 11,5). De quibus v. s. v. TEMPLUM 4.

PORTUS. Litus palaestinense non est sinuosum, quare parum aptum est stationibus navium; unde quoque caret portubus maioribus. Qui portus commemorantur, potius loca sunt ad tenendas ancoras navium apta et procurrentibus utrimque rupibus tuta. Regio tribus Aser eiusmodi portus vel sinus quosdam ad naves condendas habuit (cf. Iud. 5,17). Portum vel stationem navium habuit Ioppe; iam ad templum aedificandum Phoenices ligna in Libano caesa ratibus applicarunt per mare in Ioppe (2 Par. 2,16) et eius portus mentio fit 1 Mach. 14,5, quem Simon Machabaeus occupavit et fecit introitum in insulis maris i. e. eo portu aditum aperuit Iudaeis ad insulas maris. Perfidiam Ioppitarum portu succenso scaphisque exustis punivit Iudas Machabaeus 2 Mach. 15,6; item Iamnitarum portum cum navibus succendit v. 9; 2 Mach. 14,1 portus quoque Tripolis nominatur. De Boniportu vide Act. 27,8 et s. v.; de portu Phoenice in insula Creta, cf. Act. 27,12 et s. v. PHOENIX 2.

POSIDONIUS (Ποσιδώνιος), unus ex tribus illis viris quos Nicanor cognita fortitudine Iudaeorum misit, ut darent dextras atque acciperent (2 Mach. 14,19).

POSSESSIO. In Vulg. ea voce plura vocabula hebr. redduntur; ita מִקְנֶה, qua voce potissimum *peculium*, possessio gregum exprimitur; v. g. Gen. 13,2 erat dives valde in possessione auri et argenti, hebr. in gregibus, in argento, et auro; cf. Gen. 26,14 et eodem modo possessio de gregibus dicitur Gen. 30,29 et Ex. 9,4. Aegyptii dicuntur vendidisse possessiones suas Gen. 47,20, hebr. agros suos, vel v. 22 terram suam (שָׂדֶה, אדמה). Saepe legitur possessio pro hebr. נחלה Gen. 48,6; Num. 16,14; 18,21; 26, 53. 63; Deut. 4,38; 10,9; 14,27; Ios. 11, 33; 13,7 etc.; item pro אחזה Gen. 47, 11; 48,4; Lev. 14,34; 25,10; Num. 27,4; 32,5 etc. et pro ירשה Num. 24,18; Deut. 2,3.9. 12. 19; 3,20 etc.

Terra palaestinensis erat terra Domini, quam Israelitis ita daret in possessionem, ut tamen essent solum coloni Domini : « mea est terra et vos advenae et coloni mei estis » (Lev. 25,23). Quia igitur Dominus erat herus terrae, ius possessionis ususque vario modo restringebatur; ita praeceptis de primitiis, primogenitis, decimis solvendis, itemque illis, quae pauperum gratia praescripta erant : ingressus vineam proximi tui comede uvas quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum; si intraveris in segetem amici tui, franges spicas et manu conteres; falce autem non metes (Deut. 23,24. 25); in messe facienda « non tondebis usque ad solum superficiem terrae, nec remanentes spicas colliges; neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes » (Lev. 19,9. 10; 23,22; Deut. 24, 19 : si oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum, sed advenam et pupillum et viduam auferre patieris). Ius possessionis ususque pariter restringitur praeceptis de anno sabbatico; cf. Ex. 23,10. 11; Lev. 25,4-7; Deut. 15,1-14; maxime autem eo, quod « terra non vendetur in perpetuum, quia mea est et vos advenae et coloni mei estis » Lev. 25,23. Quare campus, ager, praedium ad stabilem hereditatem alicuius familiae pertinens solum vendi poterat usque ad annum iubilaei, in quo « revertetur homo ad possessionem suam et unusquisque rediet ad familiam pristinam » Lev. 25,10. 13; unde normae statuuntur venditionis : iuxta supputationem frugum vendet tibi v. 15; neque enim ager proprie venditur, sed solum fruges seu messis usque ad proximum annum iubilaei; unde pretium aestimari debet ex numero annorum qui supersunt (v. 16). Et si possessio quaedam ex necessitate a quopiam vendita erat, propinquus eius habet ius illam redimendi; emptor itaque illam reddere debuit propinquo qui solvit pretium; etiam is qui vendidit, poterat eam recuperare, simul ac pretium solvere poterat i. e. « computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit et quod reliquum est reddet emptori sicque recipiet possessionem suam » Lev. 25,

27. Domus in urbe sita poterat vendi in perpetuum; sed anno primo manebat venditori ius eam redimendi; domus autem extra urbem venduntur iure agrorum, quo etiam venduntur domus levitarum quae in urbibus sunt. Servos ex alienigenis oriundos possidere poterant Iudaei in perpetuum eosque ad posteros hereditate transmittere; sed servus Iudaeus liber evasit anno iubilaei et poterat quovis tempore redimi a cognatis (Lev. 25,29-55); insuper servus hebraeus post sex annos servitutis liber erat dimittendus gratis (Ex. 21,2 ; Deut. 15,12; Ier. 34,14) simul cum uxore; sed si dominus ei uxorem dederat, haec et filii eius erant domini (Ex. 21,3. 4). Licuit patri vendere filiam in famulam; servum autem hebraeum alienigenis vendere non licuit (Ex. 21,7. 8). Demum cautum erat, ne commisceretur possessio de tribu in tribum; quare lex matrimonialis talis statuitur, ut hereditas permaneat in eadem cognatione (Num. 36,1-10).

Ut sua cuique possessio sarta tecta servaretur, lege vario modo provisum erat; « non assumes et transferes terminos proximi tui — maledictus qui transfert terminos proximi sui » Deut. 19,14; 27,17; praeterea varia statuuntur contra fures, contra eos qui damnum inferunt vel damnum non impediunt (cf. 22, 1 ss.), qui rem sibi commissam neglegunt (Lev. 6,2); vide s. vv. FUR, POENA. Pariter providetur, ut quod inventum fuerit, domino restituatur Ex. 23,4. 5; Deut. 22,1.

POSSESSOR. Dicitur Gen. 14,22 Deus possessor caeli et terrae; hebr. קֹנֵה, quae vox Gen. 14,19 melius redditur in Vulg. : qui creavit caelum et terram. Appellatur possessor cordis, possessor mentis Prov. 15,32; 19,8 homo prudens, qui agit sapienter ita ostendens se possidere prudentiam et intellegentiam. Ier. 49,2, possidebit Israel possessores suos, hebr. יָרַשׁ i. e. Ammonitae partem hereditatis Israel occuparant; Israel devictis Ammonitis redibit ad hereditatem suam et tenebit Ammonitas subiectos; cf. Abd. v. 17; Is. 14,2.

POTUS. Potus communis erat aqua, quae in regionibus orientalibus (utpote quae in summis caloribus saepe aquae penuria laborant) multo maiore in pretio habetur quam apud nos. Prov. 25, 25 aqua frigida animae sitienti et nuntius bonus de terra longinqua; v. 21 si sitierit inimicus tuus, da ei aquam bibere. Nabal quaerit : tollam panes meos et aquas meas et dabo viris quos nescio unde sint (1 Reg. 25,11)? et Lament. 5,4 aquam nostram pecunia bibimus. Etiam quo loco aqua habita sit patet comparatione : me dereliquerunt fontem aquae vivae, ait Dominus Ier. 2,13. Unde potum dare calicem aquae frigidae (Matth. 10, 42; Marc. 9,40) considerata regione in qua Christus loquitur, non est putanda quasi res minima. Acetum ut potus tempore caloris messis refrigerans commemoratur Ruth 2,14; acetum ex vino et ex alia potione quae inebriare potest (sicera), mustum (Num. 6,3), vinum pariter ad potum adhibebatur. Et vinum satis communiter fuisse in usu, collige ex Eccli. 39,31, ubi inter res ad vitam necessarias etiam botrus uvae enumeratur. Saepius vinum laudatur : vinum laetificat cor hominis (Ps. 103,14); item Iud. 9,13 et Prov. 31,6 : date siceram moerentibus et vinum his qui amaro sunt animo (cf. Ier. 16,7); Eccli. 40,20 vinum et musica laetificant cor. At simul monetur de periculo vini : luxuriosa res vinum Prov. 20,1; qui amat vinum et pinguia, non ditabitur Prov. 21,17; cf. 23,30-35; 31,4; vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes Eccli. 19,2; multos exterminavit vinum 31,30. Sed : exsultatio animae et cordis vinum moderate potatum; vinum enim in iucunditatem creatum est et non in ebrietatem; vinum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit (Eccli. 31,35-39). Vinum etiam aromatibus, myrrha condiebatur (cf. Cant. 8,2); vina ita mista et condita exprobrat Isaias 5,22 principibus Iudae. Vinum esse temperatum aqua, uti apud Romanos et Graecos, ita apud Hebraeos quoque probabile est; sed « vinum tuum mistum est aqua » Is. 1,22 dicitur de vino adulterato et insuper sensu translato : mores principum sunt corrupti. Sicera (v. s. v.) potus erat inebrians factus ex variis fructibus,

ex melle, pomis, dactylis (palmulis), a quo nasiraei abstinere debebant (Num. 6,3; Iud. 13,4; 1 Reg. 1,15; Luc. 1,15). Lac quoque in potum inserviebat; ita Abraham hospitibus obtulit praeter escas lac (Gen. 18,8) et Iahel Sisarae petenti aquam aperto utre lactis dedit bibere (Iud. 4,19), aquam petenti lac dedit (Iud. 5,25). Vas illud aceto plenum, ex quo miles spongiam aceto implevit (Ioan. 19,29), plenum erat posca, potu communi militibus et plebeiis confecto ex aqua et aceto ovis immixtis. Potum ex hordeo factum ζύθον LXX Is. 19,10 Aegyptiis in usu fuisse innuunt, quo eos usos esse potu etiam Diodorus Sic. (1,34; 4,2) et Herodotus (2,77) referunt.

PRAECEPTUM; vide s. v. LEX. Affirmant Rabbini in Pentateucho contineri praecepta affirmativa 248, negativa 365; universim itaque 613 et totidem esse litteras decalogi (cf. *Buxtorf*, Lexic. chald. talm. rabb. col. 1678. 1895).

PRAECO. Eam vocem in Vulgata quandoque additam videmus, ubi ipsa res eam postulare videbatur; ita Gen. 41,43 fecit (Pharao) eum (Ioseph) ascendere super currum suum secundum clamante praecone, LXX : καὶ ἐκήρυξεν κήρυξ, hebr. et clamabant. Item Ex. 32,5 Aaron aedificavit altare et praeconis voce clamavit, hebr. et LXX : et clamavit (ἐκήρυξεν)Aaron. Moyses Ex. 36,6 iussit praeconis voce cantari, hebr. : et praecepit Moyses et vocem miserunt. Item 3 Reg. 22,36 et praeco insonuit in universo exercitu, hebr. : et transivit vociferatio (הָרִנָּה) in castris, LXX καὶ ἔστη ὁ στρατοκήρυξ. Proprio nomine κήρυξ designatur Dan. 3,4 כָּרוֹז; Ios. 3,2 praecones, hebr. שֹׁטְרִים, qua voce alias in Vulg. magistri, exactores, praepositi, duces declarantur (Ex. 5,6. 15; Num. 11,16; Deut. 20,9) etc.; vocem hebr. explicant : ordinatores, scribae, magistratus. — Praeconem κήρυκα iustitiae vocat S. Petrus patriarcham Noe (2 Petr. 2,5).

PRAECURSOR. Ad regiam dignitatem pompamque spectat, ut rex non prodeat in publicum nisi turba famulorum comite, quorum alii ante eum incedunt, ut quae regi et comitibus impedimenta viae esse possent removeant, viam ab hominum concursu reddant immunem et apertam. Monet Samuel exponens ius regis fore ut rex filios populi ad eiusmodi munus sibi tollat (hebr. et current ante currum eius, 1 Reg. 8,11). Et cum Absalom regiam dignitatem appetere inciperet, fecit sibi quinquaginta viros qui praecederent eum (2 Reg. 15,1). Simili modo S. Ioannes Baptista, qui missus erat ut Domino pararet plebem perfectam et qui praedicabat : parate viam Domini, rectas facite semitas eius (Matth. 3,3; Marc. 1,3; Luc. 1,17; 3,4), apte vocatur praecursor Domini. Insigni modo praecursor noster πρόδρομος appellatur Christus qui scil. viam ad caeleste sanctuarium nobis aperuit et primus in illud intravit, ut nos sequi possemus, et suo introitu certam nobis praebet spem eodem pertingendi (Hebr. 6,20). Ubi Ex. 33,2 legitur in Vulg. mittam praecursorem tui angelum, hebr. solum dicitur : mittam ante te angelum.

PRAEDA. Ex iis urbibus vel gentibus quae anathemate erant percutiendae nihil praedae accipere vel retinere licuit (Ios. 6,21; 7,20; 1 Reg. 15,3. 19). Alias in praedam cedebant mulieres, infantes, iumenta et cetera quae in civitate erant. De muliere captiva mandatur Deut. 21, 11-14; omnis autem praeda dividenda erat Deut. 20,14. Praeda autem antequam divideretur, sive vestimentum, sive vas et aliquid in utensilia praeparatum de caprarum pellibus et pilis et ligno, aurum, argentum, aes, ferrum, plumbum, stannum, aut igne aut aqua expiationis lustrari debuit; ita saltem praecipitur post cladem Madianitarum. Eadem occasione etiam statuitur praedam ex aequo esse dividendam inter eos qui egressi sunt ad pugnam et omnem reliquam multitudinem; pars quoque pro Domino i. e. pro sacerdotibus separabatur : una anima de quingentis tam ex hominibus quam ex bobus et asinis et ovibus; pro levitis ex media parte praedae filiorum Israel statuebatur quinquagesimum caput hominum et animantium (Num. 31,20-30). Prae-

dam esse divisam etiam cum illis qui non pugnaverant, exemplis ostenditur Ios. 22,8 et David quoque istam legem contra recalcitrantes sustinuit : aequa enim pars erit descendentis ad praelium et remanentis ad sarcinas et similiter divident; atque eam legem valuisse in Israel « usque in diem hanc » sacer auctor asserit 1 Reg. 30,22-25. Etiam 2 Mach. 8,28. 30 legimus : debilibus et orphanis et viduis diviserunt spolia — plures praedas diviserunt aequam portionem debilibus, pupillis, viduis, sed et senioribus facientes. Parta victoria ingenti cum gaudio praedam esse occupatam, sacri auctores comparationibus declarant : laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa (Ps. 118,162) et laetabuntur coram te sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia (Is. 9,3). Abraham decimas dedit ex praeda capta (Gen. 14,20). Ita postea quoque pars quaedam praedae Domino consecrari solebat : David gladium Goliath in sanctuario reposuit (1 Reg. 21,9); vasa aurea, argentea, aerea et argentum et aurum de universis gentibus quas subegerat rex David Domino sanctificavit (2 Reg. 8,10-12); cf. 1 Par. 26,27 et Asae regis tempore 2 Par. 15,11 de manubiis et praeda Domino immolaverunt boves septingentos et arietes septem millia. Iam olim parta victoria de Madianitis principes ex sua praeda offerebant donaria Domino Num. 31,49-54; Gedeon quoque ex praeda Ismaelitarum, ex inauribus, purpura etc. fecit ephod (Iud. 8,24-27). Philisthaei etiam ex praeda dona ponere in templo idolorum solebant; cf. 1 Reg. 5,2; 31,10. Ducibus etiam partes praeclarae concedebantur; cf. Iud. 8,24; 1 Reg. 20,26; 2 Reg. 12,30; 2 Par. 24,23.

PRAEDO is quandoque dicitur in Vulg. qui vi et violentia alios interitui addicit, regiones devastat et bello praedam agit; cf. Iob 12,6; Ier. 4,7; 48,8; ceterum vide s. v. LATRO.

PRAEPUTIUM. Uti circumcisio dicitur obvia translatione et de circumcisis et de eo quod lege docente cohibitione malarum cupiditatum et puritate in ipsa illa caerimonia significatur, ita utraque metaphora praeputium quoque adhibetur. Et priore quidem modo dicitur v. g. Rom. 2,26 : si praeputium iustitias legis custodiat i. e. gentiles qui circumcisi non sunt; Gal. 2,7 : evangelium praeputii i. e. evangelium gentibus annuntiandum Paulo commissum est; Eph. 2,11 : vos gentes in carne qui dicimini praeputium. Altero sensu sermo fit de praeputio cordis, quod circumcidi debeat Deut. 10,16; unde praeputium cordis idem dicit quod incircumcisum esse corde; unde monentur : auferte praeputia cordium vestrorum Ier. 4,4. Iudaei apostatae signum foederis tollere studebant 1 Mach. 1,16 et fecerunt sibi praeputia, cutem artificio attrahere studebant. Qui modus ἐπισπασμός vocatur. Unde 1 Cor. 7,18 : circumcisus aliquis vocatus est? μὴ ἐπισπάσθω, non adducat praeputium (Vulg.). De Iudaeis illis, de quibus agitur 1 Mach. 1,16, Iosephus scribit τὴν περιτομὴν ἐπεκάλυψαν. Antiquo tempore circumcisio ita fiebat, ut solum pars praeputii abscinderetur; quare pars relicta longiore attractione ita paulatim potuit extendi, ut circumcisio iam non animadverteretur. Quod ut aboleretur, Talmudistae modum circumcisionis talem induxerunt, ut iam illa obtectio neutiquam fieri posset (cf. *Friedreich,* Zur Bibel H. p. 162; *Buxtorf,* Lex. chald. talm. rabb. s. v. מְשׁוֹךְ col. 1274).

PRAESES. Uti Pilatus a Iosepho quandoque vocatur ἡγεμών (Ant. XVIII. 3,1), quamvis proprius dignitatis et officii titulus esset ἐπίτροπος procurator, ita in libris quoque novi foederis praeses ἡγεμών adhibetur; cf. Matth. 27,2. 11 etc. Luc. 20,20; eodem modo Felix vocatur praeses Act. 23,24. 26. 33; 24,1. 10; item Festus Act. 26,30. Quo sensu vero dicatur Luc. 2,2 praeses Syriae Cyrinus, vide s. v. CYRINUS. Praeses dicitur Esdr. 7,25 דַּיָּן quod nomen utique iudicandi et administrandi potestatem denotat.

PRAETORIUM vocatur palatium, in quo procurator provinciae habitabat. Unde palatium illud in quo Pilatus cum esset Ierosolymis degebat eo nomine

designatur; cf. Matth. 27,27; Marc. 15,16; Ioan. 18,28 etc. Praetorium Pilati ubinam situm fuerit, multum controvertitur. Inde a saeculo 13. traditio illud collocat iuxta Antoniam arcem, a qua ea, quae hodie dicitur, Via Dolorosa Calvariam usque ducit; eam traditionem tuentur *Rosenmüller*, Bibl. Altert. II. 2, p. 228; *K. Wieseler*, Chronol. Synopse der vier Evang. 1843, p. 407. 408; *J. Fahrngruber*, Nach Ierusalem, 1890 I. p. 153 ss.; *B. Weiss*, Leben Iesu, 1902, p. 521-2. Alii provocantes ad traditionem ante saeculum 7. vigentem quaerunt praetorium Pilati in valle ad occidentem templi prope portam *Bāb el-Silsele;* cf. *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui, 1899, I. p. 349-359; *C. Mommert*, Das Praetorium des Pilatus 1903; *Guide hist. et prat.* La Palestine, 1904, p. 99 ss. Alii denique censent praetorium Pilati fuisse palatium ab Herode I. Magno in superiore urbe (in colle austro-occidentali) exstructum; cf. *Friedlieb*, Archaeol. der Leidensgesch. 1843, p. 99. 104; *J. Belser*, Gesch. des Leidens etc. 1903, p. 314. 333.

Praetorium Herodis Caesareae dicitur palatium ab Herode exstructum, in quo procurator provinciae residebat, quod palatium erat eius domus praetoria Act. 23,35. Cf. *Cicero* Verr. II. 5,30 : illa domus praetoria (Syracusis), quae regis Hieronis fuit. De aedificiis et munitionibus Caesareae ab Herode I. erectis cf. *Flav. Ios.* Ant. XV. 8,5; 9,6; XVI. 5,1; Bell. iud. I. 21,5-8.

Si apostolus scribit : ita ut vincula mea manifesta fierent in omni praetorio Phil. 1,13, cum Romae scribat, intellegenda sunt castra militum praetorianorum, quae Romae constituerat Tiberius, uti Suetonius scribit : Romae castra constituit quibus praetorianae cohortes, vagae ante id tempus et per hospitia dispersae, continerentur (Tiberius n. 37). Paulus Romae erat cum custodiente se milite in suo conducto (Act. 28,16. 30); quare per milites vincula eius in castris manifesta fiebant « in Christo » i. e. inserviebant ad notitiam et doctrinam Christi spargendam.

PRANDERE, PRANDIUM. Ponitur in Vulg. pro ἀριστᾶν, ἄριστον; ita 3 Reg. 13,7 LXX (hebr. confortare); Tob. 2,1; 12,12; Dan. 13,13; 14,33. 36; Matth. 22,4; Luc. 11,37. 38; 14,12; Ioan. 21, 12. 15. Additur autem in Vulg. Esth. 5,12; Tob. 2,3; 7,9. Significavit ἄριστον apud Graecos antiquiores ientaculum, cibum qui mane sumitur, et eo sensu etiam adhibetur Ioan. 21,12. 15. Nam postquam nocte illa apostoli nihil prendiderunt, mane facto Iesus stetit in litore et mox discipulos invitat : venite, prandete ἀριστήσατε. Verum Graeci posteriores eo nomine appellabant etiam τὸ μεσημβρινὸν δεῖπνον i. e. quod Romani prandium vocabant. Et id intellegi potest Tob. 2,1, in quo iuxta LXX ὄψα πολλὰ posita erant; item Dan. 13,13 assignatur hora prandii circa meridiem, uti consequitur ex v. 7 et 15; Luc. 14,12 prandium et coena, ἄριστον, δεῖπνον distinguuntur : cum facis prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos; Dan. 14,33. 36 pulmentum, ἔψεμα (edulium aqua coctum) quod coxerat Habacuc et panes quos intriverat in alveolo vocantur prandium; tempus quoque meridiei erit intellegendum, quia ibat in campum, ut ferret cibum messoribus. Sed Matth. 22,4 ἄριστον dici videtur de coena, de convivio vespere celebrato, uti ex parabola colligitur, cum dominus iubeat eum qui non habebat vestem nuptialem eiicere in tenebras; insuper convivium nuptiale vespere haberi solebat (cf. Matth. 25,1 ss.; Luc. 12,36). Etiam S. Hieronymus adhibuit vocem prandii Tob. 7,9, ubi tamen coena intellegi debet; nam statim 8,1 narratur : postquam vero coenaverunt etc. et ex ipsa narratione sequitur noctem iam incubuisse.

Hora vescendi Ruth 2,14 est tempus circa meridiem; nam postquam Ruth cum messoribus comedit, colligit in agro spicas usque ad vesperam; sed cibus ille erat satis simplex : comede panem et intinge buccellam tuam in aceto; accedunt grana frixa. De vespera autem dicitur Booz comedisse et bibisse factusque esse hilarior. Unde in ea narratione prandium et coena eo more et tempore describuntur quo habebantur apud Romanos. Convivium quod Iacob instruxit Gen. 31,54 vespere cele-

brabatur, uti sequitur ex וַיָּלִינוּ et v. 55. Ioseph fratres suos ad epulas vocat meridie Gen. 43,16. Eliae cibus affertur a corvis cotidie mane et vespere, panis scil. et carnes 3 Reg. 17,6. Utrum Iudaei epulas potiores habuerint meridie an vespere non satis clare effertur; vespere plerumque opinantur. Helluones utique iam mane sese ingurgitare solebant : vae tibi terra, cuius principes mane comedunt Eccl. 10,16; vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis (Is. 5,11). Etiam Benadad rex Syriae meridie bibebat temulentus in umbraculo suo et reges triginta duo cum eo (3 Reg. 20,16). Coena paschalis versus vesperam celebrabatur. Servus ille qui de agro domum regreditur, iubetur parare domino quod coenet (Luc. 17,7. 8), certe vespere. At coena in Bethania non videtur vespere fuisse; nam ea narrata refertur multos ex Iudaeis illuc venisse, ut Iesum et Lazarum viderent; in crastinum autem perrexit Iesus in Ierusalem (Ioan. 12,1. 9. 12). Essenos scribit Iosephus post quintam a solis ortu horam lotos precibus peractis panem et unum comedere pulmentum (ἔδεσμα), coenare autem tempore vespertini crepusculi (Bell. iud. II. 8,5).

Aegyptii in monumentis exhibentur sedentes ad mensam; idem mos erat antiquioribus Graecis, Romanis, Hebraeis; sede et comede de venatione mea, dicit Iacob ad Isaac (Gen. 27,19); fratres Ioseph sedent ad mensam Gen. 42,33 et Iud. 19,6 legitur : sederunt simul et comederunt et biberunt; pariter ait David : ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum 1 Reg. 20,5; cf. v. 24. 25; 3 Reg. 13,20; Prov. 23,1. Sed accumbere ad mensas solebant in epulis luxuriosis (Am. 2,8; 6,4 hebr.) et mos erat Persarum; cf. Esth. 1,6; item legitur Tob. 2,1 graece ἀνέπεσα τοῦ φαγεῖν. Idem mos cernitur in libris novi foederis; ita Matth. 9,10 αὐτοῦ ἀνακειμένου discumbente eo; item 26,7. 20 ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα discumbebat et Marc. 2,15; 6,22; 14,3. 18; Luc. 5,29; 7,36 κατεκλίθη; 11,37 ἀνέπεσεν; 14,10; Ioan. 12,2; 13,12. 23. Unde facile intellegitur : erat recumbens unus ex discipulis in sinu Iesu, et 21,20 recubuit in coena super pectus eius. Qui mos adeo erat consuetus, ut in locutione translata quoque idem loquendi modus appareat : recumbent ἀνακλιθήσονται cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum Matth. 8,11. — Mulieres vero si quae conviviis intererant ad mensam sedebant, qui mos etiam apud Romanos valebat (*Suetonius*, Claud. 32 more vetere ad fulcra lectorum sedentes vescebantur). Epulis sacrificalibus mulieres intererant (Deut. 16,11; cf. Ex. 12,3); de aliis cf. Ioan. 2,3; 12,2. 3.

PRESBYTER. Nomen est aut aetatis aut dignitatis. Notione priore legitur v. g. Eccli. 6,35 : in multitudine presbyterorum prudentium sta et sapientiae illorum ex corde coniungere; et 7,15 : noli verbosus esse in multitudine presbyterorum; cf. 8,9 et 25,6. Notione dignitatis in vetere foedere dicuntur ii qui nobiliores et auctoritate valentes publica res civitatis consilio suo administrabant et saepe quoque munere iudicum fungebantur. Eo significatu nominantur presbyteri Esdr. 6,8; Iudith 6,20; 8,9. 21. 28; 10,6; 13,14; 15,9; Eccli. 4,7. Ceterum aliis in libris appellantur seniores; unde vide s. v. SENIORES. Qui in Dan. 13,28 presbyteri dicuntur, iudices constituti erant, ad quos veniebant omnes qui habebant iudicia, qui illud falsum testimonium contra Susannam professi a Daniele sceleris convicti sunt; cf. 13,34. 36. 61.

In libris novi foederis presbyteri sunt ii quos apostoli coetibus Christifidelium praefecerunt, ut eos regerent, docerent et sacra peragerent, quos itaque apostoli tamquam vicarios suos constituerunt; cf. Act. 14,22. Nominantur in concilio hierosolymitano simul cum apostolis Act. 15,2; cf. 1 Tim. 5,17. 19: qui bene praesunt presbyteri duplici honore digni sunt; adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus — quibus et eorum auctoritas et periculum invidiae designatur. Titus monetur, ut per civitates constituat presbyteros, sicut apostolus ei iam antea praecepit (Tit.

1,5). Ut ministros sacrorum eos describit S. Iacobus 5,14. 15. Nomen quidem petitum est ex antiquo foedere; at munus eorum erat multo sublimius; nam in libris novi foederis presbyteri iidem sunt qui episcopi vocantur; cf. Act. 20, 17 (πρεσβυτέρους). 28; Tit. 1,5. 7; vide s. vv. EPISCOPUS, SENIORES.

PRIAPUS. Sacra Priapi, simulacrum Priapi nominantur in Vulg. 3 Reg. 15,13 et 2 Par. 15,16; utroque loco in hebr. refertur, Maacham matrem Asa regis fecisse abominabile (horrendum) in honorem Asherae i. e. Astartes (vide s. v. BAAL); erit itaque simulacrum vel symbolum obscoenum quod iuxta aram eius collocabatur. Quare quod in Vulg. habetur, rem satis declarare videtur; nam 4 Reg. 23,7 (cf. hebr.) effeminatos i. e. scorta masculina cultui et servitio Asherae fuisse addicta comperimus.

PRIMITIAE. Honora Dominum de tua substantia et de primitiis omnium frugum tuarum da ei (Prov. 3,9; cf. Eccli. 7,34; 35,10). Raro in libris sapientialibus praecepta legis commemorantur; praeceptum de primitiis tamen in memoriam revocatur. Hoc autem praecepto cautum erat, ut Iudaei memores essent Deum esse dominum terrae et se esse eius colonos (vide s. v. POSSESSIO). Id etiam profitebantur, cum primitias deferrent ad sanctuarium, uti Deut. 26,1-10 praescribitur. Primitiae autem deferendae erant in domum Dei, neque collocabantur in altari, sed cedebant in usum sacerdotum (Lev. 2,12; 7,14; Num. 5,9; 18,8. 11. 19. 28; Deut. 12,6. 17; Eccli. 45,25). Primitiae autem erant dandae ex frumento, vino, oleo, ex fructibus arborum, ex lana in ovium tonsione (Deut. 18,4); quantum autem dandum sit non determinatur. Primitiae frugum agrorum et arborum in cartallo erant asportandae ad sanctuarium (Deut. 26,2), primitiae vinearum et olivarum dabantur musto (vino) et oleo (Deut. 18,4). Dein sicut de areis primitiae erant separandae, ita primitias quoque panis cocti ex novo frumento dare oportebat (Num. 15,18-21 hebr.). Si quis arborem frugiferam plantaverat, fructus anni quarti Domino erant consecrandi; poma primorum trium annorum si qua orta essent erant immunda; fructus demum anni quinti in usum cedebant communem (Lev. 19,23-25). Demum altero die paschatis, die 16. Nisan, manipulus spicarum, primitiae messis, erat offerendus (Lev. 23,10-12); item die pentecostes panes primitiarum duos de duabus decimis similae fermentatae coqui oportebat in primitias Domini; isti cum aliis sacrificiis elevabantur coram Domino et cedebant in usum sacerdotis offerentis (Lev. 23,17-20). Pro primitiis autem praestantissima quaeque et optima esse seligenda, Num. 18,12 praecipitur, cum dicatur : omnem medullam (חֵלֶב pinguedinem, i. e. optimum) olei et vini et frumenti, primitias eorum, dedi tibi (hebr.). Tempore Ezechiae regis primitiae mellis quoque dabantur (2 Par. 31,5). Reduces ex exsilio sub Nehemia primitias se daturos esse sponderunt (Neh. 10,37), quas neglegenter aut omnino non datas esse Mal. 3,8 reprehenditur. Eiusmodi praeceptis obsequi documentum est pietatis (cf. 1 Mach. 3,49). Commemoratur 4 Reg. 4,42 virum quendam attulisse ad Eliseum prophetam panes primitiarum et frumentum novum in pera sua, quae res satis est singularis, cum Eliseus non esset sacerdos; sed panis primitiarum intellegi commode potest panis ex frumento novo ex prima messis parte coctus; proin distingui potest inter primitias panis et panem primitiarum.

Usus eius vocis translatus iam facile patet. Ita Israel dicitur primitiae frugum (proventus) Domini Ier. 2,3, quia Deus eum populum sibi prae ceteris elegit et quia erat primus populus in quo cultus Dei et regnum Dei constituebatur. Similiter qui primi ex Achaia Christo nomen dederunt, primitiae Achaiae vocantur 1 Cor. 16,15, itemque qui ex Thessalonicensibus primi electi sunt, primitias dicit Apostolus 2 Thess. 2,12; electi illi quos cernit Ioannes, empti sunt ex hominibus primitiae Deo et Agno Apoc. 14,4. Christus qui primus ex mortuis ad vitam surrexit gloriosam quem omnes sequentur, primitiae dormientium appellatur 1 Cor. 15,

20. 23. Dona et gratiae quae in hac vita dantur sunt prima quaedam pars eorum quae in patria caelesti electis obtingent; quare primitiae spiritus dicuntur, quibus simul pignus futurorum exhibetur Rom. 8,23 : nos ipsi primitias spiritus habentes gemimus, exspectantes scil. gloriam quae adoptionem consequitur et in gloriosa corporis resurrectione manifestatur. — Praeterea ἀπαρχή in Vulg. etiam vertitur delibatio Rom. 11,16, initium Iac. 1,18. Etiam Num. 18,26, ubi in Vulg. de primitiis mentio fit, in textu hebr. non de primitiis est sermo, sed praecipitur levitis, ut ex decimis quas ipsi percipiunt dent תְּרוּמָה ἀφαίρεμα i. e. decimam decimae Domino.

PRIMOGENITUS. Filius primogenitus duplicem partem hereditatis prae aliis filiis accepit (Deut. 21,17; vide s. v. HEREDITAS); sed propter crimen primogeniti ius eius a patre ad alium transferri poterat (1 Par. 5,1). Primogenitis enim peculiaris quaedam dignitas iam ex eo inerat, quia Dominus Moysi dixerat : sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel tam de hominibus quam de iumentis; quidquid habueris masculini sexus (in primogenitis) consecrabis Deo (Ex. 13, 2. 12; 22,29; 34,19; Lev. 27,26; Num. 8,17; Deut. 15,19). Cur autem primogenita Deo sint sacra, ratio affertur, quia « occidit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti » Ex. 13,15 et Num. 3, 13 : « meum est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Aegypti, sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel ab homine ad pecus, mei sunt; ego Dominus ». Atque in exitu ex Aegypto pro primogenitis totius populi qui essent ad Dei servitium separandi assumpsit Deus levitas : tuli levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel tradidique eos dono Aaron et filiis eius de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo foederis et orent pro eis (Num. 8,18. 19; cf. 3,12. 41. 45); pariter pecora levitarum computabantur pro primogenitis pecorum filiorum Israel (Num. 3,41. 45). In posterum autem statuebantur haec : Primogenitus filius qui patri dabatur (vel ab uxore prima vel ab alia; cf. Deut. 15,19) cum esset iure servitio divino consecrandus, debuit redimi quinque siclis (Ex. 13,23; 22,29; 34,20; Lev. 27,6; Num. 18,15. 16) et quidem post mensem (Num. l. c.); cum l. c. dicatur primogenitos esse afferendos, sistendos Domino (hebr.), et Deut. 12,17 et 14,23 et 15,19 primogenita boum et ovium esse comedenda coram Domino in loco quem elegerit Dominus, videtur iam ab initio in usu fuisse, ut afferrentur ad sanctuarium, uti fieri videmus Luc. 2,22.

De animalibus haec statuuntur : primogenita masculina (Ex. 13,12; Deut. 15,19) bovis et ovis et capreae erant sacrificanda modo hostiarum pacificarum (Num. 18,17. 18) et ex carnibus epulae sacrificales instituebantur (Deut. 15,20) et ita quidem, ut quae ad sacrificium apta essent non liceret redimi (Num. 18,17); septem diebus sint cum matre sua; die octava reddes illa Domino (Ex. 22,30). Si vero haec primogenita haberent maculam, qua redderentur inepta ad oblationem, si essent clauda, caeca, deformia vel debilia, « intra portas tuas comedes illud, tam mundus quam immundus similiter vescentur eis » (Deut. 15, 21 s. cf. Lev. 22,22). Animal immundum, asinus, non poterat offerri nec comedi; unde primogenitum asini mutabis ove; quod si non redemeris, interficies (Ex. 13,13; 34,20; Num. 18,15); de qua redemptione norma statuitur Lev. 27,27, ita scil. ut ad aestimationem addatur quinta pars pretii aestimati.

Immerito quidam asserunt legem in Deuteronomio datam esse aliam et plane discrepare. Nam quod Deut. 15, 19 legitur : de primogenitis... sanctificabis Domino, statuit ea esse sanctificanda Domino; modus hic non additur; debet itaque desumi ex prioribus; neque ex eo quod in Deuteronomio non est sermo de primogenitis animalium immundorum et de eorum redemptione, statuitur quidquam contrarii; nam Deut. 12,6. 17 sermo fit de primogenitis boum et ovium, quae comedenda sint coram Domino, scil. sacrificio facto epulis sacrificalibus, uti hic supponitur et iam Num. 18,17. 18 erat praescri-

ptum. Idem habes Deut. 14,23 et 15,20; ergo illud de asino omittitur quidem, at non negatur.

Eodem modo quo primitiae Deo erant sacrae, primogenitis oblatis Deus agnoscebatur dominus omnium, sed peculiari ratione habita quod populum sibi acquisierit et ex servitute redemerit occisione primogenitorum in Aegypto.

Pronum est primogenita quoque praecipue aestimari et in honore haberi. Id iam indicatur eo quod Abel de primogenitis gregis sui sacrificium obtulit (Gen. 4,4), quod saepe in genealogiis primogeniti mentio fit explicita; ita Iacob quoque Ruben primogenitum vocat, qui ut talis sit « robur meum et initium virium mearum « (Gen. 49,3 hebr. roboris scil. ad generandum); cf. Gen. 10,15; 22,21; 25,13. Primogenito duplex pars hereditatis prae aliis obtingebat et apud patriarchas primogenito benedictio ac promissio transmittebatur; quare Iacob ad Esau : vende mihi, inquit, primogenita (Gen. 25,31) et Esau qui pro esca illa vendidit homo vocatur profanus (Hebr. 12,16). Ceterum cf. Gen. 27,19 ss. In filiis ancillarum Iacob sedulo annotatur qui fuerit primogenitus; item Gen. 38,6; 41,51; ad mensam accumbere eos facit Ioseph secundum ordinem nativitatis : primogenitus iuxta primogenita sua (Gen. 43,33) et Ioseph quoque primogenito suo potiorem a Iacob conferri vult honorem (Gen. 48, 18). At sicut Deus liberam sibi electionem servavit in Iacob relicto Esau primogenito, ita in Ephraim quoque prae Manasse primogenito; similiter postea non electus est filius primogenitus David, ut regnum eius susciperet, sed Salomon. Apud alias quoque gentes maior quaedam dignitas primogenito inesse censebatur; ita rex Moab arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit in summis angustiis holocaustum super murum (4 Reg. 3,27). Quae dignitas et electio Israel prae aliis gentibus etiam eo declaratur, quod Israel appellatur a Domino filius meus primogenitus (Ex. 4,22), similiter Ephraim (Ier. 31,9). Ad excellentiam dignitatis declarandam Christus quoque vocatur primogenitus in multis fratribus (Rom. 8,29), primogenitus ex mortuis (Col. 1,18; Apoc. 1, 5), primogenitus i. e. filius praeclarae maiestatis Col. 1,15; Hebr. 1,6.

I. KNABENBAUER.

PRINCEPS ponitur in Vulg. communiter pro hebr. שַׂר, נָשִׂיא, רֹאשׁ; frequentissime nomen hoc inditur iis qui capita erant tribuum, cognationum, familiarum; cf. Num. 2,3 ss.; 1 Par. 2, 10; 5,2 ss.; eodem nomine designantur duces militum, magistratus civitatum itemque etiam qui genti alicui cum imperio praesunt, auctoritate sua in alios multum valent et nobilitate originis praestant. Vocatur pontifex princeps sacerdotum (vide s. v. PONTIFEX). — Quatenus mundus consideratur oppositus regno Dei eique inimicus, diabolus qui regnum Dei oppugnat et creaturam quoque servitute corruptionis sibi subiicere tentat, appellatur princeps huius mundi (Ioan. 12,32; 14,30; 16,11).

PRINCIPATUS, ἀρχή. Nomen inditur a S. Paulo alicui ordini angelorum et etiam daemonum, quatenus aliquam dominationem in alios exercent et potentia valent; cf. Rom. 8,38; 1 Cor. 15, 24; Eph. 1,21; 3,10; Col. 1,16; 2,10. 15. Semel etiam ἐξουσία eadem voce in Vulg. redditur Eph. 1,12 : super omnem principatum et potestatem (ἀρχήν).

PRINUS semel tantum in s. litteris legitur Dan. 13,58 : sub prino (ὑπὸ πρῖνον); accusatori iniquo reponit Daniel iudex v. 59 : recte mentitus es et tu in caput tuum; manet enim angelus Domini gladium habens, ut secet te medium (Theodotion πρίσαι σε μέσον, LXX ἵνα καταπρίσῃ σε). Voce graeca πρῖνος (v. Lexica graeca) indicatur arbor generis quercus scil. *Quercus coccifera* Linné vel *Qu. ilex* Linné. Praeterea v. s. v. SCHINUS.

PRISCA (Πρίσκα), uxor Aquilae, mulier christiana : salutate Priscam et Aquilam, adiutores meos in Christo Iesu (Rom. 16,3; 2 Tim. 4,19). Legitur quoque Πρίσκα 1 Cor. 16,19 : salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla (Vulg.) cum domestica sua ecclesia, apud quos et hospitor. Ceterum

Act. 18,2. 26 eadem vocatur Priscilla (Πρισκίλλα) nomine deminutivo, uti apud Latinos habetur Livia, Livilla; Drusa, Drusilla; Quinta, Quintilla etc.; alia vide s. v. AQUILA.

PRISCILLA v. PRISCA.

PROBATICA, ἡ προβατικὴ scil. πύλη, porta ovaria; erat scil. piscina Bethesda ἐπὶ τῇ προβατικῇ Ioan. 5,2, quo loco codices longe plerique Vulg. habent : est autem Hierosolymis *super probatica* piscina.

PROBLEMA, hebr. חִידָה, dicitur Iud. 14,12 ss. aenigma illud quod Samson proposuit civibus Thamnathae : de comedente exivit cibus et de forti egressa est dulcedo. Vocatur idem in Vulg. propositio : si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam (Iud. 14,18).

PROCHORUS (Πρόχορος), unus ex septem diaconis, qui in ecclesia hierosolymitana eligebantur (Act. 6,5). Fertur primus fuisse Nicomediae episcopus.

PROCONSUL (ἀνθύπατος), praeses provinciae senatoriae; Augustus enim diviserat provincias romanas in caesareas et senatorias. Qui prioribus praeficiebantur dicti sunt legati Caesaris, legati pro praetore, propraetores, consulares provinciae; qui senatoriis praeerant, proconsules erant. « Provincias validiores, scribit Suetonius (Octav. 47), et quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, ipse suscepit, ceteras proconsulibus sortito permisit et tamen nonnullas commutavit interdum ». Quare intellegitur, cur divisio et enumeratio provinciarum alia reperiatur v. g. apud Strabonem (XVII. 3,25), alia apud Dionem Cassium (53,12 et cf. 13. 14). Proconsules nominantur Sergius Paulus in Cypro insula Act. 13, 7. 8. 12; Gallio in Achaia Act. 18,12. Quod legitur Act. 19,38 : « conventus forenses aguntur et proconsules sunt, accusent invicem », numerum pluralem explica pluralem categoriae, ut aiunt.

PROCURATOR. In Vulg. legitur procurator Gen. 15, 2, de quo textu vide *F. de Hummelauer,* Comm. in Genes. p. 388; voce procuratoris explicatur ibi officium servi Abraham, quod Gen. 24,2 ita exhibetur : qui praeerat omnibus quae Abraham habebat. Esth. 8,9 et 9,3 ea voce declaratur hebr. פַּחָה qua voce administrator provinciae, vel praefectus designatur. Ea appellatione nominatur Lysias, sed alia significatione; erat enim ἐπίτροπος, procurator regis i. e. tutor, cui cura regis iunioris, Antiochi V. commissa erat, et quam curam ipse sibi etiam post mortem Antiochi IV. arrogavit (2 Mach. 11,1 ; 13,2; cf. 1 Mach. 3,32 ss.; 6,14-17; vide s. v. LYSIAS). Eodem nomine vocatur administrator rei domesticae, et negotiorum variorum Luc. 8,3; item qui curam gerit vineae, praediorum Matth. 20,8. Tempore Imperatorum romanorum procurator is quoque vocabatur, cui ab Imperatore administratio alicuius regionis vel partis alicuius provinciae romanae commissa erat, quae ob regionis vel populi indolem in iustam provinciae formam non erat redacta nec iure romano regebatur. Procurator pro arbitrio Imperatoris potestatem accipiebat. Eiusmodi procuratores administrabant Iudaeam et Samariam ab anno 6-41 p. Chr. et totam Palaestinam 44-66 p. Chr. Erant tamen legatis Syriae subditi. Sedem habebant Caesareae; at tempore sollemnitatum in Ierusalem residere solebant; cf. s. v. PRAETORIUM. Eo tamen significatu procurator non legitur in Vulg.; ponitur notio magis generalis : praeses, ἡγεμών; ita designantur Pilatus, Felix, Festus (Matth. 27,2 etc. Act. 23,24 ss.; 24,1; 26,30).

Procuratores romani, qui Iudaeam et Samariam administrabant, fuerunt annis circa 6-9 p. Chr. Coponius; circa 9-12 Marcus Ambibulus (codd. Ἀμβιδουχος); circa 12-15 Annius Rufus; 15-26 Valerius Gratus; 26-36 Pontius Pilatus; 36-37 Marcellus; 37-41 Marullus. Deinde totam Palaestinam administrabant annis 44—(?) Cuspius Fadus; annis (?)—48 Tiberius Alexander, 48-52 Ventidius Cumanus; 52-60 Felix, frater Pallantis; 60-62 Porcius Festus; 62-64 Albinus; 64-66 Gessius Florus. — Cf. *E. Schürer,* Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 I. p. 454-507 et 564-585.

PROFLUVIUM SANGUINIS Lev. 12,7 vide s. v. IMMUNDITIA; Marc. 5,25 vide s. v. MORBI.

PROPHETA. Eo nomine designantur viri a Deo missi qui nomine Dei eiusque iussu mandata Dei ad populum, ad reges, ad omnes ordines perferebant. Sunt itaque quasi organa quibus Deus utebatur ad populum docendum, reprehendendum, consolandum. Promissio et institutio muneris prophetici continetur Deut. 18,9-22; descriptio et definitio exhibetur Ex. 4,15 et 7,1; Aaron scil. dicitur propheta Moysis, quia Moyses debet ea quae dicenda sunt in ore eius ponere. Quamvis praedictio rerum futurarum minime sit praecipua res in officio prophetarum, tamen haud raro et in rebus publicis et in privatis eo quoque dono a Deo instruebantur; idque Deut. l. c. populo aperte promittitur fore, ne ad artes magicas et divinatorias diffluerent. Atque eo munere fungi prophetas deprehendimus; ita propheta consulitur de asinis Saulis deperditis 1 Reg. 9,6 ss. et Ochozias non reprehenditur quia scire volebat, num posset surgere ab infirmitate, sed quia misit ad deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel (4 Reg. 1, 2 ss.). Praecipue vero illis incumbebat, cultum Dei et veram pietatem promovere. Quare vehementer in scelera invehuntur, foedera cum externis reprobant, idololatriam oppugnant, contumacibus poenas divinas denuntiant; toti populo exsilium in poenam peccatorum fore annuntiant, sed simul reditum ex exsilio et instaurationem theocratiae, regnum messianum universale et sanctitate conspicuum praedicunt. Quae omnia iis praeclare illustrantur, quae de Elia, Eliseo, Isaia, Ieremia etc. nobis tradita sunt vel ex eorum scriptis produntur.

Variis nominibus appellantur; vocantur enim videntes, viri Dei, speculatores, servi Domini. Quibus nominibus et ratio muneris et missio a Deo et modus indicatur quo res divinitus eis communicantur. Eliguntur scil. a solo Deo, non ex certa quadam tribu, sed « de fratribus tuis »; quandoque theophania vocantur (cf. Is. 6; Ier. 1; Ez. 1). Agunt et loquuntur speciali Dei impulsu; quare toties apud illos legitur : haec dicit Dominus; Deus enim in iis loquitur, iis aurem revelat, verba ponit in cordibus eorum; ibi ardet verbum Dei, ita ut nequeant illud retinere (cf. Is. 50,4; Ier. 20,9; Am. 3,8; Zach. 1,10. 13; 2,2. 7); verbum Dei uti cibum comedere iubentur (Ier. 15,16; Ez. 2,8; 3,3), sentiunt se impelli a Domino; unde illud : facta est super eum manus Domini (Ez. 1,3; 3,22; 8,1). Modus communicationis divinae declaratur Num. 12,6 : si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum. Quantum ex libris prophetarum colligitur, modus per somnium raro habetur (cf. Ioel 2,28; Dan. 7,1); uti ex nomine videntis (רֹאֶה, חֹזֶה), visionis, « verbum quod vidit » concluditur, visione res accepisse plerumque censendi sunt. Quae visio exemplis consideratis triplex distingui potest : revelatio scil. qua sensibus externis quaedam obiiciuntur et proponuntur (cf. 1 Reg. 3,4 ss.; Dan. 5,25), qua sensibus internis rerum symbola et imagines exhibentur (Am. 8,1; 9,1; Ier. 1,13; 24,1; Ez. 2,9; 37,1 etc.) et demum revelatio, qua Deus menti prophetae res vel ideas rerum inspirat, arcana sua consilia menti pandit et temporum futurorum adumbrationem animo indit. Hisce quandoque adiungitur ecstasis (cf. Is. 6; Ez. 8. 12. 40; Dan. 8,2).

Ex modo quo res prophetae exhibitae sunt declaratur ratio loquendi. Ea enim propheta loquitur quae vidit. Quare fit, ut saepe solum ideas in se delineet; v. g. salutem messianam in se, non habita ratione, quando, per quae intervalla, in quantum propter hominum liberam oppositionem vel acceptationem et cooperationem in effectum sit deducenda. Huic cognatum est res cerni adeoque describi neglecta temporum condicione, ita ut primum initium et ultimus finis alicuius eventus una descriptione quasi intime copulata appareant; sic regni vel urbis ruina quae forte per plurimos annos paulatim erit efficienda, simul tota et integra describitur (cf. Is. 13,1 ss.), vel causa simul cum omnibus effectibus depingitur, vel normae enuntiantur generales providentiae ac gubernationis di-

vinae, ita ut nullo modo significetur, quoties, per quae incrementa et per quas rerum et condicionum series illae normae sint exsequendae. Quem videndi loquendique modum haud inepte *opticum* vocant; sicut enim nobis stellae, licet ingentibus inter se spatiis dissitae, eadem in serie ac linea apparent, vel sicut e longinquo montium cacumina eaque quasi proxime inter se vicina videmus, ita vates res quasi in eadem planitie immediate coniunctas cernunt et describunt interna illa propinquitate solum considerata quae ex nexu ideali enascitur.

Res rerumque notiones symbolis menti prophetarum obversantur saepe. Unde aliud consequitur. Nam ut ea symbola a propheta intellegantur, ita comparata esse oportet, ut ex iis quae prophetae nota sunt et familiaria depromantur. Ita res messianae depinguntur imaginibus ex institutionibus veteris foederis petitis; cultus Dei ad modum cultus veteris exhibetur (cf. Is. 56,6. 7; 60,7), sanctitas tamquam mundities levitica (Zach. 14,16. 20. 21) vel tamquam abolitio idololatriae (Mich. 5,12); item prosperitas regni messiani proponitur coloribus ex regno Davidis et Salomonis petitis (Ps. 71; Ier. 23,5; Mich. 4,4) vel tamquam populi Israel in terra sua felicitas (Ez. 36,8 ss.; 40-48); gentium in regnum messianum collectio exhibetur veluti peregrinatio ad montem Sion vel ut aedificatio urbis Ierusalem amplissima, ut oboedientia et obsequium Israelitis a gentibus praestandum (cf. Is. 2,2; 14,2; 49, 20; 54,1 ss.; 60,10. 11; Mich. 4,1; Ez. 17, 22; Ps. 86 etc.). Dei cum populo messiano commercium adumbratur imagine nubis, arcae, tabernaculi (Is. 4,6; Ez. 37,27); Messias tamquam bellator depingitur (Ps. 2; 44; 109; Is. 59,17; 63,1); hostes regni messiani nomine gentium Israelitis inimicarum designantur etc.

Qui loquendi modus ut rite intellegatur neve nimis mirus et alienus videatur, adverti debet notiones rerum non tantum verbis exprimi, sed etiam imaginibus quasi figuris et picturis repraesentari. Iam si v. g. adoratio *plastice* exhibenda sit, non mirum est hominem veteris foederis eam delineare ad normam, qua praestabatur adoratio in vetere foedere; accedit, quod verus adest nexus inter talem repraesentationem et significationem propheticam. Nam Sion, Ierusalem, Israel, Palaestina etc. in vetere foedere revera sunt et dicuntur urbs Domini, populus Dei cultor, possessio Dei, terra Dei — unde facile concipitur, quomodo hae notiones fere inter se convertantur; quare si iam omnes populi reddendi sunt cultores Dei, omnis terra regio Dei sacra, id apte declaratur ita, ut nomen Israel ad omnes Dei cultores applicetur, ut Sion, centrum veteris regni Dei, simpliciter tamquam centrum regni Dei consideretur etc. Praeterea non desunt indicia apud prophetas rem eo modo concipi. Exemplo sit, quod Ezechiel populum messianum in Palaestina habitantem saepius clare describit; at aeque clare demonstrat Palaestinam non posse intellegi sensu geographico; nam 16,61 populus Dei alias nationes recipit in filias; ex populi Dei sanctitate gentes « ad quas intrastis » scient Dominum 20,41; 28,25; 36,23; 37,28; praeterea multiplicatio populi frequenter promittitur v. g. 36,10. 37; 47,22; verum haec omnia arctis Palaestinae finibus concludi nequeunt.

Dein considerari oportet Vetus Testamentum esse typum, umbram, figuram Novi. Id quod a prophetis quoque satis indicatur, dum eventus anteactos adhibent ad res futuras adumbrandas, vel Messiam nomine David designant, vel ingressum in regnum messianum tamquam liberationem ex Aegypto, ex exsilio babylonico exhibent etc. (cf. Is. 11,15; 40, 1 ss.; 49,5 ss.; Ier. 3,14; 23,5; Ez. 34,23; Os. 3,5). Haec si perpendantur, sine ullo negotio apparebit, quomodo ex una parte v. g. sacrificia vetera dici possint abolenda (Ier. 3,16; 31,31; Mal. 1,10), ex altera tamen ita de iis sermo fiat ac si permanerent tempore messiano (cf. Ier. 33,18; Is. 56,6. 7; 60,7; Ez. 40-48), vel quomodo Messias modo tamquam princeps pacis describatur (Ps. 71; Is. 9,6. 11; 42,1-6), modo tamquam bellator, victor hostium etc. Utrumque enim verissimum est; nam hostes quoque regni Dei tandem superabuntur.

A tempore mosaico adest series con-

tinua prophetarum. Ipso Moyse superstite prophetarunt i. e. impulsu Dei loquebantur septuaginta viri (Num. 11, 24-27; 12,6). Eo defuncto Iosue successit etiam in munere prophetico; cf. Eccli. 46,1 διάδοχος Μωυσῆ ἐν προφητείαις. Neque deerant tempore Iudicum; nam eo munere fungebatur Debora, dein vir Dei tempore Gedeonis, item tempore Heli, tempore Samuelis consuetus erat loquendi modus : venite et eamus ad videntem; neque Saul insolitum censet sibi revelari ea quae in corde habebat (cf. Iud. 4,1; 1,8-10; 1 Reg. 2,27; 9,6 ss.); praeterea apud Ieremiam Deus populum saepe increpat quod a die quo eduxerit eos ab Aegypto usque in diem hanc non cessarit eos contestari et adhortari mittens servos suos prophetas (7,25; 11, 7; 35,15), item Am. 2,11. A tempore Samuelis series continua ex sacris litteris assignari potest: sub Davide Gad, Nathan; tempore Roboam Semeias, Addo (2 Par. 11,2; 12,15), Ahias (3 Reg. 11,29) et alius cuius tacetur nomen 3 Reg. 13,1; tempore Asa Iehu (3 Reg. 16,1. 7; 2 Par. 19, 2; 20,34), Hanani (2 Par. 16,7), Azarias (2 Par. 15,1); tempore Iosaphat Elias (3 Reg. 17 ss.), Michaeas, filius Iemla (3 Reg. 22,8), Eliseus (4 Reg. 2 ss.), Eliezer (2 Par. 20,37), Iahaziel (2 Par. 20, 14); tempore Ioas Zacharias (2 Par. 24, 20); tempore Amasiae duo tacitis nominibus 2 Par. 25,7. 15, eodem fere tempore Ionas (4 Reg. 14,25); tempore Azariae Zacharias (2 Par. 26,5), Amos (1, 1), tempore Oziae (Azariae), Ioatham, Achaz, Ezechiae Osee, Isaias, Michaeas, Abdias, Ionas, Oded (2 Par. 28,9); tempore Manasse Hozai (2 Par. 33, 19) et multi alii (cf. l. c. 18; 4 Reg. 21,10), Nahum, Habacuc; tempore Iosiae Ieremias, Sophonias, Hulda (4 Reg. 22,14), Baruch; tempore Ioacim Urias (Ier. 26,20); inter exsilium Ezechiel, Daniel; post exsilium Aggaeus, Zacharias, Malachias. Exinde iam non apparent prophetae; attamen exspectabatur fore ut Deus iterum mitteret prophetas; cf. Eccli. 36,17; 1 Mach. 4,46; 14,41. Quare intellegitur, cur tanta facta sit in populo commotio, cum Ioannes Baptista in habitu et modo prophetae surgeret.

Videntur prophetae habitu quoque et vestitu quandoque dignosci potuisse; cf. Zach. 13,4 et 4 Reg. 1,8. Quandoque ipsa sua vitae ratione populo praedicare iubebantur; ita Ier. 16; Ez. 4; 12,3; 21, 6; Os. 1, etiam Is. 20. Uti iam verbis institutionis indicatur : ponam verba mea in ore eius, ad res annuntiandas et agendas peculiari opus habebant Dei illustratione et impulsu; neque enim, ut bene notat S. Thomas (2. 2. q. 171 a. 2), lumen propheticum inest intellectui per modum formae permanentis, sed cuiusdam passionis et impressionis transeuntis; cf. 4 Reg. 4,27; 2 Par. 24,20 et S. Hier. in Ez. 35,1. Quodsi ex propria mente loquuntur, possunt errare; verum mox corriguntur a Spiritu Dei; cuius rei exemplum habes in Nathan dicente ad David : omne quod est in corde tuo fac, quia Dominus tecum est, at mox debet receptui canere 2 Reg. 7, 3 ss. Quodsi prophetae renuunt, puniuntur, uti Ionas, et terrentur minis (Ier. 1,17 hebr.; Ez. 33,6; 3 Reg. 13,17).

Indicium quo verus propheta a falso distinguatur traditur Deut. 18,20-22 et enuntiatur a Ieremia : propheta qui vaticinatus est, cum venerit verbum eius, scietur propheta quem misit Dominus in veritate (28,9). Eodem modo Ioannes praecursor Domini vaticinio edito, quod mox eventu probatum est, se a Deo missum ostendit (Matth. 3,11; Luc. 3,16; Ioan. 1,27). Qui se probaverat a Deo missum, si nomine Dei loquebatur, iure divinitus dato oboedientiam exigere poterat; nam qui verba eius quae loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor exsistam (Deut. 18,19). Quare prophetae apud pios erant in magno honore et veneratione (cf. 2 Par. 28,9); verum a malis et pseudoprophetis multis quoque iniuriis vexabantur; cf. 3 Reg. 18,10 ss.; 22,11. 24; 4 Reg. 21,16; 2 Par. 16,7-10; 24,20; Is. 5,19; 28,10; Ier. 20,7; 23,33; 37,1-38,28; Ez. 12,22; Am. 7,10; Mich. 2,6; Mal. 2,17; immo poenam mortis subire coguntur (3 Reg. 18,13; 4 Reg. 21,6; Ier. 26,23; Matth. 5, 12 etc.).

Munus suum publicis contionibus et exhortationibus obibant iis in locis ubi populus coetus publicos et religiosos habebat; cf. Ier. 7,2; 11,3; 19,13; Am.

7,10. Quae ibi pro rerum hominumque opportunitate et necessitate fuse exponebant, ea in compendium redacta et ordine digesta aliqui ex magno prophetarum numero libris consignarunt. Eorum inimici maxime infensi erant pseudoprophetae, qui ad auram popularem captandam ea vaticinabantur quae populus desiderabat et qui loquendi agendique modum prophetarum plane imitabantur (cf. Ier. 28,1 ss.); contra eos severe invehuntur eorum fraudes detegentes et denuntiantes ultionem divinam; cf. Ier. 23,9; 29,8; 14,14; Ez. 13, 1 ss.; Mich. 3,5.

Mulieres quoque munere prophetico quandoque insignitae sunt. Ita Debora (Iud. 4. 5); Isaias uxorem suam vocat prophetissam 8,3; ita Hulda (4 Reg. 22, 14) et Anna (Luc. 2,36).

Etiam in libris novi foederis prophetae ii dicuntur, qui peculiari spiritus Dei impulsu loquuntur, exhortantur, secreta cordium pandunt, futura annuntiant (Matth. 10,41; 23,43; Luc. 11,49; Act. 13,1; 15,32; 1 Cor. 12,28; 14,3. 24 ss.; Eph. 2,20 etc.). Eodem modo dicitur prophetia oratio vel adhortatio ex afflatu divino procedens, sive ad mores emendandos et castigandos sive ad doctrinam tradendam, sive ad res occultas et futuras manifestandas. Ceterum vide s. v. CHARISMATA.

In Vulg. legitur 1 Par. 15,22. 27 : Chonenias prophetiae praeerat, princeps prophetiae; in hebr. habetur verbum בַּוֹשֵׂא, quod LXX exprimunt ἄρχοντα τῶν ᾠδῶν appellantes Chonenian; recentiores vocem referunt ad transportationem arcae.

Vide de munere prophetico, de nomine, institutione, dictione prophetarum etc. *Cornely* Introd. II. 2, p. 267-305; de singulis prophetis vide sub singulorum nominibus.

I. KNABENBAUER.

PROPINQUUS. Propinquo ius conceditur, ut possessionem quam cognatus pauper vendidit redimat (Lev. 25,25); de quo iure etiam agitur Ruth 4,4; quodsi is qui iure propinquitatis maioris redimere poterat, nolebat redimere, ius ad alium propinquum devolvebatur. Propinquo etiam incumbebat occisionem cognati vindicare; verum vindicta haec certis limitibus circumscribitur, urbibus refugii institutis et causa in iudicio tractata (Deut. 35,12. 19).

PROPITIATIO vide s. v. EXPIATIO 1; LUSTRATIONIS AQUA. De die propitiationis Lev. 23,28 vide s. v. EXPIATIO 2.

PROPITIATORIUM v. s. v. ARCA FOEDERIS.

PROPOSITIONIS panes v. s. v. PANIS 2.

PROSELYTUS. Ponitur pro גֵּר 1 Par. 22,2; 2 Par. 2,17; 30,25; Ez. 14,7; vide s. v. ADVENA.

In Novo Testamento proselytus is dicitur ex gente alienigena qui se cultui veri Dei addixit et sacra iudaica aliquatenus sequitur. Duo eorum genera distinguunt : proselytos iustitiae qui circumcisione assumpta totius legis observationem suscipiunt et plane in omnia Iudaeorum iura ingrediuntur, et proselytos portae, qui praeter cultum veri Dei relicta idololatria praecepta quae dicuntur noachica observant, scil. vitant blasphemiam in Deum, homicidium, incestum, rapinam, rebellionem contra potestatem legitimam, et comestionem carnium cum sanguine. Quae praecepta tamen aliter ab aliis determinantur; cf. *Ugolini,* Thes. Antiq. XXVII. p. 603; *Schegg,* Bibl. Archaeologie p. 517. Proselyti vocantur in libris novi foederis colentes Deum (σεβόμενοι), in Vet. Test. timentes Deum. Uti ex Act. elucet, eiusmodi proselyti erant sat frequentes in Asia, Graecia et per eos religio christiana magnum cepit inter gentiles incrementum. Plura de proselytis ac de distinctione rabbinica inter proselytos portae et proselytos iustitiae vide apud *Schürer,* Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3, III. p. 102-135.

PROSTIBULUM, idem quod scortum, Deut. 23,18 : non offeres mercedem prostibuli in domo Dei tui,... quia abominatio est apud Dominum. Legitur in Vulg. Lev. 21,7 pro hebr. חֲלָלָה i. e. virgo profana, vitiata, quam sacerdos in matrimonium ducere prohibetur. Demum

Ez. 16,24. 39 ponitur pro hebr. רָמָה, quia idololatria tamquam fornicatio consideratur, quare altare vel locus cultus idololatrici lupanar appellatur, et eo sensu l. c. dicitur prostibulum. Eodem modo, uti videtur, dicitur in Vulg. Ioel 3,3 : posuerunt puerum in prostibulo; sed in hebr. : dederunt puerum pro meretrice, LXX ἔδωκαν τὰ παιδάρια πόρναις, Syrus et Targum : in pretium (mercedem) meretricis.

PROVERBIUM, hebr. מָשָׁל, παροιμία, est gnome, sententia, similitudo, qua veritas quaedam breviter atque acute vel ingeniose enuntiatur. Eiusmodi proverbia quae in libro Proverbiorum continentur, didacticam Hebraeorum poesin maximam partem constituunt. Porro proverbium est dictum quod ore populi frequenter teritur; ita 1 Reg. 10,12 : propterea versum est in proverbium (לְמָשָׁל): num et Saul inter prophetas; 1 Reg. 24,14 : sicut in proverbio antiquo dicitur : ab impiis egredietur impietas. Eiusmodi dicta referuntur Iud. 8,21; 2 Reg. 5,8; Iob 2,4; Ier. 31,29 : patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt; Ez. 12,22; 16, 44; 18,2; Luc. 4,23; Ioan. 4,37; 2 Petr. 2,22. Exinde consequitur, ut etiam eventus quidam vel exemplum, poena alicui inflicta, vel urbs calamitate oppressa vel homines insigni supplicio addicti abeant in proverbium, fiant proverbium, i. e. ut figurae quaedam ac typi omnium ore traducantur. Id quod Deus saepe Israelitis comminatur; cf. Deut. 28,37 : et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis; 3 Reg. 9. 7: erit Israel in proverbium; 2 Par. 7, 20 : tradam domum hanc (templum) in parabolam et exemplum (לְמָשָׁל וְלִשְׁנִינָה) cunctis populis; Ier. 24,9; Ez. 14,8. Unde pronum est, ut carmen probrosum ad irrisionem aliorum etiam משל vocetur (Is. 14,4 in Vulg. parabola; cf. Num. 21,27). In Vulg. quandoque ponitur proverbium, ubi sensus facile vocem admittit quamvis in textu non habeatur; cf. Gen. 10,9; 1 Reg. 10, 24; 2 Reg. 20,18; Prov. 20,6. Similitudo et sermo fere parabolicus dicitur proverbium Ioan. 10,6; pariter proverbium dicitur in oppositione ad sermonem omnino proprium et planum sententia paululum obtecta, obscurior, metaphorica (Ioan. 16,25 s.).

PRUINA. Legitur in Vulg. non solum pro hebr. כְּפֹר (Ex. 16,14 — at Ps. 147, 16 nebula), sed etiam pro קֶרַח glacies Iob 6,16; dein Ps. 77,47 pro חֲנָמַל in membro parallelo ad grandinem, LXX πάχνη et Ps. 118, 83 pro קִיטוֹר (fumus? nebula?).

PTISANA. Narratur 2 Sam. 17,19 mulier in Bahurim expandisse velamen super os putei quasi siccans ptisanas (רִפֹּת, LXX B ἀραφώθ, A ἀραδωθώθ, rec. Luc. et Theodotion παλάθας, Aquila et Symmachus πτισάνας). Ptisanae (רִיפוֹת) dicuntur Prov. 27,22 in pila contundi; LXX paraphrasin praebent. Forma pluralis supponit vocem רִיף vel רוֹף ceteroquin ignotam. Designantur grana frumenti, secundum Vulgatam ptisanae (gall. *gruau d'orge*, angl. *pearl barley*, germ. *Gerstengrütze*). Ex coniectura, quam *P. Haupt* protulit in Verhandl. des XIII. Orient. Congr., Hamburg Sept. 1902 (Leiden 1904, p. 232), intellegenda sunt Prov. 27,22 grana aeris, germ. *Erzgraupen*, sed 2 Sam. 17,19 *Weizengraupen* vel *Gerstengraupen*, gr. ἄλφιτα, lat. *polenta* (cf. aram. רִיפְתָּא = panis in Targumim; arab. *rafata* = comminuere).

PTOLEMAEUS (Πτολεμαῖος). **1.** Nomen est commune regum Aegypti ex domo Ptolemaei Lagi, ducis Alexandri Magni, qui mortuo Alexandro regnoque eius diviso in Aegypto dynastiam condidit Ptolemaeorum seu Lagidarum. Regnaverunt annis a. Chr. 305-285 Ptolemaeus I. Soter I; 285-247 Ptolemaeus II. Philadelphus; 247-222 (221) Ptolemaeus III. Euergetes I.; 222(221)-205 (204) Ptolemaeus IV. Philopator; 205 (204)-181 Ptolemaeus V. Epiphanes; 181-146(145) Ptolemaeus VI. (VII.) Philometor; 170-164 una cum fratre Philometore, dein solus 146(145)-117 Ptolemaeus VII. (IX.) Euergetes II. Physcon; 117-81 Pto-

lemaeus VIII. (X.) Soter II. Lathyrus; (?)-51 Ptolemaeus Auletes. — Plura de Ptolemaeis v. apud *Champollion-Figeac*, Annales des Lagides, 1819; *Lumbroso*, L' Egitto al tempo dei Greci e dei Romani 1882; *Mahaffy*, The empire of the Ptolemies 1896.

In sacris litteris reges eius nominis commemorantur hi : Esth. 11,1 Ptolemaeus rex et Cleopatra, uxor eius. At quis ille sit non omnino constat; quattuor eius nominis reges uxorem habebant nomine Cleopatrae: Epiphanes 205-181, Philometor 181-146; Physcon seu Euergetes II. 170-117, Auletes (?)-51. Verum satis probabile est Esth. 11,1 intellegi Philometorem, qui Iudaeis favit, Oniae concessit templum aedificare et totius militiae duces constituit Oniam et Dositheum (cf. *Flav. Ios.* c. Ap. II. 5; Ant. XIII. 3,1. 3). Eo igitur tempore, quo Onias (filius Oniae III. pontificis; v. ONIAS 3) cum aliquibus sacerdotibus et levitis cultum in templo hieropolitano instituit, allata videtur versio graeca libri Estheris (cf. *Cornely*, Introd. II. 1, p. 418 ss.).

Describuntur satis breviter (et quandoque aenigmatice fere) aliqua ex bellis inter Lagidas et Seleucidas Dan. 11, 5-28. Nominibus quidem reges non efferuntur; v. 6 refertur ad Ptolemaeum II. Philadelphum (285-247), qui ut bellum finiretur cum Antiocho II., ei filiam Berenicen in matrimonium dedit, quae tamen postmodum occisa est. Quam caedem ultus est eius frater Euergetes I. (247-222), qui bellum gessit contra Seleucum Callinicum regem Syriae Dan. 11,7-9. Dein v. 10-17 agitur de bellis quae gessit Antiochus III. contra Philopatorem (222-205) et Epiphanem (205-181) et v. 23 ss. de bellis, quae gessit Antiochus IV. contra Philometorem (et Physconem?); vide *Knabenbauer*, Comment. in Dan. p. 291-303.

Mentio fit 1 Mach. 1,17-20 de bello Antiochi IV. Epiphanis contra Aegyptum; Ptolemaeus qui v. 19 nominatur, ab aliis habetur Philometor, ab aliis Physcon. Cum v. 21 dicatur Aegyptum eum percussisse anno 143 i. e. 170 a. Chr., potest altera Antiochi expeditio intellegi quae Philometore devicto contra Physconem dirigebatur; Philometorem quem a prima expeditione in custodia habebat, iterum regem constituit. Sed mox cum abisset, duo fratres Philometor et Physcon inter se conciliantur et communi consilio imperium tenent; contra quos Antiochus iterum 168 a. Chr. bellum movet; verum eius expugnandi libido coercetur a Romanis (cf. Dan. 11,29 ss.). Anno 164 a. Chr. regnum ita inter se diviserunt, ut Pt. Philometor Aegyptum et Cyprum, Pt. Physcon Cyrenen et Libyam obtineret. Postquam Alexander Balas Demetrium devicit, scripsit ad Pt. Philometorem, qui ei Cleopatram filiam in matrimonio collocavit; de qua re agitur 1 Mach. 10, 51-58; Pt. Philometor cum filia venit Ptolemaidam ibique nuptiae celebratae sunt anno 162 aer. Seleuc. i. e. 150 a. Chr. De eodem Ptolemaeo VI. Philometore est etiam sermo 1 Mach. 11,1 ss.; expeditionem suscepit contra Syriam, ut dolo occuparet regnum Alexandri; in civitatibus collocat praesidia, Ionatha comite usque ad Eleutherum fluvium progreditur et omnem ditionem usque Seleuciam occupat et foedus init cum Demetrio II. contra Alexandrum et Antiochiae sibi duo imponit diademata, Aegypti et Asiae; committitur pugna cum Alexandro, qui devictus est. Verum ipse quoque Ptolemaeus in pugna graviter vulneratus est (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 4,8; *Polybius* XL. 12,1; *Livius*, Epit. 52). Zabdiel Arabs ei attulit caput Alexandri; at post tres dies obiit Ptolemaeus VI. Philometor anno 146 a. Chr. Aristobulus dicitur magister Ptolemaei regis (2 Mach. 1,10); Philometorem esse intellegendum satis certum est (v. ARISTOBOLUS 1 in vol. I. col. 394). De eodem Philometore mentio fit 2 Mach. 4, 21; in textu graeco legitur διὰ τὰ πρωτοκλίσια, quae vox explicanda videtur de prima sessione in throno i. e. de susceptione regni; nam Philometor prius erat sub tutela Cleopatrae matris, tum sub tutela et curatione Eulaei et Lenaei et natus annos quattuordecim anno 173 a. Chr. ipse regni gubernacula suscepit. Eo tempore Ptolemaeus alienus factus est i. e. inimicus factus est Antiocho IV.; cogitabat enim recuperare Coelesyriam et Phoenicen, quas provin-

cias Antiochus III. regno Lagidarum eripuerat. Ad eum confugit Philippus ille (quem Antiochus IV. moriens regno et educationi filii proposuerat, 1 Mach. 6, 14. 15), postquam Lysias Antiochiam cepit; cf. 2 Mach. 9,29 et v. s. v. PHILIPPUS 3. Epistula Lucii consulis Romanorum 1 Mach. 15,16 regi Ptolemaeo data est i. e. Ptolemaeo Euergetae II. Physconi, qui post mortem Philometoris (1 Mach. 11,18, anno 146 a. Chr.) regnavit usque ad annum 117 a. Chr. Cf. s. v. LUCIUS 1 in vol. II. col. 982. — Hi soli reges, nomine Ptolemaei, in s. litteris nominantur.

2. Ptolemaeus, filius Dorymini (1 Mach. 3,38; 2 Mach. 4,45), amicus et dux Antiochi IV. Epiphanis, Iudaeis maxime infestus, de quo insuper 2 Mach. 6,8, ubi lege cum cod. Alexandrino et minusc. multis Πτολεμαίου ὑποτιθεμένου, et 2 Mach. 8,8 ss. agitur.

3. Ptolemaeus Macer de quo 2 Mach. 10,12 legitur : « Ptolemaeus qui dicitur Macer, Μάκρων, iusti tenax erga Iudaeos esse constituit; sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret eo quod Cyprum creditam sibi a Philometore deseruisset et ad Antiochum nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit » (ita in Vulg.). Etiam Polybius XXVII. 12 meminit Ptolemaei praefecti Cypri, qui insulae praefecturam rege admodum puero accepisset et pecuniae magnam vim ex longo tempore collectam Alexandriam misisset, postquam rex adulescentiam attigisset. Id quod ad tempus Philometoris plane congruit. Si narratio 2 Mach. 10,12 attenditur, videtur iste Ptolemaeus distingui ab altero. Nam 2 Mach. 4,45 graece alter dicitur filius Dorymeni, hic vero 10,12 ὁ καλούμενος Μάκρων; ille describitur infestus Iudaeis, hic τὸ δίκαιον συντηρεῖν προηγούμενος εἰς τοὺς Ἰουδαίους.

4. Ptolemaeus, filius Abobi (Ἀβούβου, syriace חבובא, cf. Ἔραστος), gener summi sacerdotis Simonis, vir ambitiosus, Simonem et filios eius in arce Doch convivio exceptos trucidavit et Ioanni quoque Hyrcano insidias struxit etc.; de quo 1 Mach. 16,11-22 narratur et apud *Flav. Ios.* Ant. XIII. 7,4; Bell. iud. I. 2,3.

5. In subscriptione graeca libri Esth. (Vulg. 11,1) nominatur Ptolemaeus, filius Dosithaei et pater Lysimachi, qui cum Dosithaeo librum eum graece translatum in Aegyptum attulit.

PTOLEMAIS v. ACCHO.

PUBLICANUS. Sermone latino publicani dicuntur redemptores vectigalium alicuius provinciae; hi utebantur ministerio portitorum ad vectigalia in singulis locis exigenda. In libris evangeliorum τελῶναι, publicani, dicuntur ipsi hi portitores. Uti publicani vectigalia totius alicuius provinciae pretio conducebant, ita portitores alicuius urbis; utrique lucro inhiabant. Inde facile patet exactores vectigalium non pepercisse variis vexationibus. Si insuper, uti in Iudaea tempore Christi, vectigalia haec alienigenis erant pendenda, facile intellegitur, quomodo hoc hominum genus et propter avaritiam, fraudes, acerbitatem et propter ministerium alienis oppressoribus praestitum fuerit exosum, praesertim aemulatoribus legis et dignitatis populi iudaici. Quare mirum non est publicanos censeri eosdem ac peccatores (cf. Matth. 5,46; Luc. 6, 32. 33; Matth. 18,17 etc.). Quare Pharisaei Christo vertunt opprobrio, quod cum publicanis versetur, eos secum mensae accumbere sinat (Matth. 9,11; 11,19; Marc. 2,16; Luc. 5,30; 7,34). Verum ita ostendunt quam ignari sint muneris Messiae. Christus enim venit, ut salvaret quod perierat; se medicum dicit, qui sane aegrotos curare debet. Unde Christus cum publicanis quoque amice agit ita quidem, ut ii libenter ad eum accedant, sicuti iam ad praecursorem accesserant (Luc. 3,12) et Christus eos propter paenitentiam non semel commendat dicens eos prae Pharisaeis ingressuros in regnum Dei (Matth. 21, 31. 32) et eos credidisse Ioanni Baptistae et publicani dolentis habitum et orationem depingit qui contritione sua iustus coram Deo efficitur, dum Pharisaeus fastu tumens se laudat, contemnit alios et tamquam Deo exosus a templo recedit (Luc. 18,10 ss.). Immo Christus unum e publicanis in apostolum assumpsit, Matthaeum (Matth. 9,9;

Marc. 2,14; Luc. 5,27) et Zachaeus, ἀρχιτελώνης, Christum hospitio accepit et liberalitate sua et maxima ad omnem iniustitiam reparandam promptitudine merito insignis factus est (Luc. 19,2).

PUBLIUS (Πόπλιος), ὁ πρῶτος τῆς νήσου, princeps insulae Melitae; ubi naufragio facto Paulus aliique ad insulam advecti sunt, praedia erant Publii qui eos suscipiens triduo benigne exhibuit; Paulus patrem eius febribus et dysenteria laborantem sanavit (Act. 28,7. 8). Erat Publius primus i. e. summus in insula magistratus. Titulo qui ei inditur ὁ πρῶτος egregie ostenditur quam accurata rerum notitia S. Lucas instructus sit. Nam ex inscriptionibus constat hunc titulum a magistratu melitensi esse gestum; ita legitur: Λ Κλ υιος Κυρ Προυδηνς ιππευς Ρωμαιων πρωτος Μελιταιων (cf. *Vigouroux,* Le Nouveau Testament et les découvertes arch., 1896, p. 345; fertur quoque latina : Mel. primus, l. c.). Melita pertinebat ad Siciliam provinciam; quare Publius, primus in insula, proconsuli Siciliae parebat.

PUDENS (Πούδης), a quo Paulus Timotheo salutationem mittit (2 Tim. 4, 21). *Baronius* aliique putant eum fuisse senatorem romanum. Res plane incerta. Vide etiam CLAUDIA.

PUER ponitur pro hebr. נַעַר quae vox de iuvene dicitur. Uti apud Latinos, ita etiam in Vulgata adhiberi solet 1) de eo quoque qui annos natus est septemdecim vel etiam viginti; 2) uti παῖς de servo, famulo. Immo in Vulgta legitur Is. 65,20 puer centum annorum, hebr. נַעַר. Etiam 1 Mach. 1,7 pueri appellantur nobiles, quos Alexander moriens ad se vocavit et quibus regnum divisit; graece 1, 8 οἱ παῖδες. Saepe ponitur pro עבד v. g. laudate pueri Dominum, hebr. laudate servi Domini, laudate nomen Domini (Iahwe).

PUGIO ponitur in Vulg. Num. 25,7 pro hebr. רֹמַח (quae vox Iud. 5,8 redditur hasta, Ier. 46,4 lancea) et 2 Par. 23,10 pro שֶׁלַח telum, missile, et generatim arma (redditur vox hebr. 2 Par. 32,5 armatura, Neh. 4,11 gladius; item Iob 33,18 et 36,12; Ioel 2,8 LXX βέλος etc.).

PULEX (פַּרְעֹשׁ, ψύλλος) semel tantum in s. litteris legitur 1 Sam. 24,15 : Canem mortuum persequeris (Saul) et pulicem unum. « Illud vilitatem exprimit, hoc exilitatem. Malum, si quod intulit David regi, comparatum regiae eminentiae tantum fuit, quantum punctura pulicis, ad quem puniendum haud decet regem magno cum apparatu exire » (*F. de Hummelauer* ad h. l.). In textu massorethico et Vulgata 1 Sam. 26,20 pulex iterum nominatur, sed probabilior est versio LXX ψυχήν μου. Cf. *S. R. Driver*, Notes on the hebrew text of the books of Samuel, 1890, p. 161 et *F. de Hummelauer* ad h. l. : « Pro lectione LXX inter alia militat particula את, quae bene individuali animae Davidis, non vero indeterminato pulici praefigitur. Perperam igitur recentiores aliqui ex hoc textu cum 24,15 collato efficere student, nostro capite idem, quod cap. 24, narrari factum, diversa tamen ratione. »

PULMENTUM. Latinis est pulmentum proprie cibus ex pulpa paratus. Verum in Vulg. latiore sensu vox adhibetur; ita Gen. 25,29 dicitur de edulio lentis (cf. v. 34) et Num. 15,21 ponitur pro hebr. עֲרִיסָה (quae vox vertitur in v. 20 cibus; item Neh. 10,38 et Ez. 44, 30); recentiores vocem explicant de farina crassiore (ptisana?), LXX φύραμα, σῖτος. Pariter legitur 2 Reg. 13,5. 7 pro בְּרִיָּה, qui cibus v. 6 explicatur apud LXX κολλυρίδες, in Vulg. sorbitiunculae; alii interpretantur de laganis, placentis. Quod legitur Ier. 37,20 « excepto pulmento » error est interpretis; hebr. panis Ieremiae dandus erat iubente rege cotidie « ex platea (vico) pistorum ». Ad proprium sensum pulmenti referuntur vel satis commode referri possunt Gen. 27,4; Is. 44,16 et fortasse Ex. 12,39. — Pulmentarium Ioan. 21,5 exprimit προσφάγιον, opsonium, quidquid cum pane ad comedendum sumitur.

PULS, PULTES legitur Lev. 23,14 pro כַּרְמֶל, quam vocem eo loco explicant recentiores de granis recenti-

bus, ita ut ante pascha non liceat spicas in agro vellere et grana manducare; cf. Lev. 2,14 et etiam 4 Reg. 4,42 (Vulg. frumentum novum). Iuxta *Gesenium*, Thes. II. p. 713 vox כרמל (hortulus) « metonymice notare videtur fruges hortenses easque praecociores et nobiliores.... viam ad veritatem parat Hebraeorum interpretatio : arista tenera et recens ».

PULVILLUS. Dicitur vae illis prophetidibus « quae consuunt pulvillos sub omni cubito manus et cervicalia sub capite » etc. Ez. 13,18. Aliqui intellegunt ligamina vel fascias magicas, quibus usae essent illae mulieres fatidicae. Verum sane eodem sensu modoque nunc loquitur propheta contra mulieres, quo antea contra viros pseudoprophetas. His exprobravit, quod parietem obducerent tectorio i. e. quod quidquid populus agebat, adiuvabant, assentabantur, approbabant. Nunc apposite ad officia muliebria effert illas pseudoprophetides effata sua ita efformare, ut quae quisque exoptat audiat et ita se omnes falsae committant securitati.

PURIFICARE vide s. v. EXPIATIO, IMMUNDITIA, LAVARE, LUSTRATIONIS AQUA.

PURPURA. In s. litteris duo genera purpurae distinguuntur. Voce אַרְגָּמָן (πορφύρα, Vulg. purpura) designatur purpura rubra et quidquid purpura tinctum est, panni, cortinae, vela, vestes, vittae. Voce תְּכֵלֶת (ὑάκινθος, Vulg. hyacinthus) designatur purpura caerulea seu potius violacea. Utriusque usus erat multiplex tum sacer tum profanus.

Purpura et hyacinthus i. e. purpura tam rubra quam violacea adhibebantur ad conficiendum tabernaculum foederis Ex. 25,4; 35,6. 23. 25. 35, in specie ad conficienda vela et cortinas tabernaculi foederis Ex. 26,1. 31. 36; 27,16; 36,8. 35. 37; 38,18. 23; ad vestimenta sacra pontificis Ex. 28,5. 6. 8. 15. 33; 39,1. 2. 8. 22. 28; Eccli. 45,12[10]; ad velum ante Sanctissimum templi salomonici 2 Par. 3,14; cf. 2,7. 14[6. 13]. Tunica pontificis tota ex purpura violacea erat contexta Ex. 28,31; 39,20 et generatim purpura violacea frequentius quam rubra usibus sacris inserviebat, fortasse facilius acquirenda. Pleraque pallia, quibus in itinere utensilia sacra involvebantur, erant hyacinthina Num. 4,6. 7. 9. 11. 12; pro solo altari holocaustorum requirebatur pallium purpureum seu ex purpura rubra Num. 4,13. Ansulis hyacinthinis et uncinulis aureis coniungebantur 10 cortinae de bysso retortae, e quibus compositum erat operimentum primum seu intimum tabernaculi foederis Ex. 26,4; 36,11. Vittis hyacinthinis adstringebantur rationale et diadema pontificis Ex. 28,28. 37; 39, 19. 30[21. 31]; cf. Eccli. 40,4 LXX, Vulg. (sed hebr. צָנִיף). Hyacinthus et purpura erant quoque indumenta idolorum Ier. 10,9; Bar. 6,12. 71.

Israelitae in quattuor pallii angulis gestabant fimbrias comatas et in singulis fimbriis vittam hyacinthinam ponebant Num. 15,38 (cf. Deut. 22,12). Purpura est indumentum matrisfamilias virtute praeditae Prov. 31,22. Aetate Iudicum reges Madian veste purpurea utebantur Iud. 8,26. Thronus regius gestatorius Cant. 3,10 purpura ornatus erat; cf. *J. Hontheim*, Hohelied, 1908, p. 58. 102. Pro *purpura regis* autem in Vulgata Cant. 7,5[6] vertendum est hebr. : comae capitis tui (sponsae) sicut purpura, rex vinctus cincinnis; cf. *Gietmann* ad h. l.; *Hontheim* l. c. p. 85. 109. Achab rex Israel et Iosaphat rex Iuda sedebant unusquisque in solio iuxta ostium portae Samariae 3 Reg. 22,10 hebr. : induti vestibus in area (בְּגָרֶן) vel forte, ut coniiciunt : induti vestibus purpureis (ארגמן). Principes et magistratus assyrii vestiti erant hyacintho Ez. 23,6. Tyrii de insulis Elisa (maris Mediterranei) accipiebant hyacinthum et purpuram Ez. 27,7 quo loco non negatur purpuram phoeniciam fuisse praestantissimam, sed asseritur undique res pretiosas ad ornamentum Tyri esse congestas. Purpuram quoque acquirebant Tyrii ex commercio cum Aram seu regionibus euphratensibus meridianis Ez. 27,16, vestimenta hyacinthina ex regionibus Mesopotamiae et Assyriae Ez.

27,24. In aula babylonica indui purpura erat signum favoris regii et auctoritatis a rege commissae Dan. 5,7. 16. 29. Mardochaeus in aula persica fulgebat vestibus hyacinthinis et aëreis, amictus serico pallio atque purpureo Esth. 8,15; purpurae et hyacinthi luxus in aula persica describitur Esth. 1,6. Conopeum Holofernis Iudith 10,19[21] erat ex purpura. Hyacinthus et purpura marina erant ex praeda, quam Iudas Machabaeus de Syris fecit 1 Mach. 4,23. Aetate machabaica sicuti Andronicus procurator regius ab Antiocho IV. Epiphane constitutus ante supplicium 2 Mach. 4,38 purpura exutus est, ita pontifices et principes Iudaeorum distinguebantur purpura 1 Mach. 8,14; 10,20. 62. 64; 11, 58; 14,43. 44.

In parabola de Lazaro mendico dives purpura indutus est Luc. 16,19. Chlamys coccinea Christi regis patientis Matth. 27,28 designatur ab aliis Evangelistis Marc. 15,17. 20; Io. 19,2. 5 purpurea; etenim coccum (v. s. v.) est color ruber splendescens ex vermiculo (*Kermes*) in *Quercu coccifera* Linné obtentus et communi usu loquendi etiam purpureus dictus. Mulier fornicaria Apoc. 17,4; 18, 16 purpura quoque amicta est velut regina et inter eius merces purpura recensetur 18,12. Commemoratur Act. 16,14 Lydia purpuraria civitatis Thyatirenorum, venditrix purpurarum; coniiciunt aliqui cum *Clerc*, De rebus Thyatirenorum, Paris 1893, eo loco non agi de purpura proprie dicta neque de cocco, sed potius de *Rubia tinctorum* Linné (germ. *Krappwurzel*, gall. *garance*, angl. *madder-root*) et nomine generico purpura diversos istos colores rubros interdum designari.

De purpura veterum imprimis consulendus est *Plinius*, Nat. hist. IX. 35(60), 124 ss. Describitur purpura 36(60), 126 : « pretiosus ille (liquor) nigrantis rosae colore sublucens.... 36(60),127 : Tyri praecipuus hic Asiae, Meninge (Meninx seu Girba insula iuxta litus Syrtis minoris) Africae et Gaetulo litore oceani (*Marocco*), in Laconica Europae (in australi parte Peloponnesi)..... Conchyliis virus grave in fuco, color austerus in glauco et irascenti similis mari..... 36(61),130 : Concharum ad purpuras et conchylia — eadem enim est materia, sed distat temperamento — duo sunt genera : bucinum minor concha ad similitudinem eius, qua bucini sonus editur, unde et causa nomini, rotunditate oris in margine incisa; alterum purpura vocatur canaliculato procurrente rostro et canaliculi latere introrsus tubulato, qua proferatur lingua; praeterea clavatum est ad turbinem usque aculeis in orbem septenis fere, qui non sunt bucino, sed utrisque orbes totidem, quot habeant annos; bucinum nonnisi petris adhaeret circaque scopulos legitur. 37(61),131 : Purpurae nomine alio pelagiae (germ. *Hochmeerschnecken*) vocantur; earum genera plura pabulo et solo discreta : lutense (germ. *Kotpurpurschnecke*) putre limo et algense (germ. *Tangpurpurschnecke*) enutritum alga, vilissimum utrumque; melius taeniense (germ. *Riffpurpurschnecke*) in taeniis maris collectum, hoc quoque tamen etiamnum levius atque dilutius; calculense (germ. *Geroellpurpurschnecke*) appellatur a calculo maris mire aptum conchyliis, et longe optimum purpuris dialutense (germ. *Wanderpurpurschnecke*) id est, vario soli genere pastum.... 38(62),134 s. : Rubens color nigrante deterior. Quinis lana potat horis rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. Bucinum per se damnatur, quoniam fucum remittit; pelagio admodum alligatur nimiaeque eius nigritiae dat austeritatem illam nitoremque, qui quaeritur cocci; ita permixtis viribus alterum altero excitatur aut astringitur. Summa medicaminum in 50 (*ed. Hardouin*, sed 1000 *ed. Detlefsen*) libras vellerum bucini ducenae et e pelagio 110 (*ed. Hardouin*, sed 111 *ed. Detlefsen*); ita fit amethysti colos eximius ille. At Tyrius pelagio primum satiatur inmatura viridique cortina, mox permutatur in bucino; laus ei summa in colore sanguinis concreti, nigricans aspectu idemque suspectu refulgens; unde et Homero purpureus dicitur sanguis. 98(63),137 : Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit : Me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat, nec multo post rubra

Tarentina; huic successit dibapha (bis tincta) Tyria, quae in libras denariis mille non poterat emi ». — Reliquos veteres auctores v. apud *H. O. Lenz*, Zoologie der alten Griechen u. Roemer 1856, p. 624-9.

Iamvero reliquiae conchyliorum ex officinis purpurariis veterum quam plurimae repertae sunt prope Tyrum scil. *Murex trunculus* Linné et prope Tarentum ac litora Peloponnesi scil. *Murex brandaris* Linné. Voci igitur *purpura* apud Plinium et descriptioni supra allatae respondet *Murex*, voci *bucinum* autem *Purpura* proprie dicta; reperiuntur in oceano Indico *Purpura persica* Linné et *P. hippocastanum* Linné, in mari Mediterraneo *Purpura haemastoma* Lamarck. Ceterum purpura ex conchyliis, quae aetate romana maximi aestimabatur, iam media aetate ex commercio disparuit et hodie omnino cessit colori purpureo mediis chimicis comparato.

Vocibus hebraicis correspondent voces assyriacae *argamannu* et *takiltu*, de quibus v. *Friedr. Delitzsch*, Assyrisches Handwb. 1896 p. 129ª et 706ᵇ. — De purpura et murice cf. *Leunis-Ludwig*, Zoologie I. (1883) § 737 et 738; *H. G. Bronn*, Tier-Reich III. 2, Mollusca (*H. Simroth*, Leipzig 1896-1907), p. 968-976; *Alexander Dedekind*, Ein Beitrag zur Purpurkunde; im Anhange : Neue Ausgaben seltener Schriften über Purpur. Berlin 1898; *P. Dubois*, Sur le mécanisme intime de la formation de la pourpre, Compt. rend. Acad. Paris CXXXIV. 1902, p. 245-7; *idem*, Sur la physiologie comparée de l'organe purpurigène du Murex trunculus et du Murex brandaris, Compt. rend. Soc. biol. Paris LIV. 1902, p. 657-8.

PUSTULA Lev. 13,2 סַפַּחַת, LXX σημασία; Lev. 14,56 vox eadem redditur in Vulg. erumpentes papulae. Datur l. c. tamquam unum ex indiciis leprae; recentiores explicant vocem hebr. de porrigine, furfuribus.

PUTEOLI (Ποτίολοι), urbs ad mare Tyrrhenum sita prope Neapolim; hodie *Puzzuolo;* Paulus apostolus ibi invenit fratres, apud quos per septem dies mansit (Act. 28,13).

PUTEUS vide s. v. CISTERNA; Puteus iuramenti vide s. v. BERSABEE; Puteus viventis et videntis me v. VIVENTIS et VIDENTIS; Puteus Iacob v. SICHAR.

PUTIPHAR (פּוֹטִיפַר, Πετεφρῆς et Πετρεφῆς). Explicatur nomen ex hieroglyphicis *P-du-pa-rā* i. e. is quem donavit *Rā* (deus solis), donum *Rā*, graece Ἡλιόδωρος. Cf. *Brugsch*, Steininschrift u. Bibelwort 1891, p. 83; *H. J. Heyes*, Bibel u. Aegypten I. (1904) p. 105-112. Nomina propria ex *P.-du* (donum) et nomine alicuius dei composita nonnisi inde a 22 dynastia in usu fuisse contendit *Steindorff* in Ztschr. f. aegypt. Sprache XXVII. 1889, p. 41. 42; XXX. 1892, p. 5 1. Unde arguunt compositionem vel redactionem Pentateuchi non esse priorem saeculo 9 a Chr. (*Brugsch* l. c.). Sed apposite reponit *Heyes* l. c. argumentum ex silentio monumentorum, quorum pauca hucusque investigata sunt, non valere neque deesse vestigia eiusmodi nominum propriorum iam ex tempore 17. dynastiae. Dicitur eunuchus Pharaonis; quod nomen saepe est solum nomen officii vel dignitatis. Ceterum duo constant : fuisse etiam in Aegypto eunuchos et, uti hodie quandoque, ita olim eunuchos aliquando habuisse uxores, immo et genuisse, quia fieri potest, ut eviratio non plenum sortiatur effectum. Quare fere perinde est, utrum Putiphar censeatur eunuchus veri nominis necne; neutro modo repugnat quod de eius uxore fiat mentio. Erat שַׂר הַטַּבָּחִים, Vulg. magister militum, princeps exercitus Gen. 37,36; 39,1, LXX ἀρχιμάγειρος. Voce hebr. designatur lanio, carnifex; at 4 Reg. 25,8 et Ier. 39,9 patet intellegi ducem eorum qui custodes corporis regis erant, qui iidem etiam officio lictorum in sententiis exsequendis fungebantur; erat itaque Putiphar dux praetorianorum, satellitum eorumdemque carnificum (cf. *Ebers* l. c. 297 s.; *F. de Hummelauer*, Comment. in Gen. p. 531). Ei venditus est a Madianitis Ioseph, qui Deo favente prospere administrabat cuncta quae Putiphar possidebat. Herus mox cognovit quam bene res succederent; nihilominus nimis credulus pessimae suae uxori

fidem adhibens sine ulla inquisitione et Iosepho ne interrogato quidem neque audito sententiam carceris in eum pronuntiavit; cf. Gen. 39,2 ss.

PUTIPHARE (פּוֹטִי פַרַע, Πετρεφῆς), sacerdos On i. e. Heliopoleos, qui filiam suam Aseneth Iosepho dedit uxorem (Gen. 41,45. 50; 46,20). Per se non est absona sententia S. Hieronymi sacerdotem hunc eundem esse ac Putiphar eunuchum, magistrum militum; attamen diversa scriptio nominum suadet diversos viros designari.

PYGARGUS (דִּישׁוֹן, ὁ πύγαργος) recensetur inter animalia ex cervorum et dorcadum genere, quibus vesci licet (Deut 14,5). Targum et Peshitta praebent רְאֵם, quae vox in Vulgata redditur rhinozeros et unicornis (v. s. v.). Apud veteres pygargus erat genus aquilarum (*Aristot.* Anim. hist. 6,6), sed etiam species quaedam ceteroquin ignota ex genere cervorum. Inter animalia, quae habet Nomadum Lybicorum regio, recenset Herodotus (4,192) pygargos, dorcades, bubalos. De diverso animalium ingenio dicit Aelianus (Nat. anim. 7, 19) : « Timidi existimantur hinnuli, capreae, damae et pygargi ». Et Plinius (VIII. 53,214) capras in plurimas similitudines transfigurari ostendit : « sunt caprae, sunt rupicaprae, sunt ibices..... sunt et dammae et pygargi et strepsicerotes multaque alia haud dissimilia. Sed illa Alpes, haec transmarini situs mittunt ». Coniecturas varias proferunt *Sam. Bochartus,* Hieroz. P. I. l. 3, c. 20; *Sam. Oedmann,* Vermischte Samml. I. 2, p. 15-24; *I. D. Michaelis,* Suppl. ad lex. hebr. p. 432-4.

PYRRHUS (Πύρρος), cuius filius Sopater Beroeensis inter septem comites Pauli recensetur, quos Paulus ex tertio itinere apostolico rediturus Troadem praemisit, ut inde eum in urbem Ierusalem comitarentur (Act. 20,4).

PYRUS seu pirus legitur pro בְּכָא in divino oraculo, quo David iubetur Philisthaeos in valle Raphaim diffusos circumvenire ex adverso pyrorum eosque aggredi, cum audierit sonitum gradientis in cacumine pyrorum 2 Sam. 5,23. 24 (LXX κλαυθμών seu locus flendi) et 1 Par. 14,14. 15 (ἄπιος seu pirus). Versionibus igitur antiquissimis commendatur pirus, licet ex linguis cognatis haec significatio fulciri nequeat. Asserit quidem *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible 1889, p. 334 pirum non inveniri in Palaestina australi neque in centrali, sed crescere spontanee in Galilaea et coli in regionibus Libani et Hermonis. Attamen secundum *G. E. Post,* Flora of Syria 1896, p. 309 passim per Syriam et Palaestinam (*common throughout*) invenitur *Pirus syriaca* Boissier et in pomariis Syriae et Palaestinae coluntur complures varietates *Piri communis* Linné. — *O. Celsius* (Hierobot. I. p. 335-340), *Gesenius* (Thesaurus I. p. 205) aliique cum בכא comparant arbusculam prope Mekkam crescentem, arabice *baka* dictam, arbusculae balsamiferae *beshām* similem; sed haec combinatio, qua ob nominis similitudinem planta Arabiae in vallem Raphaim ad austrum Ierusalem transfertur, est parum fundata et improbabilis; cf. *I. Loew,* Aram. Pflanzennamen 1881, p. 71, n. 47. — Alia ratione nodum solvere conatur *T. K. Cheyne* (Encyclop. bibl. III. col. 3224 s. v. Mulberry) pro בכאים audacter corrigens ירחמאלים et famosos istos Ierameelitas subintroducens, de quorum historia idem *Cheyne* violentis textuum mutationibus permulta ceteroquin incognita docere solet. — Interpretum plurimi Hebraeorum et Christianorum בכא morum exposuerunt, quos *Celsius* l. c. recenset.

Ex dictis colligitur significationem vocis hebr. esse dubiam. De valle eiusdem nominis Ps. 83[84], 7 v. BACA.

PYTHON, PYTHONICUS v. s. v. DIVINATIO in vol. II. col. 103 (אוב).

Q

QIR MOAB Is. 15,1 (קִיר מוֹאָב, LXX τὸ τεῖχος τῆς Μωαβίτιδος, Vulg. murus Moab) seu Qir Kheres Is. 16,11 et Ier. 48,31. 36 (קִיר־חֶרֶשׁ i. e. murus latericius, arx latericia, Vulg. murus cocti lateris, murus fictilis) seu Qir Khareset 4 Reg. 3, 25 et Is. 16,7 (קִיר־חֲרֶשֶׂת, Vulg. muri fictiles, muri cocti lateris), est arx praecipua Moabitarum, quam Mesa rex Moab contra Ioram regem Israel et Iosaphat regem Iuda cum rege Edom coniunctos, defendit et immolatione filii sui primogeniti servavit (4 Reg. 3,25); eidem arci Isaias et Ieremias identidem ruinam praenuntiant (loc. cit.). Targum ad Is. et Ier. eam vocat *Kerakka de Moab*, (כַּרכָּא דְמוֹאָב i. e. arx Moab) et hanc nominis formam hodie quoque conservat urbs *el-Kerak* ad orientem maris Mortui inferioris. Apud Ptolemaeum (V. 17,5) nominatur Χαράκωμα, at in editione *Müller-Fischer* V. 16,4 Χαράκμωβα, apud Stephanum Byzantinum Χαρακμῶβα urbs tertiae Palaestinae et etiam Μωδουχάραξ, in actis denique Concilii hierosolymitani a. 536 habiti Demetrius episcopus Χαρακμώβων enumeratur (cf. *Reland,* Palaestina, p. 217. 463. 533. 705). Apud *Guillelmum Tyrensem* urbis nomen modernum traditur *Crach,* pristinum vero ex erronea temporis opinione Petra deserti (Hist. rerum transmar. 11,26; 15,21; 20,3; 22, 28 apud *M.* Patr. lat. 201,515. 633. 781. 885).

De *Qir Moab* (quae ab urbe principali Ar Moab distinguenda est) cf. *Seetzen,* Reisen durch Syrien, Palaestina etc. I. p. 412 ss.; *Robinson,* Palaestina III. 124 ss.; *Ritter,* Erdkunde XIV. 62. 100. 990, 1029; XV. 661 ss. et praesertim *A. Musil,* Arabia Petraea I. Moab, Wien, 1907, p. 45-56. 58-62.

QUADRANS (κοδράντης), quarta pars assis (= 1,1 Pf.); cf. Marc. 12,42 duo minuta (λεπτά) quod est quadrans. Ponitur pro nummo parvo, immo minimo Matth. 5,26 cum de debitore dicitur, fore ut non exeat e carcere, donec solutus sit ultimus quadrans i. e. donec totum debitum exactissime sit solutum. Talmudistae quoque norunt קרדינטם. Cf. *Buxtorf,* Lex. chald. talm. rabb. col. 2125.

QUARTUS, vir christianus Corinthi, qui fideles romanos per Paulum salutat Rom. 16,23; non est putandum eum esse fratrem Erasti arcarii civitatis; nam Paulus solum scribit: et Quartus frater (minime frater eius).

QUATERNIO militum Act. 12,4 dicitur praesidium vel custodia e quattuor constans militibus; assignantur quattuor l. c. propter quattuor vigilias noctis; singulis quippe quaternionibus vigilandum erat per singulas vigilias.

QUERCUS in Vulgata respondet nominibus hebraeis אֵלָה, אַלּוֹן, אֵלָה, אַלּוֹן; quinta vox ad eadem nomina pertinens, אֵיל, in Vulgata vel *campestria* (Gen. 14, 6) vel *idola* (Is. 1,29) vel *dii* (Is. 57,5) vel *fortes* (Is. 61,3) explicatur; similiter אֵלוֹן in variis textibus *convallis* (Gen. 12,6; 13,18; 14,13; 18,1), *vallis* (Deut. 11,30; Iud. 4,11) et *Elon* (Ios. 19,33) redditur. Praeterea nomen אֵלָה saepe *terebinthus* exponitur. Similis confusio atque in Vulgata etiam in versione se-

ptuagintavirali apparet, quae easdem voces modo βάλανος vel ὄρυς, modo τερέβινθος (τερέμινθος, τέρμινθος), modo εἴδωλα (Is. 1,29; 57,5), vel γενεαί (Is. 61,3) vel Ἠλά (1 Reg. 21,9) vel Ἠλών (Iud. 9,37) interpretatur. Neque ex aliis versionibus antiquis sensus variorum nominum cum aliqua probabilitate determinari potest. Ad augendam confusionem accedit, quod propter identitatem litterarum consonantium, absentibus punctis vocalibus, facillime variae pronuntiationes inter se confundi poterant.

Licet igitur quercus et terebinthus omnino diversae arbores sint atque etiam ab incolis terrae, uti nunc, ita etiam antiquitus certe diversis nominibus distinctae fuerint, tamen satis difficile erit ex textibus S. Scripturae determinare, quaenam nomina quercui et quae terebintho conveniant. Neque etymon vocis variis nominibus commune multum ad discernendas varias arbores nos iuvat; nam si cum multis auctoribus radicem אול vel איל pro quinque illis vocibus admittamus, vix aliud quam arbores fortes ac robustas significari concludemus. At certas quasdam fortium arborum species easque diversas vocibus אלה et אלון designari, ex textibus Is. 6,13 et Os. 4,13 sequitur, ubi utraque vox simul legitur et cum nomine populi (vel styracis) coniungitur (Os. l. c.).

Ex contextu autem in aliquibus locis S. Scripturae ea quam LXX et Vulgata in his duobus textibus indicant significatio aliquam habet probabilitatem, cum אַלוֹן de quercu, אֵלָה de terebintho interpretentur. Nam prius nomen semper de magnis et robustis arboribus Basan adhibetur (Is. 2,13; Ez. 27,6; Zach. 11, 2), quae procul dubio quercus sunt, cum terebinthi in regione Basan non inveniantur neque in silvis simul crescant. Alterum vero nomen v. gr. in valle terebinthi occurrit (1 Reg. 17,2. 19; 21,9), quae in parte australi Palaestinae prope terram Philisthiim sita potius a terebinthis quam a quercubus denominationem accepit. Ex reliquis nominibus אֵלָה multis ad אַלוֹן, quercum, אֵיל et אַלוֹן ad אֵלָה videtur pertinere; at nihil certi de hoc statui potest, neque usus S. Scripturae iuxta formam hodiernam textus massorethici in hoc constans invenitur.

Sub umbra quercus incolae mortuos sepelire (Gen. 35,8; 1 Par. 10,12; cf. 1 Reg. 31,13 hebr.), sed etiam idolis sacrificare consueverant (Os. 4,13; cf. Ez. 6,13). Ligno eius robusto ad remos navium (Ez. 27,6) atque ad statuas idolorum (Is. 44,14) utebantur.

Praeter quercuum silvas in Basan, quae etiam hodie superstites sunt, in variis locis magnae quercus ac terebinthi exstiterunt, ex quibus celebres erant quercus vel terebinthus *Mōre* (אֵלוֹן מוֹרֶה Gen. 12,6, Vulgata *convallis illustris;* cf. Deut. 11,30) i. e. vatis (v. MORE 1), quercus vel terebinthus *Mambre* (אֵלֹנֵי מַמְרֵא Gen. 13,18; 14,13; 18,1; Vulg. *convallis Mambre;* v. MAMBRE 1), quercus fletus prope Bethel (אַלּוֹן בָּכוּת Gen. 35, 8 cf. s. v. DEBORA 1), quercus Thabor (אֵלוֹן תָּבוֹר 1 Sam. 10,3) aquilonem versus a sepulcro Rachel, de cuius situ v. s. v. RACHEL.

Hodie variae species generis *Quercus* (familia *Cupuliferae*) in Palaestina crescunt. In montibus Libani et Antilibani aliisque in regione septemtrionali praesertim *Quercus sessiliflora* Smith, *Qu. Ehrenbergii* Kotschy, *Qu. Look* Kotschy, *Qu. Libani* Oliv. frequentes sunt; in aliis etiam collibus totius fere Palaestinae *Qu. lusitanica* Lamarck, *Qu. coccifera* Linné, *Qu. Cerris* L., *Qu. Aegilops* L. et in litore Syriae etiam *Qu. ilex* L. inveniuntur. Incolis hodie generatim *sindiān* (praesertim Qu. coccifera), aliquae species etiam *ballūt* (Qu. lusitanica, Qu. Cerris), *mellūl* (Qu. lusitanica), *likk* (Qu. Cerris) audiunt.

Cf. *E. Boissier,* Flora orientalis IV. 11 *G. E. Post,* Flora of Syria 737-41; *Leunis-Frank,* Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 511-9. — Praeterea cf. *J. du Choul,* De varia quercus historia, Lugduni 1555; *J. H. Ursinus,* Arb. bibl. I. 214-65; *M. Hiller,* Hierophyt. I. 347-64; *Joh. Engeström,* De quercu, Londini Gothor. 1737 s.; *O. Celsius,* Hierobot. I. 58-73; *J. B. de Secondat,* Mémoires

sur l'Hist. nat. du chêne, Paris, 1785; *W. Gesenius*, Thesaurus 51 s.; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,232-4; *H. O. Lenz*, Botanik d. alt. Griechen u. Römer 397-409; *Th. Kotschy*, Die Eichen Europas u. des Orients, Wien, 1858-62 ; *J. H. Balfour*, The Plants of the Bible, ed. nova, 51-6; *P. Cultrera*, Flora bibl. 404-8; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 367-71; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 230-2; *J. Smith*, Bible Plants 97-104; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen, n. 51; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 249-52; *W. H. Groser*, Trees and plants ment. in the Bible 66-74. — Cf. ILEX, TEREBINTHUS.

L. FONCK.

QUINTUS MEMMIUS (Κόϊντος Μέμμιος), legatus romanus qui simul cum Tito Manilio litteras dedit ad Iudaeos, quibus ea Iudaeis a Romanis quoque conceduntur quae Lysias concessit, et quibus monentur ut mittant ad regem Antiochum (Eupatorem) aliquem, quocum res ulterius discutiantur (2 Mach. 11,34 ss.). « Quod vero legatis quoque Romanorum suae sibi partes fuerint in hoc negotio, propterea fortasse accidit, quia quum hi per eos dies illuc advenissent, Iudaei rati horum adventum suam esse occasionem eos rogaverint ut ipsorum patrocinium susciperent » (*Patritius*, De consensu utriusque libri Mach. p. 281). Cum horum legatorum mentio apud scriptores profanos non occurrat, narrationem eam aliqui reiiciunt, uti *Grimm* (ad 2 Mach. 11,34) qui insuper notat non relinqui locum legationi huic; nam antequam Antiochus Epiphanes expeditionem in orientem suscepisset, legatos esse missos C. Sulpicium et Manium Sergium (*Polybius* XXXI. 9,6); post eius mortem ad res Syriae ordinandas missos esse Cn. Octavium, Sp. Lucretium, L. Aurelium (*Polybius* XXX. 12,9); inter has duas legationes autem non relinqui locum alteri. Verum hisce rationibus parum conficitur. Nam ex ipso Polybio solum reliquiae quaedam servatae sunt. Dein eo tempore totus fere terrarum orbis a romanis legatis et civibus erat obsessus, qui populi romani nomine et auctoritate freti omnibus se immiscebant rebus, praesertim cum regum nomini romano infestorum potestatem possent infringere. Teste Polybio (XXV. 53,4) « declaratum est a Romanis, adeo non repudiare aut contemnere se externa negotia, licet parum ad ipsos attinentia, ut contra etiam indignentur, si ad ipsos omnia non referantur neque ex ipsorum sententia cuncta administrentur ». Porro Polybius (XXX. 18,4) narrat, cum Ptolemaeus Physcon Romae a senatu Cyprum insulam peteret, Canuleium et Quintum suo testimonio confirmasse quo pacto regnum divisum esset inter duos fratres Philometorem et Physconem; ergo illi duo videntur fuisse legati, quorum ope divisio illa regni facta fuit (*Livius*, Epit. 46). Epistula de qua agimus scripta est anno 148 aer. Seleucid. i. e. 165-164; unde non defuerunt qui putarent hunc Quintum, quem Polybius nominat XXXI. 18,4 esse nostrum Quintum Memmium et socium eius esse Titum Manilium Canuleium (cf. *Keil* et *Knabenbauer* ad 2 Mach. 11,34). Ceterum etiam brevi post ad res inter Philometorem et Physconem fratres componendas iterum missi sunt legati romani Titus Torquatus et Cn. Merula (*Polyb.* XXXI. 18,9). Quare mirandum esset, si Romani se non immiscuissent rebus inter Syros et Iudaeos agitatis. Cf. *Niese*, Kritik der beiden Makk. Bücher, 1900, p. 72 s.

R

RAAIA (רְאָיָה Ῥαϊά, Ῥααία), Nathinaeus, cuius filii cum Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,47 B Ῥεήλ; Neh. 7,50 B Ῥαεά). Idem nomen hebr. gerunt, qui in Vulg. scribuntur RAIA et REIA.

RAAMIAS (רַעַמְיָה, B Ναμιά), princeps, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 7,7). Idem Esdr. 2,2 scribitur Rahelaia (רְעֶלְיָה, B Ῥεελειά).

RABBA, RABBATH (רַבָּה i. e. magna, princeps scil. urbs; Ῥαββάθ, ἡ Ῥαββά) seu plenius Rabbath filiorum Ammon, urbs regia Ammonitarum. Coniiciunt aliqui recentiores eandem esse, quae Gen. 14,5 hebr. appellatur Ham urbs Zuzim a Chodorlahomor percussa, ceteroquin ignota; sed nihil certi statui potest. Ubi primum Rabba commemoratur (Deut. 3,11), exhibetur ut urbs filiorum Ammon celeberrima ingenti lecto ferreo (sarcophago ex basalte?) Og regis Basan de stirpe gigantum, cuius lecti magnitudine Israelitae monentur soli Deo victoriam de Og reportatam esse adscribendam. Sita erat Rabba extra limites terrae ab Israelitis occupatae; Gaditae enim acceperunt dimidiam partem terrae Ammonitarum usque ad Aroer, quae est contra Rabba (Ios. 13,25). Eius mentio fit imprimis in narratione belli ammonitico-syriaci a David feliciter gesti (2 Reg. 10-12 et 1 Par. 19,1 ss.); dum Aramaei e regione Medaba castrametati a Ioab fugantur (1 Par. 19,7 ss.), Ammonitae ab exercitu Abisai fratris Ioab fugientes in civitatem suam (Rabbath Ammon) se receperunt (2 Reg. 10,8. 14; 1 Par. 19,9. 15). Anno proxime insequenti ipsa Rabba a Ioab oppugnata est (2 Reg. 11,1 ss.; 1 Par. 20, 1) et ante eius portas etiam Urias Hethaeus mortem oppetiit; ipse Ioab urbem inferiorem cepit (2 Reg. 12,26), quae urbs aquarum vocatur (12,27) utpote iuxta aquas Iaboc superioris (*Nahr ʿAmmān*) sita, David autem urbem superiorem seu acropolim novo exercitu congregato expugnavit (12,29). Quoad Sobi filium Naas de Rabbath Ammon 2 Reg. 17,27 vide s. v. NAAS 2. Quamdiu Rabba in ditione Israelitarum permanserit, ignoramus. Ex oraculis Ieremiae (49,2. 3) et Ezechielis (21,20; 25,5) apparet eam illo tempore iterum Ammonitarum urbem principem fuisse.

Apud *Polyb.* V. 71,4 appellatur Rabbat-Amana, τὰ Ῥαββατάμανα, apud *Steph. Byz.* (s. v.) Rabbât-Ammana et (s. v. Φιλαδέλφεια) Ammana, apud *Euseb.* (Onom.) Amman et Rabba, hodie ruinae *ʿAmmān* iuxta *Nahr ʿAmmān* meridiem versus a *Djerash* (Gerasa), quae ruinae indicia aetatis romanae prae se ferunt. Nomen graecum Philadelphiae urbs sortita est a Ptolemaeo II. Philadelpho, ut testatur *S. Hieronymus* ad Ez. 25,5 : « Rabbath, quae hodie a rege Aegypti Ptolemaeo cognomento Philadelpho, qui Arabiam tenuit cum Iudaea, Philadelphia nuncupata est ». Non recensetur inter urbes, quas Alexander Iannaeus subegit, etsi hic Gerasam ab aquilone, Hesebon a meridie Philadelphiae ceperat; quam ob causam neque inter urbes enumeratur, quas Pompeius Iudaeis ereptas libertate donavit, attamen urbibus Decapoleos (vide s. v.) accensebatur. Flavius Iosephus (Bell. iud. III. 3,3) fines Philadelphiae (Φιλαδελφηνή) inter terminos Pe-

raeae orientales commemorat; alibi (Ant. XX. 1,1) narrat pugnas quasdam exortas esse inter Iudaeos Peraeae et Philadelphenos (circa 44 p. Chr.) de vico Mia; quodsi forte pro *Mia* cum *Relando* (Palaestina, p. 897) legi oportet *Zia*, qui vicus erat 15 mil. pass. a Philadelphia occidentem versus (Onom. *ed. Lag.* 258, 51; 159,26), inferendum erit circiter dimidiam partem regionis inter Philadelphiam et Iordanem Philadelphenis paruisse.

Cf. *Seetzen*, Reisen *ed. Kruse* I. 396 ss. IV. 212 ss.; *Burckhardt*, Reisen *ed. Gesenius* II. 612-618. 1062; *Ritter*, Erdkunde XV. 1145-1159; *De Saulcy*, Voyage en Terre Sainte I. 237 ss.; *Merrill*, East of Jordan 399 s.; *Survey of East. Pal.* I. 19-64; Zeitschrift d. D. Pal.-Ver., XIV. 73 ss.; *Gautier*, Au delà du Jourdain 1896, p. 93-110; *Guy le Strange*, Palestine under the Moslems, p. 391-393; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina u. Syrien *ed.* 5, p. 169 ss.

RABBI, RABBONI v. MAGISTER.

RABBOTH (הָרַבּוֹת cum articulo; cod. B Δαβειρών, A Ῥαββώθ), urbs Issachar (Ios. 19,20). Censetur esse *Rāba* fere 12 km a *Djenīn* (Engannim) inter meridiem et orientem. Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 228. 243, 244; *Legendre*, Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui, 1899, II. 578.

RABSACES (רַבְשָׁקֵה; 4 Reg. 18,17-37; 19,4. 8 : Ῥαψάκης; Eccli. 48,20 : Ῥαμψάκης; Is. 36,2-22; 37,4. 8 : Ῥαβσάκης), dux bellicus, qui una cum Tharthan et Rabsaris a Sennacherib de Lachis in Ierusalem missus est, ut Ezechiam regem eiusque populum ad deditionem permoveret. Eius nomen est officii; ex lingua hebraica explicandum videri potest princeps pincernarum, sed ab assyriologis potius explicatum est : rab-sak i. e. dux primarius, inferior tamen quam Tharthan, quod nomen imperatorem totius exercitus designat. Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 3 ad 4 Reg. 18,17. Recentius *H. Zimmern* in Ztschr. d. D. Morg. Ges. LIII. 1899, p. 116 ss. coniicit titulum assyriacum fuisse *rab-shāqū* i. e. principem pincernarum, qui simul muneribus gravioris momenti functus sit.

RABSARES (Ier. 39,3. 13) v. NABUSEZBAN et SARSACHIM.

RABSARIS (רַב־סָרִיס, Ῥαψίς), legatus una cum Tharthan et Rabsace a Sennacherib in Ierusalem missus ad Ezechiam regem (4 Reg. 18,17). Ipso nomine designatur caput eunuchorum; est nomen officii, sicuti Rabsaces et Tharthan. Coniiciunt recentiores nomini hebraico praesupponendum esse assyriacum *rab-sha-rēshi* i. e. praepositum, praefectum; cf. Ztschr. d. D. Morg. Ges. LIII. 1899, p. 116, nota 2.

RACA (ῥακά, in cod. Bezae ῥαχά) legitur Matth. 5,22 : « qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio (τῷ συνεδρίῳ) »; est vox contumeliosa conviciantium. Opprobrium grave, quod usu huius vocis homini inferatur, Christus docet graviore poena plectendum esse, nec sufficere ad eam imponendam auctoritatem iudicii in singulis civitatibus constituti, sed requiri auctoritatem synedrii, tribunalis humani summi, aliis verbis : iram in verba contumeliosa prorumpentem esse peccatum gravius quam iram internam. — Indubia vocabuli *raca* interpretatio non habetur. Alii alia proponunt : 1) Est vox aramaica רֵיקָא *inanis, stupidus, hebes!*, ut iam S. Hieronymus dixit : « raca dicitur κενός, i. e. inanis, vacuus, quem nos possumus vulgata iniuria *absque cerebro* nuncupare ». (At unde vocalis *a* pro *ē*? Semper scribitur ריקא, uno solo loco, saec. VII. p. Chr. fere, plur. רקויא.) — 2) S. Ioannes Chrysostomus dicit non esse vocem ὕβρεως, sed levis καταφρονήσεως καὶ ὀλιγωρίας, apud Syros servos appellari *raca*, ut apud Graecos σύ. (At tam levis contemptus certe non est gravius peccatum irā.) — 3) Est interiectio aramaica ipsis consonantium semiticarum sonis sputum ac taedium, ergo gravem contemptum indicans; ita Expository Times XV. 287. (At huius usus nullum superest vestigium.)—4) Est רַחֲקָא, i. q. מִרְחַקָא, i. e. forma apocopata emphatica participii aramaici מִרְחַק, quod in Tar-

gumim personam vel rem *reprobandam, abominandam, fastidii plenam* significat; sic correspondere potest hebraico מְרוּחָק, qua voce in Mishna is designatur, cuius commercium ac colloquium aliquis se vitaturum iuravit, v. gr. per formulam : « qorban esto os meum ubi tecum locutum fuerit ». Ergo *raca* = *homo abominabilis! quocum nullum habebo commercium!* (Ita fere in Zeitschr. f. kath. Theol. 1901, p. 554; at fueritne illa apocope tam usitata, non plane constat.) Ad idem rediret sententia, *raca* esse hebraicum רְחָקָה (imper. emphat.) *abi! apage te a me!*

De vi vocis aramaicae raca cf. *Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb. 2254; *Lightfoot*, Horae hebraicae, Opp. II. Ultrajecti 1699, p. 286; *Levy*, Chald. Wörterbuch II. p. 422; Zeitschr. f. kath. Theol. 1902, p. 402.

F. ZORELL.

RACHAL (רָכָל), una ex urbibus, ad quas David post cladem Amalecitis inflictam dona de praeda misit (1 Reg. 30,29). LXX hoc loco inter Esthamo et urbes Ierameel quinque urbes inserunt, quarum ultima est ὁ Κάρμηλος, oppidum Carmel in montanis Iuda; unde coniiciunt nonnulli interpretes pro Rachal, in quo residuum nominis Carmel cernatur, legendum esse cum LXX Carmel; alii negant. Vestigium urbis Rachal nullum exstat.

RACHEL (רָחֵל, Ῥαχήλ), filia iunior Laban, soror Liae, uxor Iacob, mater Ioseph et Beniamin (Gen. 28-31; 33,1. 2. 7; 35,19. 20. 24. 25; 46,19. 22; 48,7). Erat decora facie et venusto adspectu, pro qua ducenda Iacob bis septem annis Laban avunculo suo servivit. Sterilitatem dolens Balam ancillam suam marito concubinam dedit eiusque duos filios Dan et Nephthali adoptavit. Ipsa vero in Mesopotamia Iosephum peperit. Iacob e Syria fugientem comitata furto abstulit idola (Theraphim) patris sui, genus quoddam penatum, superstitionis potius quam idololatriae instrumenta, non tam ut ea ipsa consuleret, sed ne pater iis consultis de Iacobi fuga et itinere edoceretur (cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 31,19). Alterum filium Beniamin in lucem edidit in terra Chanaan prope Ephratam (Bethlehem) in via, quae a Bethel Ephratam ducit, cuius partu ipsa mater exstincta est. In apprecatione nuptiis Ruth adhibita (Ruth 4,11) Rachel et Lia, quae aedificaverunt domum Israel, in comparationem adducuntur; prior recensetur Rachel, utpote a Iacob magis adamata, ante Liam uxor expetita, Bethlehemitis propter vicinitatem sepulcri apprime cara. Apud Ier. 31,15 sola Rachel ultimam cladem populi Iuda et Israel i. e. utramque abductionem in exsilium lamentatione prosequitur; ipsa enim cum sit mater Ioseph (tribuum Ephraim et Manasse) et Beniamin, ad utrumque regnum pertinet. Quomodo ex Ier. 31,15 consequatur argumentatio Matth. 2,18 vide apud *Knabenbauer* ad h. l.

Sepulcrum Rachel. Mortua et sepulta est Rachel in via, quae a Bethel Ephratam seu Bethlehem ducit (Gen. 35,16-19; 48,7) et quidem, ut textus hebr. habet, kibrathae distantia ab Ephrata; vox autem kibratha (Chald. iugerum, Syr. parasanga, LXX ἱππόδρομος, Aquila ὁδός) aliquam distantiae mensuram designat, quae accuratius definiri nequit; erat igitur sepulcrum kibrathae distantia aquilonem versus a Bethlehem, certe haud procul a Bethlehem; cf. s. v. MENSURAE col. 161-2. — Contra hunc situm immerito provocatur ad Ier. 31,15 (cf. Matth. 2,18), quo loco Rachel vocem lamentationis de populi in exsilium abductione edidisse legitur in Rama (hebr. LXX), quae est urbs Beniamin inter Bethel et Ierusalem; neque enim propheta lamentationem eius e sepulcro resonantem facit, sed ex eo loco, in quo Iudaei in exsilium deducendi congregabantur scil. urbe Rama (cf. Ier. 40,1). — Maior difficultas oritur ex 1 Sam. 10,2 : iuxta sepulcrum Rachel in finibus Beniamin; sed explicandum esse existimat *F. de Hummelauer*: « prope fines Beniamin, nam hunc quoque sensum praepositio בְּ habet et locus Sauli (asinas patris sui quaerenti) describitur per illud, quod ipse prae ceteris norat, suae tribus fines... Certe, quod Matthaeus 2,18 textum Ier. 31,15

applicaverit caedi innocentium in Bethlehem factae, indicat intimiorem aliquem inter Rachel et Bethlehemitas exstitisse nexum, qui alius esse non potest a situ sepulcri ». Qua interpretatione admissa omnibus textibus biblicis satisfacere videtur traditio, quae inde a S. Hieronymo sepulcrum Rachel agnoscit in *Qubbet Rāḥīl* dimidiae horae itinere a Bethlehem Ierusalem versus, ad sinistram viae hodiernae. Cf. *Robinson,* Palaestina I. p. 363 s.; *Guérin*, Judée I. 224-236. Eundem situm sepulcro Rachel vindicant Professores *de N.-D. de France,* qui 1904 ediderunt *Guide hist. et prat.* La Palestine, p. 216 s.

Nihilominus alii sepulcrum Rachel haud procul a Rama in media tribu Beniamin quaerendum censent, ut *H. A. Poels*, Kiriath Iearim, 1894, p. 24 ss. Ulterius progrediuntur, qui duplicem traditionem discernunt, alteram iudaicam Gen. 35,19 et Matth. 2,18 de sepulcro Rachel prope Bethlehem, alteram ephraimiticam 1 Sam. 10,2 et Ier. 31,15 de sepulcro Rachel prope Ramam in finibus vel etiam in termino aquilonari finium Beniamin. Cf. commentarios.

RADDAI (רַדַּי, cod. B Ζαδδαί, A Ῥαδδαί), frater Davidis, quintus filius Isai (1 Par. 2,14).

RAGAU (1 Par. 1,25; Luc. 3,35) v. REU.

RAGAU (Ῥαγαῦ) Iudith 1,6[5], provincia Mediae Rhagiana, cuius urbs principalis erat Rages (vide s. v.).

RAGES, urbs Mediae inter septemtrionem et orientem spectantis, domicilium Gabeli Nephthalitae aliorumque Israelitarum, qui in captivitatem assyriacam abducti erant (Vulg. Tob. 1,16; 4,21; 5,8. 14; 9,3. 6; LXX 1,14; 4,1. 20; 5,5; 9,2 ἐν Ῥάγοις); de Vulg. 3,7; 6,6 et LXX 6,10 vide s. v. RAGUEL.

Apud Isidorum Char. (Mansiones Parthicae 7) Rhaga urbs dicitur maxima omnium in Media. Alexander Magnus Darium ab Ecbatanis orientem versus persequens, ut habet Arrianus (Exped. Alex. 3,20) « undecimis castris Rhagas pervenit. Distat hic locus unius diei itinere a Caspiis pylis, equitanti ita ut Alexander ducebat ». *Strabo* XI. 13.6 : « Rhaga (codd. Ῥάγεια) a Nicatore condita, quam ipse Europum appellavit, Parthi Arsaciam, versus meridiem a Caspiis portis dissitam quingentis circiter stadiis, ut tradit Apollodorus Artemitenus » et 7 : « Maior Mediae pars sublimis est et frigida; ac tales sunt etiam supra Ecbatana siti montes et apud Rhagas Caspiasque portas ». Nomen vero Rhagis, ταῖς Ῥάγαις (rupturas diceres) factum esse Graeci existimabant a terrae motibus, quibus rupta fuerit (ἐρράγη a verbo ῥήγνυμι) regio apud Caspias portas et aliam prorsus faciem induerit, eo quod urbes absorberentur, nova flumina et lacus veterum loco exorirentur (*Strabo* I. 3,19; XI. 9,1; *Diod. Sic.* 19, 44). Apud Ptolemaeum VI. 2,17; VIII. 21,11 urbs nomine Εὔρωπος commemoratur, sed tota circum regio seu provincia VI. 2,6 ἡ Ῥαγιανή. Stephanus Byz. s. v. Ῥάγα eam a Seleuco Nicatore conditam esse dicit et Europum appellatam, ab Arsace rege cognominatam Arsaciam. Quae de Seleuco Nicatore apud Strabonem et Stephanum Byz. leguntur, de urbis instauratione, non prima exstructione intellegi debere hodie omnes concedunt neque quisquam libello Tobiae anachronismum exprobrat, ut olim factum est. Nomen urbis primitivum prae nominibus postea inditis praevaluit; medio aevo celebris erat urbs *Rai;* eius situm indicant hodiernae ruinae *Rai;* prope *Teheran* inter meridiem et orientem. Cf. *Ritter,* Erdkunde VIII. 595 ss.

In Vulg. 5,8 legitur : « Rages civitas Medorum, quae posita est in monte Ecbatanis »; codex Sinaiticus et codices Italae ita legunt, ut Rages in monte, Ecbatana autem in medio campo collocent; sed sine dubio Ecbatana altius posita erant quam Rages. Praeterea codex Sinaiticus fert Ecbatana et Rages duorum dierum itinere dirimi, dum Alexander Magnus nonnisi post decem dierum iter summa festinatione peractum Ecbatanis Rhagas pervenit. Sufficiat hoc loco textuum diversitatem et corruptionem innuere et lectorem ad commentarios remittere. Cf. *C. Gutberlet,* Das Buch Tobias, 1877, p. 172. 173.

RAGUEL (Ex. 2,18; Num. 10,29) v. IETHRO.

RAGUEL (Ῥαγουήλ) Nephthalita, contribulis et consobrinus Tobiae senioris, maritus Annae, pater Sarae, quam Tobias iunior uxorem duxit (Tob. 3,7; 6,11; 7,1 ss.; 8,11 ss.; 9,5. 6. 8; 10,8. 10; 14,15 in Vulg., a qua textus graecus compluries recedit). Degebat Raguel non in Rages civitate Medorum, ut Vulg. 3,7 habet, sed Ecbatanis, ut in Cod. Vaticano 3,7 legitur; profecti sunt enim Tobias et Raphael a domicilio Raguelis ad Gabelum, qui in Rages degebat. Etiam 6,6 eadem discrepantia cernitur: Vulg. Rages, cod. Vat. ἐν Ἐκβατάνοις. Quanta autem sit corruptio textus, inde apparet quod in cod. Vaticano 6,10 non Ecbatana, sed Rages domicilium Raguelis esse supponitur. — Cf. *Gutberlet*, Das Buch Tobias, p. 117 ss.

RAHAB. 1. Rahab (רָחָב, Ῥαάβ et Matth. 1,5 Ῥαχάβ), meretrix Ierichuntina, quae exploratores a Iosue missos hospitio excepit et in urbis excidio cum cognatione sua servata est (Ios. 2,1 ss.; 6,17. 23. 25). Flav. Iosephus (Ant. V. 1,2) nihil de eius quaestu meretricio loquitur, sed solum de hospitio seu diversorio, in quod coenandi causa exploratores deverterint; Iosephum secuti etiam Rabbini et alii e. gr. *Vatablus* eam non meretricem, sed dominam cauponae fuisse supponunt. Sed dubium non est, quin vere fuerit meretrix (זוֹנָה, πόρνη). Eius domum muro contiguam etiam diversorium seu tabernam fuisse non improbabile est, immo toti narrationi consentaneum. Magnopere commendatur fides huius mulieris chananaeae et peccatricis. Fidem et verbis (Ios. 2,11) et factis profitetur et ob hanc fidem meruit, ut ipsa et posteri eius in medio Israel habitarent. Recensetur Hebr. 12,31 inter heroes fidei et Iac. 2,25 eius exemplo demonstratur, fidem sine operibus esse mortuam. Maximum vero eius encomium est, quod inter progenitrices Messiae locum obtinet: Salmon autem genuit Booz de Rahab (Matth. 1,5), quae verba propter additum : *de Rahab* generationem immediatam, non solum mediatam innuunt; erat igitur uxor Salmon et mater Booz. In ea iam praefiguratum cernitur alienigenas a regno messianico non excludi neque carnalem ab Abraham descensum, sed fidem a Messia spectari. — Sunt alia quoque in historia Rahab, quae interpretationi typicae ansam dederunt; ita S. Clemens Rom. (1 Cor. 12) in funiculo coccineo a Rahab e domo sua demisso, quo ipsa cum cognatione sua servata est, praefiguratam cernit redemptionem per sanguinem Domini omnibus adfuturam.

2. Rahab (רַהַב i. e. *ferocia, tumor, impetus, insolentia;* Ῥαάβ) est nomen poeticum Aegypti Ps. 86[87],4 et in textu hebr. etiam Ps. 88 [89], 11; Is. 30,7; 51,9; quo nomine vera Aegypti indoles ad vivum describitur : Aegyptus nihil nisi tumor, superbia.

RAHABIA (רְחַבְיָה, רְחַבְיָהוּ; Ῥααβιά, Ῥαβίας), filius unicus Eliezer secundi filii Moysis et progenitor numerosae prolis (1 Par. 23,17; 24,21; 26,25). Vulgata scribit 26,25 Rahabia, sed 23,17 et 24,21 Rohobia.

RAHAM (רֶחֶם, Ῥάμεε), filius Samma ex posteris Caleb filii Hesron (1 Par. 2, 44), pater Iercaam vel forte possessor Iercaam oppidi (v. IERCAAM).

RAHELAIA v. RAAMIAS.

RAHUEL (רְעוּאֵל, Ῥαγουήλ). **1.** Filius Esau ex Basemath uxore, pater quattuor filiorum Nahath, Zara, Samma, Meza, qui inter duces filiorum Esau recensentur (Gen. 36,4. 10. 13. 17; 1 Par. 1,35. 37).

2. Beniaminita ex maioribus Mosollam (1 Par. 9,8).

Idem nomen hebr. alias in Vulg. redditur Raguel (vide s. v.).

RAIA v. SOBAL 2.

RAM (רָם, Ῥάμ). **1.** Ram (Ἀράμ) 1 Par. 2,9. 10 v. ARAM 4.

2. Primogenitus Ierameel primogeniti Hesron ex tribu Iuda, pater Moos, Iamin et Achar (1 Par. 2,25. 27).

3. Eliu Buzites, ultimus in libro Iob interlocutor, de cognatione Ram (Iob

32,2) ; erat igitur Ram cognatio quaedam inter Buzitas.

RAMA (הָרָמָה i. e. excelsum, locus editus; Ῥαμά, ἡ Ῥαμά), urbs in occidentali parte Beniamin sita et inter Gabaon et Beroth enumerata (Ios. 18,25); non multum aberat a Gabaa Beniamin aquilonem versus (Iud. 19,13; 1 Reg. 22,6; Os. 5,8) neque multum a Gaba (*Djeba*ʿ), siquidem in descriptione itineris Assyriorum Is. 10,29 incolae Gabaath Saulis (seu Gabaa Beniamin) fugitivi perhibentur a facie Sennacherib, qui a Gaba et Rama meridiem versus progreditur. Ad hasce indubias situs indicationes accedit, quod palma Debborae prophetissae erat inter Rama et Bethel in monte Ephraim (Iud. 4,5) et quod Ieremias cum aliis captivis a Ierusalem Ramam usque abductus et ibi tandem catenis solutus est (Ier. 40,1 et v. GODOLIAS); erat igitur Rama inter Ierusalem et Bethel. De Rama oriundus erat Semeias a Davide vinearum cultoribus praepositus (1 Par. 27,27; Vulg. Romathites). Baasa rex Israel urbem Rama regi Asa eripuit ac munire coepit, quo regi Iuda omnem aditum ad terram septemtrionalem praecluderet (3 Reg. 15,17; 2 Par. 16,1); mox autem cum Baasa a Benhadad rege Damasci impugnatus Rama discederet, Asa munitiones Ramae delevit et ex lignis ac lapidibus munitionum Ramae duo alia oppida vicina, Gabaa et Maspha Beniamin, firmavit (3 Reg. 15,21. 22; 2 Par. 16,5. 6). Ex captivitate babylonica redierunt filii Rama et Geba 621 numero (Esdr. 2,26; Neh. 7,30). Rama quoque legitur Ier. 31,15 hebr. LXX (sed Vulg. in excelso) et Matth. 2,18; nomen proprium retinendum est; ratio autem cur in Rama ploratum ediderit Rachel, ex Ier. 40,1 repetenda est, quo loco Iudaeos in exsilium abducendos Ramae congregatos esse indicatur. — Teste Flavio Iosepho (Ant. VIII. 12,3) Armathon i. e. Rama Hierosolymis distabat 40 stadiis, testibus Eusebio et S. Hieronymo (Onom. *ed. Lag.* 287,1; 146,9) sex mil. pass. aquilonem versus; verum in commentario ad Os. 5,8 S. Hieronymus notat : « Rama, quae est iuxta Gabaa, in septimo lapide a Ierosolymis sita »; idem ad Soph. 1,15. 16 Rama parvum viculum demonstrari dicit. — Hodie *el-Rām* fere 8 km a Ierusalem aquilonem versus situm, cui omnino vicina sunt Gaba (*Djeba*ʿ) ab oriente, Gabaon (*el-Djīb*) ab occidente, Gabaa Beniamin (probabilius *Tell el-Fūl*) a meridie; cf. *Riess,* Bibel-Atlas s. v.; *Guérin,* Samarie I. 190-204; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 13, quo loco *el-Rām* quinque leucas anglicas a Ierusalem abesse asseritur. Distantia igitur 40 stadiorum a Iosepho statuta iusto minor est; vero proxima est illa 6 mil. pass. in Onomast. assignata. — A Rama nostra probabilius distinguenda est patria Samuelis Ramatha seu Ramathaim Sophim (v. RAMATHA).

Duae aliae urbes, quarum nomen hebr. est Rama cum articulo, in Vulg. appellantur Arama et Horma (vide s. vv.).

RAMATH Ios. 19,8 v. BAALATH BEER RAMATH.

RAMATHA (הָרָמָה et cum He locali הָרָמָתָה; Ἀρμαθαίμ), urbs patria Samuelis (1 Reg. 1,19; 2,11), in qua Israelitas iudicabat (7,17; 8,4; 15,34; 16,13), ubi etiam mortuus ac sepultus est (25,1; 27,3). Eadem appellatur 1 Reg. 1,2 Ramathaim Sophim (הָרָמָתַיִם צוֹפִים i. e. *duo excelsa Sophim* seu Sophitarum ; Ἀρμαθαὶμ Σιφά), haud dubie a Suph qui 1 Reg. 1,1 inter maiores Samuelis recensetur. Praeterea 1 Reg. 19,18. 19. 22. 23; 20,1 legitur Naioth in Ramatha (נָיוֹת בְּרָמָה, *Kethib* נָוֹת i. e. habitationes in Rama; Ναυὰθ ἐν Ῥαμᾶ), qua voce coenobium domiciliorum designatur, in quibus discipuli prophetae degebant (cf. 4 Reg. 6,1 ss.) et Samuele praeposito conventum habebant. Accedit denique 1 Mach. 11,34 Ramatha (Ῥαμαθέμ, Ἁ Ῥαθαμείν), una ex tribus toparchiis, quas reges Syriae Demetrius I. et Demetrius II. a Samaria seiunctas Iudaeae adiecerunt et Ionathae Machabaeo tradiderunt.

De situ opiniones sunt variae. Ramathaim Sophim ex 1 Reg. 1,1 erat in monte Ephraim; Ramatha 1 Mach. 11,34 ad Samariam pertinuerat. Eusebius Ra-

mathaim Sophim prope Diospolim (Lyddam) collocat, S. Hieronymus in regione Thamnitica iuxta Diospolim (Onom. *ed. Lag.* 222,12; 96,17); uterque eandem esse putat Arimathaeam patriam Ioseph nobilis decurionis, quam plerique coniecerunt esse vicum *Ramle*, recentiores autem maiore cum probabilitate vicum *Rentīs* inter aquilonem et orientem a Lydda (vide s. v. ARIMATHAEA). Unde maxime commendari videtur aequatio: Ramathaim Sophim = Arimathaea = *Rentīs;* cf. *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui, 1899, II. p. 433-441 et cf. p. 362 ss. Ab hac opinione non multum recedunt, qui Ramatham componunt cum *Beit Rīmā* 8 km orientem versus a *Rentīs;* cf. *Furrer* in *Schenkel*, Bibellex. V. p. 37; *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes etc. *ed.* 3 I. p. 233. 234. Hic situs (*Rentīs* vel ex aliorum opinione *Beit Rīmā*) pro Ramatha toparchia 1 Mach. 11,34 merito assignari potest, etiamsi Ramatha Samuelis cum nonnullis auctoribus infra allegandis alibi quaeratur; hanc toparchiam necessario cum patria Samuelis eandem esse non ab omnibus conceditur.

Alii ex itinere Saulis, qui asinas patris sui quaerens urbem, in qua Samuel erat, ingressus est (1 Reg. 9,1 ss.), concludunt Ramam Samuelis in tribu Iuda fuisse. *Gesenius* (Thesaurus, p. 1275 ss.) eam agnoscit in *Djebel Fureidīs* seu Herodio veterum seu monte Francorum simulque distinguit Ramam Samuelis a Ramathaim Sophim oppido natali Elcanae patris Samuelis in monte Ephraim. *F. de Hummelauer* (Comment. in ll. Samuelis, p. 117. 118) Ramam Samuelis agnoscit in *el-Rāme* prope Hebron aquilonem versus neque tamen eam distinguit a Ramathaim Sophim, sed additum 1 Reg. 1,1 *de monte Ephraim* interpretatur de civili attributione, quatenus Elcana pater Samuelis fuerit civili attributione Ephraimita, domicilio autem Iudaeus. *Robinson* (Palaestina II. p. 583-8) eandem agnoscit in *Ṣūbā* ad occidentem Ierusalem. Sed alii interpretes omnino negant illam urbem, in qua Saul cum Samuele congressus est et cuius nomen 1 Reg. 9,1 ss. tacetur, fuisse Ramam Samuelis.

Alii Ramam Samuelis et Ramam Beniamin, de qua s. v. RAMA diximus, eandem esse contendunt (*Graf,* Studien und Kritiken, 1854, p. 858 ss.; *Mühlau* in *Riehm-Baethgen*, Handwb. d. bibl. Altert. s. v. Rama).

Alii cum traditione antiqua patriam Samuelis agnoscunt in *Nebi Samwīl* (*Guérin*, Judée I. 362-384; *Legendre,* Carte de la Palestine), quem montem s. v. Ephraim 3 limitem inter montem Ephraim et montem Iuda assignavimus.

Ewald (Geschichte des Volkes Israel, *ed.* 3, II. 594; III. 28 s.) suggerit *Rāmallāh* (*Rām Allāh*, Rama Dei), quae a *Nebi Samwīl* aquilonem versus abest, iuxta *el-Bīre* occidentem versus.

RAMATHAIM SOPHIM v. RAMATHA.

RAMATH LECHI (רְמַת לְחִי i. e. excelsum maxillae, Vulg. elevatio maxillae; LXX Ἀναίρεσις σιαγόνος) seu brevius Lechi (לֶחִי, propter pausam לֶחְיִ; LXX Λεχί), nomen illius loci in tribu Iuda, ubi Samson apprehensa asini maxilla Philisthaeos in fugam egit ac sitiens fonte illo miraculoso refectus est, quem Deus in cavo petrae formam mortarii seu pilae prae se ferente indeque postmodum *Pila* dicto scaturire fecit (Iud. 16,9. 17 et in textu hebr. etiam vv. 14 et 19). Nomen Lechi, quod loco illi a facinore Samsonis inditum est, proleptice iam in vv. 9 et 14 usurpatur. Traditio antiqua hoc facinus Samsonis ad viciniam Eleutheropoleos referebat (cf. Peregrinatio S. Paulae n. 18 et Itinerarium S. Antonini [Anonymi] n. 32; apud *Tobler* et *Molinier*, Itin. hierosol. I. p. 39 et 109) et reapse ad septemtrionem Eleutheropoleos (*Beit Djibrīn*) prope *Khirbet Djedeide* ruinae alicuius canalis exstant, cui nomen *Qenayet ʿAin Leḥi el-Safer;* attamen *Guérin* (Judée II. 317-320) recte animadvertit hanc situs determinationem ab ipsa narratione biblica repudiari et alium situm prope petram Etam in monte Iuda postulari. Quare *Guérin* alibi (l. c. p. 396-400) fontem miraculosum Samsonis agnoscit in *ʿAin el-Leḥi* (vel *Lekhi*) prope Bethlehem inter septemtrionem et occidentem i. e. haud procul a petra Etam, quam idem *Guérin*

prope *'Ain 'Atān* in regione piscinarum Salomonis quaerendam censet (v. ETAM 4). — Aliter iudicat *Schick* (Zeitschrift d. D. Pal.-Ver. X. 1887, 152-154), qui petram Etam prope *'Artūf* quinque horis a Ierusalem occidentem versus quaerit (l. c. 144) et excelsum seu collem Lechi agnoscit in *Khirbet el-Ṣiyagh* ad meridiem *'Artūf* (cf. tabulam II. volumini X. additam); immo putat in *Ṣiyagh* deprehendi posse vestigium nominis graeci σιαγών, *maxilla*, praesertim cum Aquila et Symmachus pro Lechi Σιαγών scripserint et Flavius Iosephus (Ant. V. 8,9) Samsonem locum istum Σιαγόνα appellasse tradat. Supponit itaque haec opinio nomen graecum Σιαγών postmodum pro nomine loci primitivo Lechi substitutum et in arabica forma nobis conservatum esse. Quidquid de hac re iudicatur, hoc saltem monendum est argumentum ex Aquila, Symmacho, Flavio Iosepho petitum nihil valere; ut enim graecis lectoribus vim sententiae hebraicae redderent, aut explicatio etymi addenda erat aut pro *Lechi* nomen graecum eiusdem significationis substituendum.

RAMESSES (רַעַמְסֵס, רַעַמְסֵס, Ῥαμεσσή), pagus in regione Gessen, quem Ioseph ex mandato Pharaonis dedit patri et fratribus suis possessionem in Aegypto (Gen. 47,11). In eodem pago, uti videtur, erat urbs tabernaculorum (i. e. promptuarium) Ramesses, quam Israelitae ad angariam adacti Pharaoni exstruxerunt, sicuti etiam alteram urbem tabernaculorum Phithom (Ex. 1,11). A Ramesse denique initium sumit exodus filiorum Israel ex Aegypto (Ex. 12,37; Num. 33,3); de Ramesse profecti sunt in Socoth.

De situ urbis Ramesses nonnisi coniecturae exstant. Est opinio probabilis Ramessen eandem esse atque Tanin seu Zoan, hodie *Ṣān*, in Delta Nili sitam, quae erat sedes Pharaonis Ramessis II. ab eodem plurimis aedificiis amplificata, unde etiam *Pa Ramesses* i. e. Ramessis urbs appellabatur (cf. *G. Ebers*, Durch Gosen zum Sinai 1872, p. 500). Ex narratione plagarum aegyptiacarum colligitur pagum Ramesses, unde exodus filiorum Israel initium sumpsit, non longe abfuisse a sede Pharaonis Ramessis II. Accedit, quod Moysis portenta Ps. 77[78],12.43 in campo Taneos effecta esse affirmantur. In hac igitur opinione dicendum erit urbem Ramesses ab Israelitis non exstructam, sed amplificatam esse iussu Pharaonis Ramessis. Cf. *F. de Hummelauer* in Ex. 1,11; *Brugsch*, Histoire d'Égypte *ed.* 2, p. 135; L'Exode, 1875, p. 21 s.; *G. Ebers* et *H. Gulhe*, Palaestina in Bild u. Wort II. (1884), p. 258.

Ex aliorum opinione Ramesses agnoscitur in ruinis *Abu Keisheb*, quae nunc *Maskhūta* audiunt, haud procul occidentem versus ab Heroonpoli, ubi monumenta ex tempore Ramessis II. reperta sunt. Cf. *Dillmann* in Ex. 1,11; *Lepsius*, Chronol. der Aegypter I. p. 345 ss.; *Brugsch*, Geogr. Inschriften I. p. 266; *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3, II. p. 17 ss. Sed *Maskhūta* potius componi debet cum Phithom (v. s. v.). — Ab aliis Ramesses coniicitur esse Phacusa, hodie *Fāqūs* (*Naville*, Land of Goshen, 1887, p. 18. 20).

RAMETH urbs in Issachar v. IARAMOTH.

RAMOTH (רָמוֹת, Μημών, A Ῥημώθ), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,29).

RAMOTH eadem quae Rameth; v. IARAMOTH.

RAMOTH ad meridiem 1 Reg. 30, 27 v. BAALATH BEER RAMATH.

RAMOTH GALAAD (רָמוֹת גִּלְעָד vel רָאמוֹת בְּגִלְעָד; Ῥαμώθ, Ἀρημώθ, Ῥαβώθ, Ῥεμμάθ, Ῥεμμώθ cum addito Γαλαάδ vel ἐν Γαλαάδ), alio nomine Maspha (הַמִּצְפֶּה, הַמִּצְפָּה i. e. specula, locus editus; Μασσηφά, ἡ σκοπιά), unde Ios. 13, 26 Ramoth Masphe (רָמַת הַמִּצְפֶּה, Ἀραβὼθ κατὰ τὴν Μασσηφά) et Iud. 11,29 Maspha Galaad (מִצְפֵּה גִּלְעָד, ἡ σκοπιὰ Γαλαάδ); denique 4 Reg. 8,29 simpliciter Ramoth (הָרָמָה, Ῥεμμώθ). Erat urbs tribus Gad (Deut. 4,43; Ios. 13,26), civitas

refugii (Deut. 4,43; Ios. 20,8), levitis de stirpe Merari concessa (Ios. 21,37; 1 Par. 6,80 [65]). Aetate iudicum erat urbs praecipua Galaad, in qua Iephte sedem suam fixit (Iud. 10,17; 11,11. 29. 34); ibi quoque residebat Bengaber, sextus inter duodecim praefectos salomonicos, qui unam ex tribus praefecturis terrae Galaad administrabat (3 Reg. 4,13). In bellis Syrorum contra regnum Israel multum de eadem urbe dimicatum est; Achab, qui ius in eam possidendam (cf. 3 Reg. 20,34) armis tueri volebat, ante eius muros sagitta confossus occubuit (3 Reg. 22,3 ss.; 2 Par. 18,2 ss.); Ioram filius Achab eandem Hazael regi Damasci creptam feliciter defendebat, sed cum ipse vulneratus inde in Iezrael revertisset, Iehu in Ramoth Galaad rex unctus est, qui brevi totam domum Amri exstirpavit (4 Reg. 8,28. 29; 9,1 ss.; 2 Par. 22,5 ss.). Urbem fuisse altitudine conspicuam ex eo colligitur, quod Os. 5,1 ex regione trans et cis Iordanem per modum synecdoches duo loca conspicua eliguntur scil. Maspha (hebr.) et Thabor; cf. *Knabenbauer* ad Os. 5,1. Iudas Mach. in terram Galaad profectus urbem Maspha (Μασφά) expugnavit et incendio delevit (1 Mach. 5,35); contextus omnino suadet hanc esse Ramoth Galaad, siquidem Iudas a Ierusalem profectus Iordane prope Iericho traiecto tribum Gad peragravit, antequam urbes magis septemtrionales in v. 36 nominatas attingeret. De Maspha Gen. 31,49 (hebr.), quam nonnulli cum nostra Maspha Galaad comparant, vide MASPHA 1. — Ramoth ab Eusebio collocatur 15 mil. pass. a Philadelphia (Rabbath Ammon) occidentem versus (Onom. *ed. Lag.* 587,91). A multis auctoribus (v. g. *Neubauer*, Géogr. du Talmud 1868 p. 251; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui. 1899, II. p. 86. 87) Ramoth Galaad agnoscitur in *el-Ṣalt* urbe principali regionis *Belqā*, ab aliis (*F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 262) magis aquilonem versus in ruinis *Djal'ūd* paulo infra fluvium Iaboc, ab aliis (*Conder*, Heth and Moab, 1883, p. 175. 187) in *Reimūn* supra fluvium Iaboc et occidentem versus a *Djerash*, ab aliis (S. *Merrill*, East of the Jordan, p. 284-290) in *Djerash*. Adverte ab aliquibus distingui Ramoth Galaad et Maspham Galaad.

RANAE (צְפַרְדֵּעַ collect. et צְפַרְדְּעִים, οἱ βάτραχοι) ad Moysis vocem insolita prorsus frequentia ex aquis pullulantes efficiebant secundam ex decem plagis aegyptiacis (v. s. v.) Ex. 8,2 ss. hebr. 7, 27-28; 8,1 ss. Ad eundem eventum referuntur Ps. 77[78],45; 104[105],30; Sap. 19,10. Praeterea describuntur Apoc. 16,13 spiritus tres immundi in modum ranarum (ὡς βάτραχοι). — Vox צפרדע sicut arab. *ḍofda'* primitus erat nomen genericum ranarum et bufonum; cf. *Franz Delitzsch*, Psalmen, 1894, p. 527. In Aegypto et Palaestina abundant *Rana esculenta* Linné et *Hyla arborea* Linné, *Bufo viridis* Laurenti et bufonis viridis varietates *B. pantherinus* et *B. variabilis;* cf. *H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palestine, 1884, p. 159-161; *id.* Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 280. 281. Apud *U. J. Seetzen*, Reisen, *ed. Kruse* III. p. 490-495 (cf. IV. p. 515) describuntur *Rana Nilotica*, arab. *baqrūr*, quam veluti escam piscatores hamo affigunt, et *Rana Mosaica*, arab. *ḍofda'*, cui potius nomen bufonis, quam ranae congruit. De ranis Aegypti plura refert *F. Hasselquist*, Reise nach Palaestina *ed. C. Linné*, 1762, p. 68. 103 s. 254 s. 304 : « Ardea (ibis) vescitur insectis et ranis parvis, quibus terra Aegypti abundat sub et post inundationem et hoc ipso egregium praestat officium in oeconomia naturae ». Colebatur quoque in Aegypto iam antiquitus, saltem inde a 5. dynastia, dea *Hiqit* capite ranae in monumentis repraesentata, cui munus coercendarum ranarum tribuebatur; cf. *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. 1896, II. p. 324. De plagis ranarum referunt etiam *Athen.* VIII. 6,333; *Diod. Sic.* 3,29; *Aelian.* Nat. anim. 17,41; *Appian.* Illyr. 4; *Justin.* XV. 2,1; *Plin.* VIII. 29(43),104.

RAPHA. **1.** Rapha (רָפָה, Ῥαφά), filius Ephraim (1 Par. 7,25).

2. Rapha (רָפָא, Ῥαφά) enumeratur 1 Par. 8,2 quintus filius Beniamin; putat *Keil* ad h. l. cognationem beniaminiticam Rapha eandem esse ac Num. 26,

39 cognationem Hupham seu Huphamitarum, sed in medio relinquit, utrum Rapha ipse binominis fuerit an cognatio eius postmodum a celebriore quodam principe Hupham novum nomen sortita sit. Verum *F. de Hummelauer* coniicit nominibus Ahara, Nohaa, Rapha 1 Par. 8,1. 2 designari Hevaeos in fidem Hebraeorum receptos (Comm. in 1 Par. p. 165-167 : « Quaestio de numero et nominibus filiorum Beniamin obscurior » etc.).

3. Rapha (רָפָה, Ῥαφαία), filius Banaa ex posteris Saul (1 Par. 8,37); idem 9,43 scribitur Raphaia (רָפָיָה, Ῥαφαΐα).

4. Rapha (הָרָפָא, Ῥαφά) 1 Par. 20,6. 7 hebr. 20,6. 8 vel Arapha (הָרָפָה, Ῥαφά) 2 Reg. 21, 18. 20 non videtur esse nomen proprium gigantis cuiusdam, sed nomen commune gigantum illorum, qui alias Raphaim dicuntur.

5. Vide BETHRAPHA.

RAPHAEL (רָפָאֵל, Ῥαφαήλ). **1.** Filius Semeiae primogeniti Obededom, ianitor in domo Domini (1 Par. 26,7).

2. De archangelo Raphael vide s. v. ANGELUS.

RAPHAIA (רָפָיָה, Ῥαφαΐα et 1 Par. 3,21 Ῥαφάλ). **1.** Unus ex posteris David (1 Par. 3,21); fueritne etiam ex posteris Zorobabel, non liquet.

2. Princeps Simeonitarum in illa expeditione, quam quingenti Simeonitae in montem Seir contra reliquias Amalecitarum susceperunt (1 Par. 4,42).

3. Filius Thola filii Issachar (1 Par. 7,2).

4. Filius Banaa ex posteris Saul (1 Par. 9,43; v. RAPHA 3).

5. Filius Hur, princeps vici (dimidii tractus) Ierusalem (Neh. 3,9).

RAPHAIM (רְפָאִים; Ῥαφαείν, Ῥαφαείμ, γίγαντες), populus Palaestinae antiquissimus, et proceritate conspicuus, a Chananaeis magnam partem exstirpatus, ab Israelitis penitus exstinctus. Eos a Chodorlahomor apud Astarothcarnaim devictos esse Gen. 14,5 narratur. Eosdem cum reliquis populis Chanaan semini Abrahae tradendos esse Gen. 15, 20 praenuntiatur. De reliquiis Raphaim erat Og rex Basan a Moyse percussus (Deut. 3,11; Ios. 12,4; 13,12). Dispersio eorum commemoratur Deut. 2,11. 20 (cf. textum hebr.), quibus locis simul indicatur nomine generaliore Raphaim alios quoque populos comprehendi; in Moab enim antiquitus habitabat populus ad Raphaim pertinens, quem Moabitae Emim appellabant et in Ammon alius quidam ramus Raphaim, quem Ammonitae Zomzommim (Zuzim) appellabant. Ad occidentem quoque Iordanis in territorio filiorum Ioseph (Ephraim et Manasse) erat aliqua terra Raphaim tempore Iosue (Ios. 17,15). Probabilius etiam vallis Raphaim (vide s. v.) prope Ierusalem ab aliqua tribu eiusdem populi nomen accepit. De reliquiis Raphaim cisiordanicorum videntur etiam fuisse gigantes illi Gethaei, filii Rapha (Arapha), qui cum Philisthaeis contra David pugnaverunt (2 Reg. 21,16-22; 1 Par. 20,4-7; cf. RAPHA 4).

RAPHAIM (Α Ῥαφαΐν) inter maiores Iudith (Iudith 8,1).

RAPHAIM vallis (עֵמֶק רְפָאִים; γῆ Ραφαΐν, Ἐμὲκ Ῥαφαΐν, ἡ κοιλὰς τῶν Τιτάνων sive τῶν γιγάντων, ἡ κοιλὰς Ῥαφαΐν, Is. 17,5 : ἐν φάραγγι στερεᾷ), cuius extrema pars septemtrionalis in confinibus tribuum Iuda et Beniamin sita erat (Ios. 17,8; 18,16). In eadem valle Philisthaei bis castra posuerunt contra David et bis insigni clade affecti sunt (2 Reg. 5,18. 22; 1 Par. 14,9. 13); ex priore bello narratur 2 Reg. 23,13 et 1 Par. 11,15 facinus illud trium heroum, qui per media castra Philisthaeorum Davidi aquam de cisterna Bethlehem attulerunt, quam rex bibere nolens Domino libavit. Vallem fertilitate celebrem fuisse ex Is. 17,5 apparet; praenuntiatur enim Assyrius Israelitas captos abducturus, sicut messor spicas colligens in valle Raphaim. Onom. (*ed. Lag.* 288,22; 147, 6) eam ad septemtrionem Ierusalem collocat; sed ex 2 Reg. 23,13 et 1 Par. 11, 15 potius colligitur eam prope Bethlehem fuisse. Melius igitur a Flavio Iosepho (Ant. VII. 12,4) inter Ierusalem et Bethlehem fuisse dicitur. Inde a saeculo 16. agnoscitur in planitie *el-Buqei'ā*,

quae a Ierusalem inter meridiem et occidentem usque ad monasterium *Mār Elyās* se extendit; cf. *T. Tobler*, Topographie von Ierusalem II. p. 401 ss. Postea quidem *Tobler* (Dritte Wanderung, p. 202) vallem Raphaim ad occidentem Ierusalem in *Wādi Deir Yasīn* agnoscendam esse existimavit, quae opinio contra priorem communiter receptam nullo modo praevaluit.

RAPHIDIM (רְפִידִים, Ῥαφιδείν), statio Israelitarum inter desertum Sin et Sinai vel accuratius inter stationem Alus et desertum Sinai (Ex. 17,1. 8; 19,2; Num. 33,14. 15). Celebrem hanc stationem reddiderunt primo miraculum aquae e petra Horeb ad tempus elicitae (Ex. 17,1-7), quo patrato locus a Moyse vocatus est Tentatio (מַסָּה) et Iurgium (מְרִיבָה), secundo victoria de Amalecitis reportata per Iosuen pugnantem et Moysen in vertice collis orantem (17,8-16), tertio Iethronis festivus adventus et institutio iudicum pro causis minoribus (18,1-27).

Secundum traditionen antiquam Raphidim est *Wādi Feirān*, vallis aquosa et frugifera ad septemtrionem montis *Serbāl*. Hunc situm iam Eusebius et S. Hieronymus videntur indicare : « Rafidim locus in deserto iuxta montem Choreb... ubi et Iesus adversum Amalec dimicat prope Faran » (Onom. *ed. Lag.* 287,86; 145,25). Circa a. 535 Cosmas Indicopleustes Raphidim agnovit locum illo tempore Pharan appellatum; consentit Theodosius circa a. 530 scribens : « Iuxta montem Syna in Fara civitate, ibi sanctus Moyses cum Amalech pugnavit ». Circa a. 570 Antoninus [Anonymus] Placentinus reditum suum de monte Sina describens narrat : « Nobis autem visum est per Aegyptum reverti et venientes in Fara civitatem, ubi pugnavit Moyses cum Amalec, ubi est oratorium, cuius altare positum est super petras illas, quas subposuerunt Moysi oranti. In ipso loco civitas munita muris de lateribus, locus sterilis valde praeter aquas et palmas..... Ipsa est terra Madian et ipsi inhabitantes in ea civitate, dicitur, quia ex familia Iethro, soceri Moysi, descendunt ». Hanc traditionem sequentes aliqui (*Lepsius, Ebers*) Raphidim collocant in ipso ingressu occidentali oasis *Wādi Feirān*, quem Amalecitae contra Israelitas defensuri erant, alii (*Ritter, Palmer*) in illa parte aridiore *Wādi Feirān*, quae inter septemtrionem et occidentem spectat, ubi hodie quoque traditio Arabum petram *Ḥesi el-Khaṭṭātin* ostendit, ex qua Moyses aquam virga elicuerit.

Alii vero traditione illa neglecta Raphidim magis orientem versus quaerunt in *Wādi el-Sheikh* (*Robinson*) vel in contactu *Wādi el-Sheikh* cum planitie *el-Rāḥā* (*Keil*) vel etiam in ipsa planitie *el-Rāḥā* (*Knobel*), quam probabilius iam desertum Sinai esse putamus.

Cf. *Cosmas Indicopleustes, ed. Montfaucon* in Collectione nova Patrum et Scriptorum Graecorum II. 195 ss.; *P. Geyer*, Itinera hieros. 1898, p. 148. 185. 186; *Lepsius*, Briefe etc. 349 s. 353. 424. 430; *Ebers*, Durch Gosen zum Sinai, 1872, p. 187 s. 209 s. 380; *Ritter*, Erdkunde XIV. 736 ss.; *Palmer*, Wüstenwanderung 124 s. 213; *Robinson*, Palaestina I. 198 ss.

RAPHON (Ῥαφών), urbs transiordanica, apud quam Timotheus dux castra posuit et a Iuda Mach. devictus est (1 Mach. 5,37); sita erat prope Carnaim seu Astarothcarnaim (5,43). Apud Flav. Iosephum (Ant. XII. 8,4) nomen urbis est Ῥαφῶν (*edit. Dindorf*) vel Ῥομφῶν (*edit. Niese*). Vix dubium est, quin eadem sit ac Raphana in Decapoli (*Plin.* V. 18,74); certe distinguenda est a Raphanaea Cassiotidis in Syria. Magna cum probabilitate censetur esse *el-Rāfe* inter septemtrionem et orientem a *Sheikh Sa'd* nec procul a *Derb el-Hadjdj* seu Via Peregrinantium (Zeitschrift d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890, p. 199; *Legendre*, Carte de la Palestine); torrens autem, de quo 1 Mach. 5,37-42 mentio fit, erit *Wādi Qanawāt*.

Fortasse Raphana Plinii eadem quoque est ac Capitolias apud Ptolem. V. 15,22 [*ed. Müller-Fischer* 14,18]; de qua coniectura cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3, II. p. 129.

RAPHU (רָפוּא, Ῥαφού), pater Phalti

exploratoris de tribu Beniamin (Num. 13,10[9]).

RASIN. 1. Rasin (רְצִין, Ῥαασσών, Ῥασίν, Ῥασίμ, Ῥασσίν), rex Damasci, aequalis Phacee regis Israel atque Ioatham et Achaz regum Iuda. Is iam regnante Ioatham foedere iunctus cum Phacee bellum contra regnum Iuda movebat (4 Reg. 15,37); mortuo Ioatham Achaz rex in urbe Ierusalem a Rasin et Phacee circumclusus neque tamen superatus est (4 Reg. 16,5; Is. 7,1). Eo tempore Rasin urbem maritimam Aelath regi Iuda eripuit et Edomitis restituit (4 Reg. 16,6); utrum ante vel post obsidionem Ierusalem hoc factum sit, non conveniunt interpretes; sunt etiam qui putent textum nihil de Edomitis habere, sed de Aramaeis (*Kethib* אֲרוֹמִים) seu de colonia aramaica in Aelath constituenda; cf. *Keil* ad 4 Reg. 16,6. Verum postquam Achaz opem Theglathphalasar regis Assyriorum efflagitavit et muneribus missis obtinuit, Rasin re infecta domum rediit et Damasco a Theglathphalasar vastata ipse interfectus est (4 Reg. 16,9). In vaticiniis Isaiae, quibus consilia divina de regnis Iuda, Israel et Syria declarantur, nomen Rasin compluries legitur (Is. 7, 4. 8; 8,6; 9,11). Ex inscriptionibus cuneiformibus discimus *Rasunnu* regem Aram-Damasci Assyriis fuisse tributarium, Damascum annis 733 et 732 a Theglathphalasar fuisse impugnatam, multas urbes Syriae deletas, regem devictum et Damasci inclusum, multos incolas Damasci in captivitatem abductos; insuper *Rawlinson* in aliqua tabula Theglathphalasar, quae in Europam non allata est neque recuperari potuit, ipse legerat *Rasunnu* ab Assyriis interfectum esse. Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 244 ss. 252 ss. 256 s. — Ab eo tempore Syria Damasci regno Assyriorum adnexa erat.

2. Rasin (רְצִין), nomen familiae Nathinaeorum (Esdr. 2,48 Ῥασών; Neh. 7, 50 Ῥασσών).

RATIONALE vide s. v. PONTIFEX.

RAZIAS (Ῥαζίς), quidam de senioribus hierosolymitanis, qui mortem sibi inferre potius elegit, quam a Nicanore duce Syrorum comprehendi et ab hostibus indigna pati (2 Mach. 14,37-46). Protestantes critici ex hac narratione, in qua commendationem suicidii cernunt, librum 2 Mach. non esse inspiratum arguebant et arguunt (cf. *Keil* et *Grimm* ad h. l.; *Riehm-Baethgen* s. v. Mord). Sed perperam. Nam sacer auctor facinus Raziae neque approbat neque vituperat, sed solummodo narrat, quid ipse Razias cogitaverit et fecerit : eligens *nobiliter* mori..... recurrens *audacter* ad murum praecipitavit semetipsum *viriliter* in turbas. Cf. *Knabenbauer* ad h. l. : « Qua mente, quo animo Racias sibi mortem intulerit, auctor exponit. Putabat quippe Razias iis in condicionibus, ne a scelestis illis captus indigna ludibria sustineret in ignominiam religionis et patriae, esse occisionem sui ipsius licitam, honestam, nobilem, generosam, viro forti ac nobili plane dignam... Haec auctor refert mentem eius declarans. Verum quid ipse auctor de isto facinore sentiat, non aperit. Razias suae conscientiae dictamen secutus recte egit. Alia est quaestio, liceatne in universum in iisdem condicionibus sibi mortem inferre. — De hoc facinore Raziae sat multa praebent *Serarius*, *Corn. a Lapide*, *Calmet* ».

RAZON (רְזוֹן, cod. B Ἐσρώμ, A Ῥαζών), filius Eliada, rex Damasci (3 Reg. 11,23; in B versus 23. 24 et 25ª post versum 14 inserti leguntur); is fuerat dux quidam in exercitu Adarezer regis Soba, sed bello inter Adarezer et Davidem exorto a domino suo aufugit et princeps turmae praedatoriae factus regnum Damasci arripuit eratque adversarius Israel cunctis diebus Salomonis. Fuerunt qui coniicerent Razon legendum esse 3 Reg. 15,18 pro Hezion avo Benadad I. regis Damasci; sed haec coniectura solide fulciri nequit.

REBE (רֶבַע, Ῥοβώχ, Ῥοβέ), unus ex quinque principibus Madianitarum cum Sehon rege Amorrhaeo foedere iunctis, quos Moyses percussit (Num. 31,8; Ios. 13,21).

REBECCA (רִבְקָה, Ῥεβέκκα), uxor Isaac, soror Laban et filia Bathuelis, quem genuerant Nachor frater Abraham et Melcha filia Aran, fratris Abraham et Nachor. Nomen matris Rebeccae in sacris litteris non traditur; sed commemoratur eius nutrix Debora. Mortua esse videtur, antequam Iacob filius prae Esau dilectus ex Mesopotamia rediisset et sepulta est in spelunca *duplici* seu potius Machphela prope Hebron. Cf. Gen. 22,23; 24-29; 35,8; 49,31; Rom. 9,10.

REBLA. 1. Rebla, quae in termino orientali terrae promissae Num. 34,11 inter Sephama et fontem Daphnim recensetur, ignota est. Secundum emendationem textus s. v. AIN 1 cum *Trochon* et *Legendre* propositam designari videtur mons Bel (Baal Hermon). Sed ex coniectura *I. P. van Kasteren*, qui terminum septemtrionalem terrae sanctae immediate infra Libanum et Hermonem maiorem figit (Revue biblique IV. 1895, p. 34), vestigia nominis biblici Rebla cerni possunt in *Halībna* vel etiam in *Zōr Ramlīye* orientem versus a termino australi lacus Tiberiadis, inter fluvium *Yarmūk* et *Wādi Samar*.

2. Rebla, Reblatha (רִבְלָה et Ier. 52,10 רִבְלָתָה, quae forma aliis locis He locale involvit; Ῥαβλαάμ, Ῥεβλαθά, Δεβλαθά), urbs in terra Emath, in septemtrionali parte Coeles Syriae sita iuxta viam, quae ex Palaestina per Coelen Syriam in Syriam et Mesopotamiam ducit. Ibi castrametatus est Pharao Nechao in expeditione contra Assyrios suscepta et Ioachaz regem Iuda vinxit indeque captivum abduxit in Aegyptum (4 Reg. 23,33). Ibidem Nabuchodonosor residebat, cum exercitus eius Ierusalem expugnaret aliisque bellis in Ammonitas, Tyrios et alias gentes finitimas distineretur, et crudeli ultione in filios Sedeciae ac principes Iuda, demum in ipsum Sedeciam saeviebat (4 Reg. 25,6. 20. 21; Ier. 39,5-6; 52,9. 10. 26. 27). Hodie eundem situm occupat vicus exiguus *Ribla* cum paucis ruinis ad ripam orientalem Orontis (*Nahr el-ʿĀṣi*) situs inter Heliopolim (*Baʿalbek*) et Emesam (*Hōmṣ*). Ibidem planities inter extremum Libanum et Antilibanum saltem quattuor horarum latitudine patet. A Rebla igitur facilis aditus erat in Palaestinam, Phoeniciam, Babyloniam et Antilibano ab aquilone circumvento etiam Damascum. Probabilius etiam Ez. 6,14 Rebla, Reblatha legendum est pro Deblatha (vide s. v.) vel saltem Deblatha idem est ac Reblatha.

REBLATHA v. REBLA 2.

REBMAG v. NEREGEL SERESER.

RECCATH (רַקַּת, Ὡμαθαδακέθ ex fusione nominum Emath et Reccath, A Ῥεκκάθ), urbs munita Nephthali (Ios. 19,35); enumeratur inter Emath (Hammoth Dor) et Cenereth (v. GENESARETH terra), unde iuxta litus occidentale lacus Genesareth nec procul a Tiberiade quaerenda est. Immo teste Talmude hierosolymitano ipsam Tiberiadem olim a diebus Iosue munitam fuisse atque eandem cum Raqqath exstitisse, uno fere ore praedicant Iudaei omnes; quam fortunam autem subierit haec civitas sub nomine Raqqath, in tenebris latet (*Lightfoot*, Centuria chorographica Matthaeo praemissa cap. 72); sed aliam quoque traditionem nomen antiquum Tiberiadis fuisse Chennereth indicavimus s. v. GENESARETH terra. Videntur itaque rabbini situm Raqqath, quem ignorabant, ex ordine enumerationis Ios. 19,35 determinasse eoque modo traditioni illi originem dedisse. In *Survey of West. Pal.* Mem. I. 365 Raqqath eadem cum Tiberiade esse admittitur.

RECEM. 1. Recem (רֶקֶם, ὁ Ῥοβόκ), unus ex quinque regibus Madianitarum a Phinees filio Eleazari sacerdotis bello devictis et occisis (Num. 31,8; Ios. 13, 21). Is a traditione aliqua fertur conditor urbis Petra, quae ab eo primitus nomen habebat Ἀρεκέμη (*Flav. Ios.* Ant. IV. 7,1; cf. 4,7 quo loco Ἄρκη scribitur); etiam Eusebius et S. Hieronymus testantur Petram, in qua regnavit Rocam (Ῥοκόμ), a Syris (Ἀσσυρίοις) Recem (Ῥεκέμ) dictam esse; cf. Onom. *ed. Lag.* 286,71; 287,94; 228,55 (Ἀρκέμ) et locos correspondentes S. Hieronymi.

2. Filius Hebron de genere Caleb (1 Par. 2,43. 44; LXX Ῥεκόμ et v. HEBRON 2).

3. Unus ex posteris Machir (1 Par. 7,16; Vulg. Recen, LXX Ῥοκόμ).

4. Recem (רֶקֶם; B Ῥεκέμ, in cod. A nomen certo discerni nequit), urbs tribus Beniamin (Ios. 18,27), inter quattuordecim urbes occidentales Beniamin enumerata, ceteroquin ignota.

RECEN v. RECEM 3.

RECHA (רֶכָה, Ῥηχάθ) 1 Par. 4,12 haud dubie est nomen loci, quem aliqui ex posteris Iuda incolebant: viri Recha. Situs autem ignotus est. Quaedam mss. ferunt רָפָא pro Recha (cod. A Ῥηφά), unde viri Recha fortasse sunt viri Rapha (v. BETHRAPHA).

RECHAB (רֵכָב, Ῥηχάβ). **1.** Filius Remmon Berothitae, ex tribu Beniamin, dux turmarum, qui una cum fratre suo Baana (v. s. v.) Isboseth filium Saul interfecit, quod scelus ambo morte luerunt (2 Reg. 4,2 ss.).

2. Pater Ionadab illius, qui sese ad Iehu adiunxit et simul cum eo cultores Baal interfecit (4 Reg. 10,15. 23). Ipse Ionadab praecepit filiis suis, scil. posteris, qui Rechabitae appellantur : non bibetis vinum et domum non aedificabitis et sementem non seretis et vineas non plantabitis, sed in tabernaculis habitabitis. Qui hunc vivendi modum fideliter servarunt, neque ullo pacto induci poterant, ut praecepta haec violarent v. g. bibendo vinum. Quorum fidelitatem in servandis maiorum praeceptis Ieremias populo in Dominum contumaci in exemplum proponit (Ier. 35,2 ss.). Cum enim ascendisset Nabuchodonosor in regionem illorum, sese receperunt in urbem Ierusalem, qua occasione Ieremias iis dedit opportunitatem exhibendi eximiam suam fidelitatem, pro qua divinam acceperunt promissionem, fore ut eorum stirps servaretur incolumis (Ier. 35,12-19). Ex 1 Par. 2,55 apparet Rechabitas esse Cinaeos, et descendere ab Hammath, de quo orta est domus seu cognatio Rechab; sed v. HAMMATH.

3. Rechab, pater Melchiae, principis vici Bethacharam (Neh. 3,14).

RECHABITAE vide RECHAB 2.

RECHOBOTH (רְחֹבוֹת, Vulg. Latitudo, LXX εὐρυχωρία) nomen ab Isaac inditum puteo, quem prope Bersabee foderat pastoribus Gerarae non repugnantibus. Merito censetur esse *el-Ruḥeibe* tribus fere horis ab Elusa (*Khalaṣa*) inter meridiem et occidentem, ubi ruinae ac cisternae ex rupibus excavatae cernuntur.

Cf. *Palmer,* Wüstenwanderung, p. 296 s.; *Legendre,* Carte de la Palestine; *Riess,* Bibel-Atlas, *ed.* 3, p. 12; *A. Musil,* Arabia Petraea II. Edom, 2 (1908), p. 73-85 et saepius.

RECHOBOTH IR (רְחֹבֹת עִיר, ἡ Ῥοωβὼθ πόλις, Vulg. plateae civitatis), una ex quattuor urbibus assyriacis, quae a Nemrod Babylonio conditae sunt et civitatem magnam Ninive seu Ninive latiore sensu acceptam efformant : et aedificavit (Nemrod) Niniven et plateas civitatis et Chale, Resen quoque inter Niniven et Chale : haec est civitas magna (Gen. 10,11. 12). Sed urbis Rechoboth Ir vestigium hucusque nullum repertum est in monumentis assyriacis, dum aliarum trium urbium ruinae cernuntur in isto angulo, quem Tigris eiusque tributarius orientalis Zabas superior efformant. Coniicit *Delitzsch* (Paradies, p. 261) cum Rechoboth Ir comparari posse *rēbit Nina* i. e. suburbium Ninive, cuius mentio fit in inscriptionibus Asarhaddon.

REDEMPTOR. Hac voce in Vetere Testamento redditur גֹּאֵל. Notio colligitur ex notione verbi גָּאַל : redimere, iterum quidquam recuperare; dein sensu latiore liberare ex servitute, servare, eripere. Saepe dicitur Deus redemptor, quatenus ex periculo eripit, servat, vel populum ex servitute liberat, illum in libertatem vindicat. Si Iob dicit : scio quod Redemptor meus vivit (19,35), Deum nominat vindicem innocentiae, liberatorem; in Psalmis Deus dicitur adiutor et redemptor (Ps. 18,15; 77,35). Saepe eo titulo appellatur in altera parte Isaiae, quatenus praedicatur Dominus

qui populum uti ex Aegypto liberavit, ita eum quoque ab oppressione ac servitute babylonica erepturus est (cf. Is. 41,17; 43,14; 44,6. 24; 47,4; 48,17; 49,7. 26; 54,5. 8; 59,20; 60,16; 63,16); item Ier. 50,34; Lam. 3,8.

Act. 7,35 eo nomine (λυτρωτής) honoratur Moyses, quem Deus principem et redemptorem misit cum manu Angeli.

Sensu eximio apud Christi fideles ipse Christus audit Redemptor, quippe qui dedit animam suam (vitam suam) redemptionem pro multis (Matth. 20,28; Marc. 10,45), in quo habemus redemptionem per sanguinem eius (Eph. 1,7; Col. 1,14). Sua enim in cruce oblatione pro delictis mundi satisfecit nobisque gratias meruit ad salutem acquirendam.

REEMA v. REGMA.

REFUGII urbes v. URBES.

REGINA CAELI Ier. 7,18; 44,17. 18. 19. 25 censetur esse Astarte vel tamquam praeses stellae Veneris vel, ut iam S. Hieronymus explicat, tamquam dea Luna. Uti Baal vocabatur rex et in sole praeclarissime manifestari credebatur, ita Astarte concipiebatur tamquam luna et regina. Apud Romanos quoque luna vocabatur regina et etiam regina caeli. Cf. *P. Scholz*, Goetzendienst u. Zauberwesen bei den alten Hebraeern, p. 300. Alii negant Astarten fuisse deam Lunam apud Semitas, qui non coluerint nisi deum Lunum masculinum. Cf. *M.-J. Lagrange*, Religions sémitiques, 1903 p. 126 ss.

REGINA (1 Par. 7,18) v. MOLECHETH.

REGIS vallis v. SAVE vallis.

REGMA (רַעְמָה, רַעְמָא, Ῥεγχμά, Ῥεγμά), filius quartus Chus, pater Saba et Dadan (Gen. 10,7; 1 Par. 1,9). Ezechiel propheta Tyri commercium et opes describens 27,22 commemorat venditores Saba et Reema (רַעְמָה, cod. B Ῥαμά, A et Marchal. Ῥαγμά). Ex inscriptionibus Sabaeis innotuit regio Sabaea רעמה (Journal Asiatique VI. 19, p. 1 ss. num. 535,11); unde coniicere licet ad Regma referendos esse Rhammanitas, quorum meminit Strabo (XVI. 4,24), quique inter Minaeos et Chatramotitas habitabant. Alii potius cum Regma componunt Ῥέγμα sive Ῥέγαμα (*Ptolem.* VI. 7,14) sive Ῥῆγμα (Steph. Byz. s. v.) urbem maritimam in litore arabico sinus Persici sitam, ubi in confinibus *Omān* et *Bahrein* reperitur urbs *Redjam*.

REGNUM DEI. Deus, uti est rerum omnium creator, ita etiam dominus; quare eius dominatio seu regnum universitate creaturarum constituitur; Dominus in caelo paravit sedem suam et regnum ipsius omnibus dominabitur (Ps. 102,19); regnum tuum regnum omnium saeculorum et dominatio tua in omni generatione et generationem (Ps. 144,13); cuncta quae in caelo sunt et in terra, tua sunt, tuum, Domine, regnum et tu es super omnes principes (1 Par. 29,11).

Verum praeter hoc regnum universale Deus regnum sensu quodam singulari atque eximio sibi condidit eo quod ex omnibus populis unum sibi peculiari modo in suum elegit populum. Hunc sibi praeparavit electione Abraham et promissionibus ei et Isaac et Iacob datis et gubernatione qua demum stirpem illam ex Aegypto eductam in peculium sibi assumpsit de cunctis populis et in regnum sacerdotale (Ex. 19,5). Huic populo leges condidit, quibus illius res religiosae ac civiles constituerentur et ipse populus tamquam una quaedam natio a reliquis separata et seiuncta sub immediata Dei dominatione ac gubernatione collocaretur : Iahwe, Deus eius cum ipso est et iubilus regius penes ipsum; tempore statuto fit verbum ad Iacob et (innotescit) Israeli consilium Dei (Num. 23,21. 23). Deus enim per prophetas, per Urim et Thummim pontificis populum hunc gubernandum atque regendum suscepit; propheta erat Moyses, eius in prophetia successor Iosue, et iam in Horeb promissio data est de serie prophetarum, per quos populo Dei regis voluntas innotescat (Deut. 18,18), atque tales Deus suae voluntatis ac gubernationis interpretes ac promulgatores continuo excitavit (cf. s. v. PROPHETA). Quare cum populus a Samuele

regem sibi constitui postulasset, Deu declaravit : non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos (1 Sam. 8,7; 12, 12). Sed nequaquam Deus recessit a gubernatione populi; acquievit postulationi, ipse dedit illis regem (1 Sam. 12, 13), sed ita, ut ipse Deus omnino retineret peculiarem populi gubernationem (1 Sam. 12,14. 15) et ipse quoque domum regiam illis provideret (1 Sam. 13, 14; 16,1 ss.; 2 Sam. 7,11; 23,5; 1 Par. 28,4. 5). Quare thronus regius in Israel dicitur solium Iahwe : Iahwe elegit Salomonem, ut sederet in throno regni Iahwe super Israel (1 Par. 28,5); seditque Salomon super solium Iahwe in regem pro patre suo (1 Par. 29,23; cf. 2 Sam. 7,24; 1 Par. 17,21. 22). Regnum itaque Iuda regnum erat theocraticum; thronus erat thronus Iahwe, rex ipse theocraticus, v. g. Salomon, habebat effatum Iahwe : ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium; qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum (2 Sam. 7,14). Id quod Deus implevit variis poenis regibus et populo inflictis et demum eo quod populum tradidit in potestatem ac dominationem Babyloniorum per annos 70 (Ier. 25,11). Quibus elapsis populum ex exsilio reduxit et gubernatione sacerdotali et civili restituta iterum condicionem theocraticam innovavit (cf. praeter Esdr. Neh. Zach. 3,1-11; 4,6-14; Agg. 1,3 ss.).

Prophetae autem, dum tamquam legati Dei eius voluntatem in regno Dei super Israel annuntiarent, simul aliud regnum Dei multo amplius atque excellentius vocibus haud ambiguis fore indicant : regnum Dei sanctitatis ac pacis super omnes gentes; cf. Is. 2,2-4; 11,9; 19,24. 25; 40,5; 42,1-6; 49,6 : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae; Dan. 2,44; Am. 9,11. 12; Mich. 4,1-3; Zach. 14,16; Ps. 2,8 postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae; Ps. 21,28-29 reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium, quoniam Domini est regnum et ipse dominabitur gentium; Ps. 44,17. 18; 72,7-11. 17; 86,4-7.

Uti prophetae in poenam peccatorum annuntiarunt exsilium, ita quoque exsilii solutionem et instaurationem gloriosam populi Dei vaticinati sunt; cf. Is. 44,26 s.; 48,10; 52,1-12; 54,1 ss.; 60,1 ss.; Ier. 23,3-8; 30,18; 31,4-14. 23 ss.; 33,7 ss.; Ez. 11,17; 17,22-24; 34,23; 37, 21; Os. 2,19; 3,5; 14,5; Ioel 3,16-21; Am. 9,11. 14; Mich. 7,15 ss.; Soph. 3,19.

Quare Israelitae restitutionem regni Israel exspectabant, uti patet v. g. ex psalmo salomonico 17 et ex interrogatione apostolorum : Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? (Act. 1,6). Epocham novam regni Dei instare Ioannes Baptista indicavit verbis illis : paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum (Matth. 3,2; Marc. 1, 4; Luc. 3,3) praedicans baptismum paenitentiae in remissionem peccatorum. Qua praedicatione iam clare expressit indolem et characterem spiritualem regni Dei, ad quod scil. ingressus paretur paenitentia et impetratione remissionis peccatorum. Insuper declaravit descendere ab Abraham minime sufficere ut quis regni Dei sit consors; Deum sibi posse excitare filios Abraham quoscumque voluerit. Iesus idem assumpsit praedicationis argumentum (Matth. 4, 17; Marc. 1,15 : impletum est tempus; appropinquavit regnum Dei; paenitemini et credite evangelio); indicat vaticinia prophetarum de instauratione iam impleri, novam periodum regni Dei imminere; indolem eius altiorem indicat dicens : nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei; quod natum est ex carne, caro est et quod natum est ex Spiritu, spiritus est (Ioan. 3,5. 6). Proinde hominem esse non sufficit ad consortium regni Dei; opus est nova quadam spirituali nativitate, ergo nova quadam natura spirituali. Praeterea declarat regnum suum non esse de hoc mundo, se venisse, ut veritati testimonium perhiberet (Ioan. 18,36. 37). Porro indolem regni Dei declarat septem illis parabolis de mysterio regni caelorum : propagatur praedicatione, qua tamen non apud omnes fides et fructus salutaris ef-

ficiuntur; est regnum in quo boni malique usque ad ultimum iudicium invenientur; quod a parvis initiis in immensum crescet, quod omnes condiciones humanas imbuere et sanctificare debet; quod ut acquiratur homo omnia reliqua nihil pendere debet, quia sit rerum omnium pretiosissimum atque unice afferens beatitatem; extra illud regnum non reperietur in consummatione saeculorum nisi caminus ignis, in quo erit fletus et stridor dentium (Matth. 13).

Hoc autem regnum Iesus instituit, dum apostolis dedit potestatem et mandatum homines docendi, baptizandi, regendi, dum ecclesiam suam aedificavit super Petrum. Hoc regnum Dei hisce in terris est Ecclesia Christi. Ceterum vide s. v. CAELUM (regnum caelorum). In resurrectione mortuorum tradet Christus regnum Deo et Patri et tunc Deus erit omnia in omnibus (1 Cor. 15,24. 28).

Auctores acatholicos praecipuos, qui de regno Dei scripserunt, recenset *E. Koenig,* Gesch. des Reiches Gottes bis auf Iesus Christus, 1908. Ex catholicis cf. *B. Bartmann*, Das Himmelreich u. sein Koenig nach den Synoptikern, 1904; praeterea libros de historia sacra : *H. Zschokke*, Hist. sacra antiqui Test., 1872 et saepius; *Aemil. Schoepfer,* Gesch. des Alten Test. 1906; *Ios. Selbst* et *Jak. Schaefer,* Handbuch zur bibl. Gesch. 1906.

REGOM (רֶגֶם, Ῥάγεμ, Ῥέγεμ), filius Iahaddai ex posteris Caleb filii Hesron (1 Par. 2,47).

REGULUS v. SERPENS.

REHUM (רְחוּם). **1.** Idem qui NAHUM 1.

2. Filius Benni, levita, qui partem muri Ierusalem aedificavit (Neh. 3,17; B Βασούθ, A et א Ῥαούμ).

3. Princeps populi inter signatores foederis (Neh. 10,25 [26]; LXX Ῥαούμ).

Idem nomen hebr. gerunt REUM (Beelteem) et RHEUM.

REI (רֵעִי, Ῥησεί), unus ex asseclis Davidis et Salomonis contra Adoniam rebellem (3 Reg. 1,8).

REIA (רָאָיָה, Ῥηχά), Rubenita, filius Micha (1 Par. 5,5).—Idem nomen hebr. gerunt RAIA et RAAIA.

RELIGIO. Haec vox in Vulg. plerumque adhibetur pro ritu vel caerimonia aut sacra quadam observatione. Ita adhibetur pro hebr. עֲבֹדָה Ex. 12, 26 : quae est ista religio? scil. quid sibi vult haec caerimonia, haec observantia? Alias ponitur pro hebr חֻקָּה i. e. lex, statutum; ita Ex. 12,43 haec est religio Phase i. e. lex de Phase; item Lev. 7, 36; 16,34 : affligetis animas vestras religione perpetua, i. e. lege et observantia permanente; Num. 19,2. Quod Esth. 8,17 habetur : plures alterius gentis et sectae eorum (scil. Iudaeorum) religioni et caerimoniis iungebantur, simplicius hebr. effertur : multi ex populis terrae Iudaei facti sunt (vel sese fecerunt Iudaeos); similiter 9,27 : qui religioni eorum voluerunt copulari, hebr. qui ipsis adhaerebant. Narratur 2 Mach. 6, 11 Iudaeos noluisse sibimet auxilium ferre die sabbati « propter religionem et observantiam », κατὰ τὴν δόξαν τῆς σεμνοτάτης ἡμέρας i. e. secundum opinionem quam de sacratissimo die habebant, secundum suam de die illo sententiam. In libris Novi Testamenti ponitur, ut exprimatur θρησκεία, cultus; ita Act. 26,5; Col. 2,18; modum Dei colendi, cultum purum describit Iac. 1,26. 27 in operibus misericordiae et in sanctitate vitae reponi : religio munda et immaculata i. e. servitium praestandum, θρησκεία est : visitare pupillos etc.

REMEIA (רְמַיָהוּ, Ῥαμία), unus de filiis Pharos, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,25).

REMISSIO PECCATORUM. Ad spem veniae concipiendam plurima adsunt in s. libris effata divina. Creberrime enim Deus per pophetas exhortatur populum peccatorem, ut ad se revertatur toto corde. Insignia sunt quae Christus parabolis de filio prodigo, de ove perdita, de bono pastore docuit; veniam delictorum nos petere iussit, ut sicut nos remittimus iis qui nos offenderint, Deus quoque nobis ve-

niam concedat. Ipse etiam amicus peccatorum verbis suis : confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, ad spem veniae omnes provocat professus se venisse, ut salvaret quod perierat. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi (1 Ioan. 2,2; cf. Matth. 18,35; 20,28; Luc. 15,4-32; 1 Tim. 1,13-16). Ceterum vide s. v. PECCATUM, POENITENTIA.

REMISSIONIS ANNUS v. IUBILAEUS et SABBATICUS ANNUS.

REMMOMPHARES (רִמֹּן פֶּרֶץ, Ῥεμμὼν Φαρές), secunda statio Israelitarum in deserto Pharan, postquam profecti sunt de Haseroth (Num. 33,19. 20 cf. 13,1). Est quidem ignota, sed videtur orientem versus a Cadesbarne quaerenda esse. Etenim statio praecedens Rethma (vide s. v.) ad meridiem Cadesbarne fuisse censetur; deinde vero describitur Num. 33,19-36 migratio Israelitarum per deserta, donec iterum in Cadesbarne castrametati sunt; speciatim efferuntur stationes septemdecim illius migrationis, inter quas prima est Remmomphares, ultima Asiongaber. Unde probabile est Remmomphares fuisse primam stationem maiorem ac mentione dignam illius itineris, quod a Cadesbarne versus montem Hor et Moseram institutum est ac postea per desertum continuabatur.

REMMON (רִמּוֹן i. e. malogranatum). **1.** Urbs in Negeb seu plaga meridiana tribus Iuda, postea tribui Simeon assignata (Ios. 15,32; 19,7; 1 Par. 4, 32; Neh. 11,29; Zach. 14,10); plerumque iungitur cum Ain (v. AIN 2).

2. Urbs tribus Zabulon (Ios. 19,13; LXX Ῥεμμωναά), levitis de stirpe Merari concessa (1 Par. 6,77 [62]; רִמּוֹנוֹ, ἡ Ῥεμμών). Probabilius eadem est, quae Ios. 21,35 scribitur Damna (דִּמְנָה, A Δαμνά, B omitt., nisi forte Σελλά pro Damna haberi possit). Correspondere videtur vicus *Rumnāne* prope Nazareth aquilonem versus.

Cf. *Robinson,* Neuere bibl. Forsch. p. 142; Palaestina III. 432; *Legendre,* Carte de la Palestine; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui, 1899, II. 662. 663.

3. Petra Remmon (Ῥεμμών), in qua Beniaminitae sexcenti ex clade apud Gabaam Beniamin accepta superstites refugium quaesierunt et quattuor mensibus morati sunt (Iud. 20,45. 47; 21,13). Quaerenda videtur haec petra iuxta vicum Remmon, qui teste Eusebio et S. Hieronymo (Onom. *ed. Lag.* 287,98; 146,5) a Ierusalem 15 mil. pass. aquilonem versus distabat et in vico *Rammūn* ad orientem Bethel agnoscitur; desertum igitur, per quod Beniaminitae fugientes ad petram Remmon pergebant (Iud. 20,45. 47), erat desertum Bethaven inter Bethel et *Djebel Qaranṭal* (Quarantania).

4. Beniaminita de urbe Beroth, pater Baana et Rechab sicariorum, qui Isboseth filium Saul dormientem occiderunt (2 Reg. 4,2. 5. 9).

5. Remmon (Ῥεμμάν) idolum, in cuius templo rex Damasci super manum Naaman innitens adorare consuevit (4 Reg. 5,18). LXX formam Remman vel Ramman commendant. Iamvero apud Assyrios, Babylonios et Aramaeos colebatur deus *Rammān*, quae vox ab aliquibus Assyriologis explicatur substantivum : *sublimitas, maiestas* a rad. *rūm* = altum esse, a plerisque autem adiectivum : *deus tonitrui* a rad. *raʿam* = tonare. Utracunque demum derivatio admittitur, certo constat deum *Rammān* apud Assyrios et Babylonios fuisse deum aëris et tempestatis, tonitrui et fulguris. Eiusdem nomen etiam deprehenditur in nomine composito Adadremmon (vide s. v.). Cf. *Schrader-Whitehouse* ad 4 Reg. 5,18; *H. Zimmern* et *H. Winckler,* Die Keilinschriften u. d. Alte Test. 1903, p. 442 ss.; *Delitzsch-Smith,* Chald. Gen. p. 269; *C. P. Tiele,* Babyl.-assyr. Gesch. 1886, p. 525; *id.* Gesch. der Religion im Altertum, 1896, I. p. 188-9.

Ex nonnullorum opinione etymon *Rammān* identicum est cum *rimmōn* (malogranatum) et nomen babylonicum dei *Rammān* (i. e. rugiens, tonans a verbo *ramāmu*) explicandum per etymologiam popularem; cf. *Fr. Hommel,*

Aufsaetze u. Abhandl. arab.-semit. Inhalts (I. München, 1892), p. 98. 99. Alii vero existimant etymon nihil commune habere cum malogranato, Iudaeos autem voce *rimmōn* sibi familiare reddidisse nomen idoli externi *Rammān;* cf. *A. H. Sayce,* Hibbert Lectures, p. 205.

REMMONO urbs Zabulon (1 Par. 6,77 [62]) v. REMMON 2.

REMPHAM (Ῥεμφάν) in oratione S. Stephani (Act. 7,43) probabilius est nomen Saturni planetae. Allegat enim S. Stephanus Am. 5,26, cuius textus probabilissima interpretatio est haec : portastis arcam regis vestri (vel forte : arcam Moloch, LXX Μολόχ) et Kewan (hebr. כִּיּוּן, LXX Ῥαιφάν), idola vestra, stellam deorum vestrorum (cf. *Knabenbauer* ad h. l.). Contra punctationem massorethicam כִּיּוּן certe legendum est כִּיָּוּן, quam lectionem commendant *Peshitta :* Kewan et etiam LXX : Ῥαιφάν commutatione supposita vel inter litteras graecas K et P vel inter hebraicas כ et ר. In inscriptionibus cuneiformibus legitur *Kaimānu* (*Kaiwānu*), quo nomine Saturnus designatur. Unde Remphan Act. 7,43 explicatur ex scriptione Raiphan LXX Am. 5,26. Alii insuper putant Raiphan fuisse formam copticam nominis Saturni neque ex mera commutatione litterarum explicandum esse; sed hoc incertum. Cf. *Felten* ad Act. 7,43; *Movers,* Phoenizier I. 289 ss.; *Schrader* in Studien u. Kritiken 1874, p. 324 ss.; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. und Old Test. ad Am. 5,26; *H. Zimmern* u. *H. Winckler,* Keilinschriften u. d. Alte Test. 1903, p. 409 s. 475 s. 622 ss.

REPUDIUM v. LIBELLUS REPUDII.

RESA (Ῥησά) in genealogia Christi Luc. 3,27 inter Ioanna et Zorobabel recensetur; sed. v. HANANIAS 8.

RESEN (רֶסֶן, Δάσεμ, Δάσεν), una ex quattuor urbibus assyriacis, quae a Nemrod Babylonio, filio Chus, conditae sunt et civitatem magnam Ninive efformant; sita erat inter Niniven proprie dictam et Chale (Gen. 10,12) i. e. inter *Kuyundjik-Nebi-Yūnus* (*Ninua* in monumentis assyriacis) iuxta ripam orientalem Tigridis et ruinas *Nimrūd* (Chale, assyr. *Kalḫu*), quae meridiem versus a ruinis Ninive in eadem ripa orientali haud procul a loco, ubi Zabas superior in Tigridem influit, sitae sunt. Unde cum quadam probabilitate Resen agnosci potest in ruinis *Selāmiye* paulo aquilonem versus a *Nimrūd* iuxta Tigridem. Iam *Bochartus* (Phaleg 4,23) suspicatus est Resen esse eandem ac Larissam, quam Xenophon (Anab. III. 4,7) post Lycum (Zabam superiorem) fluvium traiectum secundis castris reperit ad Tigrim amnem. Recentiore tempore coniecit *A. H. Sayce* Resen eandem esse atque *Re-es-e-ni* in inscriptione Sennacherib regis, quae *Bawian* vocatur, lin. 12 commemoratam (Academy, May 1, 1880), quam coniecturam alii (cum *Schrader*) admittunt, alii (cum *Delitzsch*) reiciunt.

Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 83. 84; *Delitzsch,* Paradies, p. 261; *G. Hoffmann,* Syrische Acten pers. Märtyrer, 1880, p. 183 s.

RESEPH. 1. Reseph (רֶשֶׁף, B Σάραφ, A Ῥάσεφ), filius Ephraim (1 Par. 7,25); cf. *F. de Hummelauer,* Comm. in Num. p. 183.

2. Reseph (רֶצֶף, Ῥάφεις, Ῥάφες, Ῥάφεθ), urbs quam ab Assyriis captam esse Sennacherib in altera ad Ezechiam regem legatione gloriatur (4 Reg. 19,12; Is. 37,12); enumeratur una cum Gozan, Haran et Thelassar. Reseph eadem est, quae apud Ptolemaeum (V. 15,24[14,19]) vocatur Ῥησάφα, in inscriptionibus cuneiformibus *Raṣappa,* hodie *Ruṣāfe,* statio in via, quae Palmyra ad Euphraten superiorem Nicephorium (*Rakka*) versus ducit.

Cf. *Schrader,* Keilinschr. und Geschichtsforschung 167. 199; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 11; *Delitzsch,* Paradies, p. 297; *Riess,* Bibel-Atlas IV. et V. Cc.

RESIA (רֵצְיָא, Ῥασειά, Ῥεσιά), filius Olla, princeps et dux bellicus in tribu Aser (1 Par. 7,39).

RESINA explicatur in Vulgata hebr. צֳרִי (semel וְצֹרִי Gen. 37,25; in pausa וָצֳרִי Ez. 27,17), quod pariter in LXX

ῥητίνη et in Vetere Latina (Gen. 43,11) *resina* dicitur; etiam Peshitta in Ieremia et Ezechiele רהטנא exhibet, dum in Genesi vocem צרי sub forma צרי retinet. Nomen hebraicum etiam in lingua arabica (*dharū*) et probabiliter tamquam glossa in tabulis assyriacis in *Tell el-ʿAmarna* inventis reperitur, et a radice צרה derivatur, cui notionem profluendi tribuunt.

Cf. *W. Gesenius*, Thesaur. 1185; *P. de Lagarde*, Mittheil. I. 234 s.; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 208 s.; *F. Hommel*, Aufsätze u. Abhandl. München, 1892, p. 4.

Iuxta S. Scripturam eo nomine designatur aroma aliquod ex Palaestina, ac praesertim ex Galaad (Ier. 8,22; 46,11), quod cum optimis terrae fructibus in Aegyptum deferebatur (Gen. 37,25; 43, 11) atque a mercatoribus Israelitis in nundinis Tyriis proponebatur (Ez. 27,17), et quod maxime in arte medica ad curanda vulnera utile erat (Ier. 8,22; 46, 11; 51,8). Ex etymo vocis sucus ex arbore vel frutice profluens significatur, atque ex auctoritate veterum interpretum non oleum, sed sucus aliquis resinosus intellegendus est. Quare imprimis minus probatur sententia, iuxta quam oleum ex fructibus arboris *Balanites aegyptiaca* Delile (fam. *Simarubeae*) expressum designaretur; quae opinio etiam ex eo non commendatur, quod arbor haec, Arabibus *zaqqūm* dicta, non nisi circa mare Mortuum, ac nullatenus in Galaad, crescat. Licet igitur oleum *zaqqūm* seu Zachaei, ut vocant, celebre sit in curandis vulneribus, atque etiam peregrinis a mercatoribus hierochuntinis pro balsamo galaaditico hodie veneat, nihilominus locum resinae biblicae immerito obtineret.

De balanite cf. *Delile* in Description de l'Égypte, *ed. C. F. L. Panckoucke*, XIX. Paris, 1824, 263-80; *P. Ascherson* in Verhandl. d. Gesellsch. f. Anthrop. 1875, 58; *A. Braun* in Ztschr. f. Ethnol. IX. 1877, 305 s.; *E. Boissier*, Flora orient. I. p. 944; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aegypten, 319-21; *V. Loret*, La Flore pharaonique, *ed.* 2, n. 169; *G. E. Post*, Flora of Syria 199 s.

Neque magis ipsum verum balsamum nomine צרי intellegendum erit, cum neque nomen *resinae* sine addito ipsi conveniat, neque arbor balsamifera in regione Galaad ullatenus inveniatur (v. BALSAMUM). Oleum autem *Elaeagni hortensis* Marschall von Bieberstein (= *E. angustifolia* Linné, familia *Elaeagnaceae*) non magis *resinae* appellationem meretur, atque in Palaestina universa, sed et in toto Oriente, tanta copia invenitur, ut vix inter optimos terrae fructus Pharaoni in donum offerri debuerit. Duplici vero errore *Oedmann* et *Rosenmüller* huic arbori nomen *zaqqūm* tribuunt eiusque oleum tamquam צרי biblicum designant.

Cf. *Sam. Oedmann*, Vermischte Samml. III. 109-15; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,168-71; *W. Houghton* in *W. Smith*, Diction. of the Bible II. 596. — Potiore iure *Elaeagnus* dicitur esse עֵץ שֶׁמֶן, quod Vulg. *lignum pulcherrimum* s. *lignum olivae* (olivarum) explicat. V. LIGNUM PULCHERRIMUM.

Iam vero inter sucos resinosos arborum palaestinensium tres potissimum considerationem merentur : *storax*, *resina terebinthina*, *mastix*. Omnes tres species recte resina appellantur, et inter aromata et medicamina locum habent, atque penes antiquos in honore erant (cf. *Theophrast.* Hist. pl. IX. 2,1 s.; *Diosc.* Mat. med. 1,89. 90; *Plin.* XVI. 11 [22], 53 ss.). Communior autem sententia duas ultimas species tantum, ac maxime quidem mastichen, nomine צרי intellegit.

Mastix est resina arboris, cui nomen *Pistacia lentiscus* Linné (familia *Anacardiaceae*), quaeque in collibus Palaestinae regionumque vicinarum, non vero in Aegypto invenitur ac iam antiquitus praesertim in insula Chio colebatur (*Diosc.* l. c.) et usque nunc colitur, ita ut Turcis *Saki Andassi*, insula mastichis appelletur. Iam apud medicos aegyptios in usu erat, atque a *Dioscuride* praesertim stomacho ac dentibus et halitui utilis praedicatur (l. c.), et hodiedum orientalibus ad eundem finem acceptissima est. — Resina vero terebinthina ex arbore lentisco cognata, cui nomen *Pistacia terebinthus* L. (arab. *buṭm*), obtinetur (v. TEREBINTHUS).

Cf. *Strobelberger,* Mastichologia, Lipsiae 1628; *J. H. Ursinus,* Arboreti bibl. Continuatio 210 s.; *G. W. Wedel,* De resina aegyptia Plauti, Ienae, 1700; *M. Hiller,* Hierophyticon I. 422 s.; *O. Celsius,* Hierobotanicon II. 180-5; *F. C. Movers,* Phoenicier III. 1, 320-3; *P. Cultrera,* Flora bibl. 372-4; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 336-8; *A. Kinzler,* Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 192-5; *J. Smith,* Bible Plants 176-8; *J. Duemichen,* Flotte einer Königin, p. 20 s.; *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs III. 398 s.; *W. Heyd,* Gesch. d. Levante-Handels im Mittel-Alter II. Stuttgart, 1879, 616-8; *R. Sigismund,* Die Aromata, Leipzig, 1884, 20 s.; *L. Haynald,* A szentirási mézgák es gyanták termönövényei (De plantis gummiferis S. Script.) 26-30 (cum tabulis pictis arborum Balanites aegypt. et Pistacia lentiscus); *Fr. Woenig,* op. c. 357; *V. Loret,* op. c. n. 165; *P. Schegg,* l. c. 207-9.

L. FONCK.

RESPHA (רִצְפָּה, Ῥεσφά), filia Aia, concubina Saulis, quae ei duos filios, Armoni et Miphiboseth, peperit. Saule mortuo Abner cum vidua regia nuptias praesumpsit et ab Isboseth filio Saulis propterea increpatus ad partes Davidis transiit. Celeberrima est Respha, quod iuxta cadavera filiorum, qui in Gabaa Saulis in patibulo suspensi sunt, excubias egit a primis diebus messis hordei, donec stillaret aqua super eos de caelo (2 Reg. 3,7; 21,8. 10. 11). Quanto tempore excubias maternas egerit, ex textu non liquet; Rabbini quidem affirmant eam a mense Aprili usque ad Octobrem seu annuas pluvias excubasse, sed textui etiam satisfacit pluvia caelestis, quae non multo post acciderit; cf. *F. de Hummelauer* in 2 Reg. 21,10.

RESSA (רִסָּה, Ῥεσσάν) inter stationes Israelitarum, postquam de monte Sinai profecti sunt, enumeratur sexta, inter Lebna et Ceelatha (Num. 33,21). Fortasse eadem est quae in Tabulis Peutingerianis Rasa, 32 mil. pass. ab Aelath (*Ἀqaba*) Ierusalem versus et 16 mil. pass. a Gypsaria.

RESURRECTIO. 1. *Resurrectio Iesu.* Scribit apostolus Corinthiis : tradidi vobis quoniam Christus... sepultus est et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas (1 Cor. 15,4). Unde asseritur in ipsis vaticiniis messianis iam contineri resurrectionem Messiae a mortuis. Et ipse quidem apostolus eam esse praedictam docet Ps. 15,10 : non dabis sanctum tuum videre corruptionem (Act. 13,35), ex quo psalmo idem collegit argumentum S. Petrus (Act. 2,25-31). Quae Messiae resurrectio etiam innui videtur Is. 43,10. 11; nam postquam propheta claris verbis mortem et sepulturam Messiae annuntiavit, ita de eius posteriore vita et operatione loquitur, ut eum in corpore exsistentem describat : *videbit* semen longaevum, voluntas Domini *in manu eius* dirigetur; *ipse servus* iustus *meus* iustificabit multos. Eum tertia die esse resurrecturum, id litterali alicuius vaticinii sensu non enuntiatur, continetur vero Domino teste sensu typico historiae Ionae Matth. 12,39. 40). Christum Iesum resurrexisse a mortuis invictis testimoniis constat. Eum fuisse mortuum in cruce et sepultum, concordi testimonio quattuor evangelistarum, testimonio inimicorum Iesu, amicorum eius, magistratus quoque romani etc. confirmatur. Tertia die sepulcrum est inventum vacuum. Apostoli, qui ab initio nullam resurrectionis notionem habebant, neque mulierum verbis de angelorum apparitione et Iesu resurrectione fidem adhibebant, solum repetitis Christi manifestationibus ad hanc firmissimam persuasionem adducti sunt : videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum; palpate et videte — manducavit coram eis (Luc. 24,39-43); nos manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis (Act. 10,41); visus est Cephae, dein undecim apostolis, dein plus quam quingentis fratribus simul, visus est Iacobo, apostolis omnibus, dein Paulo (1 Cor. 15,5-8). Eam resurrectionem apostoli maxima fortitudine annuntiant, pro ea carcerem et flagella sustinent (Act. 4,10; 5,18. 41), quae constantia et fortitudo (pro illa in morte Christi trepiditate) maximum foret aenigma, nisi de Iesu resurrectione fuissent certissimi. Eam ut inconcussum fidei fundamentum praedicat Paulus (1 Cor. 15, 3-23; Gal. 1,1).

Cf. praeter opera dogmatica et apologetica *Georg Reinhold,* Das Wesen des Christentums, Entgegnung auf *Harnack's* gleichnamiges Buch, 1901, p. 26 ss.

2. *Resurrectio mortuorum.* Fidem resurrectionis mortuorum apud Iudaeos exceptis Sadducaeis (Matth. 22, 23; Marc. 12,18; Luc. 20,7) viguisse notum est. Exspectatio quaedam resurrectionis iam enuntiatur Is. 26,19 : vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini et laudate qui habitatis in pulvere; quia ros lucis (hebr. luminum) ros tuus. Dicitur quippe eo in contextu Deus ita opus suum exsequi et tanta gloria et amplitudine regnum suum exornare, ut mortuos quoque ad vitam reductos gloriae suae reddat testes. Per se solum de resurrectione iustorum sermo est; Dei virtus dicitur ros luminum; ros seminibus quasi vitam dare vel ad vitam exserendam ea allicere et plantas fere iam emortuas ad novum vigorem provocare concipitur; ita quocumque Deus, qui est lux, lucis suae radium immittit, morte pulsa redit vita. Ad resurrectionis notionem ingerendam etiam facit parabola, qua Ezechiel statum populi in exsilio miserum a Deo iri reparatum declarat; describit enim campum plenum ossibus interfectorum, quae ossa vaticinante ex Dei mandato propheta nervis ac carnibus vestiuntur et spiritu insufflante reviviscunt. Per se quidem non est sermo in ea parabola de resurrectione mortuorum; nam vita illa ossibus inspirata significatur ex 37,12-14 reditus populi ex exsilio et theocratiae restitutio. At certe eo symbolo designatur potentia Dei quae ad vitam revocare *possit,* quae potentia quasi pignoris loco populo datur pro adimpletione promissionum. Insuper potest dici quod S. Hieronymus adnotat ad eum locum : « nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem israelitici populi significandam nisi staret ipsa resurrectio et futura crederetur, quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat ». Atque revera iam ante Ezechielem doctrina de resurrectione erat praeparata. Ad eam enim quasi via sternitur, dum dicitur : Dominus deducit ad inferos et reducit (1 Reg. 2,6) et Am. 9, 2 : si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos etc.; pariter praeparatur resuscitatione mortuorum (cf. 3 Reg. 17,17; 4 Reg. 4,33) et effatis illis prophetarum, quibus plena destructio mortis praedicitur (cf. Is. 25,8; Os. 13,14 : ero mors tua, o mors). Eandem enuntiari in celebri loco Iob 19,25. 26 etiam secundum textum hebr. sat multi gravibus rationibus tuentur; cf. *Knabenbauer,* Comm. in Iob ad h. l.; *J. Hontheim,* Das Buch Iob [Bibl. Stud. IX. 1904, Heft 1-3] ad h. l.; *J. Royer,* Die Eschatalogie des Buches Iob, 1892, p. 86-99.

Ea demum clare proponitur Dan. 12, 2 : et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt : alii in vitam aeternam et alii in opprobrium, ut videant semper. Eam fidem profitentur martyres tempore Machabaeorum; intrepidi membra cruciatibus praebent : e caelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc haec despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero; et iterum : potius est morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos; tibi enim (ad regem sermo dirigitur) resurrectio ad vitam non erit (2 Mach. 7, 11. 14). Eam fidem s. auctor testatur de Iuda Machabaeo, qui bene et religiose de resurrectione cogitans offerenda curavit sacrificia pro defunctis; nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis (2 Mach. 12,43. 44); eandem proclamavit in ultimo vitae momento Razias, proiiciens utraque manu intestina sua super turbas, invocans dominatorem vitae et spiritus, ut haec illi iterum redderet; atque ita vita defunctus est (2 Mach. 14,46). In libris Novi Testamenti haec doctrina repetito traditur; ita Matth. 24,31; 25,32; Luc. 14,14; Ioan. 5,29; item ea de re docemur, si Christus iubet nos eum timere, qui possit animam et corpus perdere in gehennam (Matth. 10,28; cf. 5,29 s.; 27,52). Data opera eam doctrinam probat et ab obiectionibus vindicat Paulus (1 Cor. 15) explicite loquens de resurrectione iustorum; sed cum addat : novissima autem inimica destruetur mors, satis omnium resurrectio indicatur; nam mors tum

est destructa, si ei omnis praeda erepta est, si iam nullus mortuus exsistit. Eandem doctrinam docuit Athenis (Act. 17, 31. 32) et 1 Thess. 4,13 et Hebr. 11,35 et ea inter prima capita recensetur, de quibus erudiendi sunt neophyti (Hebr. 6,2). Resurrectionem mortuorum vidit vates quoque in insula Patmo (Apoc. 20,12).

Cf. *Seisenberger*, Die Lehre von der Auferstehung des Fleisches, 1867; *Jos. Bautz*, Die Lehre vom Auferstehungsleibe, 1877; *L. Atzberger*, Die christl. Eschatologie, 1890; *id.* Gesch. der christl. Eschatologie innerhalb der vornicaenischen Zeit, 1896; *Scheeben-Atzberger*, Dogmatik IV. § 421-3.

I. KNABENBAUER.

RETHMA (רִתְמָה, Ῥαθαμᾶ) inter stationes Israelitarum, postquam de monte Sinai profecti sunt, enumeratur tertia (Num. 33,18). A multis interpretibus (*Ewald, Knobel, Keil, Vaihinger, Dillmann*) coniicitur esse *Wādi Abu Retemāt* haud procul ab *ʿAin Qadīs* occidentem versus, cuius nomen *Retemāt* a רֹתֶם seu *genista* explicatur, quae ibidem abundat (*Robinson*, Palaestina, 1841, I. p. 313). Cf. tabulam geographicam apud *H. Palmer*, Wüstenwanderung Israels, 1876, ubi habetur *Wādi Rethāma* occidentem versus ab *ʿAin Qadīs* et austrum versus a *Djebel Muweile*. Multi interpretes censent ab hac statione in deserto Pharan, cuius pars septemtrionalis etiam desertum Sin audiebat, exploratores a Moyse in terram Chanaan missos esse (cf. Num. 13).

RETIACULUM, parvum rete. Dicitur sensu translato de insidiis, quibus tandem peccatores capientur Ps. 140, 10 : cadent in retiaculo eius peccatores. Alias adhibetur vox ad designandum ornamentum in modum retis factum, quod in Vulgata appellatur craticula aenea (Ex. 27,4; 35,16; 38,4). Ponitur pro מִכְבָּר Ex. 39,39; sed frequentius pro שְׂבָכָה 3 Reg. 7,17. 18. 20. 41; 4 Reg. 25,17; 2 Par. 4,12; Ier. 52,22. 23; simul cum malogranatis haec retiacula inserviebant ad ornandas columnas (l. c.). Ceterum vide s. v. CRATICULA.

RETICULUM iecoris, i. e. maior lobus hepatis; in sacrificiis pacificis, holocaustis, sacrificiis pro delictis et in oblationibus pro peccato pontificis et in sacrificiis quibus Aaron eiusque filii consecrabantur ad sacrum ministerium recensetur illa pars simul cum aliis, quae in altari incendi ac cremari debebant (cf. Ex. 29,13; Lev. 3,4; 4,9; 7,4; 8,16. 25; 9,10. 19).

REU (רְעוּ, Ῥαγαῦ) filius Phaleg et pater Sarug (Gen. 11,18-21). Idem scribitur 1 Par. 1,25 Vulg. Ragau, LXX Ῥαγάν et Luc. 3,35 Ragau, Ῥαγαύ.

REUM (רְחוּם Ῥεούμ), regius magistratus Artaxerxis in Samaria (Esdr. 4, 8. 17. 23), cognominatus Beelteem (vide s. v.).

REVELATIO. Hominem posse viribus naturalibus ad aliquam veram Dei cognitionem pervenire, sacris litteris aperte docetur; ita Sap. 13,1 ss.; Rom. 1,19 ss.; 2,14. In ipsis enim rebus mundi adspectabilis continetur manifestatio Dei, de qua etiam in Psalmis (8. 18. 103) et Eccli. 43,5 ss. sermo infertur. Verum praeter hanc sui ipsius manifestationem, quae in conscientia hominum eorumque de bono ac malo iudiciis quoque cernitur (Rom. 2,14), Deus etiam dignatus est sublimiore quodam communicationis modo genus humanum docere. Iste modus exhibetur nobis in s. litteris familiari illo Dei cum protoparentibus commercio, alloquiis divinis quae fiunt ad Noe, Abraham, Isaac, Iacob, ad Moysen et post Moysen missione prophetarum qui a Deo missi atque edocti nomine et auctoritate Dei loquuntur (vide s. v. PROPHETA). Haec singularis Dei manifestatio, qua Deus praeter cursum atque ordinem naturae homines docet, dicitur revelatio. In qua notione simul includitur institutio de rebus divinis ceteroquin ignotis, quae mysteria dicuntur (cf. 1 Cor. 2,6-13). Eodem nomine etiam singula illa designantur, quae peculiari modo uni alterive a Deo communicantur per ecstases, visiones, illustrationes mentis. De hisce loquitur apostolus : unusquisque vestrum... revelationem habet;... quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior ta-

ceat (1 Cor. 14,26. 30) et ipse de se testatur magnitudinem revelationum se accepisse (2 Cor. 12,1 ss.; Eph. 3,3). — Praeterea dicitur revelatio de eventibus, quibus res et personae ceteroquin invisibiles, occultae, incognitae prodibunt et palam exhibebuntur. Ita sermo fit de revelatione Iesu Christi, quatenus apparuit Paulo, quatenus in secundo adventu appariturus est; de revelatione filiorum Dei, quando eorum gloria omnibus erit manifesta; de revelatione iusti iudicii Dei (Rom. 2,5; 8,18; 1 Cor. 1,7; Gal. 1,7; 2 Thess. 1,7; 2,8; 1 Petr. 1,7. 13 etc.); lux illa gentibus apparitura dicitur lumen ad revelationem gentium (Luc. 2,32).

REX. Fore reges in gente israelitica, iam patriarchis erat praedictum; ad Abraham dictum est: reges ex te egredientur (Gen. 17,6); et de eius filio: reges populorum orientur ex eo (Gen. 17, 16); item promissum erat Iacob: reges de lumbis tuis egredientur (Gen. 35, 11). Ab initio tamen ipse Dominus per Moysen et Iosuen et iudices regimen populi exercebat et quasi bellorum dux erat: Dominus pugnabit pro vobis (Exod. 14,14); Dominus quasi vir pugnator (Ex. 15,3). Eius enim temporis condicionem praeclare enuntiavit Gedeon, quem devictis Madianitis populus sibi constituere volebat regem; non dominabor vestri, inquit, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus (Iud. 8,23). Verum cum Samuel iam esset senex eiusque filii non ambularent in viis eius et cum bellum ingrueret cum Ammonitis, Israelitarum seniores iam non confisi auxilio divino dixerunt ad Samuelem: constitue nobis regem, ut iudicet nos, sicut et universae habent nationes (1 Sam. 8,5). Qua postulatione facta, non te, inquit Deus, sed me abiecerunt, ne regnem super eos (1 Sam. 8,7). Peccarunt enim defectu fiduciae in Deum, etiam magis eo quod regiminis Dei quasi pertaesi regem sibi petebant, ut essent sicut reliquae gentes. Nam cum Samuel iis opposuisset: Dominus est rex vester, perfracte responderunt: nequaquam; rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes et iudicabit nos rex noster et egredietur ante nos et pugnabit bella nostra pro nobis (1 Sam. 8,19; 12,12). Non igitur exspectare volebant, donec Deus promissionem de regibus datam impleret (cf. 1 Sam. 2,10), verum importuna postulatione sibi ipsi damnum intulerunt. Quale regimen enim habituri essent, Samuel declaravit enumerans onera quibus a rege opprimendi essent (1 Sam. 8,11 ss.). Nihilominus illi perstiterunt: noluit autem populus audire vocem Samuelis (1 Sam. 8,19) et Deus acquievit petitioni eorum. Infelici itaque augurio constitutum est regnum Saul, « inde ab ipsa eius electione sigillo insignitum reprobationis » (*S. August.* apud *Migne* 36,600; *F. de Hummelauer*, Comm. in libros Samuelis, p. 103). Saul propter inoboedientiam reiectus est atque in eius locum ipse Dominus elegit David, in quo vaticinium Iacob patriarchae de tribu Iuda et sceptro ac dominatione eius impleri coeptum est (Gen. 49,10). Uti Saul a Samuele unctus erat (1 Sam. 9,16; 10,1), quae unctio symbolum est spiritus Domini (cf. 10,6), ita David quoque sacra unctione consecratur rex super hereditatem Domini, ut pascat populum Dei Israel (1 Sam. 16, 13; 2 Sam. 2,4; 4,5). Unde « unctus Domini (Iahwe) » titulus est regis, quo sacra eius dignitas designatur (1 Sam. 24, 11; 26,9; 2 Sam. 1,14; 19,22). Eum esse regem theocraticum declaratur eo quod sedere dicitur in throno regni Iahwe, super solium Iahwe (1 Par. 28,5; 29,23) et titulo filii Iahwe honoratur (cf. 2 Sam. 7,14; Ps. 88,28).

Quae sacra eius dignitas eo quoque cernitur, quod populo benedicit in nomine Domini exercituum (2 Sam. 6,18; 3 Reg. 8,14. 55). Explicite narratur unctio de Saul, David, Absalom (2 Sam. 19,10), Salomone (3 Reg. 1,39), Ioas (4 Reg. 11,12), Ioachaz (23,30) et de uno rege Israel, Iehu (4 Reg. 9,3). Sed singulos reges esse unctos inde quoque redditur probabile, quod christus Domini generatim de rege theocratico dicitur (cf. 1 Sam. 2,10. 35; 2 Par. 6,42; Ps. 19,7; 27,8; 88,10; 88,39. 52; Lament. 4,20). Insignia regiae dignitatis sunt corona (cf. 2 Sam. 12,30; 1 Par.

20,2; Ier. 13,18; Ez. 21,26), sceptrum (Gen. 49,10; Esth. 8,4; Sap. 6,22; 10, 14; Ez. 19,11. 14), thronus (3 Reg. 10, 18; 4 Reg. 10,30; 11,19; 25,28 etc.). Erat rex belli dux et iudex supremus (2 Sam. 14,5; 15,6; 3 Reg. 3,16; 7,7); ei studium et observatio legis commendatur (Deut. 17,18. 19). David rex ad cultum divinum ordinandum transferendam curavit arcam et ministeria constituit levitarum et sacerdotum ordines et classes descripsit (cf. 2 Sam. 6; 1 Par. 16,4; 24, 5 ss.). Salomon removit Abiathar a pontificatu et in eius locum Sadoc instituit (3 Reg. 2,26. 35); pro aedificatione templi David collegit thesaurum (1 Par. 29), Salomon aedificavit templum et consecravit (3 Reg. 8,64); eius instaurationem urgebat Ioas rex (4 Reg. 12,4 ss.). Ezechias idololatriam impugnans dissipavit excelsa, contrivit statuas, succidit lucos (4 Reg. 18,4); Iosias foedus populi cum Deo renovavit (4 Reg. 23). Reprehenduntur reges quod excelsa non abstulerint; reges impii idololatriam exercebant templumque ipsum idolis profanabant (cf. s. v. ACHAZ, MANASSES); Ieroboam in regno Israel instituit cultum idololatricum in Dan et Bethel et fecit sacerdotes de extremis populi et constituit diem sollemnem in mense octavo (3 Reg. 12,28 ss.); Iosaphat, rex pius, misit viros sexdecim ut in civitatibus docerent populum habentes librum legis Domini (2 Par. 17,7-9) etc. Ex quibus satis apparet reges quoque in rebus sacris, in cultu religioso multum valuisse et in bonum et in malum. Functiones proprie sacerdotales unum Oziam voluisse usurpare refertur, scil. adolere incensum super altare thymiamatis; verum lepra esse a Deo percussum in poenam temeritatis (1 Par. 26,16-21).

Ad voluntatem divinam exquirendam in rebus dubiis et difficilibus praesto iis erat consulere Dominum per pontificem ope Urim et Thummim (cf. 2 Sam. 5,19. 23; 21,1; 1 Sam. 28,6), et insuper regibus adstabant plerumque prophetae tamquam consiliarii a Deo missi et edocti; ita Nathan, Gad apud David; Semeias apud Roboam (2 Par. 11,4); prophetae Iehu, Elias, Eliseus in regno Israel, Azarias apud Asa, Isaias apud Ezechiam, Ieremias apud Sedeciam etc. Quorum prophetarum auctoritatem saepius infringere conati sunt pseudoprophetae (cf. 3 Reg. 22,6 ss.; Ier. 18,1 ss.).

In administratione regni reges utebantur ministris. Ita David rex constituit Ioab super exercitum, Iosaphat filius Ahilud erat a commentariis, Saraias scriba, Banaias super Cerethi et Phelethi (2 Sam. 8,16-19). Salomonis ministri nominantur 3 Reg. 4,2 ss.; praeter eos habebat duodecim praefectos super omnem Israel qui praebebant annonam regi et domui eius (3 Reg. 4,7-19). Eiusmodi ministri commemorantur quoque 4 Reg. 25,19; Ier. 52,25; 1 Par. 27,1 ss. et 27,25-31 nominantur qui possessiones David regis, vineas, oliveta etc. curabant; 1 Par. 28,1; 2 Par. 8,10.

Reditus regum proveniebant ex eorum agris, vineis, armentis, gregibus (cf. 1 Par. 27,25 ss.; 2 Par. 26,10), ex tributis et vectigalibus (3 Reg. 4,7; 12,4; 18, 5; Am. 7,1), ex tributis gentium devictarum (4 Reg. 3,4; Is. 16,1), ex spoliis in bello captis (2 Sam. 8,11; 12,30), ex navigatione mercibusque commercio allatis (3 Reg. 10,11; 2 Par. 9,10), ex donis (1 Sam. 16,20; 3 Reg. 10,10. 25; 2 Par. 32,23) et si qua necessitas occurrebat, v. g. solvendi tributum regi extraneo victori, minime abstinebant ab exactionibus (4 Reg. 15,20; 23,35); reges impii etiam vi et iniustitia possessiones auxerunt (3 Reg. 21,6 ss.).

More aliorum regum etiam reges Iuda regium quendam splendorem repositum esse putarunt in quadam multitudine uxorum; ita David 2 Sam. 5,13; 15, 16; Salomon 3 Reg. 11,1; Eccli. 47,21; Roboam 2 Par. 11,21; Abia 2 Par. 13,21.

In regno Iuda post David omnes reges erant ex eius posteritate; aliter in regno Israel, in quo regnabant reges ex novem diversis familiis. Ipsa vero in regno successio in neutro regno stabili lege aut consuetudine erat determinata; ius primogeniturae non exsistebat; ab extraneis quoque reges constituebantu (4 Reg. 23,34; 24,17).

I. KNABENBAUER.

RHAMNUS (אַטָד, ἡ ῥάμνος) in fabula a Ioatham Sichemitis proposita Iud. 9,14. 15 exhibetur velut imago principis crudelis. De rhamno in proverbiali locutione Ps. 57[58],10 vide commentarios; *Zenner-Wiesmann* v. 10 velut glossam expungit. Eandem vocem hebr. LXX et Vulgata Gen. 50,10 reddunt nomen proprium Ἀτάδ, Atad; probabilius autem pro area Atad vertendum erat : area rhamni (v. AREA 1).

Apud *H. B. Tristram,* Fauna and Flora of Palestine, 1884, p. 264-5 enumerantur 16 Rhamneae, inter quas 12 rhamni, in Palaestina et in regione Libani crescentes. Sed *G. E. Post* (Flora of Syria, 1896, p. 201. 209 et cf. p. 9) rhamnos 12 ad sex reducit, ex quibus in Palaestina proprie dicta cis et trans Iordanem inter saxosa abundat *Rhamnus punctata* Boissier et eius varietas *Rh. Palaestina* Boissier.

RHEGIUM (Ῥήγιον), urbs maritima ad litus Bruttii et fretum Siculum, in itinere romano S. Pauli inter Syracusas et Puteolos commemorata (Act. 28,13), e regione Messanae sita, distans a Messana stadiorum sexaginta traiectu (*Strabo* VI. 2,3). Nominis explicationem duplicem Strabo (VI. 1,6) proponit : vel « ut ait Aeschylus, ab eo quod isti accidit regioni : terrae enim motibus Siciliam a continente abruptam (quod graece ῥηγνύναι) cum alii tum ille affirmavit; inde et vocatur Rhegium » vel ab urbis splendore, cuius gratia Samnites urbem latine quasi Regiam appellassent; quae altera explicatio minus probabilis est priore. Ptolemaeus (III. 1,9) eam dicit Ῥήγιον Ἰούλιον, « Rhegium Iulium, sive quod Iulius Caesar illuc coloniam miserit, sive quod illic Iulia Augusti filia ob impudicitiam supremum diem obierit, ut inquit C. Tacitus Ann. lib. 1 » (Annotationes *Thomae de Pinedo* ad Stephanum Byzant. s. v.). Hodie vocatur *Reggio.*

RHEUM (רְחוּם, cod. B omitt., ℵ Μειμίν), princeps familiae sacerdotalis, quae duce Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,3). — Idem nomen hebr. gerunt, qui in Vulgata scribuntur REHUM et REUM (Beelteem).

RHINOCEROS v. UNICORNIS.

RHODE (Ῥόδη), puella quae in domo Mariae matris Ioannis Marci ad ianuam processit, cum Petrus e carcere liberatus ostium ianuae pulsaret (Act. 12,13). Eius nativa simplicitas eo elucet, quod voce Petri cognita prae gaudio aperire omisit, sed ex vestibulo in interiorem partem domus cucurrit, ut rem faustam lugentibus statim nuntiaret. Nomen Rhode est graecum, a rosa (ῥόδον) derivatum, sicuti Susanna nomen habet a liliis, Hadassa a myrto.

RHODOCUS (Ῥόδοκος), proditor in exercitu Iudaeorum, qui Antiocho V. Eupatori Bethsuram obsidenti secreta consilia communicabat, sed comprehensus et in carcerem coniectus est (2 Mach. 13,21).

RHODUS (Ῥόδος) accensetur 1 Mach. 15,23 regionibus, quibus Romani anno 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur. S. Paulus ex tertio itinere apostolico Hierosolyma rediens tempore verno a. 59 ab insula Coo Rhodum, inde Pataram venit (Act. 21,1). E regione Cariae et Lyciae sita est insula maxime orientalis maris Aegaei vel strictius maris Carpathii (cf. *Strabo* II. 5,21); insulae ambitus est stadiorum 920 apud Strabonem (XIV. 2,10) vel apud Plinium (V. 31,132) milliaria romana « 125 aut, si potius Isidoro credimus, 103 ». Ad Stephanum Byzant. s. v. adnotat *Thomas de Pinedo* : « Fuit insignis civitatibus, Lindo, Camiro, Ialyso et Rhodo cognomine auctore Plinio V. 31,132, in qua numquam tanta nubila obducebantur, ut non aliqua hora sol cerneretur teste eodem Plinio II. 62,153, unde poetae *claram* vocarunt (Horat. I. 7; Lucanus Pharsalicor. lib. 8). Fuit olim Rhodos insula re nautica potens, ut claret ex Strabonis lib. 14 ».

RIBAI (רִיבַי, Ῥειβά, Ῥεβιέ), pater Ethai (Ithai) herois davidici de Gabaath filiorum Beniamin (2 Reg. 23,29; 1 Par. 11,31).

RINNA (רִנָּה, B Ἀνά, A Ῥαννών), filius Simon de tribu Iuda (1 Par. 4,20). In Vulgata dicitur *filius Hanan,* sed

iuxta hebr. *Benhanan* est nomen proprium.

RIPHATH (Gen. 10,3 רִיפַת, Ῥιφάθ; 1 Par. 1,6 דִּיפַת, var. רִיפַת, Ἐρειφάθ), filius secundus Gomer filii Iaphet frater Ascenez et Thogorma (Gen. 10,3; 1 Par. 1,6). Flav. Iosephus (Ant. I. 6,1) Riphath dicit Paphlagones, merito utique ratus hanc gentem uti Ascenez et Thogorma in Asia anteriore esse collocandam (*F. de Hummelauer* in Gen. 10,3). Uti iam *Bochartus* (Phaleg 3,10) monuit, ad nomen antiquum Riphath alludunt Rhebas (Ῥήβας) fluvius Bithyniae in Pontum Euxinum exiens et Rhebantia (Ῥηβαντία) regio ad Bosporum Thracium.

De Rhebante fluvio et Rhebantia regione cf. Periplus Ponti Euxini 17 apud *Müller*, Geogr. Graeci Min. I. p. 381; *Eustathius* in Dion. perieg. 793 apud *Müller* l. c. II. p. 355. 356; *Ptolem.* V. 1,5 *ed. Nobbe*, 1843 (sed cf. notam ad V. 1,3 apud *Müller-Fischer*, Ptolemaei Geographia, Parisiis, 1883-1901, I. p. 795. 796); *Stephanus Byz.* s. v.; *Plin.* VI. 1,4: « a faucibus Bospori est amnis Rebas quem aliqui Rhesum dixerunt ». Vide etiam *Pauly*, Real-Encyclop. s. v.; *Ramsay*, Histor. Geogr. of Asia Minor, 1890, p. 189 in nota, p. 438 et tabulam : Hellespontus et Bithynia, p. 178/179.

Est etiam alia opinio olim sat communis, quae Riphath ad montes Rhipaeos (ὄρη Ῥιπαῖα) auctorum veterum refert; cui opinioni praeter nominum similitudinem nulla ratio favet. Neque veteres de situ istorum montium, quos in remotis regionibus septemtrionalibus esse fingebant, inter se conveniunt.

RITUS. Ea voce plerumque consuetudo quaedam, statutum, id quod ex more fieri solet atque in posterum quoque observandum est, designatur. Ceterum vide s. v. CAERIMONIA, quacum in Vulg. etiam coniungitur (Ex. 18,20).

ROAGA (*Kethib* רוהגה, *Qeri* רְהֻגָה; A Ὀγά, B omitt., sed v. AHI 1), filius Somer de stirpe Baria tribus Aser (1 Par. 7,34).

ROBOAM (רְחַבְעָם, Ῥοβοάμ), filius Salomonis, primus rex regni Iuda post scissionem regni salomonici (3 Reg. 11, 43; 1 Par. 3,10; 2 Par. 9,31; Matth. 1, 7). Eius mater erat Naama Ammonitis; 41 annos natus thronum adscendit et 17 annos regnavit (3 Reg. 14,21. 31; 2 Par. 12,13). In Sichem, quo omnis Israel congregatus erat, consilia seniorum spernens secundum consilium iuvenum populo dura respondit, quo factum est, ut decem tribus ab eo desciscerent et Ieroboam primum regem Israel constituerent (3 Reg. 12,1 ss.; 2 Par. 10,1 ss.). Unde immaturitas Roboam quasi in proverbium abiit (2 Par. 13,7; Eccli. 47,28). Hierosolyma reversus magno exercitu coacto bellum parabat, ut decem tribus in subiectionem redigeret, sed per Semeiam prophetam edoctus Dei consilio scissionem regnorum factam esse bellica expeditione destitit (3 Reg. 12,21-24; 2 Par. 11,1-4). Sed inimicitiae inter Roboam et Ieroboam erant continuae (3 Reg. 14,30; 15,6; 2 Par. 12,15). Per tres annos Roboam cum laude regnum suum firmavit, urbes munivit, cultum Dei promovit, ita ut ex universo Israel sacerdotes et levitae aliique impietatem Ieroboami aversantes in Ierusalem confluerent (2 Par. 10, 5-17; 3 Reg. 12,27). Sed post laeta initia ipse legem Dei dereliquit et exemplo suo populum in idololatriae ac libidinis scelera pellexit (3 Reg. 14,22-24; 2 Par. 12,1). Cuius perfidiae mox Deum ultorem expertus est. Nam anno quinto postquam Roboam regnum capessivit, Sesac rex Aegypti (Sesonchis I.), cuius cliens Ieroboam fugitivus aliquando fuerat, regnum Iuda aggressus est, urbes munitissimas cepit, Hierosolymis potitus gravia tributa imposuit et inter alia clypeos aureos iussu Salomonis confectos abstulit, pro quibus Roboam aeneos substituit sibi templum adeunti praeferendos (3 Reg. 14,25-28; 2 Par. 12,2-12). Quamquam Deus ob humiliationem principum ac regis et ob opera bona in Iuda interitum regni avertit, tamen Roboam cor suum non praeparavit, ut quaereret Dominum; mortuus et sepultus in civitate David successorem habuit Abiam, filium Maachae, uxoris praedilectae (3 Reg. 14,29-31; 2 Par. 11,18-23; 12,14-16).

ROGEL fons erat in suburbiis Hierosolymorum, iuxta quem terminus tribuum Iuda et Beniamin transibat (Ios. 15,7; 18,16), ubi etiam exploratores David nuntium a sacerdotibus amicis exspectabant (2 Reg. 17,17), et prope quem erat lapis Zoheleth cum loco convivii Adoniae (3 Reg. 1,9). Nomen עֵין רֹגֵל, πηγὴ Ῥωγήλ, plerumque « fons fullonis » exponitur, ab aliquibus vero « fons exploratoris ». Secundum opinionem multorum dicitur esse puteus ille quem Arabes *Bīr Eiyūb* i. e. puteus Iob (cf. Koran, Sur. 38,40 s.), Christiani inde a saeculo fere decimo sexto puteum Nehemiae seu puteum ignis (cf. 2 Mach. 1, 19-21) vel etiam puteum Ioab (cf. 3 Reg. 1,9) vel p. Iacob appellant. In favorem huius opinionis citant Fl. Iosephum, qui Adoniam « extra urbem iuxta fontem in horto regio » convivium parasse narrat (Ant. VIII. 14,4, *ed. Niese* 347), et interpretem arabem in Polyglottis vulgatum, qui Ios. 15,7 fontem Rogel puteum Iob exponit (cf. *Robinson, Tobler, Sepp, Riess* in Bibl. Geogr., *Furrer, Gesenius-Buhl* s. v., *Siegfried-Stade* s. v., *Fahrngruber, Zanecchia*).

At puteus ille imprimis non est *fons*, quo nomine Rogel constanter appellatur; praeterea lapis Zoheleth probabiliter est rupes *el-Laḥwēle* prope vicum *Silwān* iuxta fontem Mariae Virginis sita (cf. *Clermont-Ganneau*); denique Cyrillus Scythopolitanus, scriptor gravissimus saeculi sexti, narrat puteum illum sua fere aetate a. 518 p. Chr. per patriarcham Iohannem III. propter magnam aquarum inopiam effossum esse (vita S. Sabae c. 67). Quare probabilius cum *Quaresmio, Rosenmüller, Riess* (in Bibel-Atlas, *ed.* 3), *Fr. Liévin de Hamme* aliisque fons Rogel dicitur esse fons Virginis, qui hodie *ʿAin Sitti Maryam* seu *ʿAin Umm el-deredj* (fons graduum) vocatur et ad radicem orientalem collis Ophel in valle Iosaphat situs est.

Atque huic fonti optime conveniunt, quae in textibus citatis de fonte Rogel leguntur. Nam terminus Iuda et Beniamin inde a valle Hinnom ad aquilonem directus naturaliter per vallem Iosaphat iuxta ipsum fontem graduum transire debuit, qui solus in hoc orientali et australi urbis latere nomen veri fontis meretur. Cum in magna profunditate in interiore rupe inveniatur, facile *in* caverna huius fontis (בְּעֵין רֹגֵל, ἐν τῇ πηγῇ Ῥωγήλ) Ionathas et Achimaas exploratores se abscondere nuntiumque ancillae de domo sacerdotum ad ipsos venientis excipere poterant (2 Reg. 17,17). Historiae autem Adoniae ille locus satis conveniens invenitur, tum quia rupes *el-Laḥwēle* lapidem Zoheleth bene repraesentat, tum quia a fonte Gihon satis remotus erat (v. GIHON), tum quia a regia Davidis, probabilius in colle occidentali urbis sita (v. IERUSALEM VI.), haud ita facile videbatur, et ab illa ad hunc fontem descendendum erat (3 Reg. 1,25). Etiam ad hortum regium hunc fontem pertinere cum Fl. Iosepho dicere possumus, cum vallis inde a fonte Dominae Mariae latius pro illis hortis spatium praebeat, fonsque ipse aquas ad hortum irrigandum suppeditet.

Quomodo vero illi, qui cum cl. *R. v. Riess* tum Gihon, tum Rogel in hoc fonte Virginis quaerunt, opinionem suam illi historiae conformem inveniant, haud facile apparet. Neque etiam eidem narrationi satis congruit sententia satis communis illorum, qui Gihon fontem Virginis et Rogel puteum Nehemiae esse volunt. Etenim inter puteum et fontem vix 650 metra intersunt alterque locus in conspectu alterius est: quo pacto autem tunc convivas Adoniae sollemnis unctio Salomonis prope fontem Gihon, pro qua populus in latiore vallis parte infra ipsum fontem versus puteum Nehemiae sese extendere debebat, ita latere poterat, ut non nisi in fine, postquam iam « rumpebatur terra a clamore » civitatis tumultuantis, vocem tubae clamoremque Salomoni acclamantium audierunt? (3 Reg. 1,40 s.).

Cf. *Fr. Quaresmius*, Elucid. Terrae S., l. IV. peregr. 7, c. 28, ed. Venet. II. p. 222 s.; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. II. 2, p. 253 s.; *E. Robinson*, Palaestina II. p. 138-42; *J. Schwarz*, Das h. Land, p. 189 s.; *T. Tobler*, Topogr. Ierusalem II. p. 50-61; *J. N. Sepp*, Jerusalem u. d. h. Land, *ed.* 2, I. p. 328 s. 341; *Ch. Clermont-Ganneau* in

Quart. Stat. 1870, p. 251-3; *id.* in Mitteil. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver. 1896, p. 42; *K. Furrer* in *D. Schenkel*, Bibellexicon V. p. 98; *R. v. Riess*, Bibl. Geogr. p. 75; Bibel-Atlas, *ed.* 3, p. 25. 26 s.; *G. Gatt*, Ierusalem u. s. Umgebung, p. 214-6; *J. Fahrngruber*, Ierusalem, *ed.* 2, I. p. 252 s.; *Fr. Liévin de Hamme*, Guide indicateur, *ed.* 4, p. 407-9. 416 s.; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi I. p. 338 s.; *Bädeker-Benzinger*, Palästina, *ed.* 5, p. 98-100; *F. Buhl*, Geogr. d. alten Palaest. 1896, p. 93 s.

L. FONCK.

ROGELIM (רֹגְלִים, Ῥωγελλείμ), urbs in Galaad, patria Berzellai Galaaditis, qui Davidem ab Absalome pulsum et in Mahanaim commorantem cibariis oblatis adiuvit (2 Reg. 17,27; 19,31 hebr. 32). Situs ignoratur.

ROGOMMELECH (רֶגֶם מֶלֶךְ, Ἀρδεσεὲρ ὁ βασιλεύς vel etiam Ἀρδεσέρ, Ἀρδεσεσέρ, Ἀρδεσεέ; cf. *ed. Swete*), legatus ab incolis Bethel ad deprecandam faciem Domini missus (Zach. 7,2 et cf. *Knabenbauer* ad h. l.).

ROHOB (רְחֹב, רְחוֹב; Ῥοώβ, Ῥαάβ, Ῥοωώβ etc.).

1. Regio in introitu Emath ab aquilone Palaestinae, quousque duodecim exploratores a Moyse missi terram promissam perlustrarunt (Num. 13,22 [21]). Eadem sine dubio est regio opulentissima domus Rohob (Iud. 18,7. 28), in qua sita erat Lais-Dan, hodie *Tell el-Qādi* ad occidentem Caesareae Philippi et probabilius illa quoque domus Rohob (Beth Rehob) aramaica, quae cum aliis regnis aramaicis Maacha, Soba, Istob et cum Ammonitis foedus contra Davidem iniit (2 Reg. 10,6. 8; loco parallelo 1 Par. 19,6. 7 nomen Rohob non exprimitur). Designatur itaque regio quaedam prope Caesaream Philippi (*Bāniyās*) quaerenda, a qua per Coelen Syriam aditus in terram Emath patebat; sed urbis cuiusdam Rohob vestigium non exstat. Quodsi autem Rohob 2 Reg. 10,6. 8 a Rohob Num. 13,22 et Iud. 18, 28 distincta esse supponitur, fortasse magis *Haurān* versus quaerenda erit. — Merito autem relinquitur opinio, quam *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 486 ss. (cf. p. XXVIII) et *Mühlau* apud *Riehm-Baethgen*, Handwb. d. bibl. Altert. s. v. Beth Rehob defenderunt, Beth Rehob esse *Qal'at Hūnīn* in ipsa Galilaea superiore e regione Caesareae Philippi; neque enim intra ipsum regnum Israel urbs principalis regni aramaici Rohob sita esse dicenda est, ut advertunt *Keil* ad 2 Sam. 10,6 et *Dillmann* ad Num. 13,21.

2. Duae urbes Rohob erant in tribu Aser (Ios. 19,28. 30), quarum alterutra levitis de stirpe Gerson concessa erat (Ios. 21,31; 1 Par. 1,75 [60]). Ex illa, quae Ios. 19,30 una cum Aphec nominatur, Israelitae Chananaeos exterminare non valebant (Iud. 1,31 quo loco etiam Aphec et Rohob iunguntur). Utraque est ignota; sed vestigium nominis cernitur in *Tell el-Rāḥib* a Scala Tyriorum orientem versus prope confinia Aser et Nephthali (*Legendre,* Carte de la Palestine).

3. Rohob pater Adarezer regis Soba (2 Reg. 8,3. 12); hoc nomen Rohob fortasse cohaeret cum Rohob 1, regno aramaico, quod cum regno Soba foedus pepigit.

4. Levita inter signatores foederis quod Nehemias cum Domino renovavit (Neh. 10,11 [hebr. 12]).

ROHOBIA v. RAHABIA.

ROHOBOTH. 1. Rohoboth fluvius (Gen. 36,37) vel potius fluminis seu 1 Par. 1,48 Rohoboth quae iuxta amnem sita est (רְחֹבוֹת הַנָּהָר, Ῥοωβὼθ τῆς παρὰ ποταμόν), patria Saul regis edomitici. Eius nominis praesidium (φρούριον) in Gebalene regione montana Idumaeae commemorant Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 286,77; 145,15) et Notitia Dignitatum, *ed. Böcking,* I. 78. 346 s.; verum difficile est in montibus Edom fluvium invenire, cui nomen fluvii (הַנָּהָר) κατ' ἐξοχήν competat. Unde alii fluvium intellegunt Euphraten, qui alias הַנָּהָר sine addito vocari solet et urbem aliquam iuxta Euphraten quaerunt v. g. *Rahaba* ad orientem Euphratis paulo infra ostium Haboris seu Chaborae (*Gesenius,* Thesaurus, p. 1281). Hoc admisso Saul alienigena fuisse dicendus

est, etsi eius nomen originem hebraicam postulat.

2. Vide RECHOBOTH.

3. Vide RECHOBOTH IR.

ROMA (רֵאוּמָה, cod. A Ῥεηρά, cod. Cotton. Ῥεημά), concubina Nachor fratris Abraham (Gen. 22,24).

ROMA, ROMANI. Prima mentio Romanorum in Vulg. fit Dan. 11,30 : et venient super eum trieres et Romani; hebr. et venient contra eum naves Kittim; LXX καὶ ἥξουσι Ῥωμαῖοι, Theodotio οἱ ἐκπορευόμενοι Κίτιοι. Ex rei eventu LXX et Hier. textui inseruerunt Romanos. Tempore quippe verno anni 168 a. Chr. cum Antiochus Epiphanes bellum moveret contra Philometorem et Physconem, hi legatos Romam miserunt auxilia rogantes. A senatu missus est legatus Popilius Laenas ad Antiochum qui abstinere eum Aegypto aut si iam incessisset excedere iuberet. Antiochus pariturum se senatui respondit. Apte fit mentio *navium;* nam Perseo apud Pydnam devicto Popilius cum classe romana in Aegyptum navigavit et Antiochum ab incepto desistere coegit (v. ANTIOCHUS IV.).

Altera mentio habetur 2 Mach. 11,34 ss., quo loco recitatur epistula, quam duo legati Romanorum Quintus Memmius et Titus Manilius (Manlius, Manius) ad Iudaeos dabant, in qua hi quoque ea Iudaeis concedunt quae Lysias concesserat, et scribunt ut aliquem mittant ad regem Antiochiam ad reliqua componenda. Dicitur epistula scripta anno 148, scil. aerae Seleucidarum i. e. 165-164 a. Chr. De hisce legatis vide s. v. QUINTUS MEMMIUS.

Qualis fama popularis de Romanis ad Iudaeos perlata sit et apud eos viguerit circa annum 161 a. Chr., discimus 1 Mach. 8,1-16; audivit enim Iudas Romanos esse potentes viribus, benevolos in eos qui se illis adiungant et quibuscum statuant amicitiam; ab eis esse Galatas devictos et tributarios factos; metalla argenti et auri Hispaniae esse in eorum potestatem redacta; consilio suo et patientia eos possedisse regiones longinquas; potentes reges ab iis esse subactos, ita Philippum et Persen et Antiochum III. Magnum; abstulisse eos ab Antiocho III. Indiam et Mediam (vel potius Ioniam et Mysiam; v. s. v. EUMENES) et Lydiam, et eas regiones dedisse Eumeni regi; ab iis subactam esse Graeciam et residua regna et insulas; cum amicis autem servari ab iis amicitiam et pro arbitrio ab iis statui ac deponi reges etc.; praeterea fama popularis etiam falsa quaedam retulit de ratione gubernandi v. g. *cotidie* deliberasse senatores 320 (var. 300); uni hominum magistratum committi per singulos annos etc.; non esse inter eos invidiam, ambitionem.

Quia itaque fama populari Romanorum potestas, amicitia eo modo extollebatur, visum est Iudae quoque summe utile contra oppressionem regum Syriae confugere ad protectionem Romanorum. Quare misit legatos Romam Eupolemum et Iasonem (1 Mach. 8,17), ut Iudaei socii et amici Romanorum conscriberentur. Senatus acquievit; in tabulis aereis pactum eiusque condiciones consignatae sunt (1 Mach. 8,22 ss.); mutuum scil. tempore belli inter se promittunt auxilium paciscentes pro rerum temporumque opportunitate. Praeterea senatus scripsit Demetrio I. regi, ut desisteret a vexatione Iudaeorum; sin minus, « pugnabimus tecum mari terraque » (8,32). Legationem quoque Romam misit Ionathas, frater Iudae, qui ei in rebus gerendis successerat, ut cum Romanis amicitiam et societatem pristinam renovaret (1 Mach. 12,1-4. 16). Simon quoque, frater eius et successor, misit Numenium Romam « habentem clypeum aureum magnum pondo mnarum mille ad statuendam cum eis societatem » (1 Mach. 14,24). Qualem autem effectum haec legatio habuerit, elucet ex epistulis, quas legati secum retulerunt, regibus ac regionibus scriptas, quibus omnes vetantur Iudaeos impugnare aut auxilium ferre pugnantibus adversus Iudaeos (1 Mach. 15,15-24). Et cum postea sub Hyrcano I., filio Simonis, qui rebus praeerat 135-104 a. Chr., Antiochus VII. Sidetes Iudaeos opprimeret, Romani Iudaeos interventu suo a vexatione liberarunt.

Hoc studio quaerendi foedus et amicitiam exterorum satis iam elucet quantopere in ipsa republica Iudaeorum

restituta notio illa theocratica de Domino rege populi sui imminuta fuerit. Ante exsilium enim semper exsistebant prophetae qui omnem talem conatum quaerendi opem ac foedus exterorum gravissime reprehenderent et impedirent (cf. Is. 31,39; Ier. 2,18; Ez. 16,26 ss.). Verum tempore Machabaeorum iam nemo eiusmodi cum Romanis foedere quidquam minus boni fieri existimavit. Immo mox controversias domesticas Romanis dirimendas tradebant. Ita Aristobulus II. et Hyrcanus II. fratres, cum de principatu inter se contenderent, miserunt legatos ad Scaurum, quem legatum romanum Pompeius in Syriam miserat; eius gratiam et opem pro se quisque imploravit (an. 65 a. Chr.) et anno 63, cum Pompeius Damascum venisset, ad eum profecti contentionem ab eo dirimi postularunt. Cum Aristobulus non satis obsequeretur decretis et auctoritati Pompeii, is cum exercitu Palaestinam ingressus urbem Ierusalem obsidione per tres menses cinctam expugnavit, Aristobulum regno spoliavit, Hyrcanum pontificem et principem, Romanorum imperio subiectum, constituit (an. 63). Ab eo tempore Romani dominabantur in Palaestina. A Romanis Herodes I. rex constitutus est et quidem rex socius ab Antonio, et eo devicto rex restitutus ab Augusto (cf. *Suetonius*, Octav. 48; *Flav. Ios.* Ant. XV. 6,6. 7). Eo demortuo Archelaus testamentum Herodis Caesari misit; ipse ad Caesaris pedes se abiecit, item Antipas, et suam quisque causam coram Caesare egit (cf. *Flav. Ios.* Ant. XVII. 8,2. 4; 9,3-6; Bell. iud. II. 2,1-6). Caesare decernente regnum Herodis divisum est inter tres eius filios, Archelaum, Antipam, Philippum. Archelaus accepit Iudaeam (proprie dictam) cum Samaria et Idumaea; verum anno decimo principatus eius accusatus a primoribus Iudaeorum regno privatus est et ex eo tempore Iudaea provinciae Syriae est attributa et per procuratores administrata (an. 6 p. Chr.). Antipas vero et Philippus retinebant tetrarchias, ille Galilaeam et Peraeam, hic Ituraeam, Batanaeam, Trachonitidem. Immo ab anno 41-44 Herodes Agrippa I. rex erat, uti Herodes I., totius Palaestinae. Eo autem defuncto Palaestina a procuratoribus romanis administrabatur. Iudaei tributa et vectigalia pendere debebant (vide s. v. CENSUS, PUBLICANUS), carebant iure gladii (Ioan. 18,31); ceterum suis legibus et ritibus uti poterant. Quod Caiphas dixit: venient Romani et tollent nostrum locum et gentem, non quidem ut ipse putavit, propter fidem in Iesum Christum, verum propter Iudaeorum infidelitatem eventu comprobatum est (cf. Ioan. 11,48; Luc. 19,43; 21,20).

Romanae ecclesiae originem S. Scripturae non narrant. Patrum testimonia (si excipias Ambrosiastri Comm. in epist. ad Rom. Prol. apud *Migne* 17, 45 s.) fundationem eius ipsis principibus apostolorum Petro et Paulo adscribunt, ut ex historia ecclesiastica notum est. Fieri quidem potuit, ut prima evangelii semina Romae spargerentur per advenas quosdam romanos, qui primae S. Petri praedicationi die pentecostes Ierosolymis adfuerant (Act. 2,10) vel etiam alibi fidem receperant. Attamen S. Paulus in epistula ad Romanos anno 58 vel 59 scripta, cum asserat Romanorum fidem in universo orbe celebrari (1,8; 16,19), eorum scientiam christianam laudet (15,14) seque ideo nondum Romam venisse dicat, quod super alienum fundamentum aedificare noluerit (15,18-24), certe loquitur de ecclesia notissima, celeberrima, a multis iam annis constituta, per unum ex apostolis fundata. Iamvero teste Orosio (Hist. eccl. VII. 6 apud *Migne* 31,1072) « exordio regni Claudii (41-54 p. Chr.) Petrus apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit potentissimisque virtutibus comprobavit; atque exinde Christiani Romae esse coeperunt ». Atque teste S. Hieronymo (De viris illustr. 1 apud *Migne* 23,607) « Simon Petrus..... secundo Claudii imperatoris anno ad expugnandum Simonem Magum [?] Romam pergit »; cf. *Euseb.* Hist. eccl. 2,14 apud *Migne* 20,172. Brevi igitur post baptismum Cornelii centurionis eo fere tempore, quo Paulus Tarso a Barnaba accersitus Antiochiae inter ethnicos laborare coepit, Petrus ecclesiam romanam fundasse censendus est. Neque

huic sententiae repugnant, quae ex aliis fontibus constant : Petrum Ierosolymis in vincula esse coniectum et per angelum liberatum in alium locum abiisse (Act. 12,1 ss.) versus annum 44 p. Chr., quo anno Herodes Agrippa I. mortuus est; Petrum circa annum 51 Ierosolymis Concilio Apostolico interfuisse (Act. 15, 1 ss.; Gal. 2,1 ss.) ac brevi postea cum Paulo Antiochiae versatum esse (Gal. 2,11 ss.). Poterat sane inter annos 39 et 44 atque iterum inter annos 44 et 51 Romae versari; neque enim omnia itinera Petri in Actibus narrantur, qui etiam iter antiochenum Gal. 2,11 memoratum silentio praetereunt. Multo minus valet trita illa obiectio Paulum neque ad Romanos scribentem Petro salutem dicere neque in epistulis biennio captivitatis romanae ad Philippenses, Colossenses, Ephesios, Philemonem datis salutationes Petri transmittere; etenim sicuti Paulo Antiochia, ita Petro Roma erat centrum apostolicarum expeditionum.

Quaenam fuerit prima condicio ecclesiae romanae, coniecturis tantum quibusdam assequi possumus. Videtur usque ad annum 51 fuisse ecclesia iudaeochristiana utpote solis Iudaeis proselytisque baptizatis constans; loquitur enim Petrus in Concilio Apostolico de Cornelio tantum eiusque familia a se in ecclesiam receptis (Act. 15,7 ss.) et S. Paulus Gal. 2,7 s. innuit usque ad illud tempus Petrum apostolum circumcisionis inter Iudaeos potissimum laborasse. Sed eodem fere anno 51 teste Suetonio (Claud. 25) Claudius imperator « Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit » vel uti Dio Cassius (60, 6) narrat : « Cum Iudaei adeo frequentes Romae iterum fierent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent exigi, non eiecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam agentes non passus est convenire ». Vix dubium est, quin tumultus isti inter Iudaeos exorti sint ob evangelium Christi, siquidem nomen Christi Romanis ignotum eo tempore frequentius in nomen Chresti (Χρηστός i. e. utilis, bonus) transformabatur (cf. *Tertull.* Apolog. 3; *Lactant.* Div. Inst. 4,7). Utrum hoc decreto Christiani quoque velut cognatae religionis homines expulsi sint necne, Orosius quidem discerni non posse arbitratur, sed probabilius affirmandum est.

Remanebat igitur Romae ecclesia ex proselytis collecta, quippe qui genere Iudaei non essent. Post annum 51 autem Petrus a Concilio Apostolico Romam reversus ethnicis convertendis potissimam curam impendit. Ab illo igitur tempore ecclesia romana facta est; ethnicochristiana. Redierunt quidem post Claudii imperatoris mortem etiam Iudaeochristiani. Sed Christianorum et Iudaeorum infidelium exinde tanta erat separatio, ut Paulo Romam venienti primi Iudaeorum dixerint : « De secta hac (Christianorum) notum est nobis, quia ubique ei contradicitur » (Act. 28, 22) i. e. a synagoga et publica Iudaeorum auctoritate ista secta quasi ignoratur. Longe maiorem ecclesiae romanae partem ex gentibus fuisse epistula ad Romanos clare testatur.

ROMATHITES (הָרֻמְתִּי, ὁ ἐκ Ῥαμά, A Ῥαμαθαῖος) cognominatur Semeias (1 Par. 27,27), oriundus de Rama in Beniamin (v. RAMA).

ROMELIA (רֻמַלְיָהוּ, Ῥομελίας, Ῥομελίου), pater Phacee regis Israel (4 Reg. 15,25 ss.; 16,1 ss.; 2 Par. 28,6; Is. 7,1. 4. 5. 9; 8,6), vir ignobilis, quod Isaias propheta innuit vocans Phacee per contemptum filium Romeliae.

ROMEMTHIEZER (רוֹמַמְתִּי עֶזֶר, Ῥωμεθιεζήρ), unus ex filiis Heman cantoris de stirpe Caath (1 Par. 25,4; cod. B Ῥωμεί· υἱοὶ Ὠδ, cod. A Ῥωμεμθὶ Ἐζερ), praefectus vicesimae quartae vicis seu divisionis cantorum (25,31; cod. B Ῥομελχεί, cod. A Ῥωμεθ᾽ μιεζήρ).

ROS (רֹאשׁ, Ῥώς) recensetur Gen. 46,21 inter filios Beniamin, sed alias constanter reticetur. Probabilius Echi, qui praecedit, est idem qui Num. 26,38 Ahiram et Ros alicui corruptioni textus originem suam debet. Cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 46,21.

ROS. In Palaestina noctes sunt sat frigidae post aestum diei; quare sat abundanter ros cadere solet. Quae roris

copia etiam indicatur Iud. 6,37 in vellere Gedeonis, in capite rore madescente (Cant. 5,2), pariter Dan. 4,12. 22. 30; 5, 21. Est autem illa copia tempore aestivo valde salubris herbis ac plantis easque a nimiis caloribus fere emortuas ad novum vigorem recreat. Quare in faustis apprecationibus inter alia quoque ros caeli efflagitatur : det tibi Deus de rore caeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini (Gen. 27,28. 39); item Deut. 33,13. 28; Zach. 8,12. Ex qua salubritate ros venit in variam comparationem : sicut ros super herbam, ita et hilaritas regis (Prov. 19, 12); nonne ardorem refrigerabit ros, sic et verbum melius quam datum (Eccli. 18,16; cf. 43,24); praeprimis larga benedictio novusque vitae vigor rore declaratur : ero quasi ros Israeli; germinabit sicut lilium et erumpet radix eius, ut Libani (Os. 14,6); itaque Deus rorem gratiae suae promittit; ipse cordibus illabitur, ad vigorem vitae animos intima sua communicatione excitat et fecundat. Et quantam benedictionem populus messianus aliis allaturus sit, eadem comparatione significatur Mich. 5,7 : erunt reliquiae Iacob in medio populorum quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam ; cf. Ps. 132,3. Quare Dei potentia qua mortuos quoque ad novam vitam resuscitat, ros lucis vocatur (Is. 26,19).

Abundantia roris in regione latissima usus est Chusai velut imagine dicens : operiemus eum (David eiusque exercitum) sicut cadere solet ros super terram (2 Reg. 17,12). Eandem copiam simul cum larga benedictione significat Moyses dicens : fluat ut ros eloquium meum (Deut. 32,2). Orto sole et eius calore ingruente mox roris guttae absorbentur; unde desumitur comparatio Os. 6,4; 13, 3 cito scil. evanuisse pietatem Ephraim et Iuda roris mane pertranseuntis instar. Et una roris gutta cum quasi nihil reputetur, orbis terrarum Sap. 11,23 coram divina maiestate et magnitudine est tamquam gutta roris antelucani quae descendit in terram. Demum ad exprimendam plagam sterilitatis denuntiatur : nec ros nec pluvia veniant (2 Reg 1,21; cf. 3 Reg. 17,1).

ROSA (ῥόδον) commemoratur in libris deuterocanonicis iunioris originis Sap. 2,8; Eccli. 24,18[14]; 39,17[13]; 50, 8 (quo loco textus hebr. pro rosa praebet עבך i. e. ramum). In Vulgata etiam describitur Esther 15,8 roseo colore vultum perfusa, sed graece solum ἐρυθριῶσα ἀκμῇ κάλλους. — Notum est rosam (ῥόδον, forma antiquiore βρόδον) ex Asia centrali per Phrygiam, Thraciam, Macedoniam in Graeciam immigrasse; cf. *V. Hehn,* Kulturpflanzen u. Hausthiere, *ed. O. Schrader*, 1894, p. 243 ss. Unde coniiciunt aetate persica vel graeca rosam in Syriam esse introductam. Dubium igitur esse potest, quaenam planta voce ῥόδον locis biblicis designetur. Syrus Eccli. 24,18[14] ῥόδον interpretatur ערבת ורדא i. e. rhododendron; cf. *J. Brun*, Dict. syr. lat. Beryti 1895, p. 469. Apud *G. E. Post,* Flora of Syria, Pal. and Sinai, 1896, p. 509 s. commemoratur *Rhododendron Ponticum* Linné et varietas *Rh. brachycarpum* Boissier in zonis mediis et subalpinis Libani. Graecis rhododendron seu rhododaphne audiebat alia quoque arbuscula, quae nunc est frequentissima iuxta ripas Iordanis et maris Tiberiadis et generatim iuxta fluvios usque ad 1000 m in montanis, scil. *Nerium Oleander* Linné, arab. *difle;* cf. *Post,* p. 522; *Hehn-Schrader,* p. 401 ss. Dicit enim *Plinius* XVI. 20(33),79 : « rhododendron, ut nomine apparet, a Graecis venit; alii nerium vocarunt, alii rhododaphnen, sempiternum fronde, rosae similitudine, caulibus fruticosum, iumentis caprisque et ovibus venenum est, idem homini contra serpentium venena remedio ». Etiam apud *Dioscor.* Mat. med. 4,82 describitur eadem arbor νήριον sive ῥοδοδάφνη sive ῥοδόδενδρον. Ceterum non est improbabile locis biblicis citatis etiam rosam proprie dictam designari. Secundum *Post*, p. 308 s. hodie in Syria crescunt *Rosa lutea* Miller, *R. glutinosa* Sibthorp et Smith, *R. Thureti* Burnat et Gremli, *R. canina* Linné (cum varietatibus *R. vulgaris* Koch, *R. collina* Boissier, *R. Haussknechtiana* Boissier), *R. dumetorum* Thuillier (cum varietate *R. Schergiana* Boissier), *R. Arabica* Crépin et

frequentissima in saepibus iuxta fossas *R. Phoenicia* Boissier.

Celeberrimae erant media aetate rosae hierichuntinae, quas peregrinantes ex Palaestina reduces secum ferre solebant. Sed quaenam planta eo nomine designata fuerit, non constat. Ex opinione satis communi « rosa hierchuntina » erat *Anastatica Hierochuntina* Linné, quae siccata ramusculos contrahit et madefacta post horam iterum expandit per hygrochasiam; sed haec herba humilis ex familia Cruciferarum non apud Iericho invenitur, sed potius austrum versus iuxta mare Mortuum et in desertis Palaestinae Arabiam versus; cf. *Post*, p. 67; *E. Boissier*, Flora orient. I. p. 316. Ex aliorum opinione rosa hierichuntina medii aevi est potius *Asteriscus pygmaeus* Cosson ex familia Compositarum, de quo notat *E. Boissier*, Flora orient. III. p. 179 : « Habitat in argillosis depressis hyeme inundatis Palaestinae ad Iericho (*Michon*), Arabiae Petraeae... Involucrum fructiferum valde hygroscopicum est et ex cl. *Michon* haec planta nec *Anastatica* est vera *Rosa Iericho* peregrinatorum aevi medii ». Eandem opinionem tuentur *M. Jullien*, L'Égypte, 1891, p. 281-4 et *L. Fonck*, Streifzüge durch die bibl. Flora, 1900, p. 156 s.

ROSH (רֹאשׁ, Ῥώς), Ez. 38,2 in Vulgata sensu appellativo explicatur, ita ut Gog tamquam imperator sibi subiectos habeat principes vel reges Mosoch et Thubal (ita etiam Syrus, Aquila, Chald.). Verum LXX vertunt ἄρχοντα Ῥώς etc., ita ut Gog de terra Magog nominetur princeps trium nationum Rosh, Mosoch, Thubal (ita quoque Symmachus, Theodotio). Esse gentis nomen recentiores plerique defendunt, quorum coniecturas vide apud *Knabenbauer* ad h. l.

ROTA (גַּלְגַּל, τροχός) Ps. 82[83],14 designare videtur plantas, quae a caulibus solutae vento aguntur et veluti globuli rotantes apparent. Similis imago adhibetur Is. 17,13 (Vulg. turbo). Secundum *L. Fonck*, Streifzüge durch die bibl. Flora, 1900, p. 84-89, eiusmodi cursores in campis Syriae censeri possunt *Centaurea myriocephala* Sch., quae habitat in arvis Syriae ad Damascum, in planitiebus circa Aleppo, in deserto ad Palmyram, circa *ʿAintāb* (*E. Boissier*, Flora orient. III. p. 682), in Galaad et *Ḥaurān* (*G. E. Post*, Flora of Syria 1896, p. 468) et eius varietas *C. maior* Boissier inter *Ḥöms* et *Ḥamā* (*Boissier* et *Post* ll. cc.), deinde *Gundelia Tournefortii* Linné, arab. *ʿakkūb*, communis in campis et desertis, iuxta litus, in montanis mediis et subalpinis, in planitiebus interioribus (*Boissier* III. p. 421; *Post*, p. 445) vel etiam *Allium Schuberti* Zuccarini ex familia Liliacearum, frequens in agris campi philisthaei, apud Hebron, in planitie Iezrahel, prope Damascum, inter Aleppo et *ʿAintāb* (*Boissier* V. p. 278; *Post*, p. 793). Similes cursores camporum etiam inveniuntur in Russia australi et Hungaria *Eryngium campestre* Linné ex familia Umbelliferarum et *Gypsophila paniculata* Linné ex familia Silenearum; cf. *Leunis-Frank*, Botanik II. (1885), § 490, n. 6; § 504, n. 3. Cum eorum generum variae species etiam in Palaestina et Syria inveniantur (*Post*, p. 330 s., 128 ss.; *Boissier* II. 820 ss.; I. p. 534 ss.), eae quoque plantis rotantibus Ps. 82[83],14 et Is. 17,13 accenseri poterunt. Eosdem globulos rotantes describit *W. M. Thomson*, Southern Pal. 1881, p. 212 s.; sed valde dubium est, num *Cynara Syriaca* Boissier, arab. *arḍi-shauki* (Post, p. 458) iis recte accenseatur. Frequentissimi sunt isti globuli rotantes tempore autumnali in planitiebus ad orientem Palaestinae et aquilonem versus prope *Baʿalbek*, *Ḥamā*, Aleppo.

ROTHEM (רֹתֶם), scil. *Retama roetam* Forskal in Vulg. explicatur IUNIPERUS q. v.

RUBEN (רְאוּבֵן, Ῥουβήν). **1.** Ruben filius primogenitus Iacob patriarchae ex Lia matre (Gen. 29,32; 30,14; 35,23; 48,5). Nominis interpretatio verbis Liae continetur : « Vidit (רָאָה i. e. consideravit, respexit) Dominus humilitatem meam; nunc amabit me vir meus »; unde *Ruben* est exclamatio gaudii : *Videte filium* vel *Ecce filius*. Effertur in s. litteris tum eius primogenitura tum

etiam amissio iurium primogeniti eo quod cum Bala concubina patris sui dormiens thorum paternum violaverit (Gen. 35,22; 49,3. 4; 1 Par. 5,1); iura primogeniti translata sunt in Ioseph (Gen. 48,5 ss.), cuius duo filii Ephraim et Manasse duas sortes terrae promissae receperunt (ex lege de primogenitis Deut. 21,15-17). Ipse Ruben in historia Ioseph documenta edidit tum eminentiae ex primogenitura ortae tum etiam ingenii mitioris et a scelere in fratrem committendo abhorrentis, etsi venditioni fratris ipse quoque invitus consenserit (Gen. 37,21. 29. 30; 42.22. 37). Tempore quo Iacob cum filiis suis in Aegyptum descendit, quattuor filii Ruben recensentur, progenitores quattuor familiarum eius tribus scil. Henoch, Phallu, Hesron, Charmi (Gen. 46,8. 9; cf. Ex. 1,2; 6,14. 15). Genealogia Ruben traditur 1 Par. 2,1; 5,1. 3-10 simul cum notis quibusdam historicis.

2. Ruben tribus Israel. Sors tribus Ruben describitur Ios. 13,15-23 et minus plene iam Num. 32,34-38 urbes Ruben recensentur, ubi notandum est etiam inter urbes a Gaditis reaedificatas complures esse rubeniticas. Regnum Sehon Amorrhaei, quod inter tribus Ruben et Gad divisum est, extendebatur ab Arnone usque ad torrentem Iaboc simul inclusa depressione Iordanis orientali a mari Mortuo usque ad mare Ceneroth seu Genesareth (cf. Deut. 3, 12. 16. 17; Ios. 12,2. 3). Termini Ruben igitur sunt ab occidente mare Mortuum superius et extrema pars Iordanis paulo ante ostium suum, a meridie fluvius Arnon (*Wādi Modjīb*, qui in cursu suo superiore *Wādi el-Ṣfoiy* nuncupatur), ab oriente desertum Moab, a septemtrione linea cum Arnone parallela paulo supra Hesebon et ostium Iordanis. Tota regio Ruben est planities montana Moab (הַמִּישֹׁר et Num. 21,20 : *ager Moab*), ex qua Moabitae a Sehon rege Amorrhaeorum eiecti erant, antequam Israelitae eam occuparent; eadem orientem versus in desertum Moab desinit, occidentem versus ex altitudine 1 200 m praerupte ad mare Mortuum decidit nullo fere spatio inter rupes et litus interiecto, dummodo rariora aliqua loca plana excipias. Planitiem mediam fere intersecat *Wādi Zerqā Maʿīn* praeter complures alios torrentes minores iique omnes ab oriente ad mare Mortuum decurrentes in descensu praerupto fauces profundiores et rectis fere saxis utrimque conclusas efficiunt. Ex planitie montana eminent a septemtrione *Wādi Zerqā Maʿīn* cacumina montium Abarim, a meridie eiusdem torrentis *Djebel ʿAṭṭarūs*. Regio arboribus fere caret. Ad pastum animalium erat (Num. 32,4) et est uberrima.

In historia Israelitarum Rubenitae vix unquam principaliores partes egerunt et a reliquis tribubus praesertim cisiordanicis omnino fere seiuncti erant. Princeps tribus anno secundo egressus ex Aegypto erat Elisur filius Sedeur (Num. 1,5). Apud montem Sinai Rubenitarum numerabantur 46 500 bellatores (1,20. 21), postea in campestribus Moab 43 730 tantum (26,5-7), cui numero alterius census nonnisi Simeon, Gad, Ephraim inferiores erant. In castris Ruben cum Simeon et Gad ad meridiem tabernaculi erat (2,10-16); eaedem tribus in itinere per desertum secundo loco progrediebantur (10,18-20). Oblationes Elisur principis Ruben in dedicationem altaris 7,30-35 recensentur. Inter duodecim exploratores terrae Chanaan de Ruben erat Sammua filius Zechur (13,5). In historia migrationis familiam Phallu filii Ruben infamia asperserunt duo illi Phalluitae Dathan et Abiron, qui seditionem contra Moysen moverunt divina vindicta puniendam (Num. 16,1; 26,8. 9; Deut. 11,6). Rubenitae sicuti etiam Gaditae et dimidia tribus Manasse, cum pecoribus abundarent et more patriarcharum veterum vitam pastoriciam colerent, portionem suam in regione transiordanica seu orientali a Moyse postularunt et acceperunt; attamen fratres suos in terram cisiordanicam subigendam armati praecesserunt, finita autem terrae occupatione a Iosue ad sedes suas remissi sunt (Num. 32, 1-38; 34,14. 15; Ios. 1,12 ss.; 4,12; 12, 6; 13,8; 18,7; 22,1-34). Cuius armorum societatis memoriale quoddam esse censetur Abenboen in confinibus Iuda et

Beniamin seu Lapis Boen Rubenitae, qui facinore praeclaro edito rupi prominenti nomen indiderit (Ios. 15,6; 18, 18[17] et v. ABENBOEN). Post ingressum in Palaestinam occidentalem Ruben cum Gad, Aser, Zabulon, Dan, Nephthali maledictionem in monte Hebal pronuntiavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,13). In territorio Ruben urbs confugii designata est Bosor (Deut. 4,43; 20,8 et v. BOSOR 1); levitis de stirpe Merari concedebantur eadem Bosor, Iaser (Iasa, Iassa), Iethson (mendosa lectio pro Cademoth), Mephaath (Ios. 21,7. 36 qui v. 36 deest in nostro textu massorethico; 1 Par. 6,63. 78. 79, hebr. 6,48. 63. 64). In cantico Debborae Rubenitae ironia artificiosa reprehenduntur, quod magna quidem consilia in medium protulerint, sed praeter consilia nullam fratribus opem tulerint, quod inter caulas gregum recumbere eorumque balatus et fistularum pastoralium melodias audire quam buccinae sonum sequi et discrimen proelii subire maluerint (Iud. 5,15. 16 et cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.). Aliquem tamen vigorem bellicum ostenderunt in possessione sua vel extendenda vel defendenda. Tempore Saul Agarenos devicerunt eorumque pascua ad orientem Galaad occuparunt (1 Par. 5,10); immo Bala Rubenita, qui in Aroer usque ad Nebo et Beelmeon habitans gregibus abundabat, pascua sua extendebat usque ad introitum deserti inde a flumine Euphrate (hebr. 1 Par. 5,8. 9) i. e. usque ad desertum syro-arabicum inter Euphraten et Peraeam patens. Posteriore aliquo tempore Rubenitae cum Gaditis et Manassitis transiordanicis Agarenos cum Ismaelitis foedere iunctos denuo debellarunt eorumque pascua usque ad captivitatem assyriacam occuparunt (1 Par. 5,19-22). Signa quaedam maioris cum Israelitis cisiordanicis unionis apparent aetata davidica. Cum David in Hebron rex ab universo Israel agnosceretur, de Rubenitis, Gaditis et dimidia tribu Manasse aderant 120000 bellatores (1 Par. 12,37). Inter heroas davidicos recensetur Adina princeps Rubenitarum, qui videtur fuisse exercitus Rubenitarum dux et cum Shalishim ad partes Davidis transiit (1 Par. 11,42 et cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.).

Iussu Davidis ministeria tum sacra tum civilia apud Rubenitas, Gaditas et dimidiam tribum Manasse procurabantur a 2700 Hebronitis (1 Par. 26,32 et v. HEBRON 1). Circa idem tempus princeps tribus Ruben erat Eliezer filius Zechri (1 Par. 27,16). Sed magnum periculum tribui Ruben continuo imminebat a Moabitis, qui neque Amorrhaeorum neque Israelitarum aetate ex illa regione omnino cessisse dicendi sunt et a vicino regno Moab facile iuvari poterant. Ex inscriptione Mesa regis Moab luculenter patet eo regnante et antea quoque complures urbes rubeniticas Moabitis paruisse et apud Isaiam capp. 15 et 16 universa tribus Ruben supponitur moabitica. Aliquis nexus Rubenitarum cum regno Israel cernitur regnante Iehu, cum Hazael rex Syriae fines orientales Israelitarum Gad, Ruben, Manasse percuteret (4 Reg. 10,33) et regnante Ieroboam II., qui in censu filiorum Ruben, Gad et dimidiae tribus Manasse 44760 bellatores numeravit (1 Par. 5,17. 18); ex eodem loco. 5,17 colligendum videtur brevi post i. e. regnante Ioatham rege Iuda easdem tribus regno Iuda pro aliquo tempore paruisse. Denique Rubenitae eorumque princeps Beera una cum Gaditis et Manassitis transiordanicis a Theglathphalasar captivi in Assyriam abducti sunt (1 Par. 5,6. 26). Genealogia Iudith (8,1) in Vulg. et Vet. lat. reducitur ad Simeon addito nomine Ruben; ex 9,2 probabilius de tribu Simeon erat; tabellam eiusdem genealogiae, prout in variis versionibus diversimode traditur, exhibet *A. Scholz* ad Iudith 8,1. Praeterea Ruben locum suum occupat in ideali descriptione terrae sanctae et novae Ierusalem Ez. 48,6. 7. 31 et in Apoc. 7,5.

Quae de Rubenitarum gestis modo dicta sunt, egregie illustrant et comprobant vaticinium Iacobaeum, quo Ruben primogenitus ob violatum patris thorum primatu, qui primogenito debebatur, privandus praenuntiatur (Gen. 49, 3. 4); reapse tribus Ruben nunquam, ne Iudicum quidem aevo, aliquam eminentiam inter reliquas tribus adepta

est. In benedictione Moysis : Vivat Ruben et non moriatur et sit parvus in numero (Deut. 33,6), enuntiatur tribum Ruben non interituram esse, eo ipso autem etiam edicitur periculum interitus vel dissolutionis adesse; ultimum membrum (hebr. et sint homines eius numerus i. e. exiguus) ab aliis explicatur de deminutione tribus, ab aliis de magno numero negatione אַל ex priore membro *non moriatur* suppleta, ab aliis denique velut sententia consecutiva et priori subordinata : non moriatur ita ut eius homines sint numerus minor, quam pro conservanda tribu requiritur.

RUBIGO in Vulgata dicitur **1.** rubigo metalli, hebr. חֶלְאָה, Ez. 24,6. 11. 12; **2.** scoria argenti, hebr. סִיג, Prov. 25,4 (cf. Ez. 22,18); **3.** species locustarum, hebr. חָסִיל 3 Reg. 8,37; Ioel 1,4; 2,25 et צְלָצַל Deut. 28,42; v. LOCUSTA; denique **4.** morbus quidam frumenti, hebr. יֵרָקוֹן, Deut. 28,22; v. FRUMENTUM n. 6.

RUBUS dicitur frutex ille spinosus, hebraice סְנֶה, in quo ardente Dominus Moysi apparuit (Ex. 3,2. 3. 4; 33,16) et qui a Domino in Evangelio (Marc. 12,26) et a S. Stephano in Actibus (Act. 7,30. 35), sicut in versione graeca V. T., βάτος appellatur. Idem nomen graecum βάτος legitur in Evangelio Lucae, ubi ipsi in priore parte versiculi terminus generalis spinae (ἄκανθαι) respondet (Luc. 6, 44). Uti iam ex hoc textu evangelico collato cum Matth. 7,16 concludi potest, βάτος sensum potius generalem habet, idemque nomini hebraico competit; nam סנה idem censetur ac *sana*, quod Arabibus spinam designat. Iam vero in historia Moysis frutex ille spinosus quem *rubum* vocare consuevimus vix sub hoc sensu generali intellegi poterit. Nam obstat imprimis quod, quamquam *Rubus discolor* Weihe et Nees in tota Palaestina satis communis est, et *R. tomentosus* Borckhausen ac *R. caesius* Linné in Libano montibusque septemtrionalibus frequens invenitur, nulla tamen species in deserto versus Aegyptum et in paeninsula sinaitica observari dicitur. Praeterea rubus si non ab alia arbore sustentatur, in altum se erigere nequit atque etiam ex hoc capite verbis S. Scripturae minus congruit.

Quare licet monachi in monte Sinai hodie verum rubum in memoriam illius rubi ardentis peregrinis ostendant, haud improbabiliter plures recentiores potius fruticem spinosum in regione sinaitica communissimum nomine סנה intellegunt, scil. *Crataegum sinaicam* Boissier (fam. Rosaceae), cui etiam nomen βάτος et *rubus* versionum graecae et latinae (similiter Targum et Peshitta) aliquo modo videtur convenire. In textu autem Luc. 6,44 « neque de rubo vindemiant uvas » etiam *Rubus discolor* voce βάτος, designari posset, quamquam fortasse sensui magis conformis erit alius frutex spinosus nullum fructum ferens, cum ex rubo baccas dulces multisque gratissimas colligere liceat.

De rubo cf. *E. Boissier*, Flora orientalis II. 692-5; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 167-72; *G. E. Post*, Flora of Syria 304; de Crataego v. *Boissier* II. 660-5 (praes. 663); *Leunis*, p. 184-6; *Post*, 311. — Praeterea cf. *J. H. Ursinus*, Arboret. bibl. I. 346-9; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 475-7; *Th. Hasaeus*, De rubo Moysis הסנה dicto, in Dissertationum et observ. philolog. sylloge, Bremae, 1731; *O. Celsius*, Hierobot. II. 58-64; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 203-5; *P. Cultrera*, Flora bibl. 344-7; *H. B. Tristram*, Nat. hist. *ed.* 8, 392 (סנה = *shiṭṭā* = acacia); *J. Smith*, Bible Plants, 136. 204 s.; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 219; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 274 s.; *M. Jullien*, Sinaï et Syrie, Lille, 1893, 118. — Praeterea v. SPINAE.

L. FONCK.

RUFUS (Ῥοῦφος), filius Simonis Cyrenaei, frater Alexandri (Marc. 15,21). Probabilius idem est, de quo Rom. 16, 13 : « Salutate Rufum, electum (τὸν ἐκλεκτόν) in Domino et matrem eius et meam ». Etenim cum S. Marcus, qui Evangelium suum Romae scripsit, ex filiorum nominibus patrem Simonem accuratius designet, pronum est concludere, istos filios Alexandrum et Rufum in ecclesia romana notissimos fuisse. Appellatur electus i. e. a Domino ad res eius agendas promotus (*Ambrosia-*

ster), vir ob pietatem et auctoritatem insignis. Quoniam S. Paulus Rufi matrem etiam suam esse dicit, coniiciunt Saulum iam Hierosolymis, quando secus pedes Gamalielis iuxta veritatem paternae legis eruditebatur (Act. 22,3), in domo Simonis Cyrenaei velut unum ex filiis conversatum esse (*Cornely* ad Rom. 16,13).

RUMA. 1. Ruma (דּוּמָה in plerisque editionibus, sed *ed. Ginsburg* רוּמָה; Ῥεμνά, A Ῥουμά), urbs tribus Iuda in secunda provincia montis (Ios. 15,52). Tempore Eusebii erat « Duma in tribu Iuda vicus grandis in Daroma, hoc est ad australem plagam in finibus Eleutheropoleos decem et septem ab ea milibus distans » (Onom. *ed. Lag.* 250,68; 116,4). Nomen antiquum Duma, quod facile in Ruma mutari poterat, conservat hodiernus vicus *Daume* inter meridiem et orientem ab Eleutheropoli; verum advertit *Guérin* (Judée III. 359 s.) distantiam 17 mil. pass. iusto maiorem esse assignatam.

2. Ruma (אַרוּמָה, Ἀρημά, A Ἀριμά), locus refugii Abimelech prope Sichem (Iud. 9,41). Ab Eusebio et S. Hieronymo censetur esse « Remfthis (Ῥεμφίς); est autem in finibus Diospoleos et a plerisque Arimathaea nunc dicitur » (Onom. *ed. Lag.* 288,10; 146,24).

3. Ruma (רוּמָה, Ῥουμά, A Ῥυμά), urbs patria Zebidae uxoris Iosiae, matris Ioakim (4 Reg. 23,36).

RUTA (πήγανον) enumeratur Luc. 11,42 cum mentha inter herbas a Pharisaeis decimatas. In Mishna, Shebiith 9,1 ruta (פּוּגָם) declaratur immunis a decimatione; casuistica rabbinica de rebus minutissimis decimandis erat multiplex et variabilis (cf. *Knabenbauer* ad Matth. 23,23). In Syria parum colitur *Ruta graveolens* Linné, sed frequentius reperitur *Ruta Chalepensis* Linné et eius varietas *R. bracteosa* Boissier, praesertim prope Sidonem, Samariam, Ierichuntem. Cf. *E. Boissier*, Flora orient. I. p. 922; *G. E. Post*, Flora of Syria 1896, p. 197.

RUTH (רוּת, Ῥούθ), mulier moabitica, quam Mahalon, filius Elimelech, in regione Moab commoratus in matrimonium duxerat. Viro mortuo Noemi mater eius et socrus Ruth reversa est in Bethlehem et cum ea Ruth quoque. In agro Booz spicas colligens Ruth bene habita est a Booz, quem esse cognatum mox edocta est a socru. Eius quoque suasione petiit a Booz ut propinqui officia impleret i. e. possessionem Mahalon viri sui acquireret eique sine posteritate defuncto filium suscitaret. Id quod Booz revera praestitit et Ruth in coniugium sumpsit, ut suscitaret nomen defuncti in hereditate sua, ne vocabulum eius de fratribus et populo suo deleretur. Natus est ex eo coniugio Obed, qui futurus erat pater Isai. Unde Ruth est avia David et ut talis in Christi genealogia (Matth. 1,5) recensetur.

Elucet in ea eximia quaedam pietas, qua meruit, licet Moabitis (Deut. 23,3), recipi in ecclesiam Israelitarum. Quam pietatem egregie exhibuit in maritum defunctum, in socrum pauperem, cui adhaesit relicta patria et quam solatur et suo labore sustentat. Eandem pietatem secuta marito defuncto posteritatem quaerit et obtinet. Nativa simplicitate in libello eius nomine inscripto res eius gestae et mores candidi et pii enarrantur (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in lib. Iudicum et Ruth, p. 402).

S

SAAL (שַׁעַל; B Σαλουιά, A Σαάλ), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,29).

SAANAN Mich. 1,11 v. SANAN.

SAANANIM urbs in termino aquilonari tribus Nephthali (Ios. 19,33 צַעֲנַנִּים; LXX Βεσεμιήν, quare legisse censendi sunt צבעים) et quidem prope Cedes Nephthali (Iud. 4,11 *Kethib* צענים, *Qeri* צַעֲנַנִּים; Vulg. Sennim; LXX h. l. vertit πλεονεκτούντων velut participium verbi בצע). Ceterum v. ELON 5.

SAAPH (שַׁעַף, B Σάγαε, A Σαγάφ).

1. Filius Iahaddai de tribu Iuda (1 Par. 2,47).

2. Filius Caleb filii Hesron ex Maacha concubina genitus, pater (possessor) urbis Madmena (1 Par. 2,49). In Vulg. non est filius Caleb, sed videtur idem ac Saaph 1.

SAARIM v. SAROHEN.

SABA. 1. Saba (סְבָא, Σαβά), primus inter quinque filios Chus filii Cham (Gen. 10,7; 1 Par. 1,9). Saba est regio longinqua (Ps. 71[72],10), cuius incolae Sabaei sunt viri mensurae (hebr. Is. 45, 14) i. e. staturae procerae. Eadem est Saba, quam una cum Aegypto et Aethiopia Deus regno medo-persico in augmentum gloriae donavit pro gratia et liberatione Iudaeis concessa (Is. 43, 3). A plerisque intellegitur Meroe, ut iam Flav. Iosephus explicat (Ant. II. 10, 2), insula illa ampla et fertilis, quam Nilus, Astaboras (*Atbara*), Astapus (*Bāhr el-ʿAzraq*, vulgo Nilus caeruleus) fluvii cingunt. Attamen monent recentiores interpretes (*Dillmann, F. de Hummelauer* ad Gen. 10,7) hanc regionem in monumentis aegyptiacis nunquam סְבָא audire. Unde fortasse haec Saba magis ad orientem collocanda est in litore maris, ubi Strabo (XVI. 4,8. 10) novit os Sabaiticum, portum Saba et Σαβαί urbem maximam, Ptolemaeus urbem Sabat in sinu Adulico (IV. 7,8 *ed. Nobbe*; sed cf. notam ad IV. 7,2 in editione *Müller-Fischer*, Parisiis, 1883-1901, p. 759).

2. Saba (שְׁבָא, Σαβά), filius Regma filii Chus (Gen. 10,7; 1 Par. 1,9). Saba est regio ferax auri, thuris, gemmarum (Iob 6,19; Ps. 71[72],15; Is. 60,6; Ier. 6,20; Ez. 27,22. 23; 38,13; Ioel 3,8 hebr. 4,8), cuius regina Salomonem adiit thesauris super camelos impositis (3 Reg. 10,1 ss.; 2 Par. 9,1 ss.). Item Sabaei (Iob 1,15) vitam pastoriciam agunt et latrocinia exercent in deserto Arabiae. Notandum est hoc loco Iob 1,15 ab interpretibus merito Sabaeos intellegi tribus arabicas in parte septemtrionali Arabiae a sinu Persico et Euphrate ad Idumaeam usque incolentes (*Delitzsch, Hitzig, Welte, Zschokke, Knabenbauer*). Sedem autem primariam habebant in Arabia felice (*Yemen*), cuius urbs princeps appellabatur Mariaba vel Saba; descriptio enim, quae ex locis S. Scripturae supra citatis colligitur, omnino concordat cum iis quae geographi veteres de Sabaeis Arabiae felicis referunt e. g. *Agatharch.* 5,97 ss.; *Diod. Sic.* 3, 46 ss.; *Plin.* VI. 28 (32),142 ss. et imprimis *Strabo* XVI. 4,2. 19 : « felicissima Sabaeorum terra, gentis maximae. Apud hos thus et myrrha et cinnamomum nascitur, in ora etiam balsamum et alia quaedam herba valde odorata, quamquam eius odor cito evanescit; habent

praeterea palmas odoratas et calamum... Homines propter maximam fructuum copiam otiosi socordesque vivunt... atque merces proximi semper suscipientes protinus alter alteri consequenti tradunt usque in Syriam atque Mesopotamiam... Mariaba Sabaeorum urbs in monte iacet arboribus pleno... Plebis pars agros colit, pars aromata mercatur et indigena et Aethiopica, ad quae navigant per angustias navigiis ex corio confectis. Tanta autem est apud eos aromatum abundantia, ut pro sarmentis et cetera ignis faciundi materie cinnamomo, casia ceterisque utantur. Nascitur in Sabaeis etiam larimnum suffitu odoratissimum. Hi atque Gerrhaei ditissimi sunt ex mercatura; supellectilem ex auro et argento multam habent ut lectos, tripodes, crateres, pocula in domibus sumptuosis; nam portae et parietes et tecta ex ebore, auro, argento lapidibusque ornatus causa distincta ». — Ceterum vestigia Sabaeorum non solum in Arabia felice, sed passim in Arabia inveniuntur (cf. *Knobel,* Völkertafel p. 265); Scenitae Sabaei commemorantur apud Plinium VI. 28(32), 151; teste Strabone XVI. 4,21 primi supra Syriam Nabataei ac Sabaei felicem Arabiam incolunt et saepe in Syriam excurrerunt, priusquam Romani ea potirentur; Sabaeos in septemtrionali parte Arabiae Iob 1,15 intellegendos esse supra diximus.

3. Saba (שְׁבָא, Σαβά), unus ex tredecim filiis Iectan filii Heber (Gen. 10,28; 1 Par. 1,22). Iectanidae Arabiam meridianam incolebant (v. IECTAN). Saba et Hevila recensentur l. c. inter filios Iectan et Gen. 10,7 inter quinque filios Chus filii Cham. Notat *F. de Hummelauer* ad Gen. 10,28 : « Saba et Hevila poteris easdem tribus adstruere, quae v. 7. Cuschitis accensebantur : at hi postmodum cum Iectanidis in unam gentem coaluere quam aeque Cusch et Iectano progenitam scribere fas fuit ».

4. Saba (שְׁבָא, Σαβά), filius Iecsan filii Abraham et Ceturae (Gen. 25,3; 1 Par. 1,32) et frater Dadan. Saba et Dadan recensentur l. c. filii Iecsan et Gen. 10,7 filii Regma, qui erat filius Chus. De affinitate inter Sabaeos cushiticos a Regma oriundos et Sabaeos ceturaeos a Iecsan oriundos idem statuendum videtur, quod de Dadanitis (vide s. v. DADAN).

SABAIM (Neh. 7,59) v. PHOCHERETH.

SABAIM (Is. 43,14) v. SABA 1.

SABAMA (שִׂבְמָה, Σεβαμά), urbs transiordanica sita in regione, quam Rubenitae et Gaditae ad pastum gregum suorum uberrimam a Moyse expostularunt et portionem acceperunt (Num. 32,3; Vulg. Saban), a Rubenitis post occupationem israeliticam restituta (Num. 32,38), a Moyse tribui Ruben assignata (Ios. 13,19). Tempore Isaiae et Ieremiae a Moabitis recuperata erat (Is. 16,8. 9; Ier. 48,32); quam nobile vitis genus in Sabama cultum fuerit, utroque loco declaratur ex eo, quod generosae eius propagines fuerint propagatae septemtrionem versus usque ad Iazer, orientem versus usque in desertum, meridiem versus usque ad mare Mortuum, immo ultra illud. — S. Hieronymus ad Is. 16,8. 9 nominat Iazer et Sabama et Esebon et Eleale urbes quondam validissimas, Assyrio putante succisas et adnotat inter Esebon et Sabama vix quingentos passus esse. Hodie fortasse *Sūmiye* occidentem versus a Hesebon et Eleale (*Survey of East. Pal.* Mem. 1. 221; *M. Hagen,* Atlas biblicus 14 B 1).

SABAN (שִׂבֶם, Num. 32,3) v. SABAMA.

SABANIA (שְׁבַנְיָה), levita tempore Nehemiae (Neh. 9,4; B Σαραβιά, A Σαχανιά; 10,12[13] Σεβανιά).

SABAOTH vide s. v. EXERCITUS.

SABARIM. 1. Sabarim (הַשְּׁבָרִים) locus, ad quem usque viri urbis Hai Israelitas fugientes persecuti sunt (Ios. 7,5). Vox hebraica explicatur *fractio,* unde designari videntur lapicidinae vel generatim rudera haud procul ab urbe Hai, a quibus locus ille denominatus est. Cod. A ἕως συνέτριψαν αὐτούς, similiter Peshitta : donec profligati essent, Targum Ionathan : quoad confregerunt eos.

2. Sabarim (סִבְרַיִם; apud LXX nomen latet in Μαασθηρὰς Ἐφραμηλιάμ) legitur in descriptione termini septemtrionalis terrae sanctae Ez. 47,16 eiusque situs ibidem describitur : quae est inter terminum Damasci et confinium Emath. Terminus septemtrionalis Ez. 47,15-17 descriptus ab aliis quaeritur ad septemtrionem Libani, ab aliis ad meridiem Libani et Hermonis maioris. *Furrer* (Zeitschrift d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885, p. 29) Sabarim vel Samareim agnoscit in *Shōmerīye* ad orientem lacus *Hōms*, item *Riess* (Bibel-Atlas). E contra *J. P. van Kasteren* terminum septemtrionalem infra Libanum et Hermonem maiorem quaerit et Sabarim in *Khirbet Senbarīye* ad ripam dexteram *Nahr Ḥāṣbānī* fere occidentem versus a *Bāniyās* (Revue biblique IV. 1895, p. 31); a Sabarim fortasse non differt Ziphrona (vide s. v.).

SABATH, mensis undecimus v. MENSIS.

SABATHA (סַבְתָה, Σαβαθά) recensetur tertius inter filios Chus filii Cham (Gen. 10, 7; 1 Par. 1,9). A Flavio Iosepho (Ant. I. 6,2) Sabatheni dicuntur esse Ἀστάβαροι, gens Aethiopum prope eam Nili partem incolens, quae Astaboras (nunc *Atbara*) dicebatur. Nonnullis tamen recentioribus (*Winer, Knobel, Dillmann*) praeplacet combinatio Sabathenorum cum urbe mercatoria Arabiae meridianae Σαββαθά (Peripl. mar. erythr. 27; *Strabo* XVI. 4,2) vel Sabota (*Plin.* VI. 28,155; XII. 14,63; cf. Zeitschrift d. D. Morg. Ges. XIX. 1865, p. 253; XX. 1866, p. 273), quae erat metropolis Atramitarum seu Chatramotitarum, sexaginta templa muris includens, in quam thus e tota illa regione collectum camelis convehebatur.

SABATHACHA (סַבְתְכָא, Σαβαθακά) recensetur quintus inter filios Chus filii Cham (Gen. 10,7; 1 Par. 1,9). De eiusmodi populo aliunde nihil innotescit.

SABATHAI (שַׁבְתַּי, B omitt., א Σοβαθαΐς), princeps levitarum, super opera, quae erant forinsecus in domo Dei, constitutus (Neh. 11,16).

SABBATICUS ANNUS dicitur septimus quisque annus post senos annos laboris quieti consecratus; appellatur etiam annus requietionis (Lev. 25, 5), annus remissionis (Deut. 15,9; 31, 10), sabbatum terrae (1 Mach. 6,49); cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. I. 2,4 : τὸ ἀργὸν ἔτος, annus feriatus.

Leges de anno sabbatico habentur Ex. 23,10. 11; Lev. 25,1-7; Deut. 15, 1 ss.; 31,10-13. Cf. *Flav. Ios.* Ant. III. 12,3. — Praecipitur primo quies terrae. Agri, vineae, oliveta cultu vacabant. Quae humus sponte gignebat sive in agris ex granis deciduis anni superioris sive in vineis et olivetis, non colligebantur, sed ibidem relinquebantur, ut omnibus in usum cotidianum communia essent : possessoribus et pauperibus, servis et dominis, mercenariis, ancillis et advenis, necnon animalibus agrestibus et feris. Quies terrae cessationem ab operibus rusticis, qui labor erat praecipuus populi israelitici, non vero ab aliis operibus postulabat. — Secundo praecipitur remissio debitorum. Debita ab Israelitis contracta anno sabbatico non omni ratione remissa fuerunt, ut quidam falso opinabantur, sed eatenus tantum, quatenus intra annum sabbaticum ea exigere creditori non licuerit; anno elapso creditori ius in debitorem revivisccbat. Ratio huius remissionis erat quies terrae; deficientibus enim fructibus terrae non habebant, unde solverent. Huic rationi consentaneum est, quod a peregrino et advena, qui lege anni sabbatici non adstrictus agros suos colere poterat, creditori Israelitae debita exigere licebat (Deut. 15,3). Quae in eodem contextu Deut. 15,12-18 de servis anno septimo dimittendis et in libertatem restituendis statuuntur, intellegenda sunt de septimo anno servitutis, non de anno sabbatico, ut opinio antiqua ferebat; cf. Ex. 21,2; Ier. 34,14. — Tertio denique praeceptum erat, ut in sollemnitate tabernaculorum anni sabbatici lex coram omni populo (viris, mulieribus, parvulis, advenis in conspectu Domini congregatis) praelegeretur (Deut. 31,10-13).

Numerandos esse annos sabbaticos a Tishri, qui est primus mensis anni ci-

vilis, non a Nisan, qui est primus mensis anni sacri, colligimus ex Lev. 25,3. 4. 20-22; etenim si ante annum sabbaticum sexies serebatur et metebatur, anni numerandi erant a tempore sementis seu mense Tishri. Accedit quod annus iubilaeus, qui annum sabbaticum excipiebat, a die 10. mensis Tishri numerabatur (Lev. 25,9). Annus igitur sabbaticus sine dubio initium duxit a mense Tishri, probabiliter etiam a die 10. mensis Tishri, sicut annus iubilaeus.

Idea anni sabbatici est religiosa. Hic annus est sabbatum terrae. Primum quidem Israelitis in memoriam revocatur dominium Dei. « Terra... mea est et vos advenae et coloni mei estis » (Lev. 25, 23). Dein fiducia in Deum erigitur, qui multiplicatis fructibus anni sexti pro anno sabbatico et etiam pro anno iubilaeo providebit (Lev. 25,20-22). Denique omnes, tam divites quam pauperes, tam domini quam servi, a rebus terrenis procurandis ad legem Moysis audiendam et timorem Domini fovendum adducuntur, ut memores sint foederis theocratici ac promissionum divinarum (Deut. 31,10-13).

Ante exsilium lex anni sabbatici minus diligenter servata est. Etenim tempore exsilii terra egit sabbata sua et haec solitudo a Moyse praedicta erat tamquam poena ob violatas leges infligenda (Lev. 26,34. 35. 43; 2 Par. 36,21). Nehemias observationem anni sabbatici inculcavit (Neh. 10,31). Inde ab illo tempore haec lex fideliter observata est (1 Mach. 6,49. 53; *Flav. Ios.* Bell. iud. I. 2,4; Ant. XI. 8,5. 6; XIII. 8,1; XIV. 1,2).

SABBATUM. I. Sabbatum quid sit. Omnium dierum festorum praecipuus eorumque quasi fundamentum erat sabbatum, hebr. שַׁבָּת seu plenius הַשַּׁבָּת, graece τὸ σάββατον, τὰ σάββατα (LXX, Nov. Test., Flav. Iosephus) vel etiam ἑβδομάς (2 Mach. 6,11; 12,38). Etymologice sabbatum (שַׁבָּת) idem est ac dies quietis, derivatum a שָׁבַת, cessare ab aliqua re, quiescere. Iam Iosephus cont. Apion. 2,2 et Ant. I. 1,1 sabbatum ex Iudaeorum dialecto interpretatur ἀνάπαυσιν, quietem, cessationem ab omni opere, similiter Aristobulus apud Euseb. (Praepar. evang. 13,12) et Philo (de Abrah. § 5, *ed. Mangey* II. 5), qui sabbatum vertit ἀνάπαυσιν, sed hanc ἀνάπαυσιν non de cessatione ab opere explicat, verum ex eo, quod septenarius numerus tam in mundo quam in nobis habeatur pacatissimus et a seditione, bello, contentione alienissimus. Ad numerum septenarium vocabulum sabbati reducit Lactantius (Instit. 7,14 : Hic est autem dies sabbati, qui lingua Hebraeorum a numero nomen accepit, unde septenarius numerus legitimus ac plenus est); nec dubium quin similitudo radicis שָׁבַע cum שָׁבַת vel etiam graeca vox ἑβδομάς huic errori ansam dederit. *Theophil.* ad Autol. l. 2,12 eidem errori favere quibusdam videbatur, sed immerito; cf. *Migne,* Patr. Gr. 6,1069 in nota 23. Interpretationi Iosephi assentitur *S. Greg. Naz.* Or. 41,2 : ἡ τοῦ σαββάτου προσηγορία κατάπαυσιν Ἑβραικῶς σημαίνουσα.

Sensu strictiore sabbatum est dies septenus a vespera usque ad vesperam celebrandus (Lev. 23,32) i. e. a solis occasu ad solis occasum; cf. s. v. DIES in vol. II. col. 73. 74. Diversitas regionum ratio erat Iudaeis, quod non eodem ubique tempore sabbatum inciperent finirentque. Sabbatum ab hora nona diei praecedentis incepisse supponitur in edicto Caesaris Augusti apud *Flav. Ios.* Ant. XVI. 6,2. Sabbati introitus et finis in urbe Ierusalem clangore tubae vespertino ab uno de sacerdotibus significabatur idque ἐξ ἔθους ita fiebat, ut indicaretur, quando feriari oporteret et quando operi incumbere, ut habet *Flav. Ios.* Bell. iud. IV. 9,12; cf. Num. 10,10.

Sensu latiore sabbatum in Vet. Test. designat hebdomadem (Lev. 23,15; 25, 8; Deut. 16,9) aeque ac τὸ σάββατον et τὰ σάββατα in Novo Test. (Matth. 28,1; Marc. 16,2. 9; Luc. 18,12; 24,1; Io. 20, 1. 19; Act. 20,7; 1 Cor. 16,2), praesertim etiam ad singulos dies hebdomadis inter se discernendos iuxta consuetas illas formulas ἐν μίᾳ (πρώτῳ) etc. σαββάτων (σαββάτου), chald. בְּחַד בְּשַׁבְּתָא, item syriace; deerant enim apud Hebraeos nomina dierum.

Magnus dies ille (graece : illius) sabbati (Ioan. 19,31) est primus dies festus paschalis, qui etiam dicitur sabbatum (Lev. 23,11. 15); unde commendatur lectio graeca, quam plerique testes praebent : magnus dies illius sabbati. Erat igitur illud sabbatum, quod inter mortem et resurrectionem Christi intercessit, duplici ratione sabbatum (cf. *Knabenbauer* ad Ioan. 19,31).

Sabbatum secundo primum (δευτερόπρωτον) Luc. 6,1 erat et est crux interpretum; tale sabbatum aliunde prorsus ignotum est. Ex opinionibus maxime inter se diversis (*Knabenbauer* ad h. l.) illa plerosque patronos nacta est, quae iam in Chronico paschali fere innuitur; numerabantur scil. a die secundo paschatis septem hebdomadae usque ad pentecosten (v. s. v.); unde primum sabbatum post secundum diem paschatis putant appellatum esse δευτερόπρωτον, secundum sabbatum δευτεροδεύτερον, tertium sabbatum δευτερότριτον etc.

II. **Quomodo celebrandum.** Nomen שַׁבָּת tamquam obiectum iungitur cum verbis שָׁבַת, quiescere, sabbatizare (Lev. 23,32), קָדַשׁ, sanctificare (Ex. 20,8; Deut. 5,12; Ier. 17,22. 24), שָׁמַר, custodire (Ex. 31,13. 14. 16; Deut. 5,12; Is. 56,2), עָשָׂה, celebrare, observare (Ex. 31,16; Deut. 5,15). Atque his locutionibus duplex elementum sabbati celebrandi clare indicatur, alterum negativum, positivum alterum.

1. Elementum negativum in quiete perfecta consistebat, quae dicitur requies requietionis, שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן (Ex. 31, 15; 35,2; Lev. 23,3), qua omne opus, כָּל־מְלָאכָה (Ex. 20,10; 31,13 ss.; 34,21; 35,2; Lev. 23,3; Deut. 5,14; Ier. 17,22. 24) excludebatur. Cf. *Philo,* Vit. Moys. 1,36, *ed. Mangey* II. 113; *Flav. Ios.* cont. Apion. 1,22. Talis quies perfecta praeter diem sabbati nullum nisi diem expiationum obstringebat, dum reliquis diebus festis per convocatum sacrum celebrandis nonnisi opera servilia, מְלָאכָת עֲבֹדָה (Ex. 12,16; Lev. 23,7. 8. 21. 25. 35. 36) interdicta erant. Ut ad particularia descendamus, vetabantur Iudaei sabbato cibos coquere (Ex. 16,23), manna colligere (Ex. 16,26 ss.), arare et metere (Ex. 34,21), ignem succendere (Ex. 35,3), ligna colligere (Num. 15,32-36), pondera portare (Ier. 17,21), onera de domibus eiicere (Ier. 17,22), negotia agere (Am. 8,5; Nehem. 10,31), torcularia calcare et merces inferre in Ierusalem (Neh. 13,15); atque in hoc maxime gloriatur Nehemias (13,15-22), quod portas Ierusalem claudendo custodesque de pueris suis super illas constituendo tum Iudaeos tum Tyrios mercatores ad sabbatum observandum adegerit; cf. etiam Philonem, De septenar. *ed. Mangey* II. 281 et De virtut. II. 569. Huc referendum est, quod sabbato castris sese continere iubebantur (Ex. 16,29).

Quae omnia ut accuratissime observarent, quasi necessarium legis consectarium erat, ut pridie rebus omnibus necessariis in sabbatum proviserent. Hinc, ut monebantur Ex. 16,23, iam pridie ante sabbati introitum, quidquid per sabbatum comedere volebant, praeparabant (cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. II. 8,9). Prosabbatum hoc seu dies ante sabbatum vocabatur parasceve, παρασκευή (Matth. 27,62; Marc. 15,42; Luc. 23,54; Io. 19, 42; *Flav. Ios.* Ant. XXVI. 6,2).

2. Accedit elementum positivum scil. haec quies sabbatica Domino erat consecranda (Ex. 20,10; 31,15; 35,2; Lev. 23,2), unde sabbatum dicitur sabbatum Domini (Lev. 23,3; Deut. 5,14; Ez. 20, 13. 16. 21. 24; 22,8) et dies sanctus Domini (Is. 58,13).

Primo praeter victimas cotidianas in vestibulo offerendas alii duo agni anniculi immaculati cum consueta farina, oleo et libamine offerendi erant, ita ut sacrificium sabbaticum seu עֹלַת שַׁבָּת duplo maius fuerit, quam sacrificium cotidianum (Num. 28,9. 10; cf. 2 Par. 8,13; 31,3; Neh. 10,33).

Secundo in ipso tabernaculo per singula sabbata mutabantur panes propositionis (Lev. 24,8; 1 Par. 9,32) idque secundum traditionem iam vespere ipso sabbato ineunte; cf. *Mishna,* Menachoth 11,2 : coctio panum non propellit sab-

batum; *Maimon.* ad Menachoth 11,7 : scias autem quod panis dispositio fieri potest in sabbato.

Tertio sacerdotes et levitae ad ministeria templi destinati singulis sabbatis alii aliis succedebant, ut per hebdomadem, a sabbato usque ad sabbatum, Deo ministrarent (*Flav. Ios.* Ant. VII. 4,7); neque ullo modo prohibita erant ministeria sacerdotum et levitarum propter sabbatum, ut patet ex Matth. 12, 5 : Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant et sine crimine sunt? Unde vigebat principium : אֵין שַׁבָּת בַּמִּקְדָּשׁ i. e. Non est sabbatismus in sanctuario. Ex hoc principio licitum erat minkham cotidianam etiam sabbatis praeparare (*Mishna*, Menachoth 11,3); licitum erat sabbato circumcidere et omnia ad circumcisionem necessaria agere, si in octavum a nativitate diem inciderat, servato tamen principio R. Akibae : Omne opus, quod fieri potest pridie sabbati, sabbatum non pellit; sed circumcisio, quae pridie sabbati fieri non potest, sabbatum pellit (*Mishna*, Shabb. 19,1-5 *S. Iustin.* Dial. c. Tryph. 27; *Lightfoot,* Hor. hebr. in Io. 7,22). De ministeriis paschalibus statuit *Mishna*, Pesachim 6,1 : Hae res in paschate depellunt sabbatum, mactatio, sparsio sanguinis eius, purificatio intestinorum eius, combustio adipum eius. Sed assatio eius et abstersio intestinorum non depellunt sabbatum.

Quarto denique sabbatis habebatur מִקְרָא קֹדֶשׁ, LXX κλητὴ ἁγία, convocatum sacrum (Lev. 23,2. 3; cf. Is. 1,13) i. e. populo ad sanctuarium conveniendum erat, ut adoraret Dominum (cf. Ez. 46, 3). Arbitratur *F. de Hummelauer* Lev. 23,3 esse serius adiectum et contiones sacras nunquam praeceptas fuisse sabbatis. Neque deinceps historicum vestigium adest, iam a tempore Moysis tales conventus sacros habitos fuisse sabbatis; eos ab ipso legislatore Moyse institutos fuisse affirmat Flavius Iosephus (cont. Apion. 2,17). Scimus quidem ex Act. 15,21 libros Moysis ab antiquis temporibus in singularum civitatum synagogis per omne sabbatum lectos fuisse, sed unde ista tempora antiqua initium sumpserint, ignoramus. Tempore Elisei pii ac religiosi Israelitae sabbatis ad prophetas convenire consueverant, ut concludere licet ex 4 Reg. 4,23, ubi « evidenter supponitur solitum populum diebus sabbati et novilunii adire prophetas doctoresque publicos, ut ab iis erudiretur et tam cognitione Dei quam vera pietate imbueretur; aedes igitur prophetarum fuerunt scholae vel si mavis synagogae, in quas populus illo rerum statu consuevit congregari » (*Vitringa,* De synag. vet. p. 333). Ex quo more antiquo evolutus esse censetur cultus in synagogis quovis sabbato habitus, qui precibus et psalmodiis, lectione legis et prophetarum, interpretationibus et contionibus absolvebatur; cf. Marc. 1,21; 6,2; Luc. 4,16-31; 6,6; 13,10; Act. 13,14. 15. 27. 42. 44; 15,21; 16,13; 17,2; 18,4. Praecipuus igitur finis huius convocati sacri in eo erat, ut singulis sabbatis Israelitae ab alio quolibet opere feriati ad legem, dum recitaretur, audiendam animoque penitus informandam convenirent (*Flav. Ios.* cont. Apion. 2,17; Ant. XVI. 2,4) necnon precibus psalmodiisque Deum colerent mutuamque aedificationem nutrirent (Ps. 21,23. 26; 25,12; 39,11; 67, 27).

III. **Extensio legis sabbaticae.** Extendebatur haec lex sabbatica non ad solos Israelitas liberos, sed etiam ad servos, ad peregrinos seu advenas et ad ipsa iumenta iuxta illud Ex. 20,10 : Non facies omne opus in eo (sabbato) tu et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum et advena, qui est intra portas tuas; cf. 23,12; Deut. 5,14. « Nec absurde creditur », addit *Spencer* (Leg. hebr. l. 1, c. 5, s. 9), « mandatum illud sensu tam lato capiendum esse, ut non tantum hominibus et bestiis, sed arboribus, plantis et terrae frugibus otium et quietem ferat. Nonnullos olim e Iudaeis ita censuisse liquido discitur e Philone (Vita Mos. l. 2, § 4 *ed. Mangey* II. 137); nam ille de sabbato loquens : laboris, inquit, indutias affert omnibus mansuetis animantibus creatis in hominum ministerium; affert etiam omnibus arborum et stir-

pium speciebus; nec ramum enim nec frondem nec folium demere fas est, ne fructum quidem ullum decerpere; immunitate in unum diem concessa his omnibus velut publico praeconio interdictum esset haec attingere. Philonis sensus eo veritati propinquior existimetur quod certum sit annum sabbaticum (ad sabbati hebdomadici exemplar institutum) non homini solummodo, sed et toti terrae (hinc sabbatum terrae dicitur Lev. 25,4) laboris intermissionem attulisse »; cf. etiam *Philo* De septenar. et fest. dieb. *ed Mangey* II. 283 ss.

IV. **Sanctio legis sabbaticae.** Sanctionem legis quod attinet, dicitur « beatus vir... custodiens sabbatum ne polluat illud » (Is. 56,2) et « si averteris a sabbato pedem tuum » i. e. si terram sacratam sabbati profano pede non violaveris, « tunc delectaberis super Domino et sustollam te super altitudines terrae et cibabo te hereditate Iacob patris tui » (Is. 58,13. 14). E contra « qui polluerit illud, morte morietur; qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui » (Ex. 31,14; cf. 31, 15; 35,2). Quo mortis genere moriatur, ipse Dominus praecepit dicens ad Moysen : « Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra » (Num. 15,35). Sine dubio supponitur violatio plane libera, ut ex ipsis verbis elucet : sabbatum polluere, violare, חָלַל (locis citatis et Ez. 20,13. 16. 21. 24; 22,8), profanare, βεβηλοῦν (Neh. 13,17), solvere, λύειν (Io. 5,18). — Secundum Mishnam (Sanhedrin 7,8; cf. *Maimon.* ad Shabb. 7,1) lapidandus est, qui sciens volens sabbatum violaverit, is vero qui errore, ad sacrificium piaculare obligatus; particulares determinationes huius legis tradit *Mishna,* Shabb. 11,6.

V. **Scopus seu idea sabbati.** Quaestioni cur Deus sabbatum instituerit, respondet Ex. 31,13-17 : « Videte ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos... Pactum est sempiternum inter me et filios Israel signumque perpetuum; sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram et in septimo ab opere cessavit » et Ex. 20, 11 : « Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram et mare et omnia quae in eis sunt et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum »; cf. Ex. 31,13; Lev. 19,3. 30; 26,2; Ez. 20,12. 20. Ergo sabbatum signum est foederis inter Iahwe et populum electum. Est signum maxime proprium ratione foederis significati; nam sicut Deus sex diebus operatus est et septimo requievit, ita populus Dei Deum imitabitur operantem exsequendo illud Ex. 20,9 : « Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua » et eundem imitabitur quiescentem : « Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo » (Ex. 20,10). Est signum maxime proprium ratione populi a Deo electi, quia populus sollemni et publica huius diei celebratione se populum Deo dicatum et sacratum profitetur cultumque religiosum ei exhibet. Est signum maxime proprium ratione Dei eligentis, qui hoc modo populum a ceteris gentibus sibi segregat, qui eundem sanctificat i. e. sibi sacrum et declarat et efficit, qui legem sabbati inter illa praecepta effert « quae faciens homo vivet in eis » (Ez. 20,11. 12) eamque observantibus sabbatismum aeternum repromittit (Hebr. 4,3-10; Ps. 94,11), quemadmodum ipse opere creationis completo introivit in requiem suam; cf. *Knabenbauer* in Ez. 20,12. Et haec est primaria sabbati significatio.

Alia ratio, licet inferioris ordinis, huius instituti innuitur Ex. 23,12 : « Septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus et refrigeretur filius ancillae tuae et advena » et Deut. 5,14 : « Ut requiescat servus tuus et ancilla tua sicut et tu ». Haec naturalis ordinis emolumenta ab ipso Deo intenta nullatenus praetereunda esse in efformanda idea sabbati, confirmatur ex speciali benedictione temporali quieti sabbaticae annexa, cuius pignus erat, quod Israelitis manna colligentibus ipsa Dei benignitas die sexto cibos duplices praestiterit.

Tertia denique ratio indicatur Deut. 5,15 : « Memento quod et ipse servieris in Aegypto et duxerit te inde Dominus

Deus tuus in manu forti et brachio extento; idcirco praecepit tibi, ut observares diem sabbati ». Censet *Theodoretus* qu. 1, in Deut. mentione facta servitutis aegyptiacae Deum compassionem excitare, quasi diceret : Expertus es duritiem servitutis, memor horum mitis et clemens esto erga subditos et quemadmodum horum opera perpetuo frueris, ita saltem semel per septem dies hebdomadis servi, ancillae ac subiugalia quiete fruantur. Sed aliquid plus indicari videtur illis verbis : « Idcirco praecepit tibi, ut observares diem sabbati ». Et revera — liberatio ex servitute erat maximum Dei beneficium; erat quasi altera creatio populi electi simulque typus redemptionis per Christum perficiendae; Deus igitur monet Israelitas, sabbati celebrationem, sicut est publica et sollemnis recordatio operis et beneficiorum Dei creantis (cf. Ex. 20,11; 31,17), ita etiam esse recordationem beneficiorum Dei liberantis et redimentis.

VI. **Sabbatum dies laetitiae.** Sabbatum, sicut omnis dies festus, erat dies laetitiae et benedictionis, יוֹם שִׂמְחָה (Num. 10,10 coll. Os. 2,11 et Lam. 2,6), cui ipse Dominus benedixit, antequam sanctificaret illum (Gen. 2,3; Ex. 20,11), qui datus est populo electo, ut delectaretur in Domino (Is. 58,13; Os. 2,11), sabbatum delicatum et sanctum Domini gloriosum (Is. 58,13), dies honoris cuius violatio vertitur in opprobrium (1 Mach. 1,41), dies quo bonum est confiteri Domino et psallere nomini Altissimi, ut habet psalmus sabbaticus 91. Unde sabbatis non ieiunabant Iudaei (Iudith 8,6), sed lautiores epulas sabbaticas habebant, ad quas etiam convivae invitabantur (Luc. 14,1).

Ex *Mishna,* Shabb. 16,2 discimus Iudaeos tres epulas sabbatis instituisse et testatur Flav. Iosephus (Vita 54) hora sexta appetente moris fuisse Iudaeis sabbatis prandere. *Buxtorf,* Synag. iud. c. 15 : « Triplicibus iisque conquisitissimis epulis pro sua quisque facultate sabbatum honestant... Primae epulae instruuntur die Veneris noctu sabbato ineunte, alterae die Saturni hora meridiana, postremae vesperi sabbato exeunte... Per totum sabbatum mensa strata et apposita diu noctuque ab illis relinquitur... Vestes sabbatinae sub vesperam sabbati diligenter sunt perquirendae et videndum, an nihil in illis sit, cum quo sabbato exire sit prohibitum; postea in honorem sabbati eas induunt et singuli pro facultatibus suis sedulo exornantur, quia scil. apud Isaiam (58, 13) scriptum est : Et honorabis eum; quomodo : Ne vestimentum tuum sabbatinum sit sicut vestimentum tuum profanum vel cotidianum, ut in Talmud explicatur. Hinc Iudaei ditiores peculiares habent vestes, quas nunquam aliis diebus induunt. Rabbini enim sabbatum malkah i. e. reginam appellaverunt; si vero vestes regiae alio tempore induuntur, quam ubi coram regina comparetur, dedecus admittitur et regina ludibrio habetur. Vestibus his alacriter indutus laetabitur de adventu sabbati, ac si in occursum regi alicui procederet, vel sponsi, vel sponsae. Sic R. Chaninah vespera sabbati decenter ornatus stabat et dicebat : Venite, egrediamur in occursum sabbati reginae. R. Ianai dicebat : Veni sponsa, Veni sponsa ».

VII. **De typica ratione** quietis sabbaticae multa apud SS. Patres videri possunt, quae ad haec tria capita facile reducuntur :

1. Aliqui quietem sabbaticam imaginem esse dicunt cessationis a peccato. Ita *S. Iustin.* Dial. c. Tryphone 12; *Clem. Al.* Strom. 3,15; 4,3; — *S. Hieron.* in Ier. 17,20 : « Custodit animam suam, qui non portat pondera peccatorum in die quietis et sabbati nec infert ea per portas Ierusalem, quas virtutes debemus accipere »; cf. in Is. 56,2; — *Orig.* in Num. hom. 23,4 interp. Rufino : « Qui cessat ab operibus saeculi et spiritualibus vacat, iste est qui sacrificium sabbati et diem festum agit sabbatorum. Neque onera portat in via. Onus enim est omne peccatum », etc. — *S. Greg. M.* Moral. in Iob 28,14.

2. Alii sabbatum ut typum assumunt quietis spiritualis per Christum nobis donatae. *Tertull.* Advers. Iud. 4 : « Sabbatum aeternum et sabbatum temporale

Scripturae designant... Dignoscimus sabbatum temporale esse humanum et sabbatum aeternum censeri divinum, de quo per Isaiam (66,23) praedicat : Et erit, inquit, mensis ex mense et dies de die et sabbatum de sabbato et veniet omnis caro adorare in Ierusalem, dicit Dominus. Quod intellegimus adimpletum temporibus Christi, quando omnis caro i. e. omnis gens adorare in Ierusalem venit Deum Patrem per Iesum Christum filium eius ». — *S. August.* epist. 55 ad inquisit. Ianuar. l. 2. c. 10 : « Sabbatum commendatum est priori populo in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requie Spiritus Sancti » ; et contra Adimant. c. 2 : « Sabbatum non repudiatum, sed intellectum a Christianis destitit quidem carnaliter observari, sed spiritualiter retinetur a sanctis, qui intellegunt vocem Domini vocantis ad requiem et dicentis : Venite ad me, qui laboratis et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris. Hoc sabbatum i. e. hanc requiem Scriptura illa significat, quam Iudaei non intellegebant et pro temporum dispensatione carnaliter sequebantur umbram, cuius umbrae quasi corpus i. e. veritas nobis danda erat. Sed quemadmodum illa requies Dei post fabricatum mundum insinuatur, sic requiem, quae nobis promittitur post opera, quae in hoc mundo habemus, si iusta fuerint, consequemur, septima scil. eademque ultima parte saeculi ». — *S. Thom.* 1. 2, qu. 102. a. 4. ad 10 : « Per sabbatum designatur spiritualis requies nobis data per Christum, ut habetur ad Hebr. 4 ».

3. Haec requies per Christum nobis data cum in altera demum vita perficiatur, sabbatum SS. Patribus passim typus est quietis aeternae. Pergit *Orig.* l. c. in Num. hom. 23,4 : « Erit verum sabbatum, in quo requiescet Deus ab omnibus operibus suis, saeculum futurum, tunc cum aufugiet dolor et tristitia et gemitus et erit omnia et in omnibus Deus. In quo sabbato concedat etiam nobis Deus diem festum agere secum et cum sanctis angelis suis festa celebrare, offerentes sacrificium laudis et reddentes Altissimo vota nostra, quae hic distinxerunt labia nostra ». Cf. *S. Athanas.* in Ps. 91 ; *S. Greg. Naz.* or. 41,2 ; *S. Cyr. Alex.* in Io. 7,24 (lib. 4. cap. 6) ; *S. Chrysost.* in Hebr. 3. hom. 6. — *S. Ambros.* in Luc. 6,1 : « Sabbata perpetua feriae sunt resurrectionis aeternae » ; cf. De obitu Theodos. orat. et in Ps. 47. — *S. August.* de Gen. ad litt. l. 4. c. 11 : « Et dici quidem probabiliter potest observandum sabbatum Iudaeis fuisse praeceptum in umbra futuri, quae spiritualem requiem figuraret, quam Deus exemplo huius quietis suae fidelibus bona opera facientibus arcana significatione pollicebatur. Cuius quietis et ipse Dominus Christus, qui non nisi quando voluit passus est, etiam sepultura sua mysterium confirmavit » ; cf. de Gen. cont. Manich. l. 1. c. 25 et l. c. supra cont. Adimant. c. 2.

VIII. **Origo sabbati.** Utrum sabbatum ex Gen. 2,3 derivandum sit an ex Decalogo, disceptatur inter doctos. Cum factis historicis maxime concordat sententia legem sabbati a Moyse primo latam esse, Deum vero primitus non dedisse legem de sabbato observando, at suae quietis exemplo hominibus septimi diei requiem et cultum suggessisse (cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 2,3). Etenim Deus completo opere sex dierum diei septimo benedixit illumque sanctificavit (Gen. 2,3 ; Ex. 20,11) ; porro fatendum est divisionis hebdomadicae aliqua indicia inveniri tum in narratione diluvii (Gen. 7,4. 10 ; 8,10. 12) tum in historia Iacob patriarchae (Gen. 29,27. 28). Ex his tamen nihil certi erui potest quoad celebrationem diei septimi lege praescriptam. Neque Ex. 12,16 pro celebratione sabbati afferri potest, cum ibi sermo sit non de singulis sabbatis, sed de die septima azymorum neque de quiete perfecta, qualis pro sabbatis vigebat. Primum vestigium de praecepto quietis sabbaticae occurrit Ex. 16,5. 22-30 ; cum enim Israelitae die sexto cibos duplices collegissent et principes multitudinis quasi admirati Moysi id retulissent, hic respondit : cras esse requiem sabbati Domino sanctificatam ; quodsi iam antea sabbatum ex lege stricte dicta observatum fuisset, nec admiratio populi satis explicaretur neque pars populi

egressi fuissent sabbato, ut colligerent. Itaque dicendum videtur Deum hoc modo Israelitas adegisse ad quietem sabbaticam, quam mox in Decalogo sollemniter promulgaturus erat (Ex. 20,8). Accedit quod aliis locis (Deut. 5,15; Neh. 9,13. 14; Ez. 20,10-12) institutio sabbati ad liberationem de servitute aegyptiaca ac legislationem mosaicam referatur. Idem confirmat traditio inter Rabbinos communiter recepta praeceptum sabbati observandi datum non esse nisi post exitum de Aegypto vel ut isti volunt, in statione Mara ideoque intra menstruum ab exitu de Aegypto (*Selden*, Ius nat. et gentium 3,9). Denique constat Patres in primitiva Ecclesia identidem argumenta ex eo deprompsisse, quod iusti ante Moysen, quamvis sabbata et circumcisionem non observassent, Deo nihilominus placuissent; cf. *Euseb.* Hist. Eccl. l. 1, c. 4 et Praepar. evang. l. 7, c. 6; *S. Iustin. M.* Dial. c. Tryph. 19 et 27; *Tertull.* Adv. Iudaeos c. 2 et 4; *S. Iren.* Adv. haer. IV. 16,2.

Ex dictis responsa patebunt ad septem rationes, quibus *Jahn* (Arch. bibl. III. 3) sententiam contrariam tuebatur. Duo solum in specie notanda sunt; primo illud Ex. 20,8 : « Memento ut diem sabbati sanctifices » non supponit sabbatum pridem institutum, cum sensus idem esse possit ac Deut. 5,12 : « Observa diem sabbati, ut sanctifices eum »; secundo locus ex Iosepho allegatus (Cont. Apion. 2,39) solum probat septimi diei celebrandi consuetudinem ex Iudaeis ad varias gentes transiisse, quin institutionem mosaicam excludat.

IX. **Historia celebrationis sabbati.** Celebratio sabbati iampridem in populo israelitico firmissimas egit radices; non solum in Iudaea, sed etiam in regno Israel mos celebrandi sabbati tam firmiter mentibus inhaerebat, ut singuli vel nolentes huic mori se subiicere coacti fuerint (Am. 8,5); immo primum testimonium de sacris conventibus sabbaticis, uti vidimus, ex historia regni Israel nobis occurrit (4 Reg. 4,23).

Sabbata iam in deserto saepenumero violata esse ostendunt Num. 15,32-41; Ez. 20,13. 16. 21. 24. Posteriore tempore sabbati celebratio saepe nihil plus erat quam observantia externa spiritu religionis destituta et Deo exosa (Is. 1, 13; Lam. 2,6). Iudaeis in peccato obstinatis Deus praeceptum de sabbato observando serio inculcat per Ierem. (17,21-27) promittens prosperitatem, si observent, minans interitum, si polluant; inter varia scelera Hierosolymis patrata enumerat pollutionem sabbatorum (Ez. 22,8). Quod autem tempore exsilii celebratio sabbati tantopere inculcetur, ratio est quia deficiente sacrificio tota fere manifestatio religionis in observando sabbato continebatur. Post exsilium vero Nehemias neglegentiam Iudaeorum fortiter arguebat eosque ad pristinam severitatem legis sabbaticae reducebat (Neh. 10,31; 13,15-22) et inde ab isto tempore maiore semper diligentia, immo scrupulositate sabbatum observatum videmus idque etiam tempore subiectionis. Sub imperio Antiochi Epiphanis cum sabbatum observare vetarentur plurimique impii edicta regis sequerentur (1 Mach. 1,43. 45; 2 Mach. 6,6), pii eo fidelius ac fortius in lege perstiterunt; alias vero a principibus alienigenis non impediebantur, quominus sabbata servarent (1 Mach. 10, 34; *Flav. Ios.* Ant. XIV. 10,12. 20. 21. 23-25; XVI. 6,2; *Philo*, De virtut. *ed. Mangey* II. 568).

Inter ea, quae post exsilium paulatim addita vel scrupulosius determinata esse videntur, primo recensendum est iter sabbati, σαββάτου ὁδός (Act. 1,12), talmudice תְּחוּם הַשַּׁבָּת, ad quam vocem תְּחוּם explicat *Buxtorf* (Lex. chald. talm. rabb. col. 2582) : « Apud Rabbinos תְּחוּם הַשַּׁבָּת, terminus sabbati dicitur viae spatium, quod sabbato conficere licet. Id lege Moysis non est definitum, sed statutis Rabbinorum. Est autem iter duorum millium cubitorum i. e. passuum mediocrium... Exstruunt mensuram istam ex loco : Ne exeat ullus e loco suo die septimo (Ex. 16,29) ». *Hottinger* (Ius Hebr. 24) : « Sapientes saepem saepturi sanciverunt, non licere ultro bis mille cubitos extra urbem procedere ». Et rationem explicat *Lightfoot*, Hor. hebr. in Luc. 24,50 : « Cum castra

Israelitarum in eremo distarent bis mille cubitis a tabernaculo et castris levitarum illud circumvallantibus, quod colligunt ex Ios. 3,4, cum liceret sabbato a castris sic distantibus adire tabernaculum, inde haec argumentatio pro bis mille cubitis ». Cf. *Orig.* De princ. 4,17 et Strom. 5. Complicatiores quaestiones de termino sabbatico vide in *Mishna*, Erubin c. 4 et 5. Ex dictis intellegitur sabbatis itinera fuisse prohibita; cf. Matth. 24,20 : « Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato » et *Flav. Ios.* Ant. XIII. 8,4 : οὐκ ἔξεστι δ' ἡμῖν οὔτε τοῖς σαββάτοις οὔτ' ἐν τῇ ἑορτῇ ὁδεύειν. Prioribus vero temporibus maiorem hac in re viguisse libertatem innuitur 4 Reg. 4,53. — Exceptionem statuit *Mishna,* Rosh ha-shana 1,4. 9 scil. pro testibus illis oculatis ad synedrium missis, qui se novam lunae speciem vidisse nuntiarent, ut synedrium lunam sanctificaret et sacrificium additum novilunii offerret.

Celebris est et alia determinatio quietis sabbaticae de non ferendis armis. *Mishna,* Shabb. 6,4 : « Non exibit vir cum gladio neque cum arcu neque cum scuto neque cum funda neque cum lancea ». Talis utique rigorismus Israelitis antiquis erat ignotus; nam inter septem illos dies, quibus Iosue omnisque exercitus armatus urbem Iericho circumierunt, necessario unum sabbatum fuit. Post exsilium vero multa exempla historica praxis contrariae exstant. Ex iis quae apud Iosephum (Ant. XII. 1; Cont. Apion. 1,22) de ingressu Ptolemaei Lagi in Ierusalem leguntur, manifestum est armis sese defendere sabbatis fuisse prohibitum. Bellis Machabaeorum exortis notum est Iudaeos mortem cruentam potius subiisse, quam ut vi arcenda sabbatum profanarent (1 Mach. 2,36-38; *Flav. Ios.* Ant. XII. 6,2; 2 Mach. 6,11). Tum vero Mathathias, ne omnes hoc pacto absque pugna perirent, eis persuasit, ut sabbatis etiam vim illatam propulsarent (1 Mach. 2,41; *Ios.* Ant. XII. 6,2), non tamen aggrederentur vel hostem insequerentur (2 Mach. 8,26); et hac ratione illa quoque pugna inter Ionatham et Bacchidem die sabbatorum commissa est, scil. ut Iudaei se defenderent, cum ipsis non esset locus divertendi (1 Mach. 9,43-49). Hoc principium etiam in posterum tam religiose servatum est, ut v. g. milites Aristobuli Romanos aggerem circa templum exstruentes propter sabbati religionem non deturbarent, unde factum est, ut Romani sabbatis manus cum Iudaeis non consererent, sed potius aggerem et turres excitarent machinasque admoverent, quibus postridie contra Iudaeos uterentur (*Ios.* Ant. XIV. 4,2). Ex his omnibus mirum non est Iudaeos sabbatis praecipue ab hostibus ethnicis impetitos esse (2 Mach. 15,1; *Ios.* Ant. XIII. 12,4; XVIII. 9,2); sed contrarium quoque obtigit in bello iudaico, scil. ut in Romanos milites, qui ex pacto arma tradiderant et fide data freti discedere parabant, impetum facerent sabbato eosque trucidarent (*Ios.* Bell. iud. II. 17,10) et non multo post, ut furore bellico abrepti sabbato Romanos adorirentur eorumque aciem perrumpentes magnam stragem ederent (ibid. II. 19,2). Alia occasione (ibid. IV. 2,3) Titum deceperunt praetexentes sabbato sibi de pace aliquid constituere nefas esse, reapse tamen id agentes, ut procrastinatione concessa fuga sibi consulerent. Non raro etiam inter ethnicos stipendia solventes ac sabbato arma movere iussi ad legem sabbaticam provocabant, ut excusarentur (2 Mach. 15,2); eadem de causa a consulibus Romanis immunitatem a militia impetrarunt (*Ios.* Ant. XIV. 10,12) et cum a Tiberio imperatore quattuor millia eorum ad militiam adigerentur, plurimi gravissimas poenas subire, quam mandato obtemperare maluerunt (*Ios.* Ant. XVIII. 3,5).

Tempore Christi violationem sabbati esse dicebant Pharisaei spicas vellere (Matth. 12,2; Marc. 2,24; Luc. 6,2), aegrotos sanare, etsi solo verbo fiebat (Matth. 12,10; Marc. 3,2; Luc. 6,7; 13, 14; Io. 9,14-16), grabatum tollere (Io. 5,10). Ex his elucet systema illud micrologicum, prout in *Mishna* delineatur, iam hoc tempore satis evolutum fuisse. *Mishna,* Shabb. 7,2 enumerat patres operum i. e. principalia opera sabbato prohibita quadraginta uno minus : 1. serens, 2. arans, 3. metens, 4. mani-

pulans sive colligens in manipulos, 5. triturans, 6. ventilans, 7. purificans, 8. molens, 9. cribrans, 10. pinsens, 11. coquens, 12. tondens lanam, 13. dealbans eam, 14. excutiens eam, 15. tingens eam, 16. nens, 17. stamen subtegens, 18. inducens duo (fila) in spatium filorum, 19. texens fila duo, 20. rumpens fila duo, 21. ligans, 22. solvens, 23. suens duas suturas, 24. dissecans eo fine ut consuat, 25. venans capream, 26. mactans eam, 27. decorians eam, 28. saliens eam, 29. parans pellem eius, 30. radens eam, 31. discindens eam, 32. scribens duas litteras, 33. delens ut scribat duas litteras, 34. aedificans, 35. destruens, 36. exstinguens, 37. accedens, 38. percutiens malleo, 39. educens rem e potestate in potestatem (i. e. ex locó privato in locum publicum et contra). Ex his patribus operum (אֲבוֹת מְלָאכוֹת) numerosas generationes (תּוֹלְדוֹת) operum particularium prohibitorum deducebant. Maximam difficultatem parabat discussio vetiti undequadragesimi; quare ut nimis multas perplexitates evitarent, plura loca in unum coniungere satagebant; de his coniunctionibus seu « commistionibus termini sabbatici » agit *Mishna*, Erubin; cf. etiam *Ugolini*, Thesaur. Ant. vol. XXVII. p. 509 ss. (Tosephta).

Ex his solum ea iuvat efferre, quae locis evangelicis lucem dare possunt. — Ac primum quidem de sanando. *Mishna*, Shabb. 22,6 vetat vomitaria facere in sabbato, rupturam restituere, manum aut pedem luxatum aquae frigidae indere. Exceptionem tamen statuit *Mishna*, Ioma 8,6 : « Omne dubium vitae pellit sabbatum ». Et Tosephta, Shabb. 16,5 : « Ecce percepisti quod dubium animarum pellat sabbatum... Ecce non data sunt praecepta Israelitis, nisi ut vivant in eis. Dictum est enim Lev. 18,5 : Quae faciet homo, ut vivat in eis : ut vivat in eis, non autem ut moriatur in eis ». Unde intellegitur aegrotos ad Iesum allatos fuisse vespere facto, cum occidisset sol (Marc. 1,32), quia scil. sabbatum erat et periculum mortis instans non urgebat. Argumenta, quibus Iesus sanationes sabbato factas ab accusationibus Pharisaeorum defendit (Matth. 12,11; Luc. 14,5) clare ostendunt sabbato pecudem e fovea extrahere licitum visum esse Pharisaeis; contrarium vero definit *Gemara*, Shabb. f. 128,2 : si in foveam inciderit et ibi alimentum suum habeat, eam supposito stramine vel pulvinaribus esse iuvandam et erigendam, si forte horum ope sponte exire possit; sin minus, ad exitum sabbati ibi esse relinquendam; si nullum ibi cibum vel pabulum habeat, cibum illi esse praebendum, ne moriatur et finito sabbato extrahendam. Sed animadvertit *Buxtorf* (De synag. iud. c. 16) novellam esse constitutionem a Rabbinis in Gemaram christianae fidei odio intrusam et ex veteris cuiusdam traditionis consequentiis disputandi tantum gratia fabrefactam et excogitatam. Alio argumento ad hominem, quo Iesus utitur apud Luc. 13,15, licitum fuisse evincitur animalia pastum vel aquatum educere; quibus condicionibus animalium pastio et aquatio a sapientibus circumsaepta fuerit, vide in *Mishna*, Shabb. 24,2-4 et *Lightfoot*, Hor. hebr. in Luc. 13,15.

Secundo de iudiciis agendis et exsequendis. *Philo* (De migrat. Abrah. *ed. Mangey* I. 450) testatur Iudaeos sabbatis lites et iudicia non exercuisse. *Mishna*, Beza 5,2 : « Non iudicant ». *Mishna*, Shabb. 1,2 : « Prope ante sacrificium vespertinum... neque iudicare incipiet » ; et interpretatur R. *Maimonides* : « Non iudicant prope tempus precum minkhae et ne quidem pronuntiando sententiam, postquam iam audiverunt argumenta partium litigantium contuleruntque inter se sententias iudices de causa, ut nihil supersit nisi pronuntiatio sententiae tantum. Nihilominus (inquam) non decet iudicem decidere litem prope tempus precum : ob casum ne forte observet iudex rem novam in lite et cogatur incipere ab initio litem argumentaque petat a partibus litigantibus ambabus trahaturque negotium, donec praetereat tempus. Verum enimvero si inchoaverunt iudicium, non abrumpunt illud, donec absolvatur ». Sed haec fortasse ad iudicia civilia restringenda sunt, uti innuitur per « argumenta partium liti-

gantium »; qui modus loquendi non ita quadraret in iudicia criminalia; ceterum vix probabile est sabbatis iudicia criminalia haberi solita.

Sabbatum non fuisse diem exsecutionum criminalium testatur *Maimonides* Hilc. Sanhedrin c. 11. Excipiendae sine dubio sunt exsecutiones tales, quae quasi rationem cultus divini participant, ut occisio pseudoprophetae, de quo Deut. 13,9 : « Statim interficies »; confirmatur ex eo, quod Iudaei ipso die sabbati Iesum interfecturi erant (Luc. 4,29); simile est, quod Hegesippus (apud *Euseb.* Hist. eccles. 2,23) narrat S. Iacobum die festo paschatis a Iudaeis de fastigio templi praecipitem actum et cum praecipitatus non statim mortem obiisset, lapidatum esse; et de eo qui verbis scribarum refragatur, dicit *R. Akiba* (*Mishna,* Sanhedrin 10,4) : « Non occiditur a iudicibus civitatis suae, non a synedrio, quod Iafne est, sed ad summum senatum Hierosolymam ducitur atque istic in custodia asservatur usque ad festum (hebr. רֶגֶל) et in festo interficitur q. d. Deut. 17,13 : Et totus populus audiet et timebit neque amplius perfracte agent ».

Inter sectas iudaicas Esseni magna severitate se distinguebant, sicut generatim vitam severiorem exercebant; Iosephus (Bell. iud. II. 8,9) refert eos sabbatis manum operi admovere maxime omnium Iudaeorum fugere, ita ut ne vas quidem loco movere audeant neque alvum exonerent. Samaritani vero, inter quos eminebat Dositheus, statuerunt, ut unusquisque, quo habitu, quo loco, qua positione in die sabbati fuisset inventus, ita usque ad vesperam deberet permanere i. e. si sedens, ut sedeat tota die, si iacens, ut tota die iaceat (*Orig.* De princ. 4,17).

X. **Quid Christus de sabbato statuerit.** Restat ut videamus, qua ratione Christus se gesserit relate ad sabbatum. Legi oboediens (Gal. 4,4) sabbatum observat et docens in synagogis conventibus sabbaticis interest (Marc. 1,21; 6, 2; Luc. 4,16; 6,6; 13,10), quod exemplum etiam Paulus secutus est (Act. 13, 14; 16,13; 17,2; 18,4). Sed opponit se prohibitionibus Pharisaeorum et Scribarum, qui onera graviora et importabilia in humeros hominum imponebant (Matth. 23,4); per argumenta ad hominem eos corripit, ut tacite saltem confiteri debeant, legis litteram tum necessitatis tum caritatis officiis cedere debere (Matth. 12,3-12; Marc. 2,25. 26; 3,4; Luc. 6,3. 4. 9; 14,5); normam universalem statuit ad sensum legis explicandum : « Sabbatum propter hominem factum est et non homo propter sabbatum » (Marc. 2,27); denique ad suam potestatem provocat, qua legem sabbaticam non solum interpretari, sed etiam transmutare valeat : « Dominus est filius hominis etiam sabbati » (Matth. 12,8; Marc. 2,28; Luc. 6,5). Iam tempore apostolico primus dies hebdomadis, dies memorialis resurrectionis Christi (Matth. 28,1; Marc. 16,2; Luc. 24,1; Io. 20,1. 19; cf. 20,26), loco sabbati ut dies sacer celebratus esse videtur (Act. 20,7; 1 Cor. 16,2; cf. Rom. 14,5; Col. 2, 16). Praeceptum de sabbato servando, prout morale est et generatim cultum divinum praecipit, etiam in nova lege mansit; verum prout caerimoniale est et diem septimum servandum praecipit, abrogatum est. Unde dicit *S. Thomas* (2. 2. qu. 122, art. 4 ad 4) : « Observantia diei dominicae in nova lege succedit observantiae sabbati, non ex vi praecepti legis, sed ex constitutione Ecclesiae et consuetudine populi christiani ».

SABEE (שְׁבַע, Σαμαά), urbs tribui Simeon assignata (Ios. 19,2), inter Bersabee et Molada recensita. Sed nomen huius urbis deest in aliquibus mss. hebraicis et etiam loco parallelo 1 Par. 4, 28; accedit quod in prima provincia urbium Simeon Ios. 19,2-6 textus tredecim tantum urbes comprehendi asserit, sed quattuordecim enumerat. Unde probabilius hoc nomen postmodum in textum inserpsit vel per dittographiam ex nomine praecedente Bersabee (ut censent *Rosenmüller, Bertheau, Nöldeke, F. de Hummelauer*) vel per corruptionem ex Sama (שְׁמָע, Σαλμαά), quae inter urbes in Negeb Iuda Ios. 15,26 recensetur et locum ante Molada occupat. Alias con-

iecturas vide apud *Gesen.* Thesaur. p. 1355. — A recentioribus Sabee agnoscitur *Tell el-Seba'a* nonnihil orientem versus a Bersabee.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 399; *Legendre,* Carte de la Palestine; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I.

SABER (שֶׁבֶר, Σάβερ, Σέβερ), filius Caleb filii Hesron ex Maacha concubina (1 Par. 2,48).

SACCUS. Praeter notionem usitatam (cf. Gen. 42,25 s.) significatur ea voce cilicium, seu vestimentum durius et crassius, quo tempore luctus et anxietatis accincti vestiebantur vel etiam lumbos constringebant; cf. 2 Reg. 3,31; 3 Reg. 21,27; 4 Reg. 19,1 etc.; unde ad ablationem luctus declarandam dicitur Ps. 29,12 : conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia, et ad maximam calamitatem annuntiandam : inducam super omne dorsum vestrum saccum. Quare saepius varia documenta et indicia luctus et paenitentiae iunguntur : in ieiuniis, sacco, cinere (Dan. 9, 3; Neh. 9,1; Esth. 4,3).

SACERDOS. Olim sacerdotio fungebantur i. e. sacrificia offerebant patresfamilias; ita Noe Gen. 8,20; Abraham Gen. 15,9; 22,13; Iacob 31,54 (Iob 1,5). Explicita mentio sacerdotum fit de gentibus extraneis; ita Gen. 14,18; 41,45. 50; 47,22; Ex. 2,16(3,1; 18,1); at apud Israelitas quoque iam ante sacerdotium aaroniticum exstitisse sacerdotes, consequitur Ex. 19,22. 24; sed eo tempore sacerdotii officium nulli certo ordini erat annexum; nam in foedere sinaitico Moyses « misit iuvenes de filiis Israel et obtulerunt holocausta immolaveruntque victimas pacificas Domino » Ex. 24, 5 et ipse Moyses functionem sacerdotalem exercet in conclusione foederis et in consecratione Aaron filiorumque eius (Ex. 24,6 ss.; 29,1 ss.).

Foedere enim constituto Deus Moysi ait : applica ad te Aaron cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi (Ex. 28,1). Consecratio autem describitur Ex. 29; 40,12-13; Lev. 8. Ritus erat hic : aqua loti induebantur vestimentis sacerdotalibus et oleum unctionis effundebatur super caput Aaron; etiam filios eius esse [unctos elucet Ex. 30,30 et 40,13 et Lev. 7,35; 10,7 et Num. 3,3. Dein sacrificia offerebantur vituli et duorum arietum; Aaron et filii eius victimis manus imponebant; sanguine sacrificali extremum auriculae dextrae et pollices manus et pedis dextri Aaron et filiorum linebantur et sanguine et oleo unctionis ipsi et vestes eorum aspergebantur. Insuper variae partes arietis consecrationis (eas habes Ex. 29,22 enumeratas) et fertum ponebantur super manus Aaron et filiorum, « et sanctificabis eos elevans coram Domino »; sacrificiis oblatis celebrabantur epulae sacrificales. Consecratio autem perficiebatur per septem dies; singulis diebus offerebatur vitulus pro peccato. Simul cum consecratione sacerdotum consecratio altaris quoque fiebat. Per hos septem dies non exibant de ostio tabernaculi (Lev. 8,33). Non clare apparet, sintne etiam singulis diebus uncti; de altari quidem id enuntiatur Ex. 29,36; at de Aaron filiisque solum dicitur : septem diebus implebis (consecrabis) manus eorum v. 35 i. e. oblationes descriptae v. 22-23 manibus eorum impositae coram Domino elevabantur. Octavo die Aaron fungi sacerdotio coepit offerens holocaustum; filii eius ei obtulerunt sanguinem, ipse sanguine tetigit cornua altaris reliquumque fudit ad basim eius; cf. Lev. 9,1-21; ritu peracto benedixit populo.

Certum est singulos pontifices eodem modo quo Aaron debuisse consecrari; nam « vestem sanctam qua utetur Aaron habebunt filii eius post eum, ut ungantur in ea et consecrentur (impleantur hebr.) manus eorum » Ex. 29, 29; insuper Lev. 6,20-22 praescribitur sacrificium quod die unctionis tamquam sacrificium sempiternum offerri debet « et sacerdos unctus pro eo ex filiis suis faciet illud, statutum perpetuum Domino » (Lev. 6,15 hebr.) et Lev. 21,10 legitur : sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est unctionis oleum et cuius manus in sacerdotio consecratae sunt vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet etc.; i. e. norma praescri-

bitur singulis pontificibus observanda, cuius ratio redditur eo quod uncti sunt etc.; proin ille ritus censetur observatus in singulis. Et Aaron mortuo Eleazar vestibus eius est indutus (Num. 20,26-28).

Sed quid de aliis sacerdotibus? suntne ipsi quoque, sicuti filii Aaron, peculiari unctione et consecratione ad munus obeundum initiati? Id saepius negant; ita, ut videtur Rabbini; nam Levi ben Gersom scribit ad 1 Reg. 1 : in unctione Aaron et filiorum eius ungebantur eorum posteri universi in sacerdotes, unde evenit ut postmodum nemo eorum necessario esset ungendus praeter sacerdotem summum (cf. *Selden*, De successu pontif. II. 9; *Ugolini* XII. 366) atque sacerdotes esse consecratos *Schegg* quoque negat (Bibl. Arch. p. 550). At ex lege tamen probabiliter colligitur ritus etiam pro initiatione sacerdotum; nam oleum unctionis, quo uncti sunt Aaron *et filii eius,* dicitur oleum sanctum in generationes (Ex. 30, 31), et sacrificium initiationis Aaron *et filiorum eius* dicitur sacrificium perpetuum (cf. *Selden* l. c. p. 370); insuper Iud. 17,5. 12 mentio fit impletionis manuum (i. e. consecrationis oblatione posita) ut quis constituatur sacerdos. Oleum unctionis, quod quomodo conficiendum sit describitur Ex. 30,23-33, in secundo templo iam non adhibitum fuisse Rabbini dicunt (cf. *Selden* l. c. p. 369 s.); quare ipsa quoque unctio non iam fiebat.

Ritus consecrationis aptos esse ad significandam sanctitatem et dignitatem sacerdotum quisque videt. Ipsa lotio, vestes novae iam significant puritatem; unctio symbolum est spiritus Dei quo quis imbuitur; impletio manuum, cum scil. oblatio sacra manibus imposita coram Domino elevatur, symbolum est ipsius institutionis officiique demandati sacerdotii ad dona et sacrificia offerenda. Et quia potissimum oblatione sacrificiorum populus erat expiandus et beneficia a Deo efflagitanda et Deo nomine populi cultus debitus exhibendus, sacerdotes constituebantur mediatores inter populum et Deum, quibus solis licet appropinquare, accedere ad Deum (cf. Ex. 28, 43; 30,20; Lev. 10,3; Num. 16,5). Iam ad eiusmodi mediatoris munus opus est electione ab ipso Deo facta, quae electio in Aarone et posteris eius facta et sollemni iudicio divino contra rebelles confirmata est (Num. 16,5 ss.); nam « nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron (Hebr. 5,4; Ex. 28,1); cf. Eccli. 45,7-20.

Vestes sacerdotales erant ex bysso i. e. lineae, albae (cf. שֵׁשׁ, בַּד), et Iosephus quoque λίνεον ἔνδυμα vocat vestem sacerdotalem et scribit : byssus terram videtur designare, quod ex ea nascatur linum τὸ λίνον » (Ant. III. 7,2. 7); eodem modo Philo χιτῶνα λινοῦν, ἐσθῆτα λινῆν βύσσου, τῆς καθαρωτάτης πεποιημένην vestem dicit sacerdotalem (cf. *Scholz,* Die heiligen Alterth. I. p. 53). Erant autem vestes hae : filiis Aaron tunicas lineas parabis et balteos et tiaras, facies et feminalia linea ut operiant carnem turpitudinis suae a renibus ad femora (Ex. 28,40. 42; cf. 29,8; 39,25-28; Lev. 8, 13). Unde vestitus sacerdotalis quattuor partibus constabat. Pars intima erant feminalia, quae vocantur Ex. 39, 28 מִכְנְסֵי הַבַּד שֵׁשׁ מָשְׁזָר LXX τὰ περισκέλη ἐκ βύσσου κεκλωσμένης; erant itaque tegumenta facta ex filis lineis dupliciter contortis, proin ex lino firmo; « est subligar διάζωμα circa verenda subtile ex bysso retorta contextum (ῥαπτὸν ἐκ βύσσου κλωστῆς), pedibus in illud ingredientibus veluti in braccas atque ab homine medio subscissum ad ilia ligaminibus suis stringitur » (*Ios.* Ant. III. 7,1). Vestiebatur sacerdos tunica byssina opere textili facta (Ex. 39,25), quam Iosephus ita describit : « Est tunica usque ad talos demissa, corpus arcte ambiens et manicas circa brachia adstrictas habens... haec tunica quidem sinum nusquam habet, sed amplam circa collum aperturam, quae quibusdam funiculis supra utramque scapulam adstringitur; vocatur autem μασσαβαζάνης » (l. c. 2; *ed. Niese* μασσαβάνης) i. e. תַּשְׁבֵּץ Ex. 28,4 stricta (Vulg.), κοσυμβωτός, tunica linea (byssina) texta. Qualis sacerdotum zona fuerit, non declaratur; nam Ex. 39,28 videtur solum de-

scribi cingulum pontificis. Sed cum nomen cinguli אַבְנֵט sit idem pro pontifice et sacerdotibus et LXX Ex. 39,28 praebeant numerum pluralem et in v. 25 Aaron et filii eius nominentur, non est improbabilis multorum opinio cingulum sacerdotum quoque ex quattuor illis pannis pretiosis esse confectum sicut cingulum pontificis (vide s. v. PONTIFEX). Accedit quod Iosephus cingulum sacerdotum hoc modo describit : « Zona lata digitos fere quattuor textu valde tenui, ut serpentis exuviae videretur; flores autem intextos habuit cocco et purpura, hyacintho atque bysso variegatos; at stamen eius ex sola bysso. Et a pectore incipiens atque semel et iterum circumducta illic ligatur et multa quidem defluit usque ad talos, quamdiu sacris non operatur sacerdos; sic enim spectantibus decora videtur. Cum vero sacrificare oportet et altaris ministerium peragere, ne ab ea mota in opere impediatur, super humerum laevum illam reiicit » (Ant. III. 7,2). Qua forma fuerit tiara sacerdotum, מִגְבָּעָה, κίδαρις, non describitur; solum Ex. 39,26 (hebr. 28) byssina fuisse traditur (cf. Ez. 44,18 linea) et ligatur (חבשׁ, Ex. l. c. Lev. 8,13). Iosephus eam describit eo nomine quo tiara pontificis appellatur in lege : « Super caput gestat pileum ἄκωνον (πῖλον ἄκωνον) i. e. non conicum, non in coni formam redactum, neque totum caput incingentem, sed paulo plus quam medio superimpositum; tali autem modo adornatur, ut corona esse videatur ex lineo texto instar fasciae crassae concinnata, etenim in orbem saepius replicatur atque consuitur. Deinde sindon desuper pileum integit usque ad frontem descendens et fasciae commissuras atque id quod in eis deforme est occultans et toti cranio presse adhaerens; aptatur autem accurate, ne sacrificanti forte delabatur » (l. c. 3). Sacerdotes non fuisse calceatos, sed nudis pedibus ministrasse colligi potest Ex. 29,20 et Lev. 8,23; insuper id satis iam sequitur ex ipso loco sacro (cf. Ex. 3,5; Ios. 5,16), et in tractatu mishnico de siclis commemoratur in templo praefectus super morbis viscerum, ad quem locum Bartenora adnotat sacerdotes eo quod nudis pedibus in pavimento templi incedebant eiusmodi morbis laborasse (cf. *Surenhusius* II. p. 192; Sheqalim V. 1). Vestibus istis solum utebantur in ministerio sacro; quare iubetur sacerdos, qui cineres de altari efferre debet, exutis vestibus sacris alias induere (Lev. 6,11).

Verum ut quis ex familia et posteris Aaron officio sacrificandi fungi posset, requirebatur ut nullam haberet in corpore maculam. Excludebatur itaque caecus, claudus, mutilus, distentus (שָׂרוּעַ habens membrum aliquod longius vel maius quam decet), cuius pes vel manus fracturam habet, gibbosus, macer (macie tabescens, pumilus?), albuginem habens in oculo, scabiosus, habens impetiginem, herniosus (?, LXX μονόρχις, testiculis attritis; alii : scroto turgido). Exemplum affert Iosephus : Antigonus Hyrcano aures abscidit ne deinceps ad pontificatum pervenire posset, quod mutilatus esset, cum lex id munus integrorum esse velit (Ant. XIV. 13,10); cf. Lev. 21,17-23. Iis tamen licuit ex sacrificiis oblatis comedere et quidem ea quae sancta sanctorum et sancta vocantur (v. 22 hebr.); illa erant panes propositionis, carnes sacrificii pro peccato et delicto, fertum (cf. Lev. 2,3. 10; 6,10. 18. 22; 10,12; 14,13; 24,9). Sancta vocantur sacrificia gratiarum actionis, primogenita animalium mundorum, primitiae, decimae, et quae devovebantur (cf. Lev. 10,14; 23,20; Num. 6,20; 18,12-15. 26).

Sacerdotibus dicitur : sancti erunt Deo suo et non polluent nomen eius, incensum enim Domini et panes Dei sui offerent et ideo sancti erunt (Lev. 21,6). Quare vitare iubentur varias contaminationes; ita vetantur contaminari accedentes ad mortuos (excipiuntur parentes, filii, filiae, fratres, sorores virgines); vetantur radere caput, barbam, facere in corpore incisuras, meretricem, violatam, repudiatam ducere uxorem; filia sacerdotis quae fornicata est flammis comburi iubetur (Lev. 21, 1-9).

Antequam sacerdotes functiones sa-

cras subirent, debebant manus et pedes lavare (Ex. 30,19); in ministerio constituti debebant abstinere a vino et ab inebriante potu (Lev. 10,9). Eorum erat in sacrificiis offerre sanguinem i. e. pro ratione sacrificii sanguinem aspergere contra velum sanctuarii, linere ad cornua altaris, fundere ad basim altaris, strue lignorum composita ignem in altari nutrire, quae ex sacrificiis erant comburenda in ignem altaris mittere (cf. Lev. 1,5 ss.) et generatim ritus illos observare qui pro variis oblationibus praescribuntur. Imprimis singulis diebus mane et vespere sacrificium iuge offerendum erat et populo benedicendum (cf. Lev. 9,22; Num. 6,22); eorum erat lampades cotidie mane curare et vespere eas oleo implere (de lampadibus candelabri cf. Ex. 27,21; 30,7. 8; Lev. 24,2 ss.), singulis sabbatis panes propositionis ponere (Lev. 21,8) et in itineribus deserti sacra vasa et supellectilem sacram velaminibus operire (Num. 4,5 ss.); quando castra posita erant, sacerdotes ante tabernaculum castrametabantur habentes custodiam sanctuarii (Num. 3,38); similem custodiam in templo quoque habebant (4 Reg. 12,9). Ad sacerdotes spectabat inquisitio de lepra, determinatio pretii rerum quae Domino vovebantur, expiatio et lustratio immundorum (cf. Lev. 13, 2 ss.; 27,8 ss.; Num. 19); eorum erat sacrificium zelotypiae ritumque de muliere adulterii accusata peragere (Num. 5,15 ss.), statutis temporibus tubis clangere (Num. 10,8), ante pugnam alloqui bellatores (Deut. 20,2-4), docere populum legem Dei et caerimonias et legitima (Lev. 10,11; Deut. 33,8-11; 24,8; 31,9; 2 Par. 17,8; Ier. 2,8; 18,18; Os. 4,5; Mal. 2,6. 7) et iudicare de litibus (Deut. 17,9; 19,7; 21,5; 2 Par. 19,8; Is. 18,7; Mich. 3,11).

Cum itaque tot munera iis incumberent iique soli propius ad Dominum accederent mediatores inter Deum et populum, auctoritate plurimum valebant; id quod eo quoque elucet, quia constanter simul cum principibus populi et prophetis recensentur (cf. Is. 28, 7; sollemne id est apud Ieremiam 2,8. 26; 4,9 etc. etc. Mich. 3,11; Soph. 3,4; 4 Reg. 23,2); iis levitae erant subditi, ut ministri (cf. Ex. 38,21; Num. 4,28. 33; 7,8).

Sacerdotibus dicitur a Domino : in terra eorum (filiorum Israel) nihil possidebitis nec habebitis partem inter eos; ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel (Num. 18,20). Sed ut ministris Domini Dominus ea ipsis tribuit quae in oblationem consecrantur; ita sacerdotibus cedebant primogenita, primitiae, et omnia quae ex voto (hebr. חֵרֶם anathemate) reddebant filii Israel (cf. Num. 18,8-20) itemque pretium quod pro iis solvebatur (Num. 3,47. 48; vide s. v. PRIMOGENITA, PRIMITIAE); item iis solvebant levitae decimas i. e. decimas decimarum quas levitae a populo accipiebant (cf. Num. 18,26 ss.). Praeterea ex sacrificiis oblatis quaedam in usum eorum cedebant : in holocaustis pellis victimae, omnis caro sacrificiorum pro peccato et delicto; in sacrificiis pacificis pectus victimae et pes posterior dexter (שׁוֹק, clunis), et in sacrificiis pacificis nasiraeorum praeterea etiam armus (זְרוֹעַ), et ex fertis reliqua omnia praeter pauca illa, quae in altari incendebantur, et panes propositionis (cf. Lev. 2,3. 10; 6,19; 7,6-14. 30-34; 10, 13 ss.; Num. 6,17-20). Unde, sicut Deut. 18,1 dicitur, sacrificia Domini et oblationes (hebr. partem vel hereditatem) eius comedunt. Praeterea *ex parte populi* in sacrificiis bovis vel ovis iis dabatur armus (זְרוֹעַ), maxillae, ventriculus (קֵבָה), uti Deut. 18,3 statuitur. Ex praeda bello capta a Madianitis iussu Domini tradebatur sacerdotibus « una anima ex quingentis, tam ex hominibus quam ex bobus et asinis et ovibus » (Num. 31,28. 29); estne haec lex perpetua, ut iis concederetur quingentesima pars spoliorum?

Sacerdotes i. e. posteros Eleazar et Ithamar, David divisit in viginti quattuor ordines, seu classes vel vices (1 Par. 24,3 ss.); capita horum ordinum vocabantur principes Dei, principes sacerdotum (1 Par. 24,5; 2 Par. 36,14; Esd. 8,24; 10,5), capita sacerdotum (Neh. 12,7 hebr.). Per vices ministrabant in sanctuario (cf. Luc. 1,5. 8. 23).

Sacerdotes saepe a sacro officio alienos mores ac perversos exhibuisse, ex reprehensionibus patet, quibus in eos prophetae frequenter invehuntur; cf. Is. 28,7; Ier. 5,31; 6,13; 8,10; 13,13; 20,1 ss.; 23,11 etc. Ez. 22,26; Os. 4,8; 6,9 etc. — In regno Israel Ieroboam sacerdotes excelsorum et simulacrorum in Bethel et Dan constituit de extremis populi qui non erant de filiis Levi (3 Reg. 12,31; 13,33); item incolae Samariae fecerunt sibi de novissimis sacerdotes excelsorum (4 Reg. 17,32) et regno Israel in vituperium vertitur, quod « eiecistis sacerdotes Domini filios Aaron atque levitas et fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum » (2 Par. 13,9 cf. 11,13).

Novi foederis sacerdos est Iesus, qui sacerdotio functus est in institutione Eucharistiae, ubi offerri sacrificium ex ipsis verbis (praesertim ex effusione sanguinis in remissionem peccatorum, cf. Hebr. 9,22) luculenter patet, et in morte sua in cruce (cf. Hebr. 7,27; 9, 12. 14. 25-26; 10,10. 12. 14 etc.). Cum Eucharistiam instituens dicat: hoc facite in meam commemorationem (Luc. 22, 19; 1 Cor. 11,24. 25), ipsos quoque apostolos sacerdotes instituit et consecravit, scil. iis mandans, ut sacrificium offerrent; omnis enim sacerdos constituitur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis (cf. Hebr. 5,1).

I. KNABENBAUER.

SACHACHA (סְכָכָה, Αἰοχιοζά, Αἰχιοζά), urbs in deserto Iuda (Ios. 15,61). Est ignota.

SACHAR (שָׂכָר). **1.** Pater herois Ahiam (1 Par. 11,34[35]; Ἀχάρ); 2 Reg. 23,33 vocatur SARAR.

2. Quartus filius Obededom, ianitor (1 Par. 26,4; Σαράρ).

SACRAMENTUM. Ea voce redditur in libro Dan. רָזָא secretum, res arcana, recondita Dan. 2,18. 30. 47; 4, 6; alias ea exprimitur μυστήριον eiusdem significationis; cf. Tob. 12,7; vel arcanum Dei consilium Sap. 2,22; eo sensu saepius in epistulis paulinis de arcanis Dei ad salutem hominum consiliis Eph. 1,9; 3,3. 9; Col. 1,27; 1 Tim. 3,16 (alias saepe in Vulg. retinetur mysterium). Porro simili sensu dicitur de cognitione subtili rerum absconditarum Sap. 6,24; dein etiam de significatione arcana, qua aliqua res pollet; ita Eph. 5,32; Apoc. 1,20; 17,5. Semel μυστάθεια, locus sacer, Sap. 12,5 sacramentum redditur.

Sacramentum notione theologica est signum efficax gratiae a Christo institutum. Haec septem novi foederis sacramenta satis quoque in s. litteris declarantur.

Ita baptismi formula clare indicatur Matth. 28,19 : euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; eius autem effectus exprimitur Ioan. 3,5 : nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; item Act. 22,16 : exsurge et baptizare et ablue peccata tua; item Rom. 6,5 ss.; quare vocatur lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti (Tit. 3,5); eo enim Christus suam ecclesiam sanctificat mundans lavacro aquae in verbo vitae (Eph. 5,26). Et quia quod natum est ex Spiritu, spiritus est (Ioan. 3,6), ea nativitate efficimur filii Dei, consortes naturae divinae (2 Petr. 1,4), et semen Dei in nobis est, quippe qui ex Deo nati sumus (1 Ioan. 3,9); voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius (Iac. 1,18).

Et de Confirmatione quidem post Christi verba de missione Spiritus Sancti clare edocemur Act. 8,14 ss.; mittuntur apostoli, ut qui a Philippo diacono baptizati erant per apostolos accipiant Spiritum Sanctum : tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum; item post baptismum cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos (Act. 19,6). Quae doctrina simul cum institutione de baptismo recensetur ab apostolo inter prima illa, de quibus edocendi erant neophyti (Hebr. 6,2).

De Eucharistia autem luculenta traduntur documenta in sermone promissionis eius (Ioan. 6), in quo effectus eius sacramenti describuntur, qui ipsis iam

symbolis cibi et potus satis innuuntur. Quanta autem vitae puritate opus sit ad eius sacramenti perceptionem, audi apostolum : probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini et iudicium sibi manducat et bibit (1 Cor. 11,27-29). Eius sacramenti usu praeter intimam illam cum Christo unionem et vitae supernaturalis augmentum (de quo Ioan. 6) fideles quoque inter se uniuntur : quoniam unus panis, unum corpus multi sumus qui de uno pane participamus (1 Cor. 10,17). Est hoc sacramentum donum eximium novi foederis et in eo habentur epulae sacrificales longe excellentiores illis veteris foederis; ita enim mensae Domini participes sumus (1 Cor. 10,16. 21); habemus quippe altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt (Hebr. 13,10).

Sacramentum paenitentiae, quo scil. peccata remittuntur, Christus ipso die gloriosae resurrectionis conceptis verbis clare tradidit suae Ecclesiae et id quidem sollemni quodam modo. Nam postquam cum discipulis locutus est, dixit eis iterum : pax vobis; sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Dein insufflavit : accipite, inquit, Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt (Ioan. 20,21-23). Quibus verbis illa quoque priora : quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo (Matth. 18,18), etiam ad vincula peccatorum solvenda valere aperte enuntiatur. Verum cum duplex detur potestas remittendi peccata et ea retinendi, quae sane non ad arbitrium exercenda sit, facile consequitur apostolos constitui iudices qui secundum rei veritatem ex certa rei cognitione reorumque condicione iudicare debeant, utra potestate sibi sit utendum.

Sacramenti ordinis haec habentur indicia : de ordine diaconatus Act. 6,6; qui a populo electi erant, hos statuerunt ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus; de ordinibus altioribus Act. 14,22 (χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς κατ' ἐκκλησίαν πρεσβυτέρους); 1 Tim. 4,14 : noli neglegere gratiam quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii; id quod simili modo describitur Act. 13,1-3. Item 2 Tim. 1,6 : resuscita gratiam quae est in te per impositionem manuum mearum; item habetur, dum apostolus monet Timotheum : manus cito nemini imposueris (1 Tim. 5,22).

Dignitas sacramentalis matrimonii satis designatur iis quae apostolus Eph. 5,25-32 prosequitur. Comparat enim amorem coniugalem cum Christi in Ecclesiam amore, quo illam sanctificet. Quae comparatio apta est, si ipso contractu matrimoniali gratia sacramentalis tribuitur; sin minus, illa comparatio est exaggerata, turgida, fere vana et inanis. Vel, ut ita dicam, supposita dignitate vere sacramentali illa comparatio facile et quasi sua sponte ingeritur nec quidquam habet, quod non statim intellegatur; ea vero dignitate non admissa, hyperbole est qua non tam admiratio quam potius indignatio provocetur. Accedit praeterea quod matrimonium est μυστήριον εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, qua dictione signum exprimitur indicans gratiam, ac proinde, cum in novo foedere iam non exsistant egena et infirma elementa (Gal. 4,9), signum efficax gratiae.

Sacramentum demum Unctionis extremae promulgatum habemus Iac. 5, 14. 15; habetur unctio cum oratione et eius effectus remissio peccatorum; neque a quovis illa unctio fieri potest, verum a presbyteris solum. Cum vero remissio peccatorum aliter non efficiatur, nisi infusione gratiae, iterum habetur signum efficax gratiae; tale autem signum non ab homine, sed a Christo institui potuisse quis in controversiam vocabit?

SACRIFICIUM; vide s. v. HOSTIA, VICTIMA. Sacrificium actus est virtutis religionis praestantissimus, quo Deus tamquam summus dominus agnoscitur et colitur. Quare pronum est per analogiam quandam alios etiam pietatis actus quibus Deus honoratur et placatur nominare sacrificium; ita Ps. 50,19 sa-

crificium Deo spiritus contribulatus et Ps. 140,2 dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum (i. e. oratio) sacrificium vespertinum; item Eccli. 35,2-4 sacrificium salutare est attendere mandatis etc.; Dan. 3,40; Phil. 2,17; quare sacrificare etiam sensu colendi, venerandi adhibetur; v. g. Eccli. 31,7 (graece) aurum est lignum offensionis iis qui ei sacrificant i. e. qui colunt, venerantur.

Ceterum sacrificia iniquorum non probat Deus (Eccli. 34,23); victimae impiorum abominabiles Domino Prov. 15,8, id quod saepius a prophetis monetur, ne scil. putent, se sacrificiis rite oblatis sine vera animorum pietate et aversione ab iniquitate posse Deo placere seu expiari. Quod ut clare exhibeatur, Deus quandoque dicitur nolle sacrifia; cf. 39,7; 49,9; Is. 1,11 : quo mihi multitudinem victimarum? holocausta arietum et adipem pinguium... nolui; Ier. 6,20; Am. 5,22. Quodsi legitur Ier. 7,22 : non sum locutus cum patribus vestris et non praecepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocautomatum, non negatur sacrificia esse instituta, verum allusio fit ad ipsius foederis pactionem, de qua Ex. 19,5. 6; idque patet, quia statim additur v. 23 : sed hoc verbum praecepi eis dicens : audite vocem meam et ero vobis Deus et vos eritis mihi populus; bona enim foederis illis non promissa sunt vi sacrificiorum offerendorum, sed vi et condicione oboedientiae Deo praestandae. Quare patet immerito ex hoc loco in dubium vocari institutionem sacrificiorum a Deo factam post egressum ex Aegypto.

SACRIFICIUM IUGE matutinum et vespertinum. Israel ut populus Dei cotidie cultu publico Deum prosequebatur. Cultus hic nomine totius populi celebrabatur et pro populo. Ad ostium tabernaculi seu in atrio per singulos dies duo agni anniculi in holocaustum offerebantur, unus agnus mane, alter vespere. Libamenta in agno utroque eadem erant scil. decima pars ephi similae, mixta quadrante hin olei tusi ac libamen quadrantis hin vini; cf. Ex. 29, 38-42; Num. 28,3-8; 1 Par. 16,40; Esdr. 3,3; *Flav. Ios.* Ant. III. 10,1.

De tempore offerendi holocausti matutini textus biblicus nihil refert. Ex Mishna (Tamid 3,2; Ioma 3,1) discimus tempus mactationis matutinae fuisse, ubi primum fulgor aurorae prorupisset, cum noctu mactatio esset illegitima; erat in templo locus editus, quem ascendebat speculator a praefecto templi seu principe sacerdotum missus; qui si ex illa specula videbat faciem orientis incipere coruscationes emittere, clamabat : Coruscationes; interrogabant qui in atrio erant, num lux aurorae faciem totius orientis ad Hebron usque illuminaret et speculatore affirmante statim sacrificium iuge mactabant.

Tempus sacrificii vespertini erat בֵּין הָעַרְבַּיִם seu inter duas vesperas (Ex. 29, 39. 41; Num. 28,4. 8), de qua temporis determinatione dictum est s. v. DIES.

Sacrificium vespertinum cremabatur tota nocte usque mane (Lev. 6,8. 9), sacrificium matutinum toto die in odorem suavitatis ignitum Iahwe (Lev. 6,12. 13; Ex. 29,41; Num. 28,6-8). Nullo die intermittebatur, unde erat sacrificium iuge, perpetuum, עֹלַת תָּמִיד (Num. 28,3), sacrificium (τοῦ) iugis, עֹלַת תָּמִד (Ex. 29,42; Num. 28,6), עֹלַת הַתָּמִיד (Num. 28,10. 15. 23. 24) vel simpliciter τὸ iuge, הַתָּמִיד (Dan. 8,11. 12. 13; 11, 31).

Sacrificio iugi succedebat minkha summi sacerdotis scil. « decima pars ephi similae in sacrificio sempiterno, medium eius mane et medium eius vespere » (Lev. 6,20; 9,17). Denique sicut in atrio, ita in ipso Sancto cultus cotidianus habebatur; septem lampades per totam noctem accensae erant (Ex. 27, 20. 21; Lev. 24,3). Lampades arsisse semper Ex. 27,20 interpretes explicant cum *Silveyra* : omni tempore debito; interdiu tres earum arsisse (*Flav. Ios.* Ant. III. 8,3) vel saltem unam (*Mishna*, Tamid 6,1) textus biblicus non tradit. Panes propositionis die noctuque super mensam purissimam coram Domino statuti erant (Lev. 24,5-9); incensum adolebatur mane et vespere, quando lucernae componebantur (Ex. 30,7. 8).

His omnibus tum in atrio tum in Sancto absolutis benedictio a summo sacerdote adstantibus impertiebatur (Num. 6,23 s.).

Cum sacrificium iuge pro toto populo Israel offerretur, totus vero populus adesse non posset, instituti esse feruntur viri stationarii, qui ut vicarii totius populi manus suas capiti agni imponerent. De quibus cf. *Mishna*, Taanith 4, 2. 3; *Gemara*, Taanith c. 4; *Surenhusius*, Mishna II. p. 378; *Buxtorf*, Lex. chald. talm. rabb. col. 1622 s.

SACRILEGIUM, SACRILEGUS. Ita redditur in Vulg. ἱεροσύλημα spoliatio templi vel sanctuarii 2 Mach. 4,39, et ἱεροσυλεῖν templum spoliare Rom. 2,22 (i. e. fana deorum spoliare), ἱερόσυλος 2 Mach. 4,42; Act. 19,37 (vel ἱεροσυλίας ἔνοχος 2 Mach. 13,6). Semel etiam μιαιφόνος i. e. caede contaminatus, homicida, redditur sacrilegus 2 Mach. 4,38; is scil. qui in Oniam scelus commiserat, cum Oniam pontificem insidiose interemisset, Andronicus recte ita vocatur, cum virum Deo sacrum occidisset maxima iniustitia. — Ponitur in Vulg. Num. 25,18 et Ios. 22,16, ubi in hebr. nihil legitur de sacrilegio, at ex ipsa narratione scelus commissum i. e. idololatria et fornicatio populi Num. 25,18 recte vocatur sacrilegium, uti illud quoque altare Ios. 22,16 ex mente loquentium sacrilegum vocatur; nam quodvis peccatum contra religionem quandoque appellatur sacrilegium, verum pressius violatio rei sacrae est sacrilegium et sacrilegus est, qui rem sacram violat.

SADDUCAEI (Σαδδουκαῖοι). Nomen videtur derivandum a Sadoc pontifice (3 Reg. 2,35; 1 Par. 29,22), cuius posteri pontificatum gesserunt usque ad Alcimum (an. 161 a. Chr. 1 Mach. 7,5 ss.; 9,54; 2 Mach. 14,3) et pontifices ex familia Machabaeorum (an. 152 a. Chr. et ss.). Nam צָדוֹק apud LXX Σαδωκ, et etiam Σαδδουκ scribitur; quare multo probabilius est ita nomen esse derivandum quam a צַדִּיק, ac si Sadducaei se prae aliis iustos ac probos iactassent. Erant itaque Sadducaei sectatores et fautores familiae Sadocitarum. Ultimi pontifices ex familia Sadoc erant Iason et Menelaus; uterque rerum graecarum erat studiosus moribusque corruptus (cf. 2 Mach. 4,7 ss. 39 s.; 5,15). Quare eorum familiae sectatores moribus et doctrina oppositos fuisse Pharisaeis i. e. severioribus legis defensoribus nemo mirabitur. Sadducaei traditiones illas patrum seu seniorum quas Pharisaei observandas esse iactabant repudiabant ea sola dicentes esse pro institutis habenda quae scripta sint (*Ios.* Ant. XIII. 10,6); animas simul cum corpore interire docebant neque esse praemia nec supplicia futura (Ant. XVIII. 1,4; Bell. iud. II. 8,14); eorum opinioni suffragantur pauci, sed dignitate primi; at « si quando magistratus gerunt, inviti et necessitate coacti Pharisaeorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus » (Ant. XVIII. 1,4). In mores eorum invehitur Ioannes Baptista (Matth. 3,7); Iesum tentare conantur postulantes signum de caelo, ponentes fabulam illam de muliere quae habuit septem viros, ut doctrinam resurrectionis redderent ridiculam (Matth. 16,1; Marc. 12,18; Luc. 20,27). Etiam ex Act. discimus pontificem et sacerdotes fuisse Sadducaeos et in synedrio pariter Sadducaeos fuisse (cf. Act. 4,1; 5,17; 23,6; *Flav. Ios.* Ant. XX. 9,1).

Cf. *J. Wellhausen*, Pharisaeer u. Sadducaeer, 1874; *Baneth*, Ueber den Ursprung der Sadokaeer u. Boethosaeer, 1882; *Montet*, Essai sur les origines des partis saducéen et pharisien et leur histoire jusqu'à la naissance de Jésus-Christ, 1883; *Davaine*, Le Saducéisme, étude histor. et dogmat. 1888.

SADOC (צָדוֹק, Σαδώκ, Σαδδούκ). **1.** Sadoc filius Achitob ex posteris Eleazar, constitutus est sacerdos coram tabernaculo in Gabaon a David, dum Abiathar erat sacerdos coram arca, quam David in Ierusalem ex domo Obededom transferendam curaverat (cf. 2 Reg. 6,12; 1 Par. 16,39). Erat itaque uterque princeps sacerdotum, ille in Gabaon, hic in Ierusalem, quare Sadoc et Abiathar saepius simul nominantur sacerdotes (cf. 2 Reg. 8,17; 15,35; 17,15; 20,25; 3 Reg. 4,3). Postea autem Sadoc in Ierusalem versabatur; cum enim David

ex urbe fugeret in rebellione Absalom, Sadoc arcam foederis Domini comitatus est eamque monente David reportavit in urbem. Ipse et Abiathar per filios Achimaas et Ionathas David regem certiorem fecerunt de consiliis Absalom (cf. 2 Reg. 15,24-36; 17,15 ss.) et maioribus Iuda persuaserunt, ut victoria de Absalom parta David regem in urbem reducerent (2 Reg. 19,11-15). Cum Adonias regnum appeteret, Sadoc a partibus stetit Salomonis eumque iussu David unxit regem (3 Reg. 1,8. 26. 32-45); Abiathar autem partes adiuverat Adoniae; quare Abiathar a Salomone iussus est abire in Anathoth et abstinere a sacerdotio (3 Reg. 2,26. 27), Sadoc autem unctus est pontifex (3 Reg. 2,35; 1 Par. 29,22); eius posteri pontificatum habebant usque ad Alcimum (an. 161 a. Chr.). — Sadoc itaque fidelitate erga David, regem a Deo electum, et Salomonem, qui pariter a Deo erat rex designatus, pontificatum suae familiae obtinuit. Ei fidelitati iam praelusit « puer egregiae indolis », quia iam erat inter eos qui venerunt ad David in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum iuxta verbum Domini (1 Par. 12,28). Eo quod Abiathar reiecto pontificatus transferebatur in Sadoc eiusque posteros, impletum est verbum Domini ad Heli (1 Reg. 2,31; 3 Reg. 2,27) et pontificatus ex familia Ithamar transiit in familiam Eleazar (cf. 1 Par. 6,4-8. 50-53; 24,3; Esdr. 7,2; *Flav. Ios.* Ant. V. 11,5).

A Sadoc pontifice ex nonnullorum opinione distinguendus est Sadoc sacerdos (pontifex?) filius Achitob et pater Sellum 1 Par. 6,12 [5,38]; Esdr. 7,2; Neh. 11,11. Sed diversos esse non constat.

2. Sadoc pater Ierusa matris Ioatham regis Iuda (4 Reg. 15,33; 2 Par. 27,1).

3. et **4.** Sadoc filius Baana (Neh. 3,4) et Sadoc filius Emmer (Neh. 3,29), ambo in aedificandis muris Ierusalem occupati.

5. Unus ex principibus populi et signatoribus foederis (Neh. 10,21).

6. Sadoc scriba cum aliis constitutus super horrea (Neh. 13,13).

7. Sadoc, filius Azor, pater Achim in genealogia Christi (Matth. 1,14).

SAECULUM. Adhibetur vox, ut עוֹלָם, de spatio temporis indefinite longo aut de praeterito aut de futuro; Gen. 6,4 isti sunt potentes a saeculo, a priscis temporibus; Ps. 142,3 mortui saeculi i. e. iam dudum mortui; Ex. 21,6 erit ei servus in saeculum i. e. perpetuo; 2 Par. 7,3 in saeculum misericordia eius. Ad designandam aeternitatem saepe adhibetur dictio complexa : saeculum saeculi, vel saecula saeculorum. — Ex spatio temporis indefinito contrahitur quoque ad notionem aetatis vel temporis generatim; cf. Is. 46,9 recordamini prioris saeculi, et Matth. 12,32 neque in hoc saeculo neque in futuro; Eccli. 24,14 ante saecula creata sum (Sapientia); 42,21 qui est ante saeculum. Dein usurpatur de iis quae in tempore sunt, de mundo a cuius creatione tempus incepit et cum cuius consummatione tempus desinet; Eccli. 1,2 dies saeculi quis dinumerabit? Sap. 13,9 si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum; Hebr. 1,2 per quem fecit et saecula (αἰῶνας); demum usurpatur de rebus, studiis, moribus profanis hominum, ita ut ditionem illam designet quae sit extra regnum Dei et contra regnum Dei, eo scil. sensu quo alibi mundus quoque adhibetur; ita diabolus dicitur deus huius saeculi 2 Cor. 4,4 et princeps mundi huius (Ioan. 14,30; 16,11 etc.); Rom. 12,2 nolite conformari huic saeculo; 2 Tim. 4,9 Demas me reliquit diligens hoc saeculum; 1 Ioan. 2,15. 16 : nolite diligere mundum neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae; cf. Luc. 16,8; 1 Cor. 1,20; 2,6. Tempus huius vitae et vita aeterna saepius inter se opponuntur tamquam hoc saeculum et saeculum illud vel futurum; cf. Luc. 20, 34 filii huius saeculi nubunt et traduntur ad nuptias, illi vero qui digni habebuntur saeculo illo neque nubent etc. Tit. 2,12 pie vivamus in hoc saeculo; Luc. 18,30 recipiet in saeculo venturo vitam aeternam (Marc. 10,30); Matth. 13,22 sollicitudo saculi huius; Hebr. 6,5 virtutes saeculi venturi i. e. temporis

messiani, quod tempus est more loquendi rabbinico העולם הבא αἰὼν μέλλων, dum tempus ante Messiam (et consequenter homines extra regnum messianum) vocatur העולם הזה αἰὼν οὗτος.

Inde quoque patet notio *saecularis* : 2 Tim. 1,9 et Tit. 1,2 ante tempora saecularia (πρὸ χρόνων αἰωνίων); Rom. 16, 25 mysterium temporibus aeternis (αἰωνίοις) tacitum; dein de rebus terrenis, ad victum, commercium pertinentibus : 1 Cor. 6,3 quanto magis saecularia; 6,4 : iudicia saecularia; 2 Tim. 2,4 : negotia saecularia; sanctum saeculare Hebr. 9,1 dicitur tabernaculum V. T. quia ad bona huius vitae potius largienda spectabat neque veram sanctitatem, expiationem, bona caelestia per se conferre potuit. Demum significatione deteriore : abnegantes impietatem et saecularia desideria (Tit. 2,12).

SAGE (שָׁגֵא, B א Σωλά, A Σαγή), pater Ionathan herois davidici (1 Par. 11, 33 [34]).

SAGUM. Adhibetur vox in Vulg. (Ex. 26,7 ss.; 36,14 ss.) pro hebr, יְרִיעָה cortina, velum scil. tabernaculi. Sed Iud. 3,16 de vestimento : Aod accinctus est gladio subter sagum.

SAHARAIM (שַׁחֲרַיִם, B Σααρήλ, A Σααρήμ), Beniaminita, qui in regione Moab moratus est et dimissis uxoribus suis Husim et Bara numerosam prolem de Hodes uxore sua genuit (1 Par. 8,8). Censet *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 185-187) Saharaim eundem esse atque Asbel filium Beniamin et 1 Par. 8,8. 9 verti oportere : « Saharaim (= Asbel) genuit in regione Moab de concubina sua Mehusim et Baria, duos hos. Genuit autem de uxore sua Hodes Iobab etc. » ; cf. Comm. in 1 Par. p. 170.

SAL. Multum salis acquirebatur ex mari Mortuo, quod merito appellatur mare salis (Gen. 14,3; Ios. 3,16 hebr.), in cuius margine salis micae reperiuntur; praeterea inundatione in fossis et lacunis relinquitur aqua salsa, ex qua pariter sal habetur; ad partem meridianam maris ex monte cui nunc nomen est a sale, sal lapidicinarum more caeditur (*Robinson*, Palaestina III. p. 23 ss.). Sal condimentum ciborum necessarium est : aut poterit comedi insulsum quod non est sale conditum (Iob 6,6)? Infantes recenter nati sale conspergebantur et perfricabantur (Ez. 16,4); solent enim, ut S. Hieronymus ad Ez. l. c. scribit, tenera infantium corpora ab obstetricibus sale contingi, ut sicciora sint et restringantur. Salem commercio esse transmissum Eccli. 22,18 indicatur et 39,31 inter necessaria ad vitam sal quoque recensetur. Ex 1 Mach. 10,29 et 11, 35 apparet Iudaeos solvere debuisse vectigal salis, quod vectigal iis Demetrius rex remisit. Quia sal cibis apponitur, sal cum aliquo comedere significare potest eius uti hospitio; cf. Esdr. 4,14 memores salis quod in palatio comedimus i. e. expensis regiis nutrimur, stipendiarii regis sumus. Inde quoque fluit quod sal efficitur symbolum foederis, fidelitatis, unde sal foederis dicitur (Lev. 2,13) et pactum salis foedus est, quod inviolabiliter sacrum servari debet (Num. 18,19; 2 Par. 13,5), sicut iura hospitii sacra sunt. Sale cibi redduntur sapidi, carnes servantur a corruptione; inde usus salis translatus seu symbolicus explicatur. In fertis sal debebat addi, sal foederis Domini (Lev. 2,13), ut significaretur, sacrificium debere reddi Deo acceptum ex mente sincera et incorrupta, qua offerens in foedere Dei persisteret. Sale immisso Eliseus sanavit aquas (4 Reg. 2,19-22); sale victima redditur Deo accepta (cf. Marc. 9,49; Ez. 43,24). Inde explica : vos estis sal terrae i. e. vos debetis homines reddere Deo gratos et acceptos, eos a corruptione servare; quodsi sal evanuerit i. e. si ipsi vero essetis corrupti, ad nihil iam utiles essetis nisi ad summum opprobrium subeundum (cf. Matth. 5, 13; Marc. 9,49; Luc. 14,34) et Col. 4,6 sermo vester semper in gratia sale sit conditus; i. e. habeat quasi saporem quemdam, sit iucundus aliis atque utilis. Sed cum sal sua acrimonia etiam quasi erodat atque adurat, ad contrariam quoque significationem adhibetur; accedit quod regio nitrosa vel sale infecta est sterilis (cf. Iob 39,6; Ps. 106,34 po-

suit terram frugiferam in salsuginem; Ier. 17,6). Unde explicatur ritus ille urbem maledicto devotam sale disperso declarandi (cf. Deut. 29,23; Iud. 9,45).

SALABONI, SALABONITES v. SALEBIM.

SALAI (שַׁלַּחְוִי, B Σεμεεί, A Σαλαλά), pater Azubae uxoris Asa regis et matris Iosaphat regis (3 Reg. 22,42); idem 2 Par. 20,31 scribitur in Vulg. Selahi (Σαλεί).

SALAMIEL (שְׁלֻמִיאֵל, Σαλαμιήλ), filius Surisaddai et princeps tribus Simeon (Num. 1,2; 2,12; 7,36. 41; 10,19). Idem inter maiores Iudith recensetur (Iudith 8,1; B Σαλαμιήλ, ℵ Σαμαμιήλ, Vulg. et Vetus lat. Salathiel).

SALAMIS (Σαλαμίς), urbs in litore orientali Cypri insulae sita, in qua Paulus et Barnabas primum iter apostolicum aggressi verbum Dei in synagogis Iudaeorum praedicabant (Act. 13,5). Eos diutius ibi commoratos esse melius exprimitur in textu graeco γενόμενοι (cum essent) ἐν Σαλαμῖνι, quam in Vulg. cum venissent Salaminam. Iudaei, cum complures ibidem synagogas haberent, magno numero in ea degisse censendi sunt. Idem aliunde quoque constat. Aetate machabaica Iudaeos in Cypro insula fuisse colligitur ex 1 Mach. 15, 23, item tempore Augusti Caesaris ex Flavio Iosepho (Ant. XVI. 4,5). — Salamis erat urbs maxima ac munitissima totius insulae (Diod. 14,98; 16,42), cum portu clauso ad hibernandum commodo (*Scylax*, Periplus n. 103). Reges huius urbis reliquis insulae principibus praeerant; hostis autem, qui Salamine potitus erat, totius insulae dominus habebatur. Aetate romana tota orientalis pars insulae finibus huius urbis accensebatur. Traiano imperatore Iudaei seditione facta urbem quoad magnam partem subverterunt. Constantino Magno imperatore terrae motus totam fere delevit. A Constantio II. restituta nomen Constantiae sortita est et abhinc urbs princeps totius Cypri habebatur. Hodie *Porto Costanzo*.

SALATHI (צִלְתַי, B Σεμαθεί, A Γαλαθί), princeps millium in Manasse, qui ante pugnam ad montem Gelboe Davidi se adiunxit, cum ab Aphec tribus Issachar in Siceleg rediret (1 Par. 12,20).

SALATHIEL (שְׁאַלְתִיאֵל et Agg. 1, 12. 14; 2,3 שַׁלְתִיאֵל; Σαλαθιήλ). **1.** Filius Iechoniae regis Iuda, pater Zorobabelis (1 Par. 3,17; Esdr. 3,2. 8; 5,2; Neh. 12,1; Agg. 1,1. 12. 14; 2,3. 24; Matth. 1,12; Luc. 3,27). Difficultas oritur ex eo, quod Salathiel Matth. 1,12 dicatur filius Iechoniae, Luc. 3,27 filius Neri; ad quam solvendam recurrendum est ad legem leviratus et dicendum Iechoniam cum vidua Neri genuisse Salathielem. Accedit altera difficultas, quod Zorobabel 1 Par. 3,19 dicatur filius Phadaia fratris Salathiel; ad quam solvendam alii (*Knabenbauer* ad Matth. 1,12) errorem amanuensium subesse coniiciunt, praesertim cum corruptio et confusio nominum in libris Par. haud semel deprehendatur, alii vero (*Schanz* ad Matth. 1,12; *Cornely*, Introductio III. *ed.* 2, p. 199. 200) iterum ad legem leviratus recurrunt et dicunt Phadaiam cum vidua Salathielis genuisse Zorobabelem.

2. Unus ex maioribus Iudith; v. SALAMIEL.

SALE (שֶׁלַח, Σάλα), filius Arphaxad filii Sem, pater Heber (Gen. 10,24; 11, 12 s.; 1 Par. 1,18. 24). Sed apud Luc. 3,36 et LXX Gen. 10,24; 11,12; 1 Par. 1,18 (A) Sale est filius Cainan filii Arphaxad (v. CAINAN). Aliquas coniecturas de stirpe Sale v. apud *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3,1. p. 379. 384; *Dillmann* ad Gen. 11,12.

SALEBIM (שַׁעַלְבִים, Σαλαβίν, Θαλαβίν), urbs tribus Dan (Ios. 19,42 quo loco scribitur שַׁעַלַבִּין, Σαλαμίν, Vulg. Selebim), ex qua Danitae Amorrhaeos expellere non valebant, donec domus Ioseph (Ephraimitae et Manassaei) Amorrhaeos ibidem habitantes tributarios fecerunt (Iud. 1,35). Postmodum praefecturae salomonicae a Bendecar administratae attributa est (3 Reg. 4,9). Probabilius de eadem urbe oriundus erat Eliaba heros davidicus, qui cognominatur הַשַּׁעַלְבֹנִי, Vulg. de Salaboni,

Salabonites (2 Reg. 23,32; 1 Par. 11, 32). — Ad vocem Salabim in tribu Dan adnotat Onom. (*ed. Lag.* 294, 66; 152,28) : usque hodie vicus grandis ostenditur in finibus Sebastenis (Samariae urbis) nomine Salaba. Verum hoc admitti nequit; ac primum quidem fines tribus Dan non Samariam usque protendebantur, deinde Salebim una cum Aialon et Bethsames iungitur in earumque vicinia quaerenda est (v. AIALON 1 et BETHSAMES 1); denique ipse S. Hieronymus in Commentario ad Ez. 48,22 intra fines Dan comprehendit Ioppen, turres Ailon et Selebi et Emmaus quae nunc appellatur Nicopolis. Iamvero prope *ʿAmwās* (Nicopolis) septemtrionem versus hodie cernuntur ruinae *Selbīṭ*, quae tum situ tum nomine urbi daniticae Salebim correspondent (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 52; *Legendre,* Carte de la Palestine; cf. *J. Doeller,* Geogr. u. ethnogr. Stud. z. III. u. IV. B. d. Koen. 1904, p. 47).

SALECHA, SELCHA (סַלְכָה, Ἐλχᾶ, Σεχχαί, Ἀχά, Σελά), urbs in extremis finibus Basan regni Og Amorrhaei, inter meridiem et orientem spectans (Deut. 3,10; Ios. 12,4; 13,11). Ex 1 Par. 5,11 discimus territorium Gad aliquando Selcham usque extensum esse. Eadem a Nabataeis appellatur צלחד (*de Vogüé,* Inscr. Sémit. p. 107), ab *Abulfeda* (Tab. Syr. p. 99. 105) Szarkhod 16 milliaria a Boszra (Bostra Graecorum et Romanorum), oppidum exiguum, arce munitum excelsa, vineis abundans, aqua carens praeter pluviam cisternis collectam, apud Guillelmum Tyr. 16,8 Selcath. Hodie *Salkhad* a *Djebel Ḥaurān* meridiem versus, a *Boṣrā* 4 vel 5 horis orientem versus, in colle posita, multas ruinas ex aetate tum Romanorum tum Saracenorum exhibens, iuxta antiquam viam romanam sita, quae ab Edrai (*Derʿat*) per Bostram Salecham ducebat et inde declinans inter meridiem et orientem usque ad Basra prope sinum Persicum.

Cf. *Burckhardt,* Reisen in Syrien etc. p. 180 ss.; *Porter,* Giant cities of Bashan p. 75 ss.; *Baedeker-Benzinger,* Palaestina und Syrien *ed.* 5, p. 190; *Chauvet* et *Isambert,* Syrie, Pal. 1882, p. 549; *de Vogüé,* Syrie centr. 107 ss.; Ztschr. d. D. Morg. Ges. XXXVIII. 1884, p. 532.

SALED (סֶלֶד, B Ἀλσάλαδ, A Σάλαδ), filius Nadab ex posteris Ierameel primogeniti Hesron (1 Par. 2,30).

SALEM (שָׁלֵם, Σαλήμ). **1.** Urbs Salem, cuius rex erat Melchisedech (Gen. 14,18; Hebr. 7,1. 2) i. e. Ierusalem, quam etiam appellatam esse Salem docet parallelismus Ps. 75[76],3 : Et factus est in *Salem* (Vulg. in pace, LXX ἐν εἰρήνῃ) locus eius et habitatio eius in *Sion.*

2. Salem, urbs Sichimorum secundum Vulg., LXX, Peshitta Gen. 33,18, sed cum Samar. et Targumim potius vertendum videtur : Transivitque (Iacob) *integer* (שָׁלֵם) in urbem Sichem; cf. 28,21 : si reversus fuero prospere (בְּשָׁלוֹם) ad domum patris mei. Est quidem a *Nābulus* (Sichem) orientem versus viculus *Salim,* quem complures cum antiqua urbe Salem Gen. 33,18 componunt, ut *Robinson, Wolff, Guérin,* et recentius *Zanecchia,* qui innuit nomen Salem fortasse loco inditum fuisse, quia Iacob *integer* illuc pervenerit. Sed probabilius in textu hebr. nomen non est proprium, sed adiectivum. — De viculo *Salim* fortasse Ier. 41,5 sermo est, si cum LXX legendum est Σαλήμ pro Silo (cf. s. v. SILO).

Cf. *Robinson,* Palaestina III. 314. 322. 336; *O. Wolff,* Das Buch Iudith, 1861, p. 133; *Guérin,* Samarie I. 456; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui, 1899, II. 528 s.

3. Vallis Salem (ὁ αὐλὼν Σαλήμ), quam Iudaei contra Holofernem firmaverunt (Iudith 4,4 graece; Vulg. omittit). Coniicit *O. Wolff* (Das Buch Iudith, 1861, p. 133) eam esse iuxta vicum *Salim* orientem versus a *Nābulus* (Sichem); eundem situm assignat *Fl. de Moor,* Le livre de Judith, 1895, p. 64.

SALEMOTH v. SALOMITH 3.

SALEPH (שָׁלֶף, in pausa שָׁלֶךְ, Σάλεφ), recensetur secundus inter tredecim filios Iectan (Gen. 10,26; 1 Par. 1, 20), qui Arabiam meridianam incole-

bant (v. IECTAN). Ad Phaleg referuntur a *Bocharto* (Phaleg 2,16) Alapeni sive potius Salapeni (*Ptol.* VI. 7,23) « in Arabiae Felicis mediterraneis a mari valde remoti ». Gentem *Sulaf* vel *Salif* in *Yemen* apud geographos arabicos nominari et ad Iectanidas referri demonstravit *Osiander* in Zeitschrift d. D. Morg. Ges. XI. 1857, p. 153 ss.

SALICES (עַרְבֵי, עַרְבִים, ἰτέαι) nominantur Lev. 23,40; Iob 40, 17[22]; Ps. 136[137],2; Is. 44,4. Pro salicibus torrentis LXX vertunt Iob 40,17 κλῶνες ἀγροῦ i. e. surculi agri et Lev. 23,40 post ἰτέας addunt καὶ ἄγνου κλάδους i. e. surculos viticis (*agni casti* Linné).

Salix quoque explicatur Ez. 17,5 ἅπαξ λεγόμενον צַפְצָפָה (LXX ἐπιθλεπόμενον, Vulg. superficies); quoad textum perdifficilem v. *Knabenbauer* in h. l.

Voce צפצפה designatur salix, arabice *ṣafṣāf*. Teste *G. E. Post*, Flora of Syria, 1896, p. 743 communiter in Syria crescunt *Salix fragilis* Linné, *Salix alba* Linné et etiam *Salix Babylonica* Linné, arab. *el-ṣafṣāf el-mustaḥi*, germ. *Trauerweide*, gall. *saule pleureur*, angl. *weeping willow*, praeterea *Salix Safsaf* Forskal iuxta ripas Iordanis et in vallibus ad orientem maris Mortui.

Voce ערבה designari censetur arbor salici simillima scil. *Populus Euphratica* Olivier, quae est frequens iuxta aquas in Syria, Mesopotamia et Persia, sicuti etiam *Populus alba* Linné; cf. *Post.* l. c. p. 744; *E. Boissier*, Flora orient. IV. p. 1193-4. Probabiliter autem voci ערבה praeter notionem populi etiam notio salicis convenit; cf. *I. Loew*, Aram. Pflanzennamen, 1881, n. 242. p. 300 s.

SALICUM TORRENS (נַחַל הָעֲרָבִים, ἡ φάραγξ Ἄραβας) commemoratur Is. 15,7 in vaticinio de ruina Moab. De etymo animadvertit S. Hieronymus ad h. l. (*Migne* 24,170) : Pro salicibus in Hebraeo legimus *Arabim*, quod potest et Arabes intellegi. Verum ערבים nunquam in significatione Arabum in S. Scriptura invenitur, saepius autem in notione salicum (Lev. 23,40; Iob 40,17 hebr. 22; Ps. 136,2 hebr. 137,2; Is. 44 4); unde praeferenda est versio, quam S. Hieronymus in Vulg. exprimit : torrens salicum. Ad fugam Moabitarum, quae describitur, quam maxime consentaneus videtur torrens *Wādi el-Ḥaṣā*, qui inter Moab et Edom fluit territoria *el-Kerak* et *Djebāl* (Gebalene) separans et in mare Mortuum inferius per *Ghōr el-Ṣāfiye* incidit; in cursu suo inferiore nominatur *Wādi el-Qurāḥī*. Hunc igitur iuremerito torrentem salicum censent *Knobel*, *Drechsler*, *Naegelsbach*, *Delitzsch*, *Wetzstein*, *Knabenbauer*, alii. Aliis autem praeplacet *Wādi Ṣafṣāf* (i. e. torrens salicum) seu tributarius septemtrionalis torrentis *Wādi el-Kerak* prope urbem *el-Kerak* (ita *Neteler*, *Rohling*, *Trochon*, alii). — Nota denique illum torrentem deserti (נַחַל הָעֲרָבָה, ὁ χείμαρρος τῶν δυσμῶν), de quo Am. 6,15 hebr. 6,14 mentio fit, a nonnullis interpretibus eundem haberi ac *Wādi el-Ḥaṣā*, torrentem salicum.

SALIM terra (אֶרֶץ־שָׁעֲלִים, ἡ γῆ Σεγαλίμ), quam Saul peragravit, cum asinas Cis patris sui quaereret (1 Reg. 9,4). Vide s. v. SALISA.

SALIM (Σαλείμ), ubi Ioannes Bapt. erat baptizans (Io. 3,23); v. AENNON.

SALINARUM VALLIS (גֵּיא מֶלַח, bis cum articulo גֵּיא הַמֶּלַח; Γεβελέμ, Γεμελεὸ, ἡ κοιλὰς τῶν ἁλῶν, ἡ φάραγξ τῶν ἁλῶν), in qua Davidis exercitus duce Ioab (2 Reg. 8,13; 1 Par. 18,12; Ps. 59, 2 hebr. 60,2) et postea iterum Amasias rex Iuda (4 Reg. 14,7; 2 Par. 25,11) Edomitas devicit. Communiter agnoscitur regio palustris infimo mari Mortuo adiacens *el-Ghōr* (vide s. v. ACRABIM), hodie *el-Sebkha* appellata, salsitudine celebris, cui omnino vicinus est Mons Salis (*Djebel Usdum*) iuxta litus occidentale extremi maris Mortui. In vicinia vallis Salinarum et montis *Djebel Usdum* etiam quaerenda erit civitas Salis, quae Ios. 15,62 inter sex civitates deserti Iuda enumeratur.

SALIS CIVITAS (עִיר־הַמֶּלַח, αἱ πόλεις Σαδῶν) v. SALINARUM VALLIS.

SALISA terra (אֶרֶץ־שָׁלִשָׁה, ἡ γῆ Σελχά), quam Saul peragravit, cum asi-

nas Cis patris sui quaereret (1 Reg. 9,4); transibat enim per montem Ephraim, per terram Salisa, per terram Salim, per terram Iemini, in terram Suph. Terra Salisa haud dubie componenda est cum Baal Salisa (*Khirbet Sirisia*) in regione thamnitica, quae a monte Ephraim occidentem versus descendit. Saul igitur de Gabaa Beniamin profectus inter aquilonem et occidentem perrexit et monte Ephraim superato in terram Salisa descendit. Ex eo autem quod tribus diebus post amissas asinas in terram Suph et urbem Samuelis pervenit, concludendum videtur eum ex terra Salisa meridiem versus declinasse et ita per terram Salim et Iemini in terram Suph pervenisse. Terra Salim igitur a Salisa meridiem versus sita erat vel forte inter meridiem et orientem. Terra Iemini potest terram tribus Beniamin designare (ita *Targum Ionathan*, *Peshitta*) vel aliquam eius partem. Terra denique Suph, in qua erat urbs Samuelis prophetae (1 Reg. 9,5. 6), certo determinari nequit, siquidem de urbe Samuelis opiniones sunt quam maxime diversae, ut diximus s. v. RAMATHA.

SALIUNCA, נַעֲצוּץ legitur in descriptione symbolica instaurationis messianicae Is. 55,13 : pro saliunca (LXX ἀντὶ τῆς στοιβῆς) ascendit abies i. e. pro re vili substituetur praeclarior. Sed voce נַעֲצוּץ, quae Is. 7,19 in Vulgata vertitur frutetum (LXX σπήλαιον), potius designatur frutex spinosus, vepretum, senticetum.

SALLEM (שַׁלֵּם, Συλλήμ) idem ac SELLUM 7.

SALMA (שַׂלְמָא). **1.** Idem ac SALMON.

2. Filius Hur filii Caleb et Ephratha, pater (possessor) Bethlehem (1 Par. 2, 51. 54).

SALMANA (צַלְמֻנָּע, Σελμανά, Σαλμανά), rex Madianitarum, qui cum altero rege Zebee a Gedeone in regione transiordanica devictus, captus et interfectus est (Iud. 8,5-21; Ps. 82[83],12).

SALMANA (שַׁלְמַן, Σαλαμάν), rex quidam, qui tempore Osee prophetae vastavit Beth Arbel (vide s. v.) in die belli (Os. 10,14). In inscriptionibus cuneiformibus (*Rawlinson*, Inscr. of West. Asia II. pl. 67, l. 60) nominatur *Salamanu* rex Moab, qui regi Theglathphalasar (Phul) tributa pependit. Iamvero ex 4 Reg. 13,20 discimus Moabitas tempore Ioas regis Israel in terram israeliticam irrupisse; et quamquam Ieroboam II. terminos Israel restituit, tamen inter turbationes eius mortem subsecutas omnino probabile est Moabitas iterum in ditionem Israel incurrisse et eventum illum, ad quem Os. 10,14 alludit, ad istum *Salamanu* referendum esse.

SALMANASAR (שַׁלְמַנְאֶסֶר, Σαλαμανασάρ), rex Assyriorum; forma nominis assyriaca fertur *Salmanu-ussir* i. e. Salman (deus) est benignus. Qui 4 Reg. 17,3 nominatur est quartus eius nominis rex et regnavit 726-722. Uti ex Menandro Iosephus refert (Ant. IX. 14,2), Salmanasar bellum intulit Phoeniciae et Tyrum obsedit. Bellum quoque movit contra Osee, regem Israel. Is enim iugum et tributum Assyriorum excutere volens nuntios miserat ad Sua, regem Aegypti. At Salmanasar « obsedit eum et vinctum misit in carcerem; pervagatusque est omnem terram et ascendens Samariam obsedit eam tribus annis » (4 Reg. 17,4. 5). Ascendit autem in Samariam anno quarto Ezechiae regis (4 Reg. 18,9). Samariam autem non ipse Salmanasar cepit, sed qui ei in regno successit, Sargon. Unde qui 4 Reg. 17,6 dicitur rex Assyriorum est Sargon : « anno autem nono Osee cepit rex Assyriorum Samariam et transtulit Israel in Assyrios » et 4 Reg. 18,9. 10 legitur secundum punctationem massorethicam : Salmanasar rex ascendit in Samariam et oppugnavit eam et *ceperunt* eam post annos tres. Unde neutro loco in libro Regum explicite dicitur ipsum Salmanasar cepisse urbem. Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 258. ss. ad 4 Reg. 17,3 ss.

SALMIAS (שַׁלְמִיָּה, Σελεμιά), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,39).

SALMON (Ruth 4,20. 21 שַׂלְמָה, שַׂלְמוֹן, Σαλμάν; Matth. 1,4. 5 Σαλμών, Luc. 3,32 Σαλά), filius Nahasson, pater Booz mariti Ruth; 1 Par. 2,11 vocatur Salma (שַׂלְמָא, Σαλμών).

SALMONA (צַלְמֹנָה, Σελμωνά), statio Israelitarum inter montem Hor et Phunon (Num. 33,41).

SALMONE (Σαλμώνη), Cretae promontorium maxime orientale (Act. 27,7), hodie *Sidero*. A Cnido urbe Cariae navis, qua S. Paulus Romam vehebatur, prohibente vento quominus occidentem versus tenderet, cursum meridiem versus deflectebat et promontorium Salmonem circumiens iuxta oram meridianam Cretae ferebatur. Ventus igitur contrarius flabat inter septemtrionem et occasum, qui ventus vocatur caurus vel corus. Apud Strabonem dicitur Salmonium Cretae orientale promontorium (II. 4,3), Samonium (X. 3,20; 4,2 orientalis extremitas), acutum promontorium Samonium, quod versus Aegyptum vergit et insulas Rhodo vicinas (X. 4,3).

Cf. *J. Smith*, The voyage and shipwreck of St. Paul *ed.* 2, p. 73. 74; *Conybeare* and *Howson*, Life and Epistles of St Paul *ed.* 2, II. 393; *Felten* ad h. l.; *Knabenbauer* ad h. l.

SALO (סַלּוּ, Σαλώμ), filius Mosollam de tribu Beniamin, incola Ierusalem (1 Par. 9,7); idem scribitur Neh. 11,7 Sellum (סַלָּא, Σηλώ).

SALOM (Bar. 1,7) v. SELLUM 6.

SALOME (Σαλώμη), una ex mulieribus, quae suis facultatibus Christo Domino ministrabant, ad crucem eius se sistebant (Marc. 15,40) et aromatibus corpus eius uncturae apparitione angelorum (Marc. 16,1 ss. cf. Matth. 28,1 ss. Luc. 24,1 ss.) et Christi (cf. Matth. 28,8) honoratae sunt. Salome est mater filiorum Zebedaei, Ioannis et Iacobi maioris, ut ex Marc. 15,40 coll. Matth. 27,56 colligitur. Per matrem filios primas sedes postulasse narratur Matth. 20, 20 ss.; Marc. 10,35 ss.

SALOMI (שְׁלֹמִי, Σελεμεί). **1.** Pater Ahiud de tribu Aser (Num. 34,27).

2. Pater Zamri (v. ZAMBRI 1) de tribu Simeon (1 Mach. 2,26; LXX Σαλώμ); Num. 25,14 vocatur Salu.

SALOMITH (שְׁלֹמִית). **1.** Filia Zorobabel (1 Par. 3,19; Σαλωμεθεί).

2. Filius Semei, levita de stirpe Gerson (1 Par. 23,9; *Kethib* שְׁלֹמוֹת, B Ἀλωθείμ, A Σαλωμεί(θ).

3. Filius primogenitus Isaar filii Caath (1 Par. 23,18; Σαλωμώθ); 1 Par. 24,22 vocatur Salemoth (שְׁלֹמוֹת).

4. Filius Roboam ex Maacha (2 Par. 11,20; B Ἐμμώθ, A Σαλημώθ).

SALOMON (שְׁלֹמֹה, Σαλωμών, Σολομών), filius David, quem ipsi peperit Bethsabee, postquam peccati adulterii veniam a Deo impetravit. In cuius veniae documentum Dominus « misit in manu Nathan prophetae et vocavit nomen eius Amabilis Domino (יְדִידְיָה), eo quod diligeret eum Dominus » (2 Reg. 12,24. 25). David senescente Adonias regnum affectabat et adiutoribus Ioab belli duce et Abiathar sacerdote iam ad fontem Rogel collecta populi turba sollemnitatem instituit, ut rex proclamaretur. Nathan vero propheta per Bethsabee prius, dein ipse certiorem reddit David, qui memor iuramenti quo Salomonem regnaturum promiserat matri eius, statim iubet Salomonem ungi per Sadoc sacerdotem regemque annuntiari (3 Reg. 1,5 ss.). Id quod in Gihon factum est. Quo nuntio asseclae Adoniae perterriti abierunt, ipse Adonias liber a Salomone tum quidem dimissus est, verum cum mox postulans sibi uxorem Abisag (quae Davidis fuerat) thronum usurpare velle significaret, occisus est; Ioab quoque qui noluit Salomonem regem agnoscere rebellionis scelerumque poenam morte luit et pro Abiathar pontifex constitutus est Sadoc.

Regni eius initium praeclarum fuit. Sacrificiis mille in Gabaon oblatis a Domino unam efflagitavit sapientiam ad bene regendum populum Dei, quam abundantissime sibi concedi a Domino audire meruit; « sed et haec quae non

postulasti dedi tibi : divitias scil. et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus » (3 Reg. 3, 13).

Administrationem rerum ac solutionem tributorum et vectigalium ita ordinavit, ut totum regnum in duodecim regiones divisum a totidem praefectis gubernandum curaret, quibus incumbebat statutis temporibus necessaria pro aula regia praebere (3 Reg. 14, 7 ss.). Ipse vero rex mox sese accinxit ut quae David praeparaverat exsecutioni mandaret in aedificatione templi. Quem in finem inito foedere cum Hiram rege Tyri ab eo postulavit artifices et ligna cedrina et cypressina. In fabrica templi ingens fertur numerus operariorum : 70 millia eorum qui onera portabant et 80 millia latomorum in monte; et praepositi operibus singulis erant 3 300 (vel 3 600; cf. 3 Reg. 5,15; 2 Par. 2,2). Quarto anno regni Salomonis aedificari coepta est domus Domini et anno undecimo perfecta est in omni opere suo et in omnibus utensilibus suis (3 Reg. 6,1. 38). Sollemnem templi consecrationem congregatis principibus tribuum et ducibus familiarum celebravit Salomon plurimis sacrificiis oblatis et insigni oratione ad Deum coram populo fusa (cf. 3 Reg. 8,1 ss.; 2 Par. 6. 7). Templo perfecto ad alia aedificia erigenda animum convertit. Aedificavit enim domum saltus Libani; nomen accepit ex ordinibus columnarum cedrinarum, super quas ipsum aedificium erigebatur; erat armamentarium, in quo arma, scuta aurea et thesauri pretiosi reponebantur (cf. 3 Reg. 7,2; 10, 16; 2 Par. 9,15). Huic aedificio adiungebatur porticus columnarum, post quam sequebatur porticus solii, in qua tribunal erat et thronus Salomonis (de quo cf. 2 Par. 9,17 ss.); post hanc porticum Salomonis palatium et palatium reginae i. e. filiae Pharaonis erigebatur. Multa quoque aedificavit extra Ierusalem, quae recensentur 3 Reg. 9,17-19; 2 Par. 8,6 et quibus regionem quoque contra invasiones hostiles munivit. Praeterea hortos, vineas, nemora plantavit, aquaeductus, lacus instituit (cf. Eccle. 2,4-6; Cant. 8,11; *Flav. Ios.* Ant. VIII. 7,3) et si mentio fit horti regis, torcularium regis (4 Reg. 25,4; Ier. 39,4; Neh. 2,14; 3,15; Zach. 14,10), ea quoque a Salomone originem nomenque habere existimantur.

Neque minus commercio promovendo animum applicuit. Ex Aegypto negotiatores regis equos et currus educebant (3 Reg. 10,28); classem quoque fecit in Asiongaber et simul cum Phoenicibus servi Salomonis navigabant in Ophir et inde afferebant aurum 420 talentorum, ligna thyina, argentum, dentes elephantorum, simias, pavos, gemmas (3 Reg. 9,26-28; 10,11. 22; 2 Par. 9,10. 21). Ex variis reditibus erat pondus auri quod afferebatur Salomoni per singulos annos 666 talentorum auri, eo excepto quod pendebant mercatores et quod titulo donorum afferebant reges Arabiae et duces terrae (3 Reg. 10,14. 15. 25). Ita regina Saba dedit ei 120 talenta auri et aromata multa et gemmas pretiosas. Et generatim omnia vasa convivii regis erant aurea et vasa domus saltus Libani de auro purissimo; argentum enim pro nihilo reputabatur, cum tanta esset abundantia eius in Ierusalem, quanta et lapidum (3 Reg. 10,21. 27; 2 Par. 9,19. 20), ut locutione populari et hyperbolice s. auctor refert.

Divitiae eius in armis quoque exhibebantur; nam fecit ducenta scuta de auro purissimo, in singulorum laminas impendit 600 auri siclos; fecit insuper 300 peltas; singulis insumpsit minas auri tres (3 Reg. 10,16. 17 cf. 14,26. 27). Eandem magnificentiam curribus quoque et equis ostentabat. Congregavit enim 1400 currus et quattuor millia equorum (3 Reg. 10,26; 2 Par. 1,14; 9,25) et disposuit eos per civitates munitas. Aulae eius regiae multitudine quoque aulicorum ac ministrorum ingens accedebat splendor; quantus enim eorum numerus fuerit, collige ex cibo Salomonis per singulos dies : triginta cori similae, sexaginta cori farinae, decem boves pingues et viginti boves pascuales et centum arietes excepta venatione cervorum, caprearum, bubalorum, avium altilium (3 Reg. 4,22. 23).

Rege Salomone regnum latissime patebat : a Thapsaco ad Euphraten sita

usque Gazam et usque ad confinia Aegypti et mare Rubrum (3 Reg. 4,21. 24); et habitabat Iuda et Israel absque timore ullo unusquisque sub vite sua et sub ficu sua a Dan usque Bersabee (l. c. 25). Longe lateque celebrabatur sapientia Salomonis; locutus est tria millia parabolarum et carmina eius fuerunt mille et quinque; quorum pauca servata sunt in libro Proverbiorum, Ecclesiaste, Cantico Canticorum. Praeter poesin etiam ad studium rerum naturalium animum applicuit : disputavit super lignis, a cedro usque ad hyssopum; disseruit de iumentis et volucribus, reptilibus et piscibus (l. c. 29-34).

Ad regni firmitatem et securitatem curam quoque suam applicabat. Urbem Ierusalem, quam David iam munierat, ipse etiam magis firmavit; aedificavit enim Mello (3 Reg. 9,15. 24; 11,27) et murum Ierusalem in circuitu (2 Reg. 3,1; 9,15). Terminos regni protexit munitionibus erectis; aedificavit Palmyram in deserto et alias civitates munitissimas aedificavit in Emath; firmavit Bethoron et superiorem et inferiorem, Heser (v. ASOR 1) in regione septemtrionali, Mageddo, Gazer, Balaath in regione occidentali (cf. 3 Reg. 9,15-18; 2 Par. 8,4-6). Et qui in ipsa regione palaestinensi remanserant de Amorrhaeis et Hethaeis et Pherezaeis et Iebusaeis, hos fecit tributarios (3 Reg. 9,20; 2 Par. 8,7 — eorum posteri ii videntur esse qui filii servorum Salomonis appellantur Esdr. 2,55-58; Neh. 7,57. 60; 11,3).

Morem regum orientalium secutus plurimas sibi adiunxit mulieres; sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae et adulescentularum non est numerus (Cant. 6,7), quem locum aliqui de gynacceo Salomonis explicant; at aliam eius descriptionem legimus 3 Reg. 11,3 : fuerunt ei uxores quasi reginae septingentae et concubinae trecentae, qua insana multitudine graviter neglexit legem Deut. 17,17 latam : non habebit uxores plurimas, quae alliciant animum eius. Elegerat autem sibi uxores ex Moab, Ammon, Edom, Sidon, Heth regionibus, quae suam quaeque idololatriam retinebant et a rege impetrabant, ut diis suis fana erigerentur; ita aedificavit fanum Chamos idolo Moab et Moloch idolo Ammonitarum; atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis quae adolebant thura et immolabant diis suis. Unde merito dicitur : cum iam esset senex, mulieres inclinarunt cor eius post deos alios, et abiit Salomon post Astarten deam Sidoniorum et post Moloch idolum Ammonitarum (3 Reg. 11,1 ss. cf. v. 4. 5 hebr.).

Quo agendi modo — cor eius non erat perfectum cum Deo — merito iratus est Deus Salomoni; ei suscitavit adversarium Adad Idumaeum de semine regio et Razon filium Eliada, Ieroboam quoque; simul ei denuntiatum est fore ut regnum scindatur et maior pars detur servo Salomonis, Ieroboam, cui Ahias propheta de pallio induodecim partes discisso dixit : tolle tibi decem scissuras; haec enim dicit Dominus Deus Israel : ecce ego scindam regnum de manu Salomonis et dabo tibi decem tribus (cf. 3 Reg. 11,9. 14 ss. 23-32).

Ita regnum adeo ab initio magnificum ac splendidum exitu misero terminatum est. Regnavit Salomon annos quadraginta. De eo cf. Eccli. 47,14-23. Inscribitur psalmus 71 graece εἰς Σαλωμών Vulg. in Salomonem. Pax et magnificentia regni eius etiam inservit ad regnum messianum adumbrandum (cf. Mich. 4,4 et 3 Reg. 4,25; Is. 60,5. 6 et 3 Reg. 10,1. 25; Zach. 3,10 et 3 Reg. 4,25). Quae 2 Reg. 7,14 de Salomone dicta sunt (cf. 1 Par. 22,10) : ipse erit mihi in filium, sensu typico et pleno de Christo dici docemur Hebr. 1,5. Christus commemorat magnificentiam et sapientiam eius (Matth. 6,29; 12,42). Ceterum vide s. v. ECCLESIASTES, REX. — Cf. Emin. *G. Meignan,* Salomon, son règne et ses écrits, Paris, 1890.

SALPHAAD (צְלָפְחָד, Σαλπαάδ, sed 1 Par. 7,15 B Σαπφαάδ), filius Hepher filii Galaad (Num. 26,33; 1 Par. 7,15). Cum mortuus esset non relicta prole virili, eius filiae a Moyse postularunt et impetrarunt legem de transmittenda hereditate etiam in filias (Num. 27,1-11); sed ne possessiones in terra sancta aliquando assignandae in aliarum tribuum

viros per nuptias transferrentur, postulantibus Galaaditis statutum est, filias heredes in posterum nonnisi viris suae tribus nubere debere (Num. 36,1-10). Quapropter nupserunt filiae Salphaad filiis patrui sui, ut suae tribus ac familiae utilitati consulerent (36,11. 12) et a Iosue acceperunt possessionem in medio fratrum patris sui (Ios. 17,3. 4).

SALTARE, SALTATIO. Pluribus quidem locis sermo fit in s. litteris de saltantibus; verum qualia saltationum genera in usu fuerint non indicatur. Narratur de mulieribus quae cum tympanis aliisque instrumentis musicis egrediuntur choros ducentes et cantantes (Ex. 15,20; Iud. 11,34; 21,21; 1 Sam. 18,6); Davidem legimus saltasse totis viribus ante Dominum (כרכר subsilire; 1 Par. 15,29 רקד salire) et ludentem cum omni Israel coram Domino in variis instrumentis musicis (2 Sam. 6,5. 14. 16); audimus de ludentibus in choro (Ier. 31,4), esse tempus plangendi et saltandi (Eccle. 3,4), choros versos esse in luctum (Lam. 5,15). Ex voce מחול, חולל concluditur significari saltationem in gyrum factam. Singulos saltasse, viros, mulieres, ostenditur exemplo Davidis l. c. et Cant. 7,1; plures simul saltasse in choris mulierum in aperto est positum; cf. Ier. 31,13 : tunc laetabitur virgo in choro, iuvenes et senes simul, et vide Iudith 14,13 (graece). Sacrum fuisse saltandi genus, elucet ex saltatione David; varios modos saltationum exstitisse ex ipsa vocum varietate (cf. quoque שחק) facile sequitur. Cum puerorum ludi etiam saltationes comprehenderent, uti Matth. 11,17 habetur, pueri autem imitentur quod apud adultos in usu sit, saltationes frequenter habitas fuisse concludendum erit. Illa vero saltatio quae adeo placuit Herodi (Matth. 14,6; Marc. 6,22), pro eius moribus lasciva fuisse videtur. Convivia quoque sollemniora saltatione et musica fuisse celebrata, Luc. 15,25 innuitur. Bene monet Sapiens (Eccli. 9,4) : cum saltatrice ne assiduus sis; graece μετὰ ψαλλούσης (hebr. in plurali).

Cf. *Voss*, Der Tanz u. seine Geschichte, 1868; *Franz Delitzsch*, Iris, 1888, p. 189 ss.; *Wetstein* in Ztschr. f. Ethnol. 1873, p. 285; *Chantepie de la Saussaye*, Rel.-Gesch. I. *ed.* 3, p. 380; *J. K. Zenner*, Chorgesaenge im B. d. Psalmen, 1896, p. 84-86 (Reigenlyrik im A. Test.).

SALTUS (2 Reg. 21,19; 1 Par. 20,5) v. ADEODATUS.

SALU (סַלּוּא, Σαλμών), pater Zambri principis de tribu Simeonis (Num. 25, 14); 1 Mach. 2,26 vocatur Salomi.

SALUMITH (שְׁלֹמִית, Σαλωμείθ), filia Dabri de tribu Dan, uxor viri Aegyptii, mater blasphemi cuiusdam ac lapidati (Lev. 24,11).

SALUS. Praeter significationem communem liberationis, commodi etc. adhibetur in Vulgata etiam in formula iurandi v. g. per salutem Pharao (Gen. 42,13. 16), per salutem tuam (2 Reg. 11,11; 14,19), ubi hebr. solum habetur: vivit Pharao, vivit anima tua. Reperitur quoque in inscriptione epistulae pro χαίρειν 2 Mach. 1,4; Act. 23,26. Vox dein est sollemnis pro salute messiana i. e. pro reconciliatione cum Deo remissione peccatorum accepta, pro supernaturali animae vita, pro beatitudine aeterna, brevi pro bonis illis quae Christus morte sua nobis promeruit. Ita in plerisque locis Novi Testamenti, dum in Vetere Testamento saepius de ereptione e periculis, de pace ac prosperitate temporali, de optima rerum condicione adhibetur.

SALUSA (שַׁלִּשָׁה, Σαλεισά), Aserita ex filiis Supha (1 Par. 7,37).

SALVATOR. Uti legimus in Vulgata Gen. 41,45 Ioseph accepit nomen et titulum *salvator mundi*; quaenam sit vera explicatio pro צפנת פענח, LXX Ψονθομφανήχ, ignoratur. Varia proposita sunt ab Aegyptologis; ita *Chabas :* abundantia vitae; *Lieblein* in Proc. Soc. Bibl. Arch. XX. 1898, p. 204 s. : dans nutritionem vitae; *Lenormant* priorem vocem (tsaf-en-to) declarat : nutritius mundi. Cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 550; *H. J. Heyes*, Bibel u. Aegypten I. (1904), p. 258 ss. — Salvator vocatur Othoniel Iud. 3,9, i. e. liberator, qui populum liberavit ab oppressione Chusan Rasathaim. — Verissime et saepissime Deus

vocatur salvator, et in Novo Testamento haec est designatio sollemnis Iesu Christi (cf. s. v. CHRISTUS).

SAMA. 1. Sama (הוֹשַׁמַע, Ὡσαμάθ), unus ex filiis Iechoniae paenultimi regis Iuda (1 Par. 3, 18).

2. Sama (שֶׁמַע, Σαμά) ex posteris Beniamin (1 Par. 8,13); ipse et Baria, principes cognationum beniaminiticarum in Aialon urbe danitica, habitatores Geth (Philisthaeos) fugaverunt.

3. Sama (שֶׁמַע, Σαλμαά), urbs in Negeb Iuda (Ios. 15,26). Fortasse eadem est quae urbs simeonitica Sabee Ios. 19,2; v. SABEE.

SAMAA. 1. Samaa (שְׁמַעְא, Σεμεΐ, Σαμαά), frater Davidis, pater Ionadab et Ionathan illius, qui gigantem de origine Arapha percussit (2 Reg. 21,21 *Kethib* שִׁמְעִי; 1 Par. 20,7). Idem appellatur 1 Reg. 16,9; 17,13 Samma, 2 Reg. 13,3. 32 Semmaa et 1 Par. 2,13 Simmaa.

2. Samaa (שְׁמַעְא, Σαμαά) ex maioribus Asaph praefecti cantorum davidicorum (1 Par. 6,39[24]).

3. Samaa (שְׁמַעָה, Σαμαά), Beniaminita ex posteris Iehiel possessoris Gabaon (1 Par. 8,32); idem 1 Par. 9,38 appellatur Samaan (שְׁמָאם, Σαμαά).

4. Samaa vel Somaa (הַשְׁמַעָה cum articulo, Ἀσμά), Gabaathites i. e. de Gabaa Beniamin, pater Ahiezer et Ioas, sociorum Davidis in Siceleg fugitivi (1 Par. 12,3).

SAMAAN v. SAMAA 3.

SAMACHIAS (סַמַכְיָהוּ, B Σαβχειά, A Σαμαχίας), levita ex familia Core, filius Semeiae, ianitor tempore Davidis (1 Par. 26,7).

SAMAD (שְׁמֻר, in pausa שָׁמֻר, Σήμηρ), filius Elphaal, Beniaminita, qui aedificavit urbes Ono et Lod cum viculis (1 Par. 8,12).

SAMAIA, SAMAIAS (שְׁמַעְיָה et 1 Par. 12,4 יִשְׁמַעְיָה). **1.** Unus ex maioribus Ziza principis de tribu Simeon (1 Par. 4,37; B Συμεών, A Σαμαίας).

2. Vir fortissimus, Gabaonites, qui Davidi in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,4; Σαμαίας).

3. Unus de principibus familiarum, qui cum Esdra Babylone redierunt; erat de filiis Adonicam (Esdr. 8,13; Σαμαιά).

SAMAOTH (שַׁמְהוֹת, B Σαλαώθ, A Σαμαώθ), princeps turmae 24.000 virorum, quae mense quinto Davidi regi ministrabat (1 Par. 27,8), cognominatus Iezerites (v. IEZER). Fortasse idem est ac Semma de Harodi (2 Reg. 23,25) seu Sammoth Arorites (1 Par. 11,27).

SAMARAEUS (הַצְּמָרִי cum articulo, ὁ Σαμαραῖος) recensetur decimus inter filios Chanaan (Gen. 10,18; 1 Par. 1,16), quo nomine ramus familiae Chanaan designatur. Eius nominis urbem vel castellum inter Aradum et Tripolim commemorant Strabo (XVI. 2,12 τὰ Σίμυρα), Ptolemaeus (V. 15,4 : Σίμυρα al. Ἴμυρα, *ed. Müller-Fischer* V. 14,3), Plinius (V. 20,78 : Zimyra), Mela (1,12 : castellum), Stephanus Byz. (Σίμυρος). In inscriptionibus cuneiformibus audit *Ir Simir, Simirra, Simirri* (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. ad Gen. 10,18). Hodie vicus *Sumra* in litore Phoeniciae ad radices Libani septemtrionales 25 minutis aquilonem versus a *Nahr el-Kebīr* seu Eleuthero fluvio. Merito igitur derelicta est opinio S. Hieronymi (Quaest. in Gen. *M.* 23, 954) qui cum interpretibus iudaicis et Arabico Samaraeos refert ad Emesam (*Ḥoms* orientem versus a *Sumra*).

SAMARAIM (צְמָרַיִם, Σαρά, A Σιμρίμ), urbs Beniamin inter duodecim urbes orientales enumerata (Ios. 18,22). A multis recentioribus agnoscitur in *Khirbet el-Sumra* 9 km a Iericho aquilonem versus haud procul a Iordane (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 174; *Riess*, Bibel-Atlas; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Historical Geography of the Holy Land, Plate I. IV. V.). Hoc situ admisso relinquenda est coniectura (*Dillmann* ad h. l.) urbem Samaraim fuisse iuxta montem Semeron (צְמָרַיִם, Σομόρων), quippe qui in monte Ephraim quaerendus sit (cf. 2 Par. 13,4).

SAMARATH (שִׁמְרִת, Σαμαράθ), unus ex filiis Semei et principibus cognationum Beniamin (1 Par. 8,21).

SAMARIA (שֹׁמְרוֹן i. e. ad custodiam pertinens, mons excubitorius, ut *Gesenius* interpretatur; aramaice שַׁמְרִין Esdr. 4,10. 17; Σαμάρεια ut plurimum, sed etiam Σεμερών, Σεμηρών, Σομόρων), urbs regionis Samariae, caput Ephraim (Is. 7,9), corona superbiae ebriorum Ephraim, flos decoris ornamenti eius, qui est super verticem vallis pinguium (Is. 28,1; cf. textum hebr.). Condita est ab Amri sexto rege Israel, qui montem Shomeron a Semer (שֶׁמֶר) viro ditissimo duobus talentis argenti emit et novam urbem in vertice exstructam nomine primi possessoris Shomeron appellavit (3 Reg. 16,24). Ab anno septimo Amri regis, qui sex annis Thersae regnaverat, Samaria erat sedes regum Israel (3 Reg. 16,29; 20,1 ss.; 22,52; 4 Reg. 3,1; 10,1. 12. 36 et saepius; cf. Is. 10,9. 10). Sed brevi post ipse Amri, cum a Benadad I. rege Syriae devictus esset, Syris in urbe Samaria plateas concessit pro tabernis mercium Damasco importandarum (3 Reg. 20,34). Regnante Achab Benadad II. urbem obsedit, sed in fugam coniectus est (3 Reg. 20,1 ss.). Regnante Ioram Benadad III. eam obsidione gravissima afflixit et facta est tanta fames in ea, ut caput asini octoginta argenteis venumdaretur et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis (4 Reg. 6,24 ss.); Syris autem a Deo perterritis, ut Eliseus praedixerat, obsidio cessavit (4 Reg. 7,1 ss.). Ex his iam patet urbem munitionibus firmatam fuisse; 4 Reg. 15,25 mentio quoque fit turris seu arcis palatii regii. Reges Israel ibidem sepulcra sibi exstruxerant (3 Reg. 16,28; 22,37; 4 Reg. 10,35; 13,9. 13; 14,16) atque domus eburnea, quam Achab aedificavit (3 Reg. 22,39), probabilius Samariae quaerenda est (cf. Am. 3,15), non in urbe Iezrahel. Verum impius Achab in urbe regia etiam magnificum templum Baal exstruxit (3 Reg. 16,32 s.; 4 Reg. 10,18 ss.; cf. Ier. 23,13); ibidem erat lucus Astartis (4 Reg. 13,6). In idololatriam et flagitia Samariae invehuntur prophetae (Os. 7,1; 8,5 ss.; 10,5; Ez. 16,46 ss.) et ruinam futuram praenuntiant (Am. 3,12; 4,1 ss.; 6,1; 8,14; Os. 14,1; Is. 8,4; 36,19; Ez. 23,4. 33; Mich. 1,1. 5. 6). Eliseus propheta Samariae commorari solebat (4 Reg. 2, 25); Osee quoque, qui per sexaginta eoque amplius annos in regno israelitico munere prophetae functus est, in ipsa urbe principali sine dubio saepissime degebat.

Vaticiniorum impletio facta est, cum Salmanasar rex Assyriorum Samariam per tres annos obsideret (4 Reg. 17,5 ss.; 18,9 ss. 34; cf. 21,13) et Sargon eius successor eam anno 722 a. Chr. expugnaret, ut inscriptiones cuneiformes sine ulla a textu biblico discrepantia luculenter demonstrant (cf. *Brunengo,* L'Impero di Babilonia e di Ninive I. p. 500 ss.). Neque tamen urbs funditus deleta est (cf. Ier. 41,5), sed rex Assyriorum novos colonos de Babylone, Cutha, Ava, Emath, Sepharvaim in civitates Samariae traduxit (vide s. v. SAMARITANI). Primos Graecos colonos Alexander Magnus illuc adduxit; is enim ab Aegypto reversus et Samaritanos, qui praefectum Coeles Syriae vivum cremaverant, puniturus capta urbe Macedonas, ut ibi habitarent, collocavit (*Euseb.* Chron. *ed. Schoene* II. p. 114 ad ann. Abr. 1680; *Georg. Syncell., ed. Dindorf* I. 496). Post varia bellorum fata urbs a Ioanne Hyrcano circa 107 a Chr. expugnata et funditus deleta est (*Flav. Ioseph.* Ant. XIII. 10,2-3; Bell. iud. I. 2,7). Brevi post restituta Alexandro Iannaeo parebat (Ant. XIII. 15,4). Pompeius eam provinciae Syriae attribuit (Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7), Gabinius eam refecit (Ant. XIV. 5,3; Bell. iud. I. 8,4). Augustus eam Herodi Magno dono dedit (Ant. XV. 7,3; Bell. iud. I. 20,3), a quo amplificata, munita, templis aedibusque ornata novo nomine Sebaste (i. e. Augusta) appellata est (Ant. XV. 8,5; Bell. iud. I. 21,2; *Strabo* XVI. 2,34). Idem est nomen urbis apud Talmudicos scriptores (*Mishna,* Arachin 3,2; *Neubauer,* Géographie du Talmud p. 171. 172) et hodie quoque vocatur *Sebaṣṭiye.* Ceterum quo magis Neapolis (Sichem) efflorebat, Se-

baste opibus ac fortuna minuebatur, ita ut Ammianus Marcellinus (XIV. 8, 11) inter egregias urbes Palaestinae Neapolim nominaverit, Sebasten omiserit. Eusebius eam vocat parvam urbem, πολίχνην (Onom. *ed. Lag.* 292,13), Stephanus Byz. πολίχνιον (s. v. Σεβαστή).

Hodierna urbs *Sebasṭīye* (vel *Sebasṭye* iuxta recentissimam pronuntiationem) minimam tantum partem antiquae urbis occupat; sita est enim in descensu orientali montis Samariae. Inter ruinas plurimas cernitur ecclesia S. Ioannis Baptistae melius conservata, quam reliquae. Ex traditione antiqua in cameris sepulcralibus cryptae eiusdem ecclesiae sepulta erant corpora S. Ioannis Baptistae et prophetarum Abdiae et Elisei, ut refert *S. Hieronymus*, Peregrinatio S. Paulae n. 16; Epist. 46 apud *M.* 22,491; Comment. in Abd. 1 : Sepulcrum eius (Abdiae) usque hodie cum Mausoleo Elisei prophetae et Baptistae Ioannis in Sebaste venerationi habetur, quae olim Samaria dicebatur (*M.* 25, 1099). Plura de hac re vide apud *Guérin*, Samarie II. p. 188 ss.

De Samaria-Sebaste cf. generatim *Reland*, Palaestina, p. 979-983; *Ritter*, Erdkunde XVI. 658-666; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 159 ss.; *Robinson*, Palaestina III. 365-378; *Guérin*, Samarie II. 188-210; *Sepp*, Jerusalem *ed.* 2, II. 66-74; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 160 ss. 211-215 et *Conder and Kitchener*, Large Map of Palestine, sheet XI.; *Ebers-Guthe*, Palaestina in Bild u. Wort I. (1883), p. 268 ss.; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. *B.* d. Koenige, 1904, p. 206 s.; *E. Nagl*, Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 209.

SAMARIA regio, terra. Ab urbe Samaria paulatim nomen accepit regio, terra Samaria. Urbes, civitates Samariae commemorantur 3 Reg. 13,32; 4 Reg. 17,24. 26; 23,19; Esdr. 4,10; montes Samariae Ier. 31,5; Am. 3,9; Samaritae i. e. incolae regionis, non urbis tantum 4 Reg. 17,29; regio (hebr. שָׂדֶה ager, campus) Samariae Abd. 19. Certe Iudith 1,9; 4,3[4] Samaria (Σαμάρεια) iam clare a Iudaea et Galilaea distinguitur; item in libris Mach. Σαμάρεια, Σαμαρεῖτις (1 Mach. 3,10; 5,66; 10,30. 38; 11,28. 34; 2 Mach. 15,1) et in Novo Test. Σαμαρία (Luc. 17,11; Io. 4,4. 5. 7; Act. 1,8; 8,1 ss.; 9, 31; 15,3).

Apud Flavium Iosephum Samaria (ἡ Σαμαρεῖτις χώρα) circumscribitur ac describitur Bell. iud. III. 3,4: « Samariensis autem regio inter Iudaeam quidem et Galilaeam media est (nam a vico incipiens in Magno campo iacente, nomine Ginaea, desinit in Acrabatenorum toparchiam), soli vero natura et ingenio a Iudaea nihil differt » etc. Complectebatur itaque partem meridianam tribus Issachar, Manasse cisiordanicam et maiorem partem tribus Ephraim. Eius termini erant Iordanis ab oriente, planities Esdrelon et Carmelus a septemtrione, ab occidente autem ora maritima quam Iosephus l. c. 5 ad Iudaeam accenset; terminus denique meridianus in Talmude assignatur Antipatris (vide s. v.), quae erat urbs Iudaeae extrema septemtrionem versus (*Neubauer*, Géographie du Talmud, p. 57. 73. 86). Cf. s. v. GALILAEA, IUDAEA. Descriptionem Samariae praebent ea, quae de monte Ephraim (v. EPHRAIM 3) diximus.

SAMARIA (שְׁמַרְיָהוּ, Σαμαριά), Beniaminita, qui Davidi in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,5).

SAMARIAS (שְׁמַרְיָה, Σαμαρειά), unus de filiis Herem, qui uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,32).

SAMARITANI. Sargon rex Assyriorum (722-705) capta Samaria et regno israelitico exstincto magnam populi partem transtulit in Assyrios. In eius inscriptionibus numerus refertur 27280 (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. ad 4 Reg. 17,6 ss.). In eorum locum alios substituit incolas, quos misit de Babylone et de Cutha et de Ava et de Emath et de Sepharvaim (4 Reg. 17,24); pariter legitur in annalibus Sargon incolas ex Babylone aliisque regionibus esse ab eo transportatos in terram Khatti (i. e. Syriam-Palaestinam) et in terram Bit-Omri (domus Amri, regis Israel i. e. in terram Israel) et in urbem Samariam; quam transportationem Sargon anno primo et septimo

regni sui adscribit (cf. *Schrader* l. c.). Etiam tempore subsequente mentio fit transportationis ab Asarhaddon rege Assyriorum factae (Esdr. 4,2. 10; cf. *Schrader* l. c. ad Esdr. 4,2). Unde apparet incolas regionis samaritanae tandem originem habere ex Israelitis in terra relictis et ex tribus illis variarum gentium transportationibus. Gentes illae et deos suos colebant et etiam ad cultum Iahwe instituebantur a sacerdote israelitico ad eas misso (4 Reg. 17,26-41). Decursu temporis tamen cultus unius veri Dei praevaluit exstincta idololatria, quam Iosias etiam in regionibus et urbibus Manasse et Ephraim usque Nephthali subvertit (2 Par. 34,6) et insuper omnia fana excelsorum quae erant in civitatibus Samariae abstulit (4 Reg. 23, 19). Templo iam destructo venerunt viri de Sichem et de Silo et de Samaria, octoginta viri, rasi barba, scissis vestibus, et munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini (Ier. 41,5). Et cum reduces Iudaei sese accingerent ad templum Domini iterum erigendum, Samaritani quoque cum eis aedificare volebant, « quia uti vos quaerimus Deum vestrum; ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor Haddan regis Assur qui adduxit nos huc » (Esdr. 4,2). Verum Zorobabel et Iosue et reliqui principes cum Samaritanis, utpote plebe ex alienigenis multum exorta, nolebant societatem inire; unde inimicitiae Samaritanorum ita exarserunt, ut machinationibus suis opus templi omnibus diebus Cyri usque ad regnum Darii impedirent (Esdr. 4,5). Et cum murus urbis duce Nehemia aedificaretur, Samaritanos quoque inimicos exstitisse Iudaeorum, iam ex eo probabile redditur, quia Sanaballat « coram fratribus suis et frequentia Samaritanorum » acerbe contra Iudaeos est invectus : « num dimittent eos gentes »? cf. Neh. 4,2. 8 s.

Habebant templum in monte Garizim prope Sichem; « patres nostri in monte hoc adoraverunt », dicit mulier samaritana (Ioan. 4,20). Templum permittente Alexandro M. aedificatum esse Flav. Iosephus narrat. Manasses, frater Iaddi pontificis, in matrimonium duxerat Nicaso filiam Sanaballat, qui ab ultimo rege Dario satrapa missus erat Samariam. Sed seniores Iudaeorum tale connubium abominati postulabant, ut aut divortium cum uxore faceret, aut ad aram ne accederet. Neutrum voluit Manasses praestare; unde se contulit ad Sanaballat, qui ei promisit dignitatem pontificiam et templum in monte Garizim; alii quoque sacerdotes et Israelitae eiusmodi coniugiis implicati deficiebant ad Manassem. Dario autem ab Alexandro devicto Sanaballat ad Alexandrum se contulit eique exposuit utile esse in duo dividi Iudaeorum vires; quare facile obtinuit, ut templum in monte Garizim construeretur (Ant. XI. 7,2; 8,2). Eo tempore Alexander M. Tyrum obsidebat (332 a. Chr.). Templum hoc destructum est ab Ioanne Hyrcano « postquam ducentos duravit annos » (Ant. XIII. 9,1) i. e. 128 a Chr. Unde repetito Iosephus tempus Alexandri aedificato templo assignat. Difficultas autem in eo est quod de Sanaballat et Manasse refert. Nam rem eandem narrat Nehemias de suo tempore; i. e. unum ex filiis Ioiadae pontificis fuisse generum Sanaballat Horonitae « quem fugavi a me ». Quamvis enim aliqua differant (filius pontificis; frater eiusdem; Sanaballat Horonites, Cuthaeus apud *Iosephum*), tamen pontificis et satrapae nomina, connubium, expulsio sacerdotis satis in eundem eventum conspirant. Si templum permittente Alexandro seu eius tempore aedificatum est, narratione a Nehemia tradita prohibemur quominus cum Iosepho eam occasionem statuamus. Ceterum cf. s. v. IEDDOA. Regionem samaritanam a iudaicae gentis desertoribus (ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν) habitari Iosephus affirmat (l. c. XI. 8,6) et addit : « quod si quis ab Hierosolymitis reus agebatur κοινοφαγίας aut violati sabbati aut alicuius talis peccati, is ad Sichimitas confugiebat seque iniuste accusatum dicebat ».

Samaritani itaque partim erant ex variis nationibus, partim apostatae Iudaeorum; aemulatio inter eos et Iudaeos exsistebat propter templum; prout Samaritanis utile erat, modo se esse Iudaeorum cognatos affirmabant, modo negabant sese Persas Medosque profitentes (Ant. XI. 8,6; XII. 5,5). Prae-

lerea, uti Iosephus narrat, sub Onia pontifice, filio Simonis I., multa Iudaeos laeserunt, agros eorum vastando et corpora praedando (σώματα διαρπάσαντες; l. c. XII. 4,1). Unde explicatur, cur auctor Eccli. (c. 180) acerbum illud iudicium merito fert : duas gentes odit anima mea et tertia non est populus : qui sedent in monte Seir et Philisthiim et stultus populus qui habitat in Sichimis (Eccli. 50,28 gr. 25). Stultum populum vocat i. e. in modo loquendi Sapientis, impium. Quam impietatem tempore persecutionis Iudaeorum per Antiochum Epiphanem minime celarunt. Nam cum viderent Iudaeos vario modo vexari, omnem cum eis cognationem negantes se esse Medorum ac Persarum colonos dicebant neque templum in monte Garizim esse Dei maximi; verum petebant a rege, ut templum Iovis Hellenii appellaretur (*Ios.* Ant. XII. 5,5; 2 Mach. 6,2 idque impetrarunt et templum consecrabatur Iovi hospitali). Alia quoque ratione tempore illo afflictionis Samaritanos se infensos exhibuisse Iudaeis, elucet ex 1 Mach. 3,10 : et congregavit Apollonius gentes et a Samaria virtutem multam et magnam ad bellandum contra Israel. Samaritanos clades aliquas a Iudaeis expertos esse, indicatur 1 Mach. 5,66 et tribus illis civitatibus quae ex regione Samariae additae sunt Iudaeae (1 Mach. 10,30. 38; 11,28. 34). Postea autem Ioannes Hyrcanus audita Antiochi VII. morte (128 a. Chr.) bellum Samaritanis intulit templumque destruxit (*Ios.* Ant. XIII. 9,1).

Quae fuerit simultas inter Iudaeos et Samaritanos, etiam apparet Ioan. 4,9; mulier respondet Iesu potum postulanti : quomodo tu Iudaeus cum sis bibere a me poscis muliere samaritana? et evangelista addit explicationis causa : non enim coutuntur Iudaei Samaritanis. Idque magis patet ex Ioan. 8,48; Iudaei, quam maxime in Iesum irati, non maius inveniunt convicium quod ei irrogent quam hoc : nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu et daemonium habes? Hanc simultatem aliqua civitas Samaritanorum etiam in Iesum exhibuit; nam cum illuc nuntios misisset ut sibi pararent, « non receperunt eum quia facies eius erat euntis in Ierusalem »; qua occasione etiam ex parte discipulorum odium in Samaritanos exarsit; nam Iacobus et Ioannes : Domine, inquiunt, vis dicimus ut ignis descendat de caelo et consumat illos? (Luc. 9,52). Atque Iosephus quoque varia narrat quibus illi suum in Iudaeos odium manifestarint; ita Samaritanos festo paschatis noctu ossa humana per porticus templumque disiecisse et ea contaminatione festum turbasse; esse Galilaeos ab iis occisos qui diebus festis in Ierusalem euntes per regionem Samariae iter fecerunt (l. c. XVIII. 2,2; XX. 6,1).

Neque tamen desunt quibus ostendatur multos etiam ex Samaritanis melioris fuisse indolis. Iesum scil. qui parum fidei in Iudaea invenit ad nuntium mulieris cum vera fide susceperunt : multi crediderunt in eum Samaritanorum, et rogaverunt eum, ut ibi maneret; et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius (Ioan. 4,39 s.). Ex decem leprosis sanatis unus rediit ad Iesum, cum magna voce magnificans Deum et cecidit in faciem ante pedes Iesu gratias agens et hic erat Samaritanus (Luc. 17,15). Ipse Iesus eximium reddit Samaritanis testimonium in parabola de eo qui incidit in latrones; sacerdos, levita de eo nihil curant; Samaritanus quidam iter faciens praeclara ei exhibet caritatis et misericordiae documenta (Luc. 10,33). Iesus in caelum ascensurus peculiari ratione apostolos iubet testes eius esse in Samaria (Act. 1,8; aliter utique Matth. 10,5 tempore vitae eius terrestris) et quanto fructu ibi evangelium annuntiatum sit, narratur Act. 8,5 Philippo praedicante, ipsique apostoli Petrus et Ioannes venerunt ad Samaritanos (Act. 8,14 ss.).

Cf. *Cellarius*, Collectanea historiae Samaritanae, Cizae, 1688 (etiam apud *Ugolini*, Thes. XXII.); *E. Robinson*, Palaestina III. (1842), p. 317-362; *G. I. Juynboll*, Comm. in hist. gentis Samaritanae, Lugd. Bat. 1846; *Grimm*, Die Samariter u. ihre Stellung zur Weltgeschichte, München, 1854; *Nutt*, A sketch of Samaritan history, dogma and literature, London, 1874; *Appel*, Quaest. de rebus Samaritanorum sub imperio Rom. peractis, Gottingae, 1874; *Brüll*, Zur Gesch.

u. Litter. der Samarit., Frankfurt, 1876; *Wreschner*, Samarit. Traditionen, Berlin, 1888; *A. Cowley*, Samar. Literature and Religion, in Jew. Quart. Rev. 1896, p. 562 ss.; *E. Schürer*, Gesch. des jüd. Volkes etc. *ed.* 3, II. p. 14 ss.

SAMGAR (שַׁמְגַּר, Σαμεγάρ), filius Anath, veri nominis iudex, qui Israel defendit (hebr. salvavit Iud. 3,31). Eiusdem mentio fit in cantico Debborae (5,6). Unde fuerit et ubi iudicaverit, non traditur. Exiguo tempore iudicis partes egit. Unum facinus praeclarum edidit : de Philisthiim sexcentos viros vomere vel potius stimulo boum percussit i. e. ipse cum sociis, qui pariter stimulis armati erant. Stimuli adhibiti sunt, vel quia Samgar in agro forte arans a praedatoria hostium manu subito infestatus est vel quia Philisthaei Israelitis antea subactis arma ademerant nihilque praeter instrumenta agrestia reliquerant. — Unica ratio, cur veri nominis iudex Samgar dici non possit, in eo deprehensa est, quod versu proxime sequenti (4,1) narratio ab obitu Aod, non Samgar exordium ducit. Sed advertit *F. de Hummelauer* ad 3,31 : non universis Israelitis singulos iudices imperavisse; potuit igitur, superstite Aod et praecipue tribum Beniamin iudicante, Samgar tribum Iuda aut Simeon aut Dan ab incursionibus Philisthaeorum defendere et apud easdem tribus iudicis officio fungi.

SAMGAR Ier. 39,3 hebr. v. NEREGEL SERESER.

SAMIA (שַׁמְעִיָה, Σεμεεί), Rubenita, filius Ioel (1 Par. 5,4).

SAMIA (vasa fictilia) v. SAMUS.

SAMIR (שָׁמִיר, Σαμίρ). **1.** Urbs montis Iuda et quidem in prima provincia undecim urbium meridiem spectante (Ios. 15,48). Hodie *Khirbet Sōmara* quinque horis a Hebron inter meridiem et occidentem nec procul a *Ḍāharīye* seu Dabir urbe eiusdem provinciae (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 262; *Riess, Legendre, G. A. Smith,* alii). *Guérin*, Judée III. 364 nomen vici scribit *Kh. Sumra.* Praeterea v. SAPHIR.

2. Urbs montis Ephraim, in qua Thola iudex, vir de Issachar, habitavit et sepultus est (Iud. 10,1. 2). Hodie *Khirbet Shamir* 7 km orientem versus ab *ʿAqrabe* urbe principali toparchiae Acrabatta (*Riess,* Bibel-Atlas s. v.): Ita quoque *G. A. Smith* nomine *Shamir* designat illam partem montis Ephraim, quae est inter *ʿAqrabe* et *Qarn Ṣarṭabe* (Historical Geography of the Holy Land, Plate I. V.).

3. Samir (*Kethib* שָׁמֻר, *Qeri* שָׁמִיר; Σαμήρ), filius Micha de stirpe Caath (1 Par. 24,24).

SAMMA. 1. Samma (שַׁמָּה, Σομέ) enumeratur tertius inter filios Rahuel filii Esau et eodem ordine inter duces filiorum Esau (Gen. 36,13. 17; 1 Par. 1, 37).

2. Samma (שַׁמָּה, Σαμά, Σαμμά), filius tertius Isai, frater David, bellator in exercitu Saulis in valle terebinthi (1 Reg. 16,9; 17,13). Idem appellatur 2 Reg. 13, 3. 32 Semmaa, 2 Reg. 21,21 et 1 Par. 20,7 Samaa et 1 Par. 2,13 Simmaa.

3. Samma (שֶׁמַע, Σαμαά), quartus filius Hebron de genere Caleb filii Hesron et pater Raham (1 Par. 2,43. 44); v. HEBRON 2.

4. Samma (שֶׁמַע, Σαμά) Rubenita, ex maioribus Bala incolae Aroer Arnonis (1 Par. 5,8).

5. Samma (שַׁמָּא, Σαμά) Aserita ex filiis Supha (1 Par. 7,37).

6. Samma (שָׁמָע, Σαμαθά), filius Hotham Arorites (1 Par. 11,44) i. e. de Aroer tribus Iuda, ut videtur.

SAMMAA (שַׁמְעָא, Σαμαά), levita de stirpe Merari (1 Par. 6,30[15]).

SAMMAI (שַׁמַּי). **1.** Filius Recem ex posteris Caleb filii Hesron et pater Maon possessoris Bethsur urbis (1 Par. 2,44. 45; LXX Σαμαί).

2. Filius Mered ex tribu Iuda et Bethiae filiae Pharaonis (1 Par. 4,17; LXX Σεμεί). De textu diximus s. v. BETHIA.

SAMMOTH (שַׁמּוֹת, Σαμαώθ) 1 Par. 11,27 idem ac SEMMA 2, fortasse etiam idem ac SAMAOTH.

SAMMUA (שַׁמּוּעַ). **1.** Filius Zechur

de tribu Ruben, explorator terrae promissae (Num. 13,5; Σαμουήλ).

2. Sacerdos de familia Belgae in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,18; ℵ Σναμουέ).

SAMOTHRACIA (Σαμοθράκη), insula in parte septemtrionali maris Aegaei (Act. 16,11). S. Paulus in secundo itinere apostolico Troade vela solvens recto cursu (eo ipso die) Samothraciam pervenit ibique nocte in anchoris commoratus (ut tota narratio suadet), sequenti die Neapolim urbem maritimam olim Thraciae, deinde Macedoniae attigit. Neapoli denique Philippos pervectus est. Postmodum autem Paulus et Lucas ex tertio itinere apostolico redeuntes Philippis Troadem navigarunt in diebus quinque (20,6), ventis adversis forte impediti; hoc loco Samothraciae mentio non fit.

SAMRI (שִׁמְרִי). **1.** Pater Iedihel herois davidici (1 Par. 11,45; Σαμερί).

2. Levita tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,13; Ζαμβρεί).

SAMSAI (שַׁמְשַׁי), scriba seu secretarius, qui cum Reum Beelteem magistratu regio in Samaria aliisque epistulam aramaicam ad Artaxerxen scripsit regique persuasit, ut Iudaeos prohiberet, ne muri Ierusalem exstruerentur (Esdr. 4,8. 9. 17. 23; A Σαμσαί, B Σαμασά, Σαμαέ, Σαμεαΐς, Σαμεσά).

SAMSARI (שַׁמְשְׁרַי, B Ἰσμασαριά, A Σαμσαριά), filius Ieroham, unus ex principibus cognationum Beniamin, qui Hierosolymis habitabant (1 Par. 8,26).

SAMSON (שִׁמְשׁוֹן, Σαμψών) Iud. 13-16, filius Manue Danitae de Saraa, civitate Ios. 15,33 Iudaeis, sed Ios. 19,41 Danitis concessa. Cuius uxori sterili angelus bis apparens praenuntiavit filium nasiraeum tota vita futurum et initium facturum liberandorum Hebraeorum de Philisthaeorum oppressione. Natus est Samson fuitque iuvenis insigni plane robore. Cum Thamnatham descenderet ad ducendam mulierem Philisthaeam, leonem manibus discerpsit, in cuius ore paucos post dies reperit examen apum consedisse mellaque deposuisse. Qua de re convivis nuptiarum aenigma proposuit; sed solutionem uxor blanditiis ab ipso didicit atque sodalibus prodidit. Ipse vero triginta vestes inferiores et superiores, quas pro aenigmatis solutione sodalibus solveret, totidem Philisthaeis Ascalonitis occisis detraxit. Aliquanto post, cupiens uxori reconciliari Samson a patre reiicitur reperitque alii viro traditam; perpetuas igitur Philisthaeis indicit inimicitias. Canes aureos capit trecentos, binorum caudas colligat inserta face eosque, non omnes sane eodem tempore neque eodem loco, in segetes Philisthaeorum immittit. Philisthaei pro aliqua reparatione iniuriae viro indomito illatae mulierem illam cum patre comburunt. Qua reparatione minime placatus Samson plaga magna Philisthaeos affecit. Delitescebat posthaec vir in spelunca Etam, in finibus tribus Iuda, solus. Ad quem apprehendendum iusto instructo exercitu progrediuntur Philisthaei. Adeunt Samsonem Iudaei timore exanimati ter mille. Ipse, dummodo vitam incolumis servaret, vinciri se permisit duobus funibus novis et tradi Philisthaeis. At mox perruptis funibus et apprehensa asini maxilla ingenti clade Philisthaeos affecit, plurimis interfectis. Sitientem Deus recreavit aquis de rupe profluentibus, eo etiam miraculo Hebraeis demonstrans, a quonam malorum suorum remedium exquirere deberent. Gazam aliquando clam ingressus ad mulierem meretricem divertit. Re comperta obserant fores cives. Ille vero per medias noctis tenebras portam cum postibus evellit et in proximum montem defert. Virum luxuriae deditum mulier perdidit. Fuit ea Dalila Philisthaea, cui post iteratas preces et experimenta fassus est Samson, sibi tamdiu integrum fore robur, quamdiu servata nasiraeatus condicione intonsa servaretur coma. Rasus igitur per fraudem Samson a Philisthaeis comprehenditur, erutisque oculis in carcere vili servitio addicitur. Fuit tamen viri mors haud ignobilis. Cum enim in quadam Dagonis sollemnitate ad ludibrium produceretur rursumque succrevisset coma, arreptis duabus quibus totum aedificium innitebatur columnis, aedem uni-

versam concussit et, cum ter mille Philisthaeis ruinis oppressus interiit, iudicis officio functus annis viginti. — Cf. Hebr. 11,32.

SAMUA (שַׁמּוּעַ). **1.** Filius Davidis et Bethsabee in Ierusalem natus (2 Reg. 5,14 Σαμμοῦς; 1 Par. 14,4 Σαμάα); 1 Par. 3,5 vocatur Simmaa (v. SIMMAA 2).

2. Pater Abda levitae ex posteris Idithun (Neh. 11,17; Σαμουεί); 1 Par. 9,16 vocatur Semeia (v. SEMEIA 4).

SAMUEL (שְׁמוּאֵל). **1.** Filius Ammiud de tribu Simeon, unus ex viris electis, qui terram Chanaan filiis Israel dividerent (Num. 34,20; Σαλαμιήλ).

2. Filius Thola de tribu Issachar (1 Par. 7,2; B Ἰσαμουήλ, A Σαμουήλ).

3. Samuel (Σαμουήλ), insignis ultimus iudex (Act. 13,20) et propheta (Act. 3,24; 2 Par. 35,18).

a) Erat Elcanae et Annae filius, levita (1 Par. 6,27), Ramathae (v. s. v.) natus (1 Sam. 1,19). Is precibus ac lacrimis matris diu sterilis a Deo imploratus votoque nasiraeus Domino consecratus (1 Sam. 1,11), ubi a mamma disiunctus est (1,24-28), Siluntem secessit, ut in tabernaculo sancto ad cultum divinum Heli iudice et summo sacerdote eruditetur (2,11). Puer egregia indole praeditus cum pietate ac bonis moribus filiis Heli antecelleret, tam Deo quam hominibus acceptus erat (2,26). Quare cum sermo Dei illa aetate rarus esset (3,1), ipse robustior factus caelesti sapientia et multiplici rerum cognitione imbutus est; nam et Heli sacerdoti mandatu Dei poenam ac ruinam familiae denuntiavit (3,2-18) et universo populo crebra dedit oracula (3,19-21), ita ut genuinus vates undique agnosceretur nomineque הָרֹאֶה appellaretur (1 Par. 9,22. — 1 Sam. 3,20 s.; 9,6 ss.).

b) Bello Philisthaeorum exorto Israelitae rem male gesserunt; nam bis profligati sunt, quin etiam arca Dei capta et in terram hostium deducta est (4,1-11). Quare Samuel sacrarium ornamento suo orbatum Heli mortuo (4,18) reliquisse et Ramatham videtur revertisse, ubi scholam prophetarum institueret atque dirigeret. Ibidem ex muliere ducta duos filios Ioel et Abiam genuit (8,2; 1 Par. 6,33 cf. 6,28).

c) Duo erant ei proposita, ut et cives suos ad bonos mores legesque observandas revocaret et patriam ab interitu retraheret. Itaque omni virium contentione per viginti annos enitebatur, ut idololatriam latius serpentem restingueret et libertatem suis constantissime ostenderet praemium pietatis promissum (7,2-4). Et adduxit perpetuis obsecrationibus Hebraeos calamitatibus etiam edoctos, ut idolis ablatis ad bonam frugem se reciperent. Tum totum populum ut Deo reconciliaret, Maspham congregavit et sacrificio oblato expiavit. Auctoritate igitur amplificata atque confirmata iudex populi renuntiatus est (7,5-6). Hanc autem aegre ferentes consociationem ut in ipso ortu dissolverent, Philisthaei ad ipsa comitia exercitum promoverunt. Inopinato oppressi angoribus agitabantur; fiduciae autem plenus iudex modo creatus hostia confestim mactata precibusque Deo adhibitis trepidantes in aciem produxit adiutusque divino auxilio hostes ad Lapidem adiutorii in fugam coniecit (7,7-12).

d) Hac tam praeclara victoria factum est, ut Philisthaei regionibus, quas occupaverant, redditis complures annos nihil iam auderent moliri et Israelitae animis erecti, cum salutem suam legis divinae observatione contineri perspexissent, artius ad cultum veri Dei se applicarent. Servator autem populi Ramathae habitans per multos annos cum maximo civium suorum commodo summam imperii retinuit. Quotannis totam terram perlustrabat, ut quae essent mali exempli corrigeret. Ramathae, Bethele, Galgalis, Masphae ius dicebat et sacrificia pro populo offerebat (7,13-17; quo iure sacrificaverit vide *F. de Hummelauer*, Commentarius in libros Samuelis, Parisiis, 1886, pag. 93 ss.). Ita restaurator rei publicae evasit; quae enim consilia divina Moyses populo patefecerat, ea ipse demum ad suum effectum perduxit, ita ut iam in V. Test°. Hebraeorum legum latori honorifice componeretur (Ier. 15,1; Ps. 98,6).

e) Sed dolendum est, quod ea opera, quam in re publica ab externis gentibus

defendenda posuerat, stabili fructu caruerit. Hebraei enim exiguis usi viribus (13,19 ss.) cum confinibus et peritissimis belli et mirifice tum augescentibus pares non essent, aliquanto post in potestatem quandam Philisthaeorum (9,16; 13,3) recciderunt. Quare condicione sua cum finitimis civitatibus, in quibus penes unum erat summa omnium rerum, comparata, in eam cogitationem inciderunt, ut ad libertatem tuendam totamque rem publicam confirmandam opus esse censerent principem et manu fortem et regia potestate praeditum. Accedebat, quod Samuel iam senuerat, filii autem, quos ingravescente aetate muneris sibi socios adsumpserat, degeneres pretioque venales spem auxilii vix ullam praebebant (8,1-3). His rebus commotos animos iudex auctoritate sua parumper quidem videtur compescuisse, sed ubi Naas Ammonitarum regem bellum contra Galaaditas parare percrebuit, Ramatham congregati petierunt, ut aliarum gentium instar rex sibi constitueretur. — Id Samuel aegre ferens ad Deum rettulit, a quo tamen morem populo gerere iussus est. Itaque oneribus regii imperii propositis cives suos a consilio detorquere frustra conatus (8,4-22) mandatu divino Saulem (v. s. v.) ad se deversum secreto regem unxit (9,1-10,16). Eidem postea contione Maspham convocata iactisque sortibus regnum propalam detulit; qui princeps parti tantum populi probatus est (10,17-27). Quare cum Saul Ammonitis prostratis regiae dignitati se parem praestitisset, Samuel omnes Galgala congregavit, ubi regem denuo confirmarent (11). Ipse autem Deo hominibusque iustitiae et integritatis suae testibus usus officio iudicis se abdicavit, prophetae tamen munus amplius retinuit (12).

f) Quae inter regem et prophetam intercesserit ratio, parum liquet. Certe non diu manserunt amici. Paucis enim annis post regem muneris theocratici immemorem facinoris coarguit familiamque regno privandam denuntiavit (13,8-14). Postea mandati divini interpres praecepit regi, ut bello Amalecitis illato omnes et homines et res deleret. Qui cum Agag regi pepercisset praedamque opimiorem sibi reservasset, sententiam Dei, qua ipse rex reiciebatur, detulit studioque obsequii divini incensus Agag regem in frusta concidit (15,1-33). Paulo post Davidem unxit regem (16,1-13), quem auctoritate sua videtur multum adiuvisse (19,18; 1 Par. 9,22; 11,3). Reliquum vitae prophetarum scholae regendae impendit (16,13; 19,24). Mortuus est Ramathae et cum maximo totius populi luctu sepultus (25,1). Sauli, cum pridie proelium in Gelboe committendum sagam Endorensem consulturus esset, apparens mortem imminentem fertur annuntiasse (28,3-25). Quam honorifica fuerit eius apud posteros memoria, ex Eccli. 46, 16-23 patet.

H. WIESMANN.

SAMUS (Σάμος) insula maris Aegaei iuxta litus Asiae minoris prope Ephesum et Miletum. Recensetur 1 Mach. 15,23 inter illas regiones, quibus Romani anno 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur. S. Paulus ex tertio itinere apostolico rediens a Chio insula uno die Samum navigavit, sequenti die Miletum. Quae leguntur Is. 45,9 : testa de samiis terrae (hebr. testa cum testis terrae), eo explicantur quod vasa fictilia de Samia terra confecta apud veteres auctores celebrata sunt (*Plin.* XXVIII. 12, 194). S. Hieronymus interpres nomen proprium pro communi posuit. — Ab Octaviano Augusto insula libertate donata est anno 19 a Chr. (cf. *Plin.* V. 31,135 : Samos libera).

SANABALLAT (סַנְבַלַּט, Σαναβαλλάτ), unus ex praecipuis regiis magistratibus in Samaria eo tempore, quo Nehemias in urbem Ierusalem advenit i. e. anno vigesimo Artaxerxis I., inimicus Iudaeorum, qui eos subsannat ac despicit et insidiis quoque ab extruendis muris Ierusalem arcere conatur, sed frustra (Neh. 2,10. 19; 4,1 ss.; 6,1 ss.). Inter Iudaeos, qui uxores alienigenas duxerunt, unus ex filiis Ioiadae filii Eliasib sacerdotis magni erat gener (חָתָן) Sanaballat; sed Nehemias intervenit et hunc sacerdotem, qui filiam Sanaballat in matrimonium duxerat, a se fugavit

(Neh. 13,28). Nostrum Sanaballat probabilius distinguendum esse a Sanaballat Cuthaeo, de quo Flav. Iosephus (Ant. XI. 7,2) historiam omnino similem refert, diximus s. v. ESDRAS.

Nomen est originis assyro-babylonicae significans : Sin donavit vitam, assyriace : *Sin-ballit* (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. ad Neh. 2,10). Cognominatur Horonites (Neh. 2, 10. 19; 13,28), i. e. oriundus de Oronaim urbe Moab (ut putant *Winer* s. v., *Gesenius*, Thesaurus p. 459) vel de Bethoron urbe Ephraim; hoc alterum multis recentioribus praeplacet, qui ex nomine assyro-babylonico arguunt eum ab istis colonis descendere, quos Asarhaddon de Babylone, Cutha, Ava, Emath, Sepharvaim in Samariam adduxerat (cf. 4 Reg. 17,24); ex altera parte origini eius moabiticae favere videtur, quod eius amici ac praecipui adiutores erant etiam transiordanici scil. Tobias servus Ammanites et Gosem Arabs.

SANAN (עְנָן, Σεννά), urbs in campestribus Iuda, in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,37). Forte eadem est quae Mich. 1,11 צַאֲנָן (Σενναάρ, Vulg. in exitu); de hoc textu cf. *Knabenbauer*. Situs determinari nequit.

SANCTIFICARE, SANCTITAS. Sanctum dicitur sensu generali omne id quod ab usu communi separatum aliqua ratione ad cultum vel obsequium divinum dedicatur. Ita Gen. 2,3 dies septimus dicitur sanctificatus, quia ex numero dierum electus est ad cultum Dei; similiter : sanctifica mihi omne primogenitum Ex. 13,2, quia primogenitum usui profano subtrahitur et Deo sistitur. Porro sanctificari ii quoque dicuntur, qui a Deo ad opus quoddam exsequendum mittuntur; ita Medi quos Deus mittit ad expugnandam Babylonem dicuntur Is. 13,3 ego mandavi sanctificatis meis. Dein qui se vestimentis lotis et munditia servata praeparant ad cultum Dei, sacerdotes, levitae, qui ex legis praescripto a contaminatione legali cavent ne a ministerio sacro impediantur, se sanctificare dicuntur (cf. Ex. 19,10. 14. 22; 1 Reg. 7,1; 16,5; 1 Par. 15,12 etc.). Quare qui ritu quodam ad Dei cultum vel servitium consecrantur, sanctificari dicuntur; ita Aaron et filii eius sanctificantur, dum a Moyse variis caerimoniis ad sacerdotium initiantur (Ex. 28,3. 41; 29,24); pariter vasa in cultum Dei consecrata, oblationes Deo factae sanctificantur (Ex. 29,26-44; 30,31. 32; 40,9; Lev. 5,15 etc.). Sanctificari is quoque dicitur qui rem sacrosanctam tetigerit (cf. Ex. 29,37; 30,29; Lev. 6,18); et similiter dicitur de hostia pro peccato : quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur i. e. vestis quae sanguine eius fuerit aspersa evadebat sancta i. e. debuit lavari, ita ut nefas esset eam antea ad usum adhibere profanum. Generatim sanctum est quod a contaminatione legali est mundum vel ab ea purificatum.

Verum praeter hanc sanctitatem externam, theocraticam, leviticam etiam postulatur vera sanctitas interna i. e. integritas morum, fuga peccatorum, pietas, observatio mandatorum Dei. Haec est illa cordis circumcisio (Deut. 10,16); ad hanc frequentissime admonent prophetae, quoties scil. in scelera invehuntur et Dei castigationes annuntiant; cf. Ps. 49,16 ss.; 50,4 ss.; Is. 1, 16 ss.; 5,8 ss.; 58,1 etc.

Quam sanctitatem Iesus a suis exigat, in sermone montano declaratur. Vocantur in Novo Test. fideles sancti; tempus enim messianum iam a prophetis annuntiatum est ita, ut sanctitatem, vel Dei cognitionem, iustitiam, vel Dei largissimam benedictionem et felicitatem multiplicem (quippe quae sit observationis mandatorum Dei documentum insigne), veluti notam et indolem peculiarem efferrent. Dein fideles baptismo Deo sunt consecrati, complantati cum Christo, habentes Spiritum Sanctum inhabitantem, sunt filii Dei et heredes Dei (cf. Rom. 6,3 ss.; 8,9; Gal. 4,6), sunt templum Dei (1 Cor. 3,16); proinde multis nominibus recte sancti appellantur, qui etiam ad eximiam sanctitatem vocantur (Matth. 5,48). Quodsi S. Paulus virum infidelem pacifice cohabitantem cum muliere fideli dicit sanctificatum esse per mulierem fidelem, id explica ita, ut iam aliquo modo pertineat

ad regnum messianum, quia cum muliere fideli vi matrimonii una caro est; unde cum ea vivens per eam quasi iam aliqua ratione e ditione diaboli est exemptus (1 Cor. 7,14; cf. *Cornely* ad h. l.).

SANCTUM, SANCTUM SANCTORUM vide s. vv. TABERNACULUM, TEMPLUM; et quae ex oblationibus ita vocantur, s. v. SACERDOS.

SANCTUS ISRAEL nomen Dei est, potissimum apud Isaiam, quo exprimitur Deum, uti in se est perfectissimus et summa norma et regula iustitiae, integritatis, puritatis, ita etiam omnia consilia et opera sua in id dirigere, ut ordo ille sacrosanctus iuris et iustitiae inter homines instituatur, reparetur, promoveatur. Et quia ipse est Sanctus, ideo in violatores sanctitatis severe animadvertit. Quae sit ratio peculiaris, cur id Dei nomen cumprimis apud Is. usurpetur, vide *Knabenbauer,* Comm. in Is. I. p. 128 ss.

SANDALIA soleae sunt vel coriaceae vel ligneae, quibus pedum plantae teguntur et quae funiculis superne pedibus adstringuntur; cf. Marc. 6,9; Act. 12,8 (graece; Vulg. calcea te caligas tuas). Mulieres sandalia quoque quamplurimum exornata gessisse, concluseris ex Iudith 10,3 et cumprimis 16,11 : sandalia eius rapuerunt oculos eius.

SANGUIS. Quod a Domino dictum est ad Noe : carnem cum sanguine non comedetis (Gen. 9,4), etiam postea confirmatum est ratione addita : anima enim omnis carnis in sanguine est, unde dixi filiis Israel : sanguinem universae carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est; et quicumque comederit illum peribit (Lev. 17,14; cf. 7,26). Est enim sanguis quasi vehiculum vitae, unde anima i. e. vita dicitur esse in sanguine, quo per corpus peragente circulationem vita sustentatur, quo effuso vita cessat. Summus itaque vitae Dominus subiectionem ita sibi declarari voluit, ut a sanguinis comestione abstinerent; praeterea ex eadem ratione, quia vita maxime aestimatur, sanguinem « dedi vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris et sanguis pro animae piaculo sit » (Lev. 17,11). Quare in sacrificiis actio sacrificalis quae unice a sacerdote fieri debet, est aspersio sanguinis, qui vel ad cornua altaris linitur, vel ad eius basin effunditur etc.; unde expiatio sanguine fit : « omnia paene in sanguine secundum legem mundantur et sine sanguinis effusione non fit remissio » (Hebr. 9,22). Abstinentia a sanguine lege ecclesiastica ab initio imponebatur iis fidelibus, qui erant Antiochiae, Syriae, Ciliciae (Act. 15,23. 29), quo scil. facilius vitae communis ratio inter fideles ex gentibus et Iudaeis institueretur et conservaretur.

Cum ita sanguis sit הַנֶּפֶשׁ־הִיא (Deut. 12, 23), explicantur dictiones : effundere sanguinem alicuius i. e. eius vitam perdere, eum interimere (Gen. 9,6); sanguinem alicuius exquirere i. e. necem alicuius ulcisci (Gen. 42,22); גֹּאֵל הַדָּם est ille propinquus qui ultor necis esse debet (Num. 35,19 ss.; Deut. 19,6. 12; Ios. 20,9); innocentem sanguinem fundere (4 Reg. 21,16); sanguinem innocentem condemnare Ps. 93,21, et uti Iob 24,12 (hebr.) dicitur : anima percussorem clamat, ita Gen. 4,10 vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sanguis ponitur quoque notione caedis, v. g. Lev. 17,4 sanguinis reus erit (cf. Num. 35,27 hebr.; iudicium ambiguum inter sanguinem et sanguinem); ita etiam sanguines i. e. homicidia, Ps. 50,16 libera me de sanguinibus; similiter vir sanguinum Ps. 5,7 etc. i. e. caedis avidus; domus sanguinum, civitas sanguinum (2 Reg. 21,1; Ez. 22,2; 24,6) est domus, urbs, quae culpam caedium habet nondum expiatam; sanguis eius (sit) super eum (Lev. 20,9. 11. 12 etc.) : ipse sibi est causa mortis, culpa mortis ei attribuitur vel caedes ei adhaeret, caedem commisit, ergo occidi debet.

De agro sanguinis v. HACELDAMA.

SANGUISUGA. Ita vertitur hebr. עֲלוּקָה, LXX βδέλλη Prov. 30,15; verum tota sententia est obscura vel manca : sanguisugae duae sunt filiae : affer, affer. Neque quidquam explicatur eo quod aliqui interpretantur : filias duas illius

עלוקה esse infernum et os vulvae et haec tria satiari non posse. Alii interpretantur spectrum daemoniacum. Cf. praeter commentarios in Prov. *Sam. Bochart*, Hieroz. P. II. l. 5, c. 19; *P. Cultrera*, Fauna biblica, 1880, p. 385 s. : *Hirudo* Linné, *Sanguisuga* Sav.

SANIR mons v. HERMON

SAPH (סַף, Σέφ), gigas de stirpe Arapha, quem percussit Sobochai (2 Reg. 21,18); idem 1 Par. 20,4 vocatur Saphai (סִפַּי, B Σαφούτ, A Σέφφι).

SAPHAI v. SAPH.

SAPHAN. 1. Saphan (שָׁפָם, B Σαβάτ, A Σαφάμ), princeps quidam Gaditarum in Basan (1 Par. 5,12).

2. Saphan (שִׁפִּים, B Μαμφείν, A Σεφφείμ) 1 Par. 7,15 idem est ac Sepham Beniaminita 1 Par. 7,12. Cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 178.

3. Saphan (שָׁפָן, Σαφφάν, Σαφάν) scriba Iosiae regis, filius Asliae (4 Reg. 22,3) seu Eseliae (2 Par. 34,8), pater Ahicam (4 Reg. 22,12; 2 Par. 34,20), Elasae (Ier. 29,3), Gamariae (Ier. 36,10. 11. 12), avus Godoliae (4 Reg. 25,22; Ier. 39,14; 40,5. 9. 11; 41,2; 43,6), Michaeae (Ier. 36,11). Una cum Maasia principe civitatis et Ioha, qui erat a commentariis, a Iosia rege missus est ad Helciam sacerdotem, ut instaurarent templum Domini; qua occasione cum librum Legis ab Helcia repertum accepisset et coram rege legisset, missus est cum aliis legatis ad Holdam prophetidem consulendam eiusque responsum ad Iosiam detulit (4 Reg. 22,3 ss.; 2 Par. 34, 8 ss.).

4. Saphan (שָׁפָן, Σαφάν), pater Iezoniae (Ez. 8,11). Quisnam hic Saphan fuerit, prorsus incertum est; fortasse est idem ac Saphan 3.

SAPHAT (שָׁפָט, Σαφάτ, Σαφάθ). **1.** Filius Huri de tribu Simeon, explorator terrae promissae (Num. 13,6[5]).

2. Pater Elisei prophetae (3 Reg. 19, 16. 19; 4 Reg. 3,11; 6,31; B 3,11 Ἰωσαφάθ).

3. Filius Semeiae ex posteris David (1 Par. 3,22).

4. Princeps quidam Gaditarum in Basan (1 Par. 5,12); apud LXX loco nominis proprii legitur ὁ γραμματεύς appositio nominis praecedentis.

5. Filius Adli, a Davide super boves in vallibus constitutus (1 Par. 27,29; B Σωφάν, A Σωφάτ).

SAPHATHIA, SAPHATIA, SAPHATIAS (שְׁפַטְיָה, שְׁפַטְיָהוּ; Σαβατειά, Σαφατιά, Σαφατίας, Σαφατείας, Σαφατειά).

1. Filius Davidis et Abital, natus in Hebron (2 Reg. 3,4; 1 Par. 3,3).

2. Pater Mosollam Beniaminitae (1 Par. 9,8).

3. Beniaminita, cognominatus Haruphites (vide s. v.), qui Davidi in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,5).

4. Filius Maachae, dux tribus Simeon tempore Davidis (1 Par. 27,16).

5. Unus ex filiis Iosaphat regis, quos Ioram frater primogenitus interfecit (2 Par. 21,2).

6. Nathinaeus, cuius posteri 372 numero cum Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,4; Neh. 7,9; Vulg. Esdr. 2,4 Sephatia, B Ασάφ); de eadem familia duce Esdra rediit Zebedia cum 80 viris (Esdr. 8,8).

7. Unus ex servis Salomonis, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,57; Neh. 7,59).

8. Unus ex posteris Phares et ex maioribus Athaiae (Neh. 11,4); scribitur in Vulg. etiam Zaphatia.

9. Filius Mathan, unus ex principibus, qui Sedeciae regi Iuda auctores fuerunt, ut Ieremias in lacum (cisternam vel foveam) coniiceretur (Ier. 38, 1; Σαφανίας).

SAPHIR (שָׁפִיר, LXX καλῶς, Vulg. pulchra) legitur Mich. 1,11 in plaga Iudaeae annuntianda. Secundum Onom. (*ed. Lag.* 293,37; 151,27) erat villa in montanis sita inter Eleutheropolim et Ascalonem in tribu Iuda. Correspondere videtur *Sawāfīr* inter meridiem et orientem ab Azoto (*Van de Velde, Robinson, Conder, Legendre*). Eo nomine designantur tres vici; cf. *M. Hagen*, Atlas biblicus (1907), Tab. 13 B 2. Aliqui coniiciunt eandem esse Saphir et Samir Ios. 15, 48, quo loco LXX A praebent Σαφειρ.

« Sed quidquid est, urbs in Iudaea sita ad contextum prorsus apte affertur. Allusio est in nominis significatione, ut civitas elegans, ornata, iam summo pudore et dedecore affecta in captivitatem abducatur » (*Knabenbauer* ad Mich. 1,11).

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 631; *Van de Velde*, Memoir, 1858, p. 346; *Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. II. 413; *Legendre*, Carte de la Palestine.

SAPHIRA (Σαπφείρη, cod. cantabrig. seu Bezae et laudianus Σαφφιρα), uxor Ananiae (Act. 5,1); v. ANANIAS 6.

SAPHON (צָפוֹן, B Σαφάν, A Σαφών), urbs tribus Gad in valle Iordanis (Ios. 13,27). Probabilius eiusdem urbis mentio fit Iud. 12,1 : Ephraimitae transierunt ad Iephte in Saphon (צָפוֹנָה, Vulg. contra aquilonem, B εἰς βορρᾶν, A εἰς Κέφεινα). Apud Talmudicos Saphon est Amatho. Amathus autem apud Flav. Iosephum erat urbs munitissima ad Iordanem sita, quam Alexander Iannaeus demolitus est (Ant. XIII. 13,5; Bell. iud. I. 4,2 s.) et Gabinius unum ex quinque iuridicis conventibus seu synedriis Palaestinae constituit (Ant. XIV. 5,4). Apud Eusebium ponitur Amathus villa trans Iordanem in vigesimo primo miliario Pellae ad meridiem (Onom. *ed. Lag.* 219,76; 91,27). Amathus hodie agnoscitur in ruinis *Tell ʿAmmata* septemtrionem versus a fluvio Iaboc, ubi *Wādi el-Rudjeib* in depressionem Iordanis exit.

Cf. *Reland*, Palaestina, p. 308; *Neubauer*, Géogr. du Talmud, p. 249; *Burckhardt*, Reisen, *ed. Gesenius* II. 596; *Idrisi* v. Zeitschrift d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885, p. 121-128; *S. Merrill*, East of the Jordan, 1881, p. 388 s.; *F. Buhl*, Alt. Pal., p. 259 qui animadvertit Amathum Iosephi non certo cum Saphon componi posse, siquidem Asophon (Ant. XIII. 12,5) videatur esse Saphon urbs biblica.

SAPIENS. Varia notione dicuntur sapientes in s. litteris. A vera sapientia maxime absunt illi « sapientes » qui divinationi, auguriis, somniorum interpretationi, artibus magicis operam dant; quales erant sapientes in aula Pharaonis (Gen. 41,8) et sapientes Chaldaei in aula regis babylonici (Dan. 2,12 ss.). Laude vera digni sunt sapientes in opificiis et artibus, quales laudantur Beseleel et Ooliab, « ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro et argento et aere, marmore et gemmis et diversitate lignorum » (Ex. 31,4. 5). Sapiens porro dicitur vir prudens, et is qui rerum experientiam habet et perspicaci intellectu praeditus multarum rerum cognitionem sibi acquisivit. Verum praeprimis eo nomine honoratur qui in studium sapientiae incumbit et doctrinam sapientiae gnomis, parabolis, sententiis acute efformatis per modum proverbiorum proponit, qualis cernitur sapientia in libris Proverbiorum et Ecclesiastis et Ecclesiastici. Eius autem sapientiae initium cum sit timor Domini (vide s. v. SAPIENTIA), sapiens etiam dicitur vir pius, legis observans, cultor Dei, dum e contra stultus, insipiens appellatur peccator, contemptor legis, impius.

Famam sapientium sibi acquisierunt Salomon (3 Reg. 4,31; Eccli. 47,16), Ethan, Heman, Chalcol, Dorda (3 Reg. 4,31), eo nomine laudantur filii Agar (Baruch 3,23). — Modum autem studendi sapientiae et felices eius fructus exponit Sapiens (Eccli. 39,1 ss.; cf. 4, 12-22; 6,18-37; 14,22 ss.; 51,13-30). Ita praecipit, ut quae iam de sapientia variis modis tradita sunt intellegere studeat, dein ut commercio cum aliis et itineribus factis magnam rerum experientiam sibi studeat comparare; quod studium ut prosperum habeat successum, ad Deum recurrat (Eccli. 39,1-7).

SAPIENTIA. Sapientia divina proponitur ut attributum divinum, dein per modum personificationis, qua via sternitur ad asserendam hypostasin, seu personam divinam quae sit Sapientia. Tamquam attributum divinum apparet Sapientia, si dicitur : apud ipsum est sapientia et fortitudo (Iob 12,12); omnia in sapientia fecisti, Deus; sapientiae eius non est numerus (Ps. 103,24; 146,5); Deus sapientia fundavit terram (Prov. 3,19); sapientiam Dei praecedentem omnia quis investigavit (Eccli. 1,3)? innotescet principatibus multiformis sapientia Dei (Eph. 3,10).

Haec divina sapientia personificatione exhibetur : omnium artifex docuit me sapientia (Sap. 7,21); in se permanens omnia innovat et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit (l. c. 27). Haec sapientia loquens inducitur Prov. 8,12 ss. : « Ego sapientia habito in consilio » et Eccli. 24,5 ss. « ego ex ore Altissimi prodivi », scil. quia Deus suam sapientiam primo manifestavit verbis illis quibus opus creationis efficitur et in quo egregie elucet sapientia, quare l. c. sicut nebula texi omnem terram; gyrum caeli circuivi sola et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi et in omni terra steti; — omnia reguntur a sapientia, uti res, ita populi : et in omni populo dominium habui; per me principes imperant (Prov. 8,14 ss.). Eximio modo sapientia describitur Sap. 7,22 ss. : candor est lucis aeternae et speculum sine macula maiestatis divinae et imago bonitatis illius etc.

Praeter personificationem talia quoque de ea enuntiantur quibus ut hypostasis a Domino distincta innui videtur. Iam enim mera personificatio fere relinquitur, cum asseratur : est enim in illa spiritus πνεῦμα, cuius attributa viginti et unum recensentur (Sap. 7,22); spiritu quippe iam ut in se subsistens, sui conscia, brevi ut persona exhibetur, praesertim attributis illis spiritus enumeratis. Eam autem non eandem esse cum Domino personam, aliis locis innuitur, quibus a Domino distinguitur : cum eo eram cuncta componens, ludens coram eo omni tempore (Prov. 8,22 ss.); ab initio et ante saecula condidit me et usque in saeculum non desinam (Eccli. 24,14). Verum fatendum est quod theologi fatentur : nondum supposita clara revelatione Novi Testamenti fortasse in ll. cc. non satis constare de distinctione inter personam eius, cuius dicitur Sapientia et personam quae ipsa appellatur Sapientia (cf. *Franzelin*, Tractat. de deo trino, *ed.* 3, p. 112).

Haec sapientia divina exhibetur porro sese hominibus communicans : per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt; ego diligentes me diligo (Prov. 8,15. 17); in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit; doctrix est disciplinae Dei; largitur divitias, prudentiam, virtutes, sapientiam (Sap. 7,27-8,8). Et cum Deus peculiari revelatione et singulari gubernatione populum Israel honoraret, sapientia dicitur sedem fixisse in Israel (cf. Baruch 3,37; Eccli. 24,13 : tunc dixit mihi Creator omnium : in Iacob inhabita et in Israel hereditare et in electis meis mitte radices). Sapientiae praecepta doctrinamque reposita esse in libro foederis Altissimi, in lege quam Moysēs mandavit, Eccli. 24,32 s. (gr. 22) pariter affirmatur. Huius sapientiae natura, documenta, fructus praecipue efferuntur in libro Ecclesiastico et in libro Sapientiae. Initium sapientiae est timor Domini (Ps. 110,10; Prov. 1,7; 9,10; Eccli. 1,16); describitur itaque vera in Deum pietas et postulatur observatio mandatorum eius; exhibetur quaenam sint in variis vitae condicionibus et in administratione rerum humanarum documenta et normae prudentiae.

Sapientia itaque humana consistit primario in Dei cultu et observatione mandatorum; consistit in multiplici exercitio virtutum, in discretione ac prudentia quae in negotiis gerendis, in commercio cum aliis, in delectu amicorum, in usu divitiarum, in variis vitae casibus exercenda sit. Est itaque sapientia in s. litteris descripta praeprimis practica. Verum ut quis sit perfecte sapiens, multiplex quoque rerum mundanarum scientia praeter cognitionem divinorum requiritur, uti proponitur in Salomone (3 Reg. 4,29-34) et describitur Eccli. 42,15-43,37 et Sap. 7,15-21; 8,8. Etsi homo multa sollerter excogitare et perficere potuerit (quorum praestantiora quaedam enumerantur Iob 28,1-11), veram tamen sapientiam suis viribus nequit consequi. Est enim haec pretii immensi atque donum solius Dei (Iob 28, 12-28; Baruch 3,29-38); attamen quae Dei est liberalitas ac benignitas, multipliciter ab eo hominibus offertur, id quod pluribus quasi ad vivum describitur Prov. 8,1-11; 9,1 ss.; Sap. 6,14 ss.

SAPPHIRUS (סַפִּיר, σάπφειρος), gemma caerulea. In theophaniis Ex. 24,

10; Ez. 1,26; 10,1 thronus Dei apparet quasi ex sapphiro constructus i. e. eximii candoris et splendoris. In fundamento theocratiae novae Is. 54,11 ponuntur sapphiri, ut sit fundamentum caeleste, immotum, stabile ut thronus Dei. Inter fundamenta muri Ierusalem Apoc. 21,19 secundo loco ponitur sapphirus. Secundum Tob. 13,21 (Vulg.) portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur (sed graece 13,17 καὶ λίθῳ ἐκ Σουφείρ, lapide ex Ophir ?). Inter duodecim gemmas in pectorali pontificis sapphirus secundum locum ordinis secundi occupat Ex. 28,18; 39,11. Ex illis duodecim gemmis nominantur novem in ornatu principis Tyri, inter quas Ez. 28,13 sapphirus. Principes Israel describuntur Lam. 4,7 olim fuisse sapphiro pulchriores (iuxta hebr. textum sapphiro similis erat species eorum) et Cant. 5,14 sapphiri (numero plurali) indicant gemmarum copiam veluti zonam ornatissimam. Iob sapphirum accenset thesauris, quos hominis sagacitas e sinu terrae effodit (Iob 28,6) et quibus vera sapientia comparari nequit (28,16).

Sapphirus anhydridis sesquioxydis adnumeratur; est varietas Korundi, eminet perluciditate, una cum rubino gemmis maxime aestimatis accensetur. Sapphiri crystalla et grana crystallina praeprimis reperiuntur in Ceylon, Birma, Ural inter sedimenta arenarum fluvialium. Cf. *Naumann-Zirkel*, Mineralogie, 1898, p. 464-6. Iuxta S. Epiphanium (de 12 gemmis 5) « sapphirus gemma *purpurascit* ut species blattae i. e. *purpurae nigrae*. Multa sunt eius genera. Est enim regius, aureis punctis varius. Non est vero hic in tanta admiratione, quanta ille qui prorsus purpurascit. Et hic dicitur esse cum in India tum etiam in Aethiopia... Est vero gemma admirabilis, pulcherrima, gratissima ».

SARA. 1. Sara (שָׂרָה, Σάρρα), uxor Abraham, quae cum marito de Ur Chaldaeorum in Chanaan profecta est (Gen. 11,29 ss.; 12,5). Erat pulchra nimis (12, 14), quam ob causam in Aegypto a Pharaone et ab Abimelech rege Gerarae in gynaeceum asportata est, sed Dei ope servata incolumis (Gen. 12 et 20). Cum sterilis esset (11,30), marito suggessit, ut ad Agar ancillam Aegyptiam ingrederetur, quae peperit Ismaelem, sed mox a Sara expulsa Aegyptum versus aufugit (16,1 ss.). Impleta Dei promissione Sara nonagenaria peperit Isaac heredem benedictionis theocraticae (17,16 ss.; 18, 10 ss.; 21,1 ss.; cf. Rom. 4,19; 9,9; Hebr. 11,11; 1 Petr. 3,6); quare apud Is. 51,2 Sara vocatur caverna laci (Vulg.) vel potius cavum foveae, ex qua lapides ad aedificandam domum Israel praecisi sunt. Vixit 127 annos et Hebrone mortua ibidem sepulta est in spelunca duplici seu potius Machphela (23,1 ss.; 25, 10; 49, 31). Nomen Sara iubente Deo (17,15) substitutum est nomini Sarai (שָׂרַי, Σάρα). Cum nomine Sara componit *P. Iensen* nomen assyriacum *sharratu* = regina (Zeitschr. f. Assyr. XI. 1896, p. 299). — Vide etiam IESCHA.

2. Sara (שָׂרַח, in pausa שָׂרַח, Σάαρ, Σάρα, Σορέ, Σαραί, semel Κάρα), filia Aser (Gen. 46,17; Num. 26,46; 1 Par. 7,30).

3. Sara (שְׁאֵרָה, A Σααρά), filia Ephraim, quae aedificavit Bethoron inferiorem et superiorem et Ozensara, cui urbi nomen suum indidit (1 Par. 7,24).

4. Sara (Σάρρα), filia Raguelis, quae septem viris deinceps nupserat, quibus ante matrimonium consummatum ab Asmodaeo daemone occisis uxor facta est Tobiae iunioris (Tob. 3,7; 6,11; 7, 8 ss.; 8,4. 10; 10,10; 11,18; 12,14). Ceterum v. ASMODAEUS.

SARAA, SAREA, SARAS (צָרְעָה, Ῥάα, Σαράδ, Σαραά), urbs in superiore parte Sephelae sita (Ios. 15,33), tribui Dan assignata (Ios. 19,41), patria Manue patris Samson; inter Saraa et Esthaol erant Castra Dan seu Mahane Dan (Iud. 13,25 et cf. 18,12) et sepulcrum Samsonis (Iud. 16,31). De Saraa et Esthaol exploratores missi sunt a Danitis quinque viri fortissimi, qui in monte Ephraim et in terra Lais novas sedes pro Danitis angustiore territorio pressis circumspicerent (Iud. 18,2. 8. 11). In genealogiis Iuda Saraitae sicut etiam Esthaolitae referuntur ad cognationem Cariathiarim (1 Par. 2,53. 54). Roboam rex Iuda Saraa urbem munimentis fir-

mavit et in ea principem ciborumque horrea constituit (2 Par. 11,10). Post exsilium a filiis Iuda habitabatur (Neh. 11,29). Ex testimonio Eusebii et S. Hieronymi sita erat 10 mil. pass. ab Eleutheropoli aquilonem versus in via, quae Nicopolim ducit (Onom. *ed. Lag.* 293,29; 151,18). His respondet vicus *Ṣar'a* a Ierusalem occidentem versus et prope *Eshū'a* (Esthaol) situs; sed notat *Guérin*, Judée II. 17 distantiam huius vici ab Eleutheropoli (*Beit Djibrīn*) esse paulo maiorem quam 10 mil. pass. (Onom. l. c); idem utique valet de vico vicino *Eshū'a* (Esthaol, quam vocem vide). — Apud Flavium Iosephum (Ant. VIII. 10,1 *ed. Niese*) Σαράμ eundem locum in enumeratione urbium a Roboam munitarum occupat, quem Saraa 2 Par. 11,10; unde *Boettger* (Lexicon zu Flav. Ios.) s. v. Saraim perperam affirmat eam urbem 2 Par. 11,5 ss. non nominari. — De genealogia cognationum Saraa v. SARATHI.

SARABIA (Esdr. 8,18. 24) v. SEREBIA.

SARAI. 1. Sarai, uxor Abraham, v. SARA 1.

2. Sarai (1 Par. 2,54) v. SARAA.

3. Sarai (שָׂרַי, B Σαριού, A Ἀρού, א Σαρουέ), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,40).

SARAIA, SARAIAS (שְׂרָיָה et Ier. 36,26 שְׂרָיָהוּ; LXX Σαραία, Σαραίας ut plurimum). **1.** Scriba regius tempore Davidis (2 Reg. 8,17; LXX Σασά). Idem 1 Par. 18,16 appellatur Susa (שַׁוְשָׁא, Σουσά), 2 Reg. 20,25 Siva (שְׁוָא, Σουσά) et 3 Reg. 4,3 Sisa (שִׁישָׁא, Σηδά); ultimo loco discimus munus patris ad duos filios Elihoreph et Ahia transiisse tempore Salomonis.

2. Ultimus pontifex ante exsilium, quem Nabuchodonosor in Reblatha interfecit (4 Reg. 25,18; Ier. 52,24; 1 Par. 6,14); idem Esdr. 7,1 inter maiores Esdrae recensetur.

3. Saraia princeps domus Dei (Neh. 11,11), a quo nomen duxit illa classis sacerdotalis, quae tempore Zorobabel, Ioacim pontificis et Nehemiae prima inter familias sacerdotales recensetur (Neh. 10,2[3] LXX Ἀραία; 12,1. 12). In 1 Par. 9,11, quo loco eadem nominum series ac Neh. 11,11 exhibetur, pro Saraia legitur Azarias. Item inter eos, qui cum Zorobabel ex captivitate redierunt, Esdr. 2,2 nominatur Saraia, Neh. 7,7 autem Azarias.

4. Filius Cenezi, frater Othonielis, pater Ioab possessoris Vallis artificum (1 Par. 4,13. 14).

5. Simeonita quidam (1 Par. 4,35; LXX Σαραΰ).

6. Filius Ezriel, in aula Ioakim regis Iuda, unus ex illis qui Ieremiam et Baruch comprehendere a rege iussi sunt (Ier. 36,26).

7. Frater Baruch prophetae, filius Neriae, princeps prophetiae (Vulg.) i. e. dux verbi et princeps legationis, ut interpretantur *Sa* aliique vel princeps quietis (hebr.), quod munus interpretantur vel procuratorem pro deversoriis ac hospitiis in itinere regis (Sedeciae) seligendis vel cubicularium regis (Ier. 51, 59. 61).

8. Saraia filius Thanehumeth Netophathites, qui cum aliis ducibus populi dispersi post incendium Ierusalem ad Godoliam in Maspha profectus est (4 Reg. 25,23); loco parallelo Ier. 40,8 legitur: Sareas filius Thanehumeth et filii Ophi qui erant de Netophathi, unde aliqui putant Saraiam 4 Reg. 25,23 erronee designari Netophathitem, siquidem nomen Ophi, ad quod Ier. 40,8 appositio referatur, in priore illo textu exciderit.

SARAIM (שַׁעֲרַיִם, Σακαρίμ), urbs in campestribus Iuda, in prima provincia urbium Sephelae enumerata (Ios. 15,36). Eandem commemorari putant 1 Reg. 17,52; sed hunc textum interpretatur *F. de Hummelauer*: ceciderunt vulnerati de Philisthiim in ingressu *portarum* (שַׁעֲרַיִם) tam Geth quam Accaron. — Situs Saraim incertus est. Suggerunt alii *Tell Zakarīye* et *Kefr Zakarīye* inter Eleutheropolim et *'Ain Shems* (*Knobel, Keil, Riess*), alii *Khirbet Saire* prope *'Ain Shems* inter meridiem et orientem (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 124).

SARAITAE v. SARAA.

SARAPH v. INCENDENS.

SARAR (שָׂרַר, Ἀραί), pater Aiam (Ahiam) herois davidici (2 Reg. 23,33); 1 Par. 11, 34[35] vocatur Sachar (v. SACHAR 1).

SARAS v. SARAA.

SARASAR (שַׂרְאֶצֶר, Σαρασάρ). **1.** Filius Sennacherib et frater Adramelech (4 Reg. 19,37; Is. 37,38); v. ADRAMELECH 2.

2. Legatus ab incolis Bethel ad deprecandam faciem Domini missus (Zach. 7, 2 et cf. *Knabenbauer* ad h. l.).

SARATHASAR (צֶרֶת הַשַּׁחַר, Σεραδὰ καὶ Σιών), urbs tribus Ruben in monte convallis (Ios. 13,19). Hodie *Ṣara*, *ʿAin el-Ṣara*, *Wādi el-Ṣara*, in litore orientali maris Mortui paulo infra *Wādi Zerqā Maʿīn;* cf. Zeitschrift d. D. Pal.-Ver. II. 1879, pp. 221. 244. Idem nomen *Derenburg* in inscriptione Mesa lin. 13 (in fine)-14 supplendum esse censuit : Zarath ha-shakharath vel saltem nomen abbreviatum : Shakharath (cf. Zeitschrift d. D. Morg. Ges. XXIV. 1870, p. 259); sed coniectura illa ab aliis derelicta est (cf. *Himpel* in Tübinger Quartalschrift LII. 1870, p. 612); *Smend* u. *Socin*, D. Inschrift d. K. Mesa, 1886, p. 13 et 21.

SARATHI (הַצָּרְעָתִי, τοῦ Ἀραθί) sunt cognationes incolarum Saraa urbis, quas condiderunt Ahumai et Laad, duo filii Iahath filii Raia filii Sobal (1 Par. 4,2). Eaedem cognationes, quarum genealogia hic plenius exhibetur, iam 1 Par. 2,52 s. ad filios Sobal referuntur. Vide SARAA.

SARDES (Σάρδεις), urbs princeps regni Lydiae, sedes Ecclesiae de qua Apoc. 1,11; 3,1. 4. Sita erat arx cum domo regia in septemtrionali promontorio Tmoli montis, urbs inferior autem in planitie frugifera; mediam urbem permeabat Pactolus (Πάκτωλος), qui 30 stadiis ad aquilonem Sardium in Hermum fluvium incidit. Ab Epheso distabat 540 stadiis (*Herod.* 5,54), totidem fere a Smyrna, a Philadelphia 28 mil. pass. (Itiner. Anton.). Regno Lydiae destructo Sardibus residebant satrapae Persarum, postmodum praefecti regii Seleucidarum. Aetate romana erat urbs provinciae Asiae attributa et sedes conventus iuridici. Tiberio regnante quoad magnam partem terrae motu destructa, sed imperatoris munificentia iterum restituta est (*Tacit.* Ann. 2,47). Cf. *Marquardt,* Roemische Staatsverwaltung, *ed.* 2, I. p. 342-345. Iudaei quoque Sardibus inter incolas ethnicos habitabant (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 10,24). Antiquum nomen conservat hodiernus vicus *Sart*, cui ruinae plurimae adiacent.

SARDIS lapis v. SARDIUS.

SARDIUS (אֹדֶם, σάρδιον) inter duodecim gemmas in pectorali pontificis primum locum ordinis primi occupat Ex. 28,17; 39,10 itemque primum locum inter novem gemmas in ornatu principis Tyri Ez. 20,13. In Apoc. 4,3 describitur sedens in throno similis aspectui lapidis... sardinis (ὅμοιος ὁράσει λίθῳ... σαρδίῳ) et 21,20 recensetur sardius sextum fundamentum muri Ierusalem. Ipso etymo (אדם *rubuit*) gemma quaedam rubicunda designatur (Targum, Syrus, Samaritanus, Arabs Erpenii). Ab aliquibus recentioribus (cum Saadia et Graeco Veneto) explicatur rubinus, qui una cum sapphiro est varietas maxime aestimata Korundi et anhydridis sesquioxydis adnumeratur (cf. *Naumann-Zirkel,* Mineralogie, 1898, p. 464-6), a plerisque autem (cum LXX et Vulgata) maiore cum probabilitate sardius i. e. carneolus, qui est varietas chalcedonis et anhydridis bioxydis adnumeratur (l. c. p. 477).

« Prima gemma, inquit S. Epiphanius (de 12 gemmis 1), sardius Babylonius dicta. Est vero forma ignea et quae sanguinis colorem referat, sardio pisci sale condito et inveterato similis; qua de causa etiam sardius dicitur a forma (colore) nomine desumpto. Nascitur in Babylone Assyriorum. Perlucida est ». Aliam nominis interpretationem Plinius (XXXVII. 7,105) innuit : « Sarda utilissima, quae nomen cum sardonyche communicavit. Ipsa volgaris et primum Sardibus reperta, sed laudatissimae circa Babylona, cum lapidicinae quaedam aperirentur, haerentes in saxo cordis

modo repertae. Hoc metallum apud Persas defecisse tradunt, sed inveniuntur compluribus aliis locis ut in Paro et Asso, in India trium generum : rubrae et quas pionias vocant ab pinguitudine, tertium genus est quod argenteis bratteis sublinunt. Indicae perlucent, crassiores sunt Arabicae. Inveniuntur et circa Leucada Epiri et in Aegypto, quae brattea aurea sublinuntur. Et in his autem mares excitatius fulgent, feminae pigriores sunt et crassius nitent. Nec fuit alia gemma apud antiquos usu frequentior ». Theophrastus (Fragmentum de lapidibus 8. 23. 30) sardium accenset lapidibus, ex quibus sigilla scalpuntur, inveniri refert saxis quibusdam discissis et describit : « sardium id, quod perlucidum est et rutilius, femina vocatur; quod in perlucido nigricat paulo magis, appellatur mas ».

SARDONYCHUS LAPIS in Vulgata Iob 28,16 legitur, sed graece ὄνυξ, hebr. שֹׁהַם; v. s. v. ONYCHINUS LAPIS.

SARDONYX (σαρδόνυξ), recensetur quintum fundamentum muri Ierusalem Apoc. 21,10. Sardonyx, sicuti carneolus, est varietas chalcedonis et anhydridis bioxydis adnumeratur; cf. *Naumann-Zirkel*, Mineralogie, 1898, p. 477. « Sardonyches, inquit Plinius (XXXVII. 6,86), olim, sicut ex ipso nomine apparet, intellegebantur candore in sarda, hoc est veluti carne ungui hominis imposita et utroque tralucido; talesque esse Indicas tradunt Ismenias, Demostratus, Zenothemis, Sotacus... Has Indis non habitas in honore Zenothemis scribit tantae alias magnitudinis, ut inde capulos factitarent. Etenim constat ibi torrentibus detegi, placuisse in nostro orbe initio, quoniam solae prope gemmarum scalptae ceram non auferunt. Persuasimus deinde Indis, ut ipsi quoque his gauderent... Arabicae excellunt candore, circulo praelucido atque non gracili neque in recessu gemmae aut in deiectu renidente, sed in ipsis umbonibus nitente, praeterea substrato nigerrimi coloris ».

SAREA urbs v. SARAA.

SAREAS v. SARAIA 8.

SAREBIAS (Neh. 9,4; 12,8) v. SEREBIA.

SARED (סָרֶד, Σέρεδ, Σάρεδ), filius primogenitus Zabulon, prógenitor Sareditarum (Gen. 46,14; Num. 26,26).

SARED (Ios. 19,12) v. SARÌD.

SAREDA (הַצָּרְדָה, ἡ Σαριρά), patria Ieroboam I. Ephrathaei, regis Israel (3 Reg. 11,26). In additamento illo longiore, quod LXX post 3 Reg. 12,24 inserunt, Sarira in monte Ephraim sita et a Ieroboam iubente Salomone munita esse dicitur; sed vix dubium est, quin additamentum illud Sariram cum Thersa confundat, praesertim cum ea, quae 3 Reg. 14,17 hebr., Vulg. de Thersa narrantur, apud LXX ad Sariram referantur. — Putant non pauci Saredam patriam Ieroboam Ephrathaei non differre a Sarthan seu Saredatha (v. SARTHAN), quod admitti potest, si Sarthan agnoscitur in *Qarn Ṣarṭabe* intra fines Ephraim; sin autem Sarthan cum aliis magis aquilonem versus prope Bethsan quaeritur, necessario diversa erit a Sareda Ephraim. *Conder* pro Sareda patria Ieroboam proponit vicum *Sūrdā* 4 km a Bethel inter aquilonem et occidentem in confinibus Ephraim et Beniamin (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 295). Cf. *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d Kŏnige, 1904, p. 65 s.

SAREDATHA v. SARTHAN.

SAREPHTA, SAREPTA (צָרְפַת forte : officina metallorum liquandorum, gallice : *fonderie*, germanice : *Schmelzhütte* a verbo צָרַף liquare; cum H locali צָרְפַתָה; Σαρεπτά), urbs Phoenicum (Abdias 20; LXX ἕως Σαρεπτῶν), ad fines Sidoniorum pertinens, in qua Elias apud viduam commorans annonam miraculose multiplicavit ac viduae filium a mortuis resuscitavit (3 Reg. 17,9. 10 ss.; cf. Luc. 4,26 : Σάρεπτα). In Papyro Anastasi I. 20,7 scribitur *Zairaputi* (cf. *M. Müller*, Asien u. Europa, 1893, p. 184), in inscriptionibus cuneiformibus *Za-ri-ip-tav* (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr.

and Old Test. ad 3. Reg. 17,9. 10). — Flav. Iosephus eam sitam esse dicit : non procul a Sidone et Tyro, nam media interiacet (Ant. VIII. 13,2). S. Hieronymus eam appellat oppidulum Sidoniorum in via publica situm (Onom. *ed. Lag.* 154,4) et in Epitaphio S. Paulae scribit : « Sidone derelicta in Sareptae litore Eliae est ingressa turriculam, in qua adorato Domino Salvatore per arenas Tyri, in quibus genua Paulus fixit, pervenit Acco » (apud *Tobler et Molinier*, Itinera hier. I. 31). Similiter Antoninus [Anonymus] Placentinus : « De Sidone venimus Sareptam, quae civitas modica et valde christiana est..... Exeuntes de Sarepta venimus in civitatem Tyrum, a Sarepta milliario septimo » (*Tobler et Molinier* l. c. 92). Itinerarium Burdig. Sareptam ponit 9 mil. pass. a Sidone, 16 mfl. pass. a Tyro. Aetate Cruciatorum erat sedes episcopalis archiepiscopo Sidoniensi annexa ac teste Phoca monacho (circa 1185) munitionibus quoque firmata, sed iam exeunte saeculo 13. fere deserta, ut refert *Burchardus de Monte Sion*, Descriptio terrae sanctae 2,9 : « Sarepta vix octo domos habet, cum tamen ruinae eius ostendant eam fuisse valde gloriosam ».

Nomen antiquum retinet vicus *Ṣarafend* circa 35 km a Sidone meridiem versus situs, sed a litore paulo remotior, dum antiqua urbs in promontorio eiusdem nominis *Ras Ṣarafend* quaeri debet. Cf. *Guérin*, Galilee II. 478-482; Zeitschrift d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885, p. 25; *Reland*, Palaestina, p. 985. 986; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. B. d. Koenige, 1904, p. 226-8; *E. Nagl*, D. nachdavid. Koenigsgesch. 1905, p. 226. Celebre erat vinum Sareptae a multis scriptoribus laudatum (*Reland* l. c.; *Pietschmann*, Gesch. d. Phoenizier, 1889, p. 50). — De opinione Sareptam eamdem esse ac Maserephoth v. s. v. MASEREPHOTH.

SARES (שָׂרֶשׁ, in pausa שָׂרֶשׁ, B Σοῦρος, A Σόρος), filius Machir et Maachae, pater Ulam et Recem (1. Par. 7,16).

SARGON (סַרְגֹן, Ἀρνᾶ, in inscriptionibus cuneiformibus *Sarru-Kinu, Sarukin*). Uno loco eius fit mentio Is. 20,1. Cum nullus scriptor nec profanus nec sacer nomen huius regis commemorasset, non defuerunt qui olim definirent Sargon aliud esse nomen vel pro Salmanasar vel pro Sennacherib vel Asarhaddon. At hodie excavationibus in *Khorṣābād* factis tot huius regis monumenta reperta sunt, ut eius regni tempus inter optime notas aetates referri possit. Regnavit ab anno 722-705; quod tempus continuis fere bellis adversus Elam, Phoenicen, Philisthaeam, Iuda, Aegyptum, Armeniam, Babyloniam occupabatur. In loco apud Isaiam narratur Tharthan i. e. *tur-ta-nu*, ducem supremum militarem missum esse a rege contra Azotum (*Asdudi*), urbem Philisthiim, eamque urbem esse captam. Id quod accuratius refertur in inscriptionibus : *Azuri* regem *Asdudi* vectigalia imposita non solvisse; unde a Sargone eum esse regno privatum fratre eius *Achimit* in eius locum suffecto; sed cum Azotidae contra eum rebelles eoque pulso alium sibi constituissent regem, expeditionem esse susceptam in Azotum, urbem obsessam et captam, idola, uxorem regiam, filios, thesauros esse ablata in Assyriam.

Cf. *Knabenbauer* ad Is. 20,1; *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes, *ed.* 6, I. p. 156. III. 543 ss.; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive, 1885, I. p. 485 ss. II. p. 1 ss. et in *Civiltà cattolica* XI. 4, 144; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. 82 ss.

SARIA (שְׂעַרְיָה, Σαραιά, Σαριά), unus ex filiis Asel de posteris Saul (1 Par. 8, 38; 9,44).

SARID, SARED (שָׂרִיד; LXX Ἐσεδεκγωλά quo nomine monstruoso nomen Sarid compingitur cum verbo proxime sequente וְעָלָה *ascenditque;* Σεδδούκ; Peshitta Ashdud), urbs Zabulon in confinibus Zabulon et Issachar et a Ceseleththabor occidentem versus sita (Ios. 19,10. 12). Fortasse pro Sarid legendum est שְׂדוֹד, ut LXX et Syr. suadent; hoc supposito tum nomen antiquum tum situs in contextu indicatus agnosci possunt in *Tell Shadūd* iuxta marginem aquilonarem

planitiei Cison et duabus fere horis a Nazareth inter meridiem et occidentem (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 70; *Legendre*, Carte de la Palestine).

SARION mons v. HERMON.

SAROHEN (שָׂרוֹהֵן; LXX οἱ ἀγροὶ αὐτῶν ac si legissent שְׂדֵיהֶן), urbs tribus Simeon (Ios. 19,6). Eadem est, quae 1 Par. 4,31 appellatur Saarim (שַׁעֲרַיִם i. e. duae portae; LXX per fusionem Bethberai et Saarim reddiderunt οἶκος Βαρουσεωρίμ); eadem quoque inter urbes in Negeb seu meridie Iuda sitas Ios. 15,32 recensetur nomine Selim (שִׁלְחִים, Σαλή). Putarunt nonnulli (*Keil*, *Knobel*) in tribus his nominibus assonantiam haberi ad *Tell-Sherī'a* iuxta *Wādi el-Sherī'a*. Probabilius autem intellegitur illa urbs munita, quae in monumentis aegyptiacis vocatur *Sheruhen*, iuxta viam quae ex Aegypto Gazam ducit, sita (cf. *Wiedemann*, Aegyptische Geschichte, p. 307. 346), fortasse hodiernum *Qal'at el-'Arīsh* iuxta ostium *Wādi el-'Arīsh* seu torrentis Aegypti; cf. *M. Hagen*, Atlas bibl. (1907), Tab. 3 D 1.

SARON. **1**. Saron (הַשָּׁרוֹן i. e. planities a rad. יָשַׁר *planus fuit;* LXX ὁ Σαρών), pars septemtrionalis planitiei maritimae Chanaan a Carmelo Ioppen usque patens. Eius mentio fit in S. Scriptura nonnisi occasione data, dum e contra pars meridiana eiusdem planitiei maritimae seu Sephela in ipsis documentis topographicis Palaestinae velut pars distincta (v. IUDA 2) enumeratur. Saron erat regio ad pastum animalium uberrima, in qua armenta David regis pascebantur a Setrai Saronite (1 Par. 27,29). In Cant. 2,1 Sponsa modestissime florem Saron (Vulg. campi, LXX τοῦ πεδίου) se vocat humilia loquens et quasi indignam se existimans maiore magnificentia (cf. *Gietmann* ad h. l.). Vastatio, quam Sennacherib terrae Israel intulit, ex eo quoque cognoscitur, quod factus est Saron sicut desertum (Is. 33,9). Messiam venturum praenuntiat Isaias 35,2 : Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron et 65,10 abundantiam ovium ac vitam pastoriciam in planitie Saron velut symbolum pacis et tranquillitatis exhibet, qua servi Domini in instauratione theocratica fruentur : et erit Saron (Vulg. campestria, LXX ὁ δρυμός) in pascua ovium (ita text. hebr.). Denique Act. 9,35 legimus Aenea paralytico Lyddae per Petrum sanato conversos esse ad Dominum omnes, qui habitabant Lyddae et Saronae i. e. non in aliqua urbe Sarona, sed in planitie Saron (ὁ Σαρών).

Flavius Iosephus planitiem Saron describit locum qui Drymi, Δρυμοί (Ant. XIV. 13,3) vel Drymus, Δρυμός (Bell. iud. I. 13,2) appellatur; similiter *Strabo* XVI. 2,27 : δρυμὸς μέγας τις. Videntur saltem hi loci ad campestria Saron referendi esse, quoniam ab utroque auctore iste δρυμός cum Carmelo iungitur et apud LXX Is. 65,10 Saron ὁ δρυμός vertitur i. e. *silva*, praesertim *quercetum*. Ex his tamen concludere non licet planitiem Saron quercetis vel aliis silvis proprie dictis consitam fuisse, siquidem Drymos a multis censetur versio erronea pro Saron, quae vox eadem esse videbatur ac σαρωνίς, i. e. quercus vetusta. — Eusebius et S. Hieronymus Saron intellegunt regionem a Caesarea Palaestinae Ioppen usque extensam (Onom. *ed. Lag.* 296,8; 154,9); S. Hieronymus ad Is. 33,9 notat : « Saron omnis iuxta Ioppen Lyddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur » et ad 65,10 : « Pro campestribus in hebr. Saron ponitur; omnis regio circa Lyddam, Ioppen et Iamniam apta est pascendis gregibus ». Sed adverte regionem circa Lyddam et a fortiore circa Iamniam ad Sephelam pertinere, ut ex eodem S. Hieronymo (in Abd. 19) ostendimus in descriptione tribus Iuda (v. IUDA 2). Restat igitur, ut Saron a Ioppe initium sumere et usque ad Carmelum patere dicatur longitudine fere 13 horarum, latitudine 3-5 horarum. Terra alluvione maris aggesta humo caret; attamen flores abundant, imprimis lilium et anemone. Iudaei tradunt vitulos optimos sacrificiis destinatos e Sarona adduci ac vinum quoque Saroniticum celebrant (*Reland*, Palaestina, p. 91 et 188). Quinque rivi perennes planitiem permeant *Nahr el-Zerqā*, olim Crocodili fluvius,

Nahr el Mefdjir seu fluvius Mortuus Cruciatorum (?), *Nahr Iskanderūne* seu Salis fluvius Cruciatorum, *Nahr el-Fālik* seu *Rochetaille* Cruciatorum, *Nahr el-ʿAudje* (cf. Meiarcon-Ios. 19,46 et vide s. v.), qui aquae copia ceteris praestat et haud longe supra Ioppen in mare incidit; praeterea autem aquae abundantes passim ex solo scaturiunt et vegetationem promovent. In parte septemtrionali terra Saron est magis uliginosa et palustris, inveniuntur tamen sparsim quercuum silvulae ac virgulta et septemtrionem versus a *Nahr el-Zerqā* etiam magnum quercetum; ex graeca designatione ὁ δρυμός pro Saron coniiciunt aliqui has quercus esse reliquias tantum quercetorum, quibus antiquitus tota planities consita fuerit; sed hoc dubium est. Meridiem versus praesertim circa *Nahr el-ʿAudje* et prope Ioppen maior agrorum cultus ac fertilitatis proventus cernuntur : campi tum frumentarii tum melonibus consiti, pal meta, copia arborum medicarum, horti; etenim a *Nahr-el-ʿAudje* meridiem versus in Philisthaeam protenditur illa regio, quae campus frumentarius et hortus Palaestinae australis vocari meretur. Iuxta arenas litoris magna via a Ioppe per Apolloniam (*Arsūf*) et Caesaream ducebat Haifam Carmelo ac sinu Ptolemaidis conclusam. Altera via iuxta colles orientem planitiei delineantes dirigebatur a Lydda (et etiam a Ioppe) per Antipatridem (*Qalʿat Rās el-ʿAin*) septemtrionem versus et ab hac via quinque viae transversae orientem versus ducebant, duae in montem Ephraim scil. versus Sichem et versus Samariam (Sebasten), tres in planitiem Esdrelon scil. prima ac praecipua per Dothain versus Engannim, secunda versus Mageddo, tertia versus *Tell Qaimūn* (Iecnam seu Ioqneam Carmeli). — Hinc colligitur quanti momenti fuerit Saron pro expeditionibus bellicis et cur tot reges cum exercitibus suis eam visitaverint, ut Thothmes, Ramses, Theglathphalasar, Salmanasar, Sargon, Sennacherib, Pharao Nechao, Nabuchodonosor, Cambyses, Alexander Magnus, Seleucidae ex Syria, Ptolemaei ex Aegypto, postmodum Godefridus de Bouillon, Richardus Thymoleon cognominatus, Napoleon I. — Cf. descriptionem planitiei maritimae apud *G. A. Smith*, Historical Geography of the Holy Land, 1906, p. 147 ss.

2. Saron (לַשָּׁרוֹן), cuius regem Iosue percussit (Ios. 12,18). Sunt qui cum Targum Ionathan et Arabe ל ad ipsum nomen pertinere putent et urbem Lasharon fingant, quoniam nulla ratio sit, cur huic soli nomini praemissum sit ל, non reliquis in eodem catalogo Ios. 12, 9-24 commemoratis; sed ista ratio, si qua quaerenda, *Gesenio* (Thesaurus p. 642) in eo posita esse videtur, quod שָׁרוֹן regionis, non oppidi nomen est, quam ipsam ob causam etiam hoc loco, ut alibi, articulo munitum est. Unde vertendum videtur : rex super (regionem) Saron. Iamvero praeter planitiem Saron notiorem est alia quoque regio Saron inter montem Thabor et lacum Genesareth patens (Onom. *ed Lag.* 296, 6; 154,6) atque ibidem innotescit urbs *Sārōnā* 6 $^1/_2$ leucas anglicas a termino inferiore lacus Genesareth occidentem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. I. 307) seu a Tiberiade urbe inter meridiem et occidentem sita, a qua regio Sarona est appellata. LXX quoque (cod. B βασιλέα Ὀφὲκ τῆς Ἀρώκ pro : rex Aphec rex Saron) regionem indicant cui nomen ἡ Ἀρώκ (corruptum ex Σαρών); perperam autem, ut videtur, ex duobus regibus Aphec et Saron unum finxerunt regem Aphec regionis Saron. Obiici potest contra hunc situm, quod quattuor illae urbes Taphua, Opher, Aphec, Saron Ios. 12,17. 18 enumeratae potius in superiore parte Chanaan australis vel in Chanaan media quaerendae videntur, ut s. v. APHEC 1, EPHER terra, TAPHUA 1 adnotamus; inseruntur enim post urbes in Chanaan australi (Ios. 12,10 ss.) et ante urbes in Chanaan septemtrionali (12,19 ss.) expugnatas. Nostra autem Saron galilaica iam Chanaan septemtrionali accensenda est. Attamen haec difficultas nimis urgeri nequit, quoniam immediate post Saron urbes Chanaan septemtrionalis recensentur. Ceterum nihil obstat, quominus Ios. 12,18 altera Saron, notissima planities maritima, intellegatur. — Ad

Saron galilaicam *Delitzsch* etiam Saron Cant. 2,1 referri censet, cum Sponsa Sulamitis ex Galilaea fuerit scil. ex oppido Sulem seu Sunem; verum *Gietmann* ad h. l. non minus probabile putat nomen istud Sulamitidis allegorice quam historice interpretandum esse.

3. Saron (שָׁרוֹן sine articulo; Σαρών), regio in qua Gaditae greges pascebant (1 Par. 5,16); nominatur cum Galaad et Basan atque hinc ab oriente Iordanis quaerenda videtur, sed hucusque ignota est. Attamen *Relandus* (Palaestina, p. 370), quem *Keil* et alii sequuntur, potius planitiem Saron iuxta mare Mediterraneum designari vult, et putat Gaditas pascendorum pecorum studio deditos a sedibus suis transiordanicis eousque progressos esse, ut pecora alerent.

SARONA (Act. 9,35) v. SARON 1.

SARSACHIM RABSARES (Ier. 39,3). Inter tres principes in aula Nabuchodonosor regis secundo loco recensetur Semegarnabu Sarsachim (סַמְגַּר־נְבוּ שַׂרְסְכִים) cum titulo Rabsares (רַב־סָרִיס i. e. princeps eunuchorum). Illud Semegar, hebr. Samgar trahendum est velut titulus ad nomen praecedens Neregel Sereser (vide s. v.), ut LXX innuunt seiungentes : καὶ Ναβουσάχαρ καὶ Ναβουσαρείς. Eruitur itaque nomen proprium Nabusarsachim, quod explicari poterit vel Nabu-sar-iskum (Nabu regem fecit) vel Nabu-sar-sukum (Nabu regem fac). Cf. *Knabenbauer* ad h. l. et ad 39, 13 ubi monet Nabusezban Rabsares non necessario eundem esse ac Nabusarsachim Rabsares.

SARTHAN, SARTHANA (צָרְתָן, צָרְתָנָה), urbs in depressione Iordanis a Iericho septemtrionem versus et a latere Adom urbis illius, prope quam aquae Iordanis ad instar montis steterunt Israelitis transeuntibus (Ios. 3,16; LXX Καριαθιαρίμ et v. ADOM). Fines Sarthanae finibus Bethsan contermini erant infra Iezrahel (3 Reg. 4,12; LXX Σεσαθάν). Salomon officinam operum ex aere fusorum habebat in campestri regione Iordanis inter Sochoth transiordanicam et Sarthan cisiordanicam (3 Reg. 7,46; LXX Σειρά); loco parallelo 2 Par. 4,17 scribitur Saredatha (צְרֵדָתָה Σαρηδαθά). Eadem est quae Iud. 7,23[22] scribitur צְרֹרָתָה (Ταγαραγαθά, Vulg. omittit, Syr. Sederath) i. e. Saredatham vel Saredam versus, quo loco indicatur, qua via Madianitae a Gedeon in planitie Iezrahel devicti primum Bethsan versus, deinde meridiem versus usque ad fines Abelmehula fugerint. Fortasse eadem est ac Sareda (3 Reg. 11,26) patria Ieroboam I (v. SAREDA). — A plerisque Sarthan agnoscitur in monte *Qarn Ṣarṭabe* (610 m supra depressionem Iordanis, 340 m supra mare), qui sex horis a Iericho septemtrionem versus abest et in descensu suo orientali proxime versus ripam Iordanis dexteram accedit; e regione ei opponitur ostium Iaboc fluvii et *Tell Dāmiye* (Adom?) prope vadum *el-Dāmiye* paulo infra illud ostium. Sarteba in Mishna (Rosh hashana 2,4) enumeratur inter illos montes, in quibus faces accendi solebant ad neomenias seu calendas promulgandas. — Dubia tamen quaedam moventur contra Sarthan = *Ṣarṭabe*, tum quia nomina sunt diversa tum quia loci citati aliquem situm urbi Bethsan propinquiorem in planitie Iordanis postulare videntur. Unde alii Sarthan 3 Reg. 4,12 agnoscunt in *Tell el-Sarem* prope Bethsan meridiem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 99); qui hunc situm pro Sarthan et *Tell Dāmiye* infra ostium Iaboc pro Adom admittunt, textum Ios. 3,16 ita interpretabuntur, ut magnum intervallum inter utramque urbem statuatur (v. ADOM). Res igitur dubia est.

SARUG (שְׂרוּג, Σερούχ), pater Nachor patris Thare et avi Abrahae (Gen. 11,20-23; 1 Par. 1,26 Vulg. Serug; Luc. 3,35). Secundum Pentateuchum Samaritanum Sarug genuit Nachor anno vitae suae 130 (hebr. 30, LXX 130) et vixit, postquam genuit Nachor, annos 100 (hebr. 200, LXX 200). *Bochartus* (Phaleg 2,14) ab eo nomen habere dicit urbem Sarug a Carrhis (Haran) secundum geographos arabicos diei itinere distantem. Eadem urbs et regio apud scriptores syriacos

commemoratur, a geographis arabicis vocatur *Sarudj* (*Serudj*), ab auctoribus classicis Βάτναι, Bathnae. Sita erat urbs in Mesopotamia septemtrionali occidentem versus, in Osrhoene haud procul ab Euphrate prope Edessam. Describitur apud Ammianum Marcell. (XIV. 3,3) municipium refertum mercatoribus opulentis, ubi annua sollemnitate prope Septembris initium mensis ad nundinas magna promiscuae fortunae convenit multitudo ad commercanda, quae Indi mittunt et Seres aliaque plurima vehi terra marique consueta.

Cf. *Dio Cass.* 68,23; *Ammian. Marcell.* XXIII. 2,7; *Zosim.* 3,12; *Steph. Byz.* s. v.; Hierocl. Synecd. 714,5 (*ed. Parthey*, p. 12); *Isid. Charac.* Mansiones parth. 1 apud *C. Müller*, Geogr. gr. min. I. p. 246 (Βατάνη nomen regionis); *Ritter*, Erdkunde X. 1141. XI. 280; *Riess*, Bibel-Atlas V. Bb; *Barhebr.*, Chronic. syr. p. 142 ss.; *Assemani*, Bibl. Orient. I. 277. 283 s. 426. II. 321 s. — *Iṣṭachri* übersetzt v. *Mordtmann*, p. 48; *Edrisi* par *Iaubert* II. 155.

SARVA (צְרוּעָה, B Σαρειρά, A Σαριδά), mater Ieroboam filii Nabat (3 Reg. 11,26).

SARVIA (צְרוּיָה et 2 Sam. 14,1 צְרוּיָה, Σαρουία, Σαρουειά), soror Davidis et Abigail, mater Abisai, Ioab et Asael ducum militarium in exercitu Davidis (1 Reg. 26,6; 2 Reg. 2,13. 18; 3,39; 8,16; 14,1; 16,9. 10; 17,25; 18,2; 19,21. 22; 21,17; 23,18. 37; 3 Reg. 1,7; 2,5. 22; 1 Par. 2,16; 11,6. 39; 18,12. 15; 26,28; 27, 24).

SASSABASAR (שַׁשְׁבַּצַּר, B Σαβανασάρ, Βαγασάρ, Σαρβαγάρ, Σασαβάσσαρος, Σασαβασσάρ'), princeps Iuda, cui Cyrus vasa templi a Nabuchodonosor ablata restitui iussit et qui fundamenta templi in Ierusalem posuit (Esdr. 1,8. 11; 5, 14. 16). Plerique censebant eum esse Zorobabel, ex recentioribus *A. van Hoonacker*. Attamen recentiores multi eum a Zorobabel distinguunt (*Nikel*, *Smend*, *Kosters*, *Kuenen*, *E. Meyer*, alii) et primum satrapam Iudaeorum post exsilium fuisse dicunt, cui brevi post Zorobabel successerit; nonnulli coniiciunt eum esse Senneser filium Iechoniae et patruum Zorobabel (1 Par. 3,18).

Cf. *A. van Hoonacker*, Zorobabel et le second temple, 1892, p. 29 ss. Nouvelles études sur la restauration juive, 1896, p. 30 et Notes sur l'histoire de la restauration juive in Revue bibl. 1901, p. 7 ss.; *J. Nikel*, Die Wiederherstellung des jüdischen Gemeinwesens, p. 44 ss. (Bibl. Studien V. 2 et 3); *E. Meyer*, Entstehung des Iudentums, p. 75 s. 193; *W. H. Kosters*, Het Herstel van Israel, p. 32 s.; *Smend*, Die Listen der BB. Esra u. Neh. p. 18 ss.; *Kuenen*, Ges. Abhandl. 218 ss.

SATAN, SATANAS v. DAEMONES.

SATRAPA. Ea voce utitur S. Hieronymus pro principibus Philisthaeorum, qui hebr. dicuntur סַרְנִים Iud. 3,3; 16,8; 1 Sam. 5,8. 11; 6,12; 7,7; 29,2. 6. Dein adhibetur pro פַּחָה voce peregrina, qua nominantur praefecti minores Assyriorum et Babyloniorum, Medorum, Persarum; cf. 4 Reg. 18,24; 2 Par. 9,14. Etiam saepius ponitur *satrapae* pro אחשדרפנים voce persica, qua praefecti provinciis praepositi intelleguntur (*Khshatrapāwan* = terram protegens) cf. Esth. 3,12; Dan. 3,2; 6,1-7; ipsa vox satrapa, σατράπης est persica illa cum leniore pronuntiatione. Cf. *Spiegel*, Altpersische Keilinschriften 215; *A. Buchholz*, Quaestiones de Persarum satrapis, 1896; *P. de Lagarde*, Ges. Abhandl. 1866, p. 68. Sem. I. 42 s.

SATUM vide s. v. MENSURAE.

SAUL (שָׁאוּל, Σαούλ) nomen proprium.

1. Rex Edomitarum (Gen. 36,37; 1 Par. 1,48).

2. Filius Simeonis ex Chanaanitide ortus (Gen. 46,10; Ex. 6,15; Num. 26, 13; 1 Par. 4,24).

3. Filius Oziae levita (1 Par. 6,24).

4. Primus rex Israelitarum (1 et 2 Reg.; 1 Par.).

I. Res familiares. — Saulis pater fuit Cis Beniaminita (1 Reg. 9,1), qui, etsi familia Metri, ex qua ortus erat (10,21), loci inferioris erat (9,21), tamen opibus pollens magnaeque apud tribum suam auctoritatis erat. Habitabat Gabaae, quae Saulis vocabatur (v. GABAA 4); victum praecipue ex asinis submittendis

et alendis videtur quaeritasse (9,3). Saul erat homo virtute et corporis magnitudine insignis. In matrimonium duxerat Achinoam (v. s. v.), ex qua suscepit quattuor filios : Ionathan, Abinadab (Iessui), Melchisua, Esbaal (Isboseth) (14,49; 31,2; 1 Par. 10,2; 2 Reg. 2,8), et duas filias : Merob et Michol; pellice autem utebatur Respha (v. s. v.), ex qua genuit duos filios : Armoni et Miphiboseth (2 Reg. 21,8).

II. Saul et Samuel.

1) Saul rex constituitur.

a) Cum Saul aetate iam esset corroborata, Israelitae, quos propter avaritiam filiorum Samuelis degenerum regiminis iudicum pertaesum erat (8,3), cum servitute Philisthaeorum pressi (9,16) tum belli Ammonitarum exorti terrore percussi (12,22) regem aliarum instar nationum a Samuele postulaverunt. Quamvis haec res et iudici seni et Deo displiceret, tamen illis, cum in sententia perseverarent, mos gestus est (8,6-9. 19-22). Paulo igitur post Samuel divinitus edoctus est virum ad regiam dignitatem electum proximo die sibi obviam futurum esse (9,15). Ad eum rite excipiendum primoribus civitatis vocatis sollemnes instruxit epulas (9,13. 22). Insequenti igitur die ex urbe exiturus convenit Saulem, qui, ut asinas patris amissas repeteret, domo profectus, cum diu frustra quaesivisset, hortatu servi comitantis vatem consultum venerat; vates a numine admonitus eum esse regem designatum cognovit. Quare eum ad בָּמָה prosecutus, postquam de animalibus repertis certiorem reddidit, dignitate futura leviter significata primo loco mensae accumbere iussit et exquisitioribus cibis appositis praeter ceteros honorifice tractavit. Noctu eundem domum ad se recepit (9,3-25); primo mane ex oppido eum deduxit et locum nactus secretum lenticula olei sacri in caput effusa regem unxit. De hac re stupenti tria signa constituit, ex quibus in regnum vere se vocatum esse perspiceret. Praeterea ei hoc inculcavit : « Descendes ante me in Galgala, ut offeras oblationem et immoles victimas pacificas; septem diebus exspectabis, donec veniam ad te et ostendam tibi, quid facias ». Sauli, cum discessisset, Deus « immutavit cor aliud » omniaque signa evenerunt, etiam illud gravissimum; catervae enim obvius prophetarum choreis et cantibus se immiscuit divino instinctu concitatus. Quam rem sui mirati dictitabant : « Num et Saul inter prophetas »? id quod in Hebraeis in proverbium cessit. Ipse dignitatem sibi collatam omnes celavit et ad rusticae vitae occupationes reversus exspectavit, dum regno suo consuleretur (9,26-10,16).

b) Aliquanto post populus, qui principem solius prophetae auctoritate constitutum sine dubio repudiasset, Maspham convocatus est, ut regem voluntate Dei designatum acciperet. Etiam Saul eo se contulerat, sed timore oneris suscipiendi, ut videtur, inter sarcinas se absconderat; ei autem sorte regnum evenit. Quaesitus igitur statim rex, sed repertus non est; consulto autem domino, ubi esset, patefactum est. Arcessitus igitur in contionem omnes capitis longitudine superavit. Inde quoque patere electionem divinitus factam esse cum Samuel significasset, eum pars populi consalutavit regem, pars vero, filii Belial, quos Ephraimitas et Iudaeos fuisse opinari licet, sive quod a minima tribu principatum sibi ereptum esse aegre ferebant sive quod hominem ex civitate foedissimo scelere maculata et ab omnibus paulo ante debellata (Iud. 17-21) oriundum ad summam dignitatem perductum esse gravabantur, robore suo freti propalam fremuerunt et recentem regem aspernati munera obsequii offerre neglexerunt. Has autem offensiones ille cum neque animi virtute catervas istas indomitas continere posset et bellum civile patriae summis undique angustiis pressae calamitosissimum esset, pro sua prudentia et temperantia plane omisit et comitatus viris robustis, qui honorem iustum ei habebant, domum rediit (10, 17-27).

c) Adversis igitur rebus ab initio conflictatus optimum esse existimavit vestigia iudicum sequi, dum occasio offerretur regie aliquid agendi regiaeque auctoritatis sibi comparandae. Quae mense fere post data est; Naas enim Am-

monites cladem a Iephte (Iud. 11) acceptam ulturus bello Galaad illato Iabes (v. s. v.) oppidum oppugnabat eaque condicione accipere in deditionem volebat, ut omnibus oculos dexteros effoderet. Hac re perterriti cives legatione missa dilationem septem dierum, quibus populares auxilium poscerent, a rege petierunt; quodsi hoc spatio subsidium denegaretur, se urbem tradituros esse promiserunt. Quam moram cum barbarus nihil periculi ab Hebraeis perpetuo inter se dissidentibus veritus ignominiamque obsecratione frustra facta maiorem fore ratus haud cunctanter concessisset, legati omnes Palaestinae pagos pervolarunt et cum nequicquam implorassent, etiam Gabaam Saulis adierunt reque narrata lamentationem civitatis labesitis affinitate coniunctae (Iud. 21,12) moverunt. De sui populi opprobrio vehementer indignatus Saul, qui modo de agris redibat, et spiritu divino actus par boum in frusta concidit et in omnes regni provincias misit haec minatus: « Quicumque non exierit et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus eius ». His verbis commoti quicumque arma ferre poterant, sive ex agendi ratione regis auctoritatem divinitus collatam suspicati sive supplicii de detrectantibus militiam quondam sumpti (Iud. 21) memores, armis captis Bezec (v. s. v.) convenerunt. Unde legatis, qui auxilium proximum esse suis denuntiarent, domum dimissis rex mane diei septimi Iordanem vadis transgressus agmine tripartito hostes inopinatos oppressit et magno numero occiso in fugam dedit. — Hoc tam felici eventu et sui studiosis probatus et adversariis visus est servatorpopuli divinitus missus. Quare omnis contumacia obmutuit. Hoc autem parum rati boni cives eos, qui eum primo contempserant, supplicio afficiendos flagitarunt; quorum furorem rex salutis populo allatae memor generose coercuit. Hoc autem populi favore usus Samuel omnes ad contionem Galgalam convocavit, ut regnum confirmarent. Obtemperatum est; victimis igitur oblatis cum omnium laetitia Saulem omnes tribus regem venerantes consalutaverunt. Ibidem Samuel officio iudicis deposito postulationem regis intempestivam Deoque invisam fuisse populares convicit; id quod caelesti signo comprobavit. Hac sane re auctoritati regis nondum corroboratae minime favebatur (11-12).

2) Saul patriam in libertatem vindicat.

a) Saul cum annum Gabaae quiete egisset, iugi Philisthaeorum excutiendi consilium iniit. Tribus igitur milibus militum conscriptis loca munitissima inter Hai et Machmas et Gabaam Beniamin sita occupavit, Ionathas cippum Gabaae statutum, signum servitutis, vi diruit; totus populus ad arma convocatus Galgalam convenit. Simulatque haec defectio percrebuit, Philisthaei ingenti copia curruum et equitum peditumque coacta in montana irruperunt et, cum ipso suo adventu praesidia in monte Bethel disposita fugassent, usque Machmas progressi parvam manum Hebraeorum castris positis circumventuri videbantur. — Rex ipse, qui exercitus instruendi causa Galgalam se contulerat, memor praecepti (10,8) Samuelis adventum exspectabat. Comperto autem, quam celeriter hostes castra promovissent, incolae vallium trans Iordanem fugerunt vel in montes se abdiderunt, congregati autem milites animo cecederunt. Iam vero cum septimus dies praeterisset nec propheta advenisset, copiae fuga dilabi coeperunt. Tum morae impatiens dux sacrificia obtulit. Quo facto Samuel advenit, regem sibi occurrentem graviter increpuit, denuntiavit fore, ut regia dignitas ab eius familia ad virum Deo placentem transferretur. Quod fuerit regis peccatum non liquet; si quid deliquerit, theocratici regis officio videtur defuisse (13,1-14; cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in libros Sam. p. 138).

b) Rex a propheta derelictus tota sui ingenii vi recuperata sescentis militibus, qui perstiterant, profectus, ut angustias prope Machmas sitas servaret, se Ionathae adiunxit. In eorum locum admodum opportunum cum Philisthaei non auderent impetum facere, tres turmas emiserunt praedatum. Mora autem aliquot dierum interposita Ionathas solo armigero suo comite castra hostium audacter ingressus omnia perturbavit. Hanc rem

Saul e longinquo contuitus et praeceps cum omnibus copiis fugientes insecutus ingentem stragem edidit. Tum etiam ii, qui in latebris abditi erant, prorepserunt et ad suos se applicaverunt, ita ut exercitus fieret decem milium militum. Sed rex, quo magis victoria uteretur, suos voto temerario, ne quis ante confectos hostes cibum caperet, obstrinxit. Hoc autem praeceptum Ionathas inscius melle gustato transgressus et sorte deprehensus discrimen mortis subiit, sed populi intercessione ab exitio vindicatus est. Hac tam praeclara victoria servitutis iugum deiectum est (13,15-14,46).

c) Hoste infensissimo Saul victo alias nationes, quae in fines Israelitarum latrocinia facere consueverant, Moabitas, Edomitas, reges Soba, adortus prostravit, ut cives sua in otio possiderent. Denique ut patriam ab hostibus undique minantibus in posterum tutaretur, exercitum stabili lege collectum aluit et milites armis diligenter exercuit. Hac in re praecipue a Ionathan filio et Abner patruele, fidelibus armorum sociis, adiutus est. Itaque res publica commodis pacis diutius perceptis recreari et florescere coepit (14,47-52).

3) Saul rex reicitur.

Confirmato regno Saul a Samuele mandati divini interprete anathema in Amalecitas olim (Ex. 17,14) pronuntiatum exsequi iussus est. Magna igitur manu profectus gentem illam insidiis collocatis oppressit et ad internecionem fere delevit. Regi autem capto, cui nomen erat Agag, sive ambitione sive avaritia ductus pepercit praedamque opimiorem, ut populo obsequeretur, praecepto Dei neglecto conservavit. In patriam reversus tropaeo in oppidulo Carmel constituto Galgalam descendit, ut Deo pro felici belli exitu sacrificia offerret. Ibi autem de inoboedientia a Samuele nomine Dei graviter obiurgatus et ipse quoque regni amissione multatus est. De iure quidem regno spoliatus erat, revera tamen potestatem usque ad vitae exitum retinuit. In eius autem locum David rex unctus est, in quem spiritus Dei a Saule recedens descendit (14,1-15,14).

III. Saul et David.

1) David in aula regia versatur.

a) Animum regis auxilio caelesti destitutum, spe retinendi regni orbatum, timore calamitatis imminentis agitatum, suspicione aemuli stimulatum melancholia quaedam corripuit, quae interdum in motus furoris et desperationis immoderatos procedebat. Hac in condicione impulsui daemonum eo magis patebat, quod pravis cupiditatibus in dies minus resistebat. Ad hanc aegritudinem levandam ut artes musicae adhiberentur, aulici suaserunt. Auctore autem regis famulo David, homo non solum statura formosus et manu fortis, sed etiam cithara canendi peritus, in aulam arcessitus est. Regis igitur animum quotienscumque tristitia laborabat, cantu fidium exhilarabat; adeo autem placuit, ut paulo post armiger regis fieret (16,14-23). Bello Philisthaeorum exorto ad castra profectus Goliath bellatorem ingentem certamine singulari superavit hostibusque magnam cladem intulit (17,1-54).

b) Huius victoriae laetitia perfusae mulieres et virgines Hebraeorum exercitui victori choros dantes obviam prodierunt, at parum urbane armigeri merita carmine magis celebrarunt quam regis. Hac re offensus rex, homo impotens, armigero livere et animis aegrorum more suspiciosus, ne ille sibi obtrectaret, timere coepit (18,6-9).

α) Animi sollicitudinem ut depelleret, Davidis vitae *occulte* insidias posuit. Nomine igitur praemii praefectum mille militum eum constituit, re tamen vera id egit, ut ab aula eum semoveret proeliorumque periculis obiectaret. Sed quod spectabat, assecutus non est; neque enim David publico caruit, sed sive spe victoriae elatus egrediebatur sive triumpho parto revertebatur, omnium oculos in se convertit, quin etiam Ionathae familiaritatem et amorem Micholis sibi conciliavit. Itaque cum in omnibus rebus divinitus protegeretur et admodum prudenter se gereret, timor regis et odium in dies augebatur (18,12-16). — Deinde Saul id moliebatur, ut amor filiae Davidi perniciei esset. Micholem igitur per aulicos ei uxorem obtulit ea lege, ut pro dote centum caeso-

rum Philisthaeorum praeputia afferret; sperabat enim adulescentem ferocius adortum in re tam periculosa perituram esse. Sed contra accidit; periculo enim feliciter perfunctus regis filiam in matrimonium duxit. Hac autem perpetua generi prosperitate regis timor et odium mirum quantum crevit.

β) Tandem aemulum *aperte* insectari coepit. Interficiendi consilium ministris convocatis proposuit. Ionathan autem amicum omnia edoctum admonuit, ut conspectum regis fugeret, patremque obtestatus in eam voluntatem adduxit, ut illi incolumitatem iureiurando promitteret (19,1-7). — Sed pax diuturna non fuit; recentem enim victoriam adeptum, cum citharoedi munere fungeretur, hasta vibrata rex transfodere conatus est; quem ictum ille corporis dexteritate declinavit et in domum suam confugit. Ibi vero a satellitibus quaesitus ad supplicium, arte tamen Micholis (v. s. v.) servatus Ramatham secessit, ubi apud Samuelem ei erat perfugium. Hac de re certior factus rex lictores eum capturos identidem eo emisit, qui tamen prophetarum cantilenis et choreis quodammodo fascinati infecta re reverterunt. Itaque ipse de his fraudibus iratus eodem se contulit; sed ipsi quoque accidit, ut divino correptus spiritu prophetarum collegio se immisceret et fatigatione collapsus diem ac noctem nudus iaceret (19,8-24). — Interea David Gabaam reversus et de iniuria sibi illata acerbe conquestus Ionatham obsecravit, ut regis animum exploraret et, si fieri posset, placaret. Priore quidem die neomeniae, cum Ionathan et Abner sollemnibus epulis interessent, Davidis autem sedes vacaret, immunditiam leviticam opinatus rex de eo non quaesivit, altero autem die interrogabat, cur filius Isai ad mensam non venisset. Ionathan amicum celebritatis familiaris excusatione defendit; Saul autem causam confictam suspicatus filium maledictis oneratum hasta paene percussit. Erepta igitur reconciliationis spe David hortatu amici ab aula discessit (20).

2) David procul ab aula regia versatur.

a) David cum profugus Nobe venisset, ad Achimelech summum sacerdotem deversus cibo armisque postulatis quinque panes sacros et gladium Goliath quondam ibi depositum accepit. Oraculo insuper petito perrexit et multis erroribus perfunctus quadringentis sociis sibi adscitis nullo consilio per partes Iudaeae australes vagabatur (21,1-22,5).

α) Quod cum Saul audisset, venit ei suspicio Ionatham compluresque aulicos cum adversario suo societatem inisse, ut defectionem molirentur. Quare cum quodam die sollemne concilium sub tamarice haberet, de perpetuis favoribus aemulo suo praestitis conquestus et de imprudentia et de animo ingrato suos accusavit, quod nemo insidias paratas sibi significaret. Hoc opprobrio instigatus Doeg Idumaeus, regis pastorum primus, Achimelech sacerdotem Davidi fugienti panem et arma providisse denuntiavit. Coniurationem igitur suspicatus rex sacerdotem totamque eius familiam arcessivit proditionisque incusavit. Perturbatione autem incitatus sacerdotis humanitatem suam defendentis et innocentiam profitentis excusationes perspicere non iam potuit, sed statim omnes capitis damnavit. Quam sententiam Doeg Idumaeus, cum nemo Hebraeus in pontificem auderet manus inferre, exsecutus 85 sacerdotes trucidavit. Idem cum manu sociorum in civitatem Nobe missus omnes homines et bestias ferro percussit oppidumque funditus evertit. Unus Abiathar, summi sacerdotis filius, caedem effugit et ad Davidem se applicavit (22,6-23).

β) Huius sceleris atrocitate abalienatos civium animos ut sibi reconciliaret angoresque conscientiae leniret, religiones graviter afflictas restaurare decrevit. Summum sacerdotem e familia Eleazaris (v. s. v.) constituit, tentorium sacrum Gabaon, in oppido excelso, reficiendum curavit, cultum divinum restituit. Sed studio et imprudentia ad facinus nefandum abreptus est (2 Reg. 21,2); nam sive Gabaonitae gravabantur sive ipse aegre ferebat, quod inter populum electum haud procul a sede regia aliena natio et cultus falsus vigeret, omnes incolas civitatum foederatarum Gabaon, Cephirae, Beroth, Cariathia-

rim exstirpare statuit. Pars igitur magna trucidata est, pars autem in fines Philisthaeorum confugit (4,3).

b) Id potissimum rex sequebatur, ut Davidem e medio tolleret. Quare cum audisset eum Ceilae, quod oppidum ab impetu Philisthaeorum defenderat, cum tota sua manu morari, officii praestiti immemor totum exercitum coegit, ut eum comprehenderet; sed cum ille de insidiis sibi instructis mature certior factus cessisset, consilio destitit (23,1-13). — Paulo autem post a Ziphaeis edoctus adversarium in colle Hachila consedisse proficisci maturavit; iam eum corona militum cincturus erat, cum Philisthaeos invasisse nuntiatum est; quare statim profectus illum dimisit (23,14-28). — Bello confecto cum comperisset Davidem in deserto Engaddi versari tribus milibus militum assumptis totam regionem perlustravit, sed frustra. Desiderio naturae parens antrum vastum, in quo David cum suis latebat, nullo comite intravit; facillime interimi potuit, generoso autem spiritu inimici conservatus est. Hac animi magnitudine victus in gratiam rediit, et sortem futuram praesagiens, ut posteris suis parceretur, obsecravit; qua re obtenta domum revertit (24). — Defervisse tum simultatem existimares. Contra rex ubi comperit generum in colle Hachila constitisse, cum tribus milibus eo contendit et cum vesperasceret, sub radicibus collis castra posuit. Noctu autem David cum Abisai tabernaculum soceri clam ingressus vita dormientis conservata hastam et poculum surripuit et ad summum collem recessit. Tum rex clamore vociferantis excitatus et re intellecta perfusus pudore culpamque professus generum ad se invitavit, ut concorditer in posterum viverent. Is vero inconstantiam regis veritus cum suis ad Achis regem abiit militatum (26-27).

c) Illo tempore Samuel e vivis decessit; adversarii tam invisi mortem Saul minime doluit; eius autem funus voluntati populi parens omni apparatu et honore videtur celebrasse (25,1; 28,3). Tum etiam magos et ariolos ratione animi religiosi illa re excitati habita e terra expulisse traditur (28,3. 9).

d) Cum David plus anno apud Achis fuisset, Philisthaei, quos proeliis parvulis dimicare taedere iam coepisset, bellum internecinum paraverunt. Omnibus igitur copiis coactis in magnam planitiem Esdrelon ingressi prius ad Aphec, deinde ad Sunem consederunt. Saul, qui sub monte Gelboe constiterat, ingenti hostium numero perterritus, cum Deum de exitu pugnae futurae frustra consuluisset, noctu pythonissam Endorensem adiit, ut arte magica Samuelem mortuum adduceret. Quaerenti autem umbrae sive vere sive ficte oblatae reiectione repetita cladem Israelitarum et suum ipsius filiorumque interitum praedixerunt. Hoc vaticinio plene fractus proximo die proelium iniit in monte Gelboe; exercitus profligatus est, tres filii caesi, ipse fortissime luctatus, sed sagitta vulneratus mortem sibi conscivit. Caput abscissum hostes cum per terram suam contumeliose circumtulissent, in templo Dagonis affixerunt, corpora autem eius et filiorum ex moenibus urbis Bethsan suspenderunt. Haec autem viri fortissimi civitatis Iabes beneficii quondam accepti memores noctu sustulerunt et prope oppidum suum honeste sepelierunt. Inde a David regnum adepto Selam translata et cum ossibus consanguineorum gentilicii tumuli sepultura honorata sunt (29,1. 2. 11; 31; 1 Par. 10; 2 Reg. 21,13. 14). David illum Amalecitem, qui diadema et armillam regis attulerat Saulemque a se occisum esse gloriabatur, trucidavit ac maerore confectus necem regis et amici nenia praeclarissima deploravit (2 Reg. 1. Cf. *J. K. Zenner* S. I. Davids Totenklage auf Saul und Ionathan, Biblische Studien, t. VI. fasc. 1 et 2, p. 57-76).

IV. Breve de Saule rege iudicium.

Saul maximi ad progressum rerum Hebraeorum fuit momenti. Auspicatus dominationem regum, quorum primum erat domesticas perturbationes componere, repulsare vexationes externas, Israelitarum et Philisthaeorum de principatu certamen ad exitum perducere, possessionem terrae expugnatae reddere tutam, tribus discordia dilapsas in unum confundere, huius tanti laboris ipse magnam partem praestitit. Disci-

diis enim sublatis civitates in unum regnum redegit, partes reluctantes fortiter compescuit, loco institutorum patriarchalium, quae sacra defendere iam non potuerant (1 Reg. 4-5) et undique infringebantur, statuit potestatem regiam, quae religionem Iahwe ad splendorem revocabat et peregrina omnia extrudebat; hostes undique aucupantes domuit, iugum servitutis decussit, vires collegit collectasque apte disposuit, Philisthaeos imperium propagantes per quadraginta annos (Act. 13,21) exturbavit. Quamquam moriens succubuit, ea tamen sparserat semina, ex quibus libertas enasceretur.

Saul est homo plane singularis. Rebus publicis parum instructus regnum capessivit; condiciones nactus nondum corroboratas et maximis conflictatus difficultatibus ipse sibi exquisivit viam atque rationem regnandi ingentesque subiit labores, ut Hebraeos efficeret populum opulentum suarumque rerum potentem. Neque ab officiis religiosis fuit alienus; voluntatem enim divinam diligenter exploravit, exstruxit altaria, obtulit sacrificia, iurisiurandi servandi causa suum ipsius filium mactare non dubitavit, magos exstirpavit falsorumque cultores deorum. Tamen sui aevi imaginem prae se ferens integri illius obsequii, quod primum regem Deo foederis praestare decebat, fuit expers. Itaque regno orbatus et animi aegritudine affectus est. A Deo derelictus nefaria commisit, turpem denique mortem sibi intulit. Multis igitur virtutibus magna vitia admixta sunt. Neque tamen inter reges Hebraeorum est infimus. Sine dubio praestat multis regibus posterioribus, quibus tamen regnum ereptum non est. Sed regem vere theocraticum eum fuisse dici nequit.

H. WIESMANN.

SAULUS v. PAULUS.

SAURA v. ABARON.

SAVE CARIATHAIM v. CARIATHAIM.

SAVE vallis (עֵמֶק שָׁוֵה, ἡ κοιλὰς ἡ Σαύη), quae est vallis regis (Gen. 14,17); eo usque rex Sodom obviam progressus est Abrahae, cum post cladem Chodorlahomor inflictam Damasco rediret. Censetur eadem esse ac vallis regis (2 Reg. 18,18), in qua Absalom sibi titulum i. e. lapidem sepulcralem erexit; Flav. Iosephus (Ant. VII. 10,3) refert monumentum Absalom duobus stadiis ab Hierosolymis abfuisse; hodie sepulcrum Absalom ostenditur in valle Cedron ad orientem Ierusalem prope sepulcrum Iosaphat regis. Fueritne ibi monumentum Absalom non constat neque certum est vallem Save Gen. 14,17 eandem esse ac vallem regis 2 Reg. 18, 18, cum in regione, quae tot regulos habuerat, etiam complures *valles regis* esse potuerint. Ex altera parte vix dubium est, quin Absalom monumentum prope Ierusalem sibi erexerit; similiter vallis Save, ut ex toto contextu Gen. 14, 17 (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.) elucet, cis Iordanem quaerenda erit, immo etiam prope Ierusalem, si urbs Salem, cuius rex erat Melchisedech, supponitur esse Ierusalem (v. SALEM 1).

SCANDALUM (σκάνδαλον) laqueus, offendiculum; ponitur in Vulg. pro hebr. מוֹקֵשׁ (laqueus); ita Ex. 10,7; 23,33; 1 Reg. 18,21; Ps. 68,23; 105,36; 140,9; Prov. 22,25; eiusdem notionis offendiculi est hebr. מִכְשׁוֹל, pro qua voce legitur scandalum Ps. 118, 165; Is. 8,14; Ez. 7, 19; 14,3. 4. 7. Semel legitur pro דֹּפִי Ps. 49,20 (ignominia, opprobrium) et pro כֶּסֶל Ps. 48,14 (stultitia, fiducia): haec via illorum scandalum ipsis.

Notione offendiculi. i. e. detrimenti (ex hebr.) adhibetur Eccli. 7,6. Saepius declaratur tale offendiculum, quod aliorum moribus ponitur i. e. seductio ad peccatum, corruptio, ansa et inductio ad peccandum. Ea notione vae dicitur mundo propter scandala (Matth. 18,7) et ipse quoque Petrus, qui Iesum a passione quasi impedire ac retrahere vult, ut eiusmodi offendiculum a Christo reprehenditur (Matth. 16,13). Quae significatio offendiculi virtutis frequens est in novi foederis libris.

Eadem notione dicitur scandalizari, offendi, pati detrimentum, a semita

recta declinare (cf. Matth. 11,6; 13, 21 etc.).

SCENOFACTORIA ARS. Legimus Act. 18,3 Paulum et Aquilam fuisse σκηνοποιοὺς τῇ τέχνῃ tentoriorum confectores, scil. qui ex corio, ciliciis pannisque linteis tentoria minora portatilia conficiunt seu consuunt. Quae vocis explicatio probabilissima est; nam explicare de conficiendis linteis tentoriorum (*Hug, Reithmayr*), vel musicis instrumentis aut aulaeis theatrorum (*Camerarius, Michaelis*), plane a simplici vocis significatione recedit.

SCENOPEGIA v. TABERNACULORUM FESTUM.

SCEPTRUM v. s. v. REX et VIRGA.

SCEVA (Σκευᾶς) Iudaeus oriundus ex familia, ex qua aliquis fuerat pontifex (Act. 19,14 et cf. *Knabenbauer* in h. l.).

SCHINUS semel tantum in s. litteris legitur Dan. 13,54 : sub schino (ὑπὸ σχῖνον); accusatori iniquo reponit Daniel iudex v. 55 : recte mentitus es in caput tuum; ecce enim angelus Dei accepta sententia ab eo scindet (σχίσει) te medium. Vetus latina interpretatur lentiscum, Syrus ܒܛܡܬܐ i. e. terebinthum, versio Philoxeniana ܦܣܬܩܐ i. e. pistaciam. Voce graeca σχῖνος. (cf. *Herod.* 4, 177) designatur *Pistacia lentiscus* Linné, arab. *mastīk*, 1-3^{m} alta (*G. E. Post*, Flora of Syria, 1896, p. 207), de qua arbore scribit *E. Boissier*, Flora orient. II. p. 5 : « Habitat in collibus regionis calidae copiosissima in Graecia, Thracia, Cycladibus, Bithynia, Lydia, Pamphylia, Cilicia, Creta, Cypro, Syria litorali. Graecis *Schinos* audit. Resinam *Mastic* dictam fundit ». Teste *Leunis-Frank*, Botanik, 1885, II. § 528, n. 4 *Pistacia lentiscus* L. spontanee crescit in regionibus circa mare Mediterraneum ac praesertim in insula Chio, quae eius arboris resinam notissimam, mastichen, in commercium tradit atque insula mastiches appellari meruit. Cf. *Hehn-Schrader*, Kulturpflanzen u. Hausthiere, 1894, p. 411. 415. Praeterea v. s. v. RESINA.

Atque haec quidem de voce graeca σχῖνος. Quales autem voces in textu primigenio hebraico vel chaldaico corresponderint schino v. 54 et prino v. 58 ignoramus. Ex paronomasiis in textu graeco iam *Africanus* concluserat narrationem graece conscriptam non ad Danielem neque ad biblia hebraica referri posse; ei respondit *Origenes*, Epist. ad Afric. de hist. Susannae (apud *Migne* 11,44 s. 61). Idem argumentum pro textu primigenio graeco protulerunt *Porphyrius* (apud *S. Hieron.* Praef. comm. in Dan. *Migne* 25,492) et plurimi auctores acatholici usque ad *E. Schürer* (Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 III. p. 333), cui hoc argumentum est omnino certum (« *sogar sicher* »). Contradicunt vel cautius loquuntur ex acatholicis *Eichhorn* (Einleitung in d. Alte Test. IV. p. 536, mutata opinione priore Einleitung in die apokr. Schr. d. A. T. 1795, p. 469 ss.), *Franz Delitzsch* (De Habacuci vita et aetate, 1842, p. 30), *P. de Lagarde* (Goettinger Gelehrte Anzeigen, 1891, p. 517), *Bissel* (Apocrypha of the Old Test. 1880, p. 445 s.), *Ball* (*Wace*, Apocrypha II. 1888, p. 330), *O. Zoeckler* (Die Apokryphen, 1891, p. 215), *W. Rothstein* (apud *Kautzsch*, Die Apokryphen, 1900, p. 177-8), *Brüll* (Jahrb. f. jüd. Gesch. u. Lit. 1877, p. 68 s.).

Argumento ex paronomasiis desumpto nullo modo demonstrari textum primigenium graecum abunde ostenderunt ex catholicis *Herbst-Welte* (Einleitung in d. hl. Schr. d. Alten Test. 1840 ss. II. 3 p. 245 ss.), *A. Scholz* (Einleitung in die hl. Schr. 1848, III. p. 520 s.), *Th. Wiederholt* (Gesch. der Susanna, in Theol. Quartalschr. Tuebingen LI. 1869, p. 287-321), *Soeder* (Studien u. Mitt. aus d. Bened.-Orden, 1884, II. p. 407-8), *J. Fabre d'Envieu* (Daniel, 1890, II. p. 50 ss.), *Knabenbauer* (Comm. in Dan. p. 339-341), *Cornely* (Introd. *ed.* 2 II. num. 292), *Tiefenthal* (Daniel, 1895, p. 68), *A. Bludau* (Die alex. Uebersetzung d. B. Dan. u. ihr Verhaeltnis zum massor. Text, 1897, p. 182-6), *F. Vigouroux* (Mélanges bibl. 1889, p. 477-483). Quae in hac quaestione consideranda sunt, hisce verbis effert *Knabenbauer* l. c. : « Fieri potest ut in versione exsistat verborum lusus, qui in textu ipso non reperiatur.... At nostro loco tale quid assumi nequit; allusio

enim bis occurrit et studiose adhibita videtur. Quare similis in textu exstiterit necesse videtur; dico *similis*, nam non oportet assumere easdem voces in hebr. positas fuisse... Atque revera ne nunc quidem desunt verba hebr. quibus similis allusio efficitur, quamvis certe nemo negaverit multa arborum nomina, quae olim apud Hebraeos nota fuerint, non esse usque ad nos perlata ».

SCHOLA v. s. vv. EDUCATIO, SYNAGOGA.

SCIBBOLETH legitur in Vulgata pro hebr. שִׁבֹּלֶת (spica, flumen). Uti Iud. 12 narratur, Ephraimitae exercitu collecto Iephten conveniunt conquesti quod non fuissent vocati ad pugnam contra Ammonitas. Vocatos esse eos affirmat Iephte, ut praeberent auxilium; at eos noluisse venire; quare nullam adesse inimicitiarum causam. Verum illis probra in Galaaditas obiicientibus exardescit proelium; Ephraimitae victi fugiunt. Sed « Galaaditae occuparunt vada Iordanis, per quae Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens atque dixisset : obsecro ut me transire permittatis, dicebant ei Galaaditae : numquid Ephrataeus es? quo dicente : non sum, interrogabant eum : dic ergo scibboleth! qui respondebat : sibboleth, eadem littera (vocem) exprimere non valens; statimque apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu » (Iud. 12,5. 6). Ephraimitae itaque sua pronuntiandi ratione pro shin dicentes sin agniti sunt. LXX B שִׁבֹּלֶת vertunt στάχυς (spica); LXX A non vertunt, sed sonum vocis hebraicae graece exprimere non valentes reddiderunt sensum : Dic ergo tesseram (σύνθημα).

SCINIFES, SCINIPHES, CINIPHES (כִּנָּם fem. vel כִּנִּם, כִּנִּים collect., σκνίψ, οἱ σκνῖφες, σκνῖπες), tertia plaga aegyptiaca Ex. 8,16. 17. 18; Ps. 104[105],31; Sap. 9,10. « Portentum erat in culicum infinito numero ad nutum Aaronis pullulantium, item in eo quod illud omnes magorum artes excedere indubie agnosceretur » (*F. de Hummelauer* ad Ex. 8,16 ss.). Coniiciunt etiam Is. 51,6 : morientur sicut haec (כֵּן) vertendum esse : sicut culex (כֵּן nom. sing.) vel corrigendum esse : sicut culices (כִּנִּים); sed cf. *Knabenbauer* ad h. l.

Samaritanus Ex. 8,16-18 scribit כנים Flavius Iosephus (Ant. II. 14,3) interpretatur pediculos (ὁ φθεἰρ); Targum et Syrus reddunt קלמא, cuius vocis significatio non ad solos pediculos pertinet, sed latius patet; etiam vox arabica *qaml*, qua Saadias et Arabs Erpenii utuntur, pediculos quidem significat, sed de aliis quoque animalculis similibus usurpatur. Quod Talmudicis כנה pediculus est, nihil probat, tum quia eadem vox alia quoque animalcula alis carentia, ut pulicem, vermem exprimit, tum quia « magistri Iudaeorum כנים Mosis pediculos interpretabantur, non ex usu vernaculo linguae » (*I. D. Michaelis*, Suppl. ad lex. hebr. n. 1174). Rabbinorum communem interpretationem de pediculis *Sam. Bochartus*, Hieroz. II. l. 4, c. 18 multis argumentis firmare conatus est. Recentiores vero (*Sam. Oedmann*, Vermischte Samml. I. 6, p. 74-91; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Altert. IV. 2, p. 434-7 et eiusdem notae ad *Bocharti* Hieroz. ed. Lips.; *I. D. Michaelis* l. c.; alii) interpretantur genus quoddam culicum auctoritate LXX maxime ducti.

Vulgata vocem mutuata est a LXX interpretibus antiquissimis in ipsa Aegypto degentibus. Accedunt descriptiones Philonis et Origenis, qui in Aegypto vixerunt. Philo (de vita Mosis *ed. Mangey* II. p. 97) de proventu σκινιπῶν notat : « Est autem animalculum licet minutum, molestissimum tamen; neque enim solum externas partes (ἐπιφάνειαν i. e. cutem) laedit, pruriginem adferens molestam et noxiam, sed et per nares et aures intima irrumpit et oculorum pupillam involans, nisi caveas, infestat ». Origenes (Hom. 4 in Ex. apud *Migne* 12, 322) : « Hoc animal, inquit, pennis quidem suspenditur per aera volitans, sed ita subtile est et minutum, ut oculi visum, nisi acute cernentis, effugiat; corpus tamen, cum insederit, acerrimo terebrat stimulo, ita ut quem volitantem quis videre non valeat, sentiat stimulan-

tem ». Concordant *Suidas:* Σκνίψ. ζῷον κωνωπῶδες, animal culici simile, et *Hesychius :* ζῷον πτηνὸν ὅμοιον κώνωπι. « Expressio pulveris percussi in sciniphes mutati designat animalia minuta, alata, quae e pulvere nasci videbantur. Quod reapse dici potest de omni culicum genere, non vero de pediculis » (*F. de Hummelauer* ad Ex. 8,16). Culicum in Aegypto ingentem copiam et vexationem describit Herodotus 2,95 eamque mensibus Octobri et Novembri esse maximam notum est. Culicibus aegyptiacis correspondere censentur *Culex reptans* Linné et *Culex molestus* Forskal; cf. *Oedmann* l. c. et *P. Forskal,* Descr. anim. p. 85.

SCIRPUS i. e. species plantae palustris dicitur S. Hieronymo planta hebraice גֹּמֶא appellata, quam alibi rectius *papyrum* exposuit (Is. 18,2). Similiter fiscellam illam papyraceam Moysis infantuli servatricem *scirpeam* vocat (Ex. 2,3). V. PAPYRUS.

SCORPIO, SCORPIUS (עַקְרָב, σκορπίος). **1.** Scorpionina, quae ad Arachnoidea pertinent, in desertis Arabiae Petraeae frequentia esse colligitur ex Deut. 8,15; cf. ACRABIM (ascensus scorpionis). In comparationes adducitur scorpio velut animal venenum in cauda gerens et ictu valde noxium ac periculosum Eccli. 26,10; Ez. 2,6; Luc. 10,19; Apoc. 9,3. 5. 10. Ad vindictam exercendam Deo inserviunt scorpii Eccli. 39,36 (graece et hebr. 30). In proverbiali locutione Luc. 11,12 inter ovum et scorpionem fit oppositio, de qua notat *Bochartus* (Hieroz. II, l. 4, c. 29) : « Et scorpionis corpus est ovo προσεμφερές (simile), maxime si sit album, quale habet scorpionum prima species apud Nicandrum, Aelianum, Avicennam et alios. Nec mole ab ovo scorpiones plurimum distant in Iudaea » etc. — In Syria et praesertim in Arabia Petraea abundant scorpiones coloris nigri, flavi, fusci, albi, subrubri et variae magnitudinis usque ad 7-9^{cm}, immo usque ad 12-15^{cm}. Cf. *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 301-3; *A. E. Brehm,* Thierleben IX. (1884), p. 634.

2. Scorpio dicitur quoque flagellum uncis instructum, uncinatum, sicut scorpionis aculeus est uncinatus. Eiusmodi flagellis durioribus plebem esse castigandam Roboam minatus est (3 Reg. 12,11. 14; 2 Par. 10,11. 14).

3. Scorpii 1 Mach. 6,51 ex graeco (σκορπίδια) sunt minores scorpiones i. e. machinae parvae ad sagittas iaciendas. « Scorpiones dicebant quas nunc manubalistas vocant, ideo sic nuncupati, quod parvis subtilibusque spiculis inferant mortem » (*Vegetius,* De re militari 4,22).

SCORPIONUM ascensus v. ACRABIM.

SCRIBA (סוֹפֵר, γραμματεύς). Inter eos qui in aula regum Iuda muneribus funguntur, nominatur etiam scriba; ita sub Davide Saraias scriba (2 Sam. 8,17, qui 20,25 nominatur Siva, 1 Par. 18,16 Susa, 3 Reg. 4,3 Sisa), sub Salomone Elihoreph et Ahia scribae (3 Reg. 4,3), sub Ezechia Sobna scriba (4 Reg. 18,18; 19,2; Is. 36,3), sub Iosia Saphan (4 Reg. 22,3). Quid eius muneris fuerit, nullibi enuntiatur; solum 4 Reg. 12,10 et 22, 3 ss. indicatur scribam de pecuniis ad restaurandum templum collectis rationes confecisse et pecuniam praesidibus operariorum distribuisse. Nomen ipsum innuit eos fuisse regum ministros in rebus scribendis vel scripto promulgandis, eos quoque annales regum conscripsisse, libros scil. qui saepe in libris Regum laudantur, libros verborum dierum regum Iuda (cf. 3 Reg. 11,41; 14, 29; 15,7. 23; 22,46; 4 Reg. 8,23 etc.). Ex ordine quo nominantur 4 Reg. 3,4, dignitate videtur scriba superasse eum qui erat a commentariis (maskir).

In re militari quoque scribae commemorantur; ita 4 Reg. 25,19 scriba principis (princeps?) exercitus qui probabat tyrones de populo terrae (cf. Ier. 52,25 scriba princeps militum et v. SOPHER); 2 Par. 26,11 exercitus bellatorum Oziae regis procedebat ad proelia sub manu Iehiel scribae; obscurus est locus Iud. 5,14 (hebr.); cf. Is. 33,18.

Eodem nomine designantur quorum erat res gestas litteris consignare vel

documenta publica conficere (cf. 1 Par. 24,6; Esd. 4,8).

Sed singulari modo dicuntur scribae interpretes legis mosaicae, quorum erat legis praecepta nosse, explicare, applicare ad usus cotidianos, haec praecepta alios docere. Talis scriba erat Esdras, scriba velox in lege Moysis, qui statuit cor suum ad quaerendam legem Iahwe, ad faciendum et docendum in Israel statutum et praeceptum (Esdr. 7,6. 10). Esdras legem populo explicavit (Neh. 8, 1-3). Atque ab eo tempore scribae observantiam legis tueri ac propagare tamquam munus sibi demandatum habebant et quod Esdras inceperat, id continuabant. Ad eos recurrebatur in rebus dubiis, ab iis exquirebatur, quid lex pro rerum condicionumque varietate praeciperet. Prophetae iam non aderant, quos consulere ante exsilium in promptu erat (cf. 1 Mach. 4,46; 9,27; 14,41); unde legis doctores, scribae, id muneris sibi assumebant, ut legis praecepta perscrutantes et ex iis colligerent quid in vitae cotidianae vicissitudinibus secundum legis indolem et consecutionem esset legi conforme et statuerent praecipientes ea quae ad accuratam legis custodiam conferrent. Eo modo per decursum annorum exortae sunt illae « traditiones seniorum » (Matth. 15,2; Marc. 7, 3), quibus vita in singulis fere actionibus onerabatur variis observantiis. Cum itaque auctoritatem docendi legem, eam explicandi et ad quasvis condiciones eam applicandi novis statutis praeceptis sibi attribuerent, dixit Christus : super cathedram Moysis sederunt scribae et Pharisaei (Matth. 23,2).

Vocantur in libris Novi Testamenti γραμματεῖς, νομικοί, νομοδιδάσκαλοι (cf. Matth. 2,4; 9,3; 15,1; Marc. 7,1; 9,11; Luc. 5, 17; 10,25 etc.). Tamquam doctores legis, quorum consilio opus erat ad causas diiudicandas, ad solvendas quaestiones, scribae aliqui ad synedrium in urbe Ierusalem accensebantur. Frequens enim est narrandi formula : principes sacerdotum, scribae et seniores (Matth. 16,21; 27,41; Marc. 8,31; 11,27; 14,43; 15,1; Luc. 9,22; 20,1; 22,66) vel principes sacerdotum et scribae (Matth. 2,4; 20, 18; 21,15; Marc. 11,18; 14,1; Luc. 20, 19; 22,2; 23,10) vel scribae et seniores (Matth. 26,57; Act. 4,5; 6,12). Non solum in Ierusalem et Iudaea, etiam in Galilaea mentio fit scribarum (Luc. 5, 17). Nomen rabbi saltem celebrioribus eo iam tempore indebatur. Docebant et quaestiones agitabant etiam in templo, scil. in atrio, in porticibus (cf. Luc. 2, 46; Ioan. 10,23); item in synagogis (cf. Act. 18,4); praeterea in domibus doctrinae (beth ha-midrash) instituebantur discipuli ad pedes doctoris, uti v. g. Paulus secus pedes Gamaliel eruditus fuerat (Act. 22,3). Commemorantur scribae Pharisaeorum (Marc. 2,16; Luc. 5,30; Act. 23,9 graece), qui a partibus Pharisaeorum erant et eorum doctrinas propagabant; ex qua designatione sequi videtur, etiam Sadducaeorum opiniones habuisse fautores ac defensores inter scribas. Praeterea exstitisse scholas scribarum inter se contrarias, patet tum ex schola Hillel et schola Shammai (quarum prior opiniones benigniores, severiores altera amplectebatur), tum ex iis quae postea de sententiis scribarum in Talmude litteris consignata sunt, ubi variorum doctorum decisiones inter se repugnantes referuntur.

Quomodo munere suo docendi et custodiam legis urgendi functi sint plerumque in perniciem, ex concordi evangeliorum narratione elucet. Observantiam legis valde onerosam reddebant plurimis illis praeceptis minutis (cf. Matth. 15,1; Marc. 7,2-5; Luc. 11,38 ss.), quibus onera imponebant hominibus, quae portare non poterant et ipsi tamen uno digito non tangebant sarcinam, ut iis exprobrat Christus (Luc. 11,46); immo « vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis et eos qui introibant prohibuistis (Luc. 11,52); vae vobis hypocritis, quia clauditis regnum caelorum ante homines (Matth. 23,13). Dum minima quaeque in crebris lotionibus, in decimis persolvendis, in observatione sabbati curarent, omittebant quae graviora sunt legis : iudicium, misericordiam, fidem (Matth. 23, 23; Luc. 11,42); immo suis traditionibus ipsum Dei mandatum quandoque irritum faciebant; quare de iis valere ait Christus : labiis me honorant, cor

autem eorum longe est a me (Matth. 15, 3-9).

Item Christus mores eorum pessimos perstringit; vae hypocritae, similes sepulcris dealbatis; vos aforis paretis hominibus iusti; intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate (Matth. 23,27. 28); reprehenditur in iis ambitio et superbia; faciunt omnia opera ut videantur ab hominibus, dilatant phylacteria, magnificant fimbrias, amant primos recubitus in cenis, primas cathedras in synagogis et salutationes in foro et vocari rabbi (Matth. 23,5; Marc. 12,38); reprehenditur avaritia : comedunt domus viduarum orationes longas orantes i. e. sub obtentu prolixae orationis (Matth. 23,14; Marc. 12,40); affectant munditiem externam, intus autem pleni sunt rapina et immunditia (Matth. 23,25); destruunt iuramenti sanctitatem (23, 16 ss.); magno studio etiam itineribus factis proselytum acquirere student; verum eum minime inducunt ad pietatem : « facitis eum filium gehennae duplo quam vos » (23,15); sunt duces caeci, excolantes culicem, camelum glutientes (23, 24).

In Iesum scribae magnam animorum aversionem et simultatem prae se ferebant. Quamvis viderent miracula eius, tamen blasphemiae eum accusant (Matth. 9,3; Marc. 2,6; Luc. 5,21); reprehendunt eum quod cum publicanis ac peccatoribus conversabatur (Luc. 5,30); murmurabant, quia peccatores recipiebat, neque studio Christi peccatores ad meliorem frugem reducendi scribae ullo modo tangebantur (cf. Luc. 15,2 ss). Videntes mirabilia quae fecit indignabantur (Matth. 21,15); immo nascentem populi in Christum fidem enecare et supprimere tentabant enormi blasphemia dicentes plebi : Beelzebub habet et in principe daemoniorum eiicit daemonia (Marc. 3,22). Observant eum, si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum (Luc. 6,7); saepius quaerebant quomodo eum perderent (Marc. 11, 18); mittunt insidiatores qui se iustos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui et potestati praesidis (Luc. 20,20). Et quotiescumque Christus de sua passione loquitur, commemorat se multa debere pati a scribis (Matth. 16,21; 20,18; Marc. 8,31; 10,33; Luc. 9,22). Atque in narratione passionis haec verba Christi vera fuisse satis apparet (Matth. 26,57; 27,41; Marc. 14,1 quaerebant quomodo eum dolo tenerent et occiderent; 14, 43. 53; 15,1 tradiderunt Iesum Pilato; 15,31 illudebant Iesum in cruce; Luc. 22, 2. 66; 23,10 stabant constanter accusantes eum). Et postea persecuti sunt discipulos Iesu (Act. 4,5; 6,2).

Scriba quidam (Matth. 8,19 s. cf. Luc. 9,57 s.) animo prompto ad Iesum videbatur accedere dicens : magister, sequar te quocumque ieris; at cum Iesus eum moneat de extrema sua paupertate, se non habere ubi caput reclinet, dubitare licet de scribae sinceritate. Ille autem scriba, de quo Marc. 12, 28-34 narratur, ab ipso Iesu meruit aliquid laudis audire : non es longe a regno Dei. Inde concludamus etiam eo tempore non omnes scribas fuisse perversos.

Alio sensu adhibetur scriba, γραμματεύς Act. 19,35; Ephesi enim hic erat titulus magistratus et moderatoris contionum, erat γρ. τοῦ δήμου, qui rogationem fert ad populum (cf. Greek Inscriptions in the British Museum III, II, n. 482. 500; *Vigouroux*, Nouveau Test. et les découvertes modernes *ed.* 2, p. 302; *Knabenbauer* Comm. in Act. p. 337).

De scribis Iudaeorum generatim cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3. II. p. 312 ss.; *Hamburger*, Real-Encyclopaedie für Bibel und Talmud II. (1883) s. vv. Gelehrter, Lehrhaus, Rabban, Schüler, Sopherim, Talmudlehrer, Talmudschulen, Unterhalt, Unterricht.

SCRIBENDI ARS. Apud Aegyptios, uti monumenta antiquissima testantur, scribendi ars valde erat propagata. Inde iam merito concluseris eadem arte non plane caruisse Israelitas, quorum maiores immigrarant ex regione, in qua pariter usus scribendi notus erat et qui ipsi inter Aegyptios scribendi peritos diu commorabantur. Moysen scripsisse refertur Ex. 17,14 : scribe hoc ob monimentum in libro; 24,4 scripsit Moyses universos sermones

I. — ORIGO LITTERARUM SEMITICARUM ET GRAECARUM.

SCRIPTURA AEGYPTIORUM		PRIMITIVAE formae SEMITARUM
HIEROGLYPHICA	HIERATICA	

ANTIQUA scriptura SEMITICA	PRIMITIVA scriptura GRAECA	IUNIORES FORMAE

II. — PRIMITIVARUM LITTERARUM SEMITIC. MUTATIONES.



Domini (Ex. 20-23); 34,27 scribe tibi verba haec quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus; cf. Num. 17,3; 33, 2; Deut. 31,9. 22. Neque ad paucos solum usus scribendi pertinebat; cf. Ex. 28,9. 36; lege zelotypiae praescribitur ut sacerdos scribat in libello maledicta (Num. 5,23); immo Israelitis dicitur: narrabis verba haec filiis tuis scribesque ea in limine et ostiis domus tuae (Deut. 6,9; 11,20); usum scribendi sat frequentem demonstrat etiam lex de libello repudii (Deut. 24,1. 3). In libro Iosue mentio fit voluminis legis (1,8; 8,34); Gedeon apprehendit puerum de viris Soccoth, qui ei nomina septuaginta septem virorum descripsit (Iud. 8,14). Samuel scripsit legem regni (1 Sam. 10, 25); David scripsit epistulam ad Ioab (2 Sam. 11,14), Iezabel scripsit epistulam ad optimates in civitate Naboth (3 Reg. 21,8. 11), Iehu dedit litteras ad optimates Samariae (4 Reg. 10,1). Artem scribendi et legendi fuisse satis communem insuper ostenditur magna illa inscriptione Mesae regis Moabitarum (v. MESA); nam cur tale documentum palam esset expositum, si fere nemo id legere potuisset? Tempore regum Iuda et Israel morem scribendi frequentem fuisse, ipso nomine scribarum ostenditur (cf. s. v. SCRIBA), ostenditur libro verborum dierum regum Iuda, regum Israel, scriptis prophetarum Nathan, Ahiae, Addo (2 Par. 9,29), Semeiae (2 Par. 12,15; cf. 13,22), Iehu (2 Par. 20,34), inscriptionibus publice exponendis (Is. 8,1; 30,8; Hab. 2,2).

Scriptionis super lapides mentio fit Deut. 27,8; Ios. 8,32; super lignum (Ez. 37,16); et tabula lignea etiam intellegenda erit Is. 30,8; Hab. 2,2; in tabulis aereis scriptum erat foedus inter Romanos et Iudaeos conclusum (1 Mach. 8,22). Quando sermo est de volumine, materies erat papyrus vel corium; cum papyrus adeo frequens esset in Aegypto, etiam Iudaeos papyro usos esse ad scribendum probabilissimum est; cf. Ier. 36,23 cum legisset Iudi tres pagellas vel quattuor (ex volumine quod Ieremia dictante Baruch scripserat), scidit illud Ioakim rex scalpello scribae et proiecit in ignem qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen. Flavius Iosephus (in epistula Aristeae Ant. XII. 2,11) loquitur de membranis, in quibus leges mosaicae aureis litteris inscriptae fuerint; cf. 2 Tim. 4,13 et v. MEMBRANA.

Instrumentum scribendi nominatur stilus ferreus, quo scribitur in plumbi lamina vel in saxo (Iob 19,24; Ier. 17,1), alias stilus (Is. 8,1; Ier. 8,8), qui certe calamus potest intellegi, quo super papyrum scribebatur; cf. Ps. 44,2 lingua mea calamus scribae velociter scribentis. Atramentum דְּיוֹ legitur Ier. 36,18; μέλαν (i. e. nigrum) 2 Cor. 3,3; 2 Ioan. 12; 3 Ioan. 13. Graeci et Romani illud ex fuligine parabant. Quomodo Hebraei confecerint atramentum, nescitur.

De litterarum forma earumque per tempora et regiones mutatione, vide adiectas Tabulas I. et II.

SCRIPTURA. 1. Vox adhibetur in Vulgata, sicut apud profanos auctores; ita Ex. 32,16 scriptura Dei erat sculpta in tabulis; 2 Par. 36,22 iussit Cyrus praedicari in universo regno suo etiam per scripturam etc. (Esdr. 1,1). Dicitur quoque de eo quod documento quodam publico continetur scripto v. g. hi quaesierunt scripturam genealogiae suae (Esdr. 2,62; Neh. 7,64); tale documentum conficiebatur etiam pro celebratione dierum phurim (Esth. 9,26); documentum privatum, quo Tobias heres scribitur Raguelis, scriptura dicitur (Tob. 8,24); eodem nomine designatur carmen Ezechiae (Is. 38,9); Ps. 86, 6 scripturae populorum dicuntur quasi tabulae seu index populorum, in quibus populi apud Deum recensentur; Eccli. 44,5 narrantes carmina scripturarum, dicitur de sapientibus qui sententias suas scripto tradiderunt posteris (cf. fragmenta hebr. sapientes meditatione in libris suis).

2. De ea quam dicimus Scripturam Sacram vox adhibetur in libris Novi Testamenti. Christus Dominus quotiens de libris sacris Iudaeorum loquitur, nomen Scripturae vel Scripturarum (ἡ γραφή, αἱ γραφαί) usurpat itemque Apostoli et Evangelistae. Adhibentur hi termini sine ullo addito de libris Vet. Test. quin-

quagies fere in N. T., praesertim in Evangelio Ioannis et in Epistulis, rarius apud Synopticos. Alii termini in ipsa S. Scriptura adhibiti sunt τὸ βιβλίον, *liber* (Neh. 8,8), αἱ βίβλοι, *libri* (Dan. 9,2), κεφαλὶς βιβλίου, *volumen libri* (Ps. 39[40], 8 et Hebr. 10,7). Accedunt denique eadem nomina cum additamento 1 Mach. 12,9 : τὰ βιβλία τὰ ἅγια, *sancti libri*, 2 Mach. 8,23 : ἡ ἱερὰ βίβλος, *sanctus liber*, Rom. 1,2 : γραφαὶ ἅγιαι, *Scripturae Sanctae*, 2 Tim. 3,15 : τὰ ἱερὰ γράμματα, *sacrae litterae*. Ea voce libri Veteris Testamenti ut sacri et auctoritate irrefragabili praediti designantur, quare Scriptura quasi personificatione inducitur : providens Scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, praenuntiavit Abrahae (Gal. 3,8); respicitur scil. Deus auctor primarius. Ipsa haec Scriptura accuratius designatur complecti legem et prophetas (Rom. 3,21; Act. 28,23), legem Moysis, prophetas, psalmos (Luc 24,44). Idem nomen Scripturae ad libros quoque Novi Testamenti ab ipsis Apostolis extenditur; 2 Petr. 3,16 epistulae Paulinae inter τὰς λοιπὰς γραφάς recensentur; 1 Tim. 5,18 Evangelium Lucae (10,7) una cum Deut. 25,4 velut Scriptura adhiberi videtur.

SCULPTURA v. s. v. ARTES in vol. I. col. 415-7.

SCYTHA (Σκύθης) legitur Col. 3,11 pro rudi, ignorante, barbaro. Ad eandem Scytharum indolem alluditur 2 Mach. 4, 47. Cf. *Flav. Ios.* c. Ap. II. 37 : « Scythae autem caedibus gaudentes humanis et parum admodum differentes a bestiis » et *Cicero* in Verr. II. 5,58 : « Si haec apud Scythas dicerem, non hic in tanta multitudine civium romanorum..... tamen animos etiam barbarorum hominum permoverem ». De Scytharum barbarie, quae in proverbium abierat, vide plura apud *Wetstein*, Nov. Test. ad Col. 3,11.

SCYTHOPOLIS v. BETHSAN.

SEBA (שֶׁבַע, Σαβεέ), filius Bochri, Beniaminita de monte Ephraim (2 Reg. 20,1-22). Describitur vir Belial; Absalome mortuo novam et ingentem coniurationem in Davidem excitavit et omnem Israel exceptis viris Iuda in suas partes traxit. Ioab dux virorum Iuda per omnes tribus Israel eum persecutus in urbe Abel Beth Maacha obsedit; incolae autem urbis suadente muliere quadam caput Sebae abscissum trans murum proiecerunt, quo facto tota rebellio exstincta est. — Idem nomen hebr. gerit SEBE.

SEBE (שֶׁבַע, Σέβεε), princeps quidam Gaditarum in Basan (1 Par. 5,13).

SEBENIA, SEBENIAS (שְׁבַנְיָה, שְׁבַנְיָהוּ; Σομνία, Σεχενία, Σαβανία, Σεβανί, Σεβανία, Vulg. Sabania Neh. 9,4; 10,12 et Sebnia Neh. 9,5).

1. Sacerdos tempore Davidis (1 Par. 15,24).

2. Levita tempore Esdrae (Neh. 9,4. 5), cuius nomen inter signatores foederis Neh. 10,10 recurrit.

3. Nomen levitae vel familiae leviticae inter signatores foederis (Neh. 10, 12).

4. Princeps familiae sacerdotalis tempore Zorobabel, quae etiam inter signatores foederis cum Nehemia recensetur (Neh. 10,4; 12,3. 14); eius nomen Neh. 12,3 scribitur שְׁכַנְיָה; probabile igitur est designari illam classem, quae tempore Davidis gerebat nomen Sechenia (שְׁכַנְיָהוּ, Σεχενία) et decima inter viginti quattuor classes sacerdotales numerabatur (1 Par. 24,11).

SEBEON (צִבְעוֹן, Σεβεγών), filius tertius Seir Horraei, pater Aia et Ana (v. ANA 2) et unus ex ducibus Horraeorum in monte Seir (Gen. 36,2. 14. 20. 24. 29; 1 Par. 1,38. 40). Difficultas aliqua in eo est, quod, Horraeus cum fuerit, tamen Gen. 36,2 Hevaeus dicatur et Gen. 27,46 Hethaeis accenseatur. Sed adverte primum lectionem 36,2 הַחִוִּי esse incertam, cum facile ex הַחֹרִי oriri potuerit; sin autem lectio *Hevaeus* retinetur, difficultas ex sedium mutatione solvi potest; nihil enim obstat, quominus Horraeus origine terram Hevaeorum aliquo tempore incoluerit et Hevaei cognomen obtinuerit. Ex eo autem quod Horraei Hethaeis accensentur, merito concludere licet Horraeos, de quorum origine nihi

traditum est, ramum aliquem magnae familiae Hethaeorum fuisse.

SEBETHAI (שַׁבְתַּי, Σαβαθαί), levita tempore Esdrae (Esdr. 10,15).

SEBIA. **1.** Sebia (צִבְיָה, Σαβιά), mater Ioas regis Iuda de Bersabee oriunda (4 Reg. 12,1; hebr. 12,2; 2 Par. 24,1). Idem nomen aramaice est טַבִּיתָא, Tabitha, ut sub voce DORCAS exposuimus.

2. Sebia (צְבִיָא, Σεβιά), Beniaminita, filius Saharaim de Hodes uxore genitus in terra Moab (1 Par. 8,9).

SEBNIA v. SEBENIA 2.

SEBOIM. **1.** Seboim (צְבֹיִם, צְבוֹיִם et *Qeri* צְבוּיִם; Σεβωίμ, Σεβωείμ, Σεβοείμ), una ex urbibus Pentapoleos (Gen. 10,19; 14,2. 8; Deut. 29,23; Os. 11,8); eius rex erat Semeber; in catastrophe Sodomae et Gomorrhae etiam deletae sunt Adama et Seboim, quae duae urbes locis citatis coniunguntur. De situ probabili vide s. v. ADAMA et SIDDIM.

2. Seboim vallis (גֵּי הַצְּבֹעִים, Γαὶ τὴν Σαβίμ) ab urbe Machmas in tribu Beniamin orientem versus sita erat contra desertum (1 Reg. 13,18). Hodie saltus *Shuqq el-Ḍabā'* (i. e. saltus hyaenae), per quem ex montanis descensus fit in planitiem Ierichuntinam paulo supra *Wādi el-Qelt* (*Grove* apud *Smith*, Dictionary of the Bible s. v. Zeboim; *Guérin*, Judée III. 48); nomini antiquo *vallis Zeboim* fortasse eadem subest significatio : vallis hyaenarum (cf. s. v. HYAENA). Haud longe a *Shuqq el-Ḍabā'* est etiam alia vallis idem nomen hyaenae prae se ferens : *Wādi Abu Ḍabā'*, quae a meridie in *Wādi el-Qelt* desinit et a planitie Ierichuntina magis remota est; hanc esse antiquam vallem Seboim censet *K. Marti* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. VII. 1884, p. 125-130. Utramque vallem invenies apud *Conder and Kitchener*, Map of West. Pal., Large Map, sheet XVIII, Reduced Map, sheet 14.

3. Seboim (צְבֹעִים, Σεβοίμ), urbs a Beniaminitis post exsilium habitata Neh. 11,34). Est ignota, sed eam cum valle Seboim connexam fuisse ipso nomine suadetur.

SECHEM (שְׁכֶם, Συχέμ). **1.** Filius Galaad filii Machir filii Manasse, progenitor familiae Sechemitarum (Num. 26,31; Ios. 17,2).

2. Filius Semida filii Galaad (1 Par. 7,19).

SECHENIAS (שְׁכַנְיָה, שְׁכַנְיָהוּ; Σεχενίας, Σεχονίας, Σαχανία, Σεχενία). **1.** Unus ex posteris David et Zorobabel (1 Par. 3,21. 22). De textu perdifficili, qui corruptione laborat, et de variis illius genealogiae interpretationibus cf. *Keil, Bertheau, Zoeckler, Klostermann, Oettli, Kittel, F. de Hummelauer*.

2. Princeps classis sacerdotalis decimae inter 24 a Davide designatas (1 Par. 24,11); vide SEBENIA 4.

3. Unus ex levitis, qui ab Ezechia rege constituti sunt, ut levitico generi oblata distribuerent (2 Par. 31,15).

4. Princeps familiae, cuius filii cum Esdra ex captivitate redierunt (Esdr. 8,3).

5. Princeps alterius familiae, cuius filii 300 cum Esdra ex captivitate redierunt (Esdr. 8,5 et v. EZECHIEL 2).

6. Filius Iehiel de filiis Aelam, qui Esdram rogavit, ut matrimonia cum uxoribus alienigenis contracta aboleret (Esdr. 10,2).

7. Pater Semaia custodis portae orientalis Ierusalem tempore Nehemiae (Neh. 3,29).

8. Filius Area, socer Tobiae Ammanitis, inimici Nehemiae et Iudaeorum (Neh. 6,18).

9. Qui Neh. 12,3 hebr. LXX hoc nomen gerit, in Vulg. scribitur Sebenias (v. SEBENIAS 4).

SECHIA (שְׁבִיָה, B Σαβιά, A Σεβιά), Beniaminita, filius Saharaim de Hodes uxore genitus in terra Moab (1 Par. 8, 10). Alia mss. hebr. praebent שכוא vel שכוה.

SECHRONA (שִׁכְרוֹן, Σοχχώθ), urbs in confinibus Iudae et Dan, inter Accaron et Iebneel (Ios. 15,11). A nonnullis recentioribus agnoscitur in ruinis *Sukereir* prope *Nahr Sukereir* infra *Yebnā*

(Iebneel) Azotum versus (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 417; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV). Sed ordo enumerationis Ios. 15,11 urbem aliquam ad orientem Iebneel videtur postulare, dum ruinae *Sukereir* meridiem versus absunt. Et igitur ignota.

SECTA (αἵρεσις). Vox apud profanos quoque in usu posita certam opinandi rationem, doctrinam, scholam, institutum significat. Quo sensu etiam in Novo Testamento occurrit, sed ita ut simul coetus ille hominum certas sententias tenentium connotetur. Ita sermo est Act. 24,5 de secta Nazaraeorum; item 28,22; alias retenta est vox haeresis v. g. haeresis Sadducaeorum, Pharisaeorum (Act. 5,17; 15,5; 26,5). Notione primaeva de doctrina legitur Act. 24,14; quo loco Paulus dicit : secundum sectam (κατὰ ὁδὸν) quam dicunt haeresin deservio Deo. Praeterea dicitur secta de dissidiis ex diversitate sententiarum exortis cf. Gal. 5,20; 2 Petr. 2,1. 10. — Ceterum v. HAERESIS.

SECUNDA (הַמִּשְׁנֶה i. e. secunda) appellabatur pars quaedam urbis Ierusalem secundaria 4 Reg. 22,14 (ἐν τῇ μασενᾷ), 2 Par. 34,22 (ἐν μασαναί), Soph. 1,10 (ἀπὸ τῆς δευτέρας), probabiliter ea pars, quae inter murum primum et secundum in latere aquilonari comprehendebatur (v. IERUSALEM VII. 3 in vol. II. col. 702). Praeterea legitur Neh. 11,9 Vulg. : Iudas filius Senua super civitatem secundus (ἀπὸ τῆς πόλεως δεύτερος), sed hebraicum עַל־הָעִיר מִשְׁנֶה alii cum Vulg. et LXX explicant : super civitatem secundus scil. a praefecto, alii vero : super civitatem secundam seu partem urbis secundam.

SECUNDUS (Σέκουνδος), comes S. Pauli, unus ex illis septem, quos Paulus ex tertio itinere apostolico rediturus Troadem praemisit, ut inde ipsum in urbem Ierusalem comitarentur (Act. 20,4).

SECURUS (יוֹאָשׁ, Ἰωάς), nomen alicuius principis in Moab ex posteris Sela filii Iuda (1 Par. 4,22). Vulgata aliquam nominis explicationem etymologicam effert : Securus; יוֹאָשׁ forma abbreviata ex יְהוֹאָשׁ explicatur : *Iahwe donavit* probabiliter a radice inusitata אוּשׁ *donavit* (*Gesenius*).

SEDADA (צְדָדָה) legitur in descriptione termini septemtrionalis terrae sanctae (Num. 34,8; Ez. 47,15). Praeferenda videtur lectio צְרָדָה, quam saltem Num. 34,8 commendant textus samaritanus, versio samaritana et LXX (Σαραδάκ). Altero loco Ez. 47,15 Vulgata praebet : venientibus Sedada, Emath etc., hebr. בּוֹא צְדָדָה חֲמָת, sed LXX τῆς εἰσόδου Ἡμασεδάμ i. e. venientibus Emath, Sedada; atque haec inversio insuper multum suadetur, quia 47,20 et 48,1 eaedem voces בּוֹא חֲמָת, venientibus Emath seu introitus Emath recurrunt. — Quodsi lectio *Serada* probabilior admittitur, antiquum nomen conservatum cernitur in *Khirbet Serādā* ad orientem planitiei inter *Nahr el-Līṭānī* et *Nahr el-Ḥāṣbānī*, quae *Merdj ʿAyūn* audit et introitus Emath esse censetur. Cf. *J. P. van Kasteren* in Revue biblique IV. 1895, p. 25. 30 et generatim totam eius expositionem de termino septemtrionali terrae sanctae infra Libanum et Hermonem maiorem figendo. Plerique terminum illum septemtrionalem a Libano aquilonem versus quaerere consueverant et Sedad agnoverant in vico *Ṣadad* iuxta viam, quae a *Rible* per *Hasyā* versus *Qaryatein* ducit (*Gesenius, Ewald, Knobel, Wetzstein, Mühlau* apud *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch s. v. Siphron, *Furrer* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885, p. 28); sed iam *Dillmann* ad Num. 34,8 animadvertit istum vicum longius orientem et aquilonem versus abesse.

SEDECIAS (צִדְקִיָּהוּ; Σεδεκίας, Σεδεκία).

1. Filius Chanaana, pseudopropheta, qui fecit sibi cornua ferrea, quo symbolo Achab regi praenuntiaret : His ventilabis Syriam, donec conteras eam (3 Reg. 22,11. 24; 2 Par. 18,10. 23 et quoad illud symbolum cf. Deut. 33,17).

2. Filius tertius Iosiae regis, patruus Iechoniae (Ioachin), proprio nomine

Mathanias vocatus, Sedecias autem dictus a Nabuchodonosor, qui mutato nomine eum regem Iuda constituit loco Iechoniae in exsilium abducti. Viginti et unum annos natus regnum suscepit et undecim annis (597-586) regnavit. « Vir erat rebus tum maxime perturbatis minime par; regnum pessime administravit : praedecessorum malis nihil sapientior redditus, Dei sacrorumque contemptor, cuiusvis generis iniquitates patravit; verorum prophetarum monita sprevit, falsis aurem praebuit nec non sacerdotes impios coluit » (*I. Danko*, Hist. revel. div. Vet. Test. 1862, p. 436). Anno 8. vel 9. regni sui Sedecias iuramenti praestiti immemor et auxilio Pharaonis Hophra (v. EPHREE) fretus a Nabuchodonosor defecit, sed ultimam urbi ac templo ruinam adduxit. Ierusalem duobus annis a Babyloniis obsidebatur, et postquam Aegyptii opem ferre conantes re infecta in Aegyptum redierunt, mense quarto anni 11. Sedeciae interrupta et occupata est. Sedecias fugiens in deserto Iericho captus Reblatham ad Nabuchodonosor adductus est, filios suos in conspectu suo occidi vidit, oculis effossis in Babyloniam abductus in carcere interiit. Erat ultimus rex Iuda. Cf. 4 Reg. 24,17 ss.; 25,2 ss.; 1 Par. 3,15; 2 Par. 36,10. 11; Ier. 1,3; 21,1 ss.; 24,8; 27,3. 12; 28,1; 29,3; 32, 1 ss.; 34,2 ss.; 37,1 ss.; 38,5 ss.; 39,1 ss.; 44,30; 49,34; 51,59; 52,1 ss.; Bar. 1,8; Ez. 17,13 ss.

3. Filius secundus Ioakim (Eliacim regis Iuda, frater Iechoniae (Ioachin) regis (1 Par. 3,16).

4. Filius Maasiae, pseudopropheta tempore Ieremiae, una cum Achab altero pseudopropheta (v. ACHAB 2) a Nabuchodonosor in fornace combustus (Ier. 29,21. 22).

5. Filius Hananiae, unus ex principibus in aula regis Ioakim (Ier. 36,12).

6. Unus ex maioribus Baruch prophetae (Bar. 1,1).

7. Sacerdos inter signatores foederis (Neh. 10,1[2]).

SEDEI (B Ἀσαδίας, A Σαδαίας), unus ex maioribus Baruch prophetae (Bar. 1,1).

SEDEUR (שְׁדֵיאוּר, Σεδιούρ), pater Elisur principis tribus Ruben (Num. 1, 5; 2,10; 7,30. 35; 10,18).

SEGOR (צֹעַר, צוֹעַר; Ζόγορα, Σηγώρ, Ζογόρ), una ex antiquissimis urbibus Chanaan, primitus Bala (בֶּלַע, Βάλαα) appellata, tempore Abraham una ex quinque urbibus regiis in valle Siddim; in eadem valle reges urbium Sodomae, Gomorrhae, Adamae, Seboim, Balae seu Segor devicti sunt a quattuor regibus Amraphel, Arioch, Chodorlahomor, Thadal (Gen. 13,10; 14,2. 8). In catastrophe Sodomae et Gomorrhae servata est Segor deprecante Lot, qui gratiae concedendae argumentum urget parvitatem urbis atque propter hunc eventum vocatum est nomen eius Segor, צֹעַר i. e. parvitas (Gen. 19,22), nomen utique mnemoneuticum, de quo animadvertit *F. de Hummelauer*, Comment. in Gen. p. 16 : potuit Segor vel ante Pentapoleos ruinam aut Zoar i. e. parva vocari aut nomen habere simile sonans, quod dein Hebraei memoriale salutis Lot transmutaverint. Eadem narratio Segor haud multum a Sodoma abfuisse indicat, siquidem Lot summo mane Sodoma egressus cum ortu solis iam prope ad Segor accessit (Gen. 19,23 cf. 19,15). De Segor ascendit Lot in montem (19,30), qui ex contextu narrationis ad montana Moab pertinebat. Moyses antequam moreretur, terram promissionis e vertice Phasga contemplatus est usque Segor (Deut. 34,3); verum ex Gen. 13,12 concludendum est Segor et totam regionem Pentapoleos a terra Chanaan distinctam fuisse. Commemoratur inter urbes Moabitidis australis in vaticiniis contra Moab editis (Is. 15,5; Ier. 48,34).

Aetate machabaica regno arabico, cuius urbs princeps Petra erat; accensebatur; ab Alexandro Iannaeo Arabibus erepta, sed ab eius filio Hyrcano II. Aretae regi Arabum restituta est (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 15,4; XIV. 1,4). Ptolemaeus (V. 17,5; *ed. Müller-Fischer* 16,4) eam Arabiae Petraeae adscribit. Flav. Iosephus (Bell. iud. IV. 8,4) eius situm determinat dicens lacum Asphaltiten meridiem versus se extendere usque ad Zoara

Arabiae (μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας). Accedunt ea, quae Onomast. tradit : Mare salinarum quod vocatur mortuum... inter Iericho et Zoaram (*ed. Lag.* 261,36; 139,23); Bala quae est Segor..... imminet mari mortuo et praesidium in ea positum est militum Romanorum; habitatoribus quoque propriis frequentatur et apud eam gignitur balsamum et poma palmarum, antiquae ubertatis indicia (l. c. 231,13; 100,23); Luith vicus inter Areopolim et Zoaram (l. c. 276,43; 136, 23); Phaenon castra filiorum Israel in deserto..... inter civitatem Petram et Zoaram (l. c. 299,85; 123,9); vicus nomine Bennamerium ad septemtrionalem plagam Zoarae (l. c. 284,33; 143,11). Erant igitur vici moabitici Luith et Nemrin (vide s. vv.) ad septemtrionem Zoarae, unde iam *Relandus* (Palaestina p. 1066) concludit : « cum autem Moabitis fuerit ad ortum maris Mortui, etiam Zoara eo vergere censenda est ». A S. Hieronymo (ad Is. 15,5) Segor describitur in finibus Moabitarum sita, dividens ab eis terram Philisthiim. Apud Stephanum Byzant. Zoar est vicus magnus vel castellum in Palaestina ad lacum Asphaltiten. Secundum geographos arabicos (imprimis *Maqdisi*) Soghar vel Zoghar erat urbs principalis provinciae *Sherah,* una ex illis sex stationibus mercatorum inter Aelath et Ierusalem, emporium frequentatum, cui nomen *Parva Basra* indebatur ob similitudinem cum *Basra* urbe mercatoria prope sinum Persicum (cf. *Wetzstein* apud *Delitzsch,* Genesis *ed.* 4, p. 564 s. Excurs. II). Historiographis Equitum Cruciatorum (cf. apud *Raumer,* Palaestina *ed.* 4, p. 273) Segor est vallis illustris, vallis palmarum (Palmer, Paumier). Notatu autem maxime dignum est, quod *Fulcherius Carnotensis* narrans regem Balduinum I. Hebrone ad Montem Salis iuxta mare Mortuum australe profectum esse ita pergit : « Gyrato autem lacu a parte australi reperimus villam unam situ gratissimam et de fructibus palmarum, quos dactylos vocant, valde abundantem, quibus pro cibario placido tota die vescebamur..... Tunc Arabiae montana ingressi sumus » (Historia hierosolymitana II. 4 apud *Migne,* Patr. lat. 155,866-7).

Ex his omnino efficitur Segor fuisse ad orientem maris Mortui inferioris, sicut Sodoma ad occidentem eiusdem prope Montem Salis seu *Djebel Usdum* sita erat. Inter duas urbes interiacet *el-Ghōr,* regio palustris infimo mari Mortuo adiacens, hodie *el-Sebkha* appellata. Huic orientem versus immediate adiungitur *Ghōr el-Ṣāfiye,* ubi ruinae castelli *Qalʿat el-Ṣāfiye* cernuntur iuxta *Khirbet el-Ṣāfiye.* Ibidem recentiores communiter censent sepultam esse urbem Segor infra alluvium, quo etiam extrema pars maris Mortui angustiore spatio compressa est. Idem censebant antiquiores. Opinio autem illa nova, quam *Irby* et *Mangles* primi annis 1817 et 1818 proposuerunt, alii ut *Robinson, Ritter, Winer, Tuch* comprobarunt, Zoar sitam fuisse in *Ghōr el-Mezraʿa* i. e. in illa paeninsula, quae ab oriente in mare Mortuum protenditur, hodie iuremerito derelicta est.

SEGUB. **1.** Segub (שְׁגוּב), *Kethib* שְׁגִיב; Σεγούβ), filius natu minimus Hiel de Bethel; cum Hiel Iericho civitatem aedificaturus i. e. munituros portas poneret, eius filius natu minimus iuxta imprecationem Iosue (Ios. 6,26) morte sublatus est (3 Reg. 16,34).

2. Segub (שְׁגוּב, Σερούχ), filius Hesron filii Phares filii Iuda, genitus ex filia Machir filii Manasse, pater Iair bellatoris (1 Par. 2,21. 22; v. IAIR 1).

SEHESIMA (שְׁחַצִים, cum terminatione *ā* שַׁחַצִימָה, *Kethib* שחצמה; Σαλὶμ κατὰ θάλασσαν, A Σασειμάθ), urbs tribus Issachar (Ios. 19,22); ex contextu quaerenda est in termino septemtrionali tribus Issachar orientem versus seu inter montem Thabor et Iordanem; situs ignoratur.

SEHON (סִיחֹן; Σηών) Amorrhaeus, rex Hesebon, vir audax et bellicosus. Is totum territorium inter fluvios Iaboc, Iordanem, Arnonem vi armorum occupavit, Ammonitas inde orientem versus expulit in desertum Iaboc superioris, Moabitas genere et amicitia cum

Ammonitis coniunctos meridiem versus in ripam Arnonis sinistram reiecit (Num. 21,26-30; Iud. 11,15 ss. et cf. Ios. 13,25). Verum non diu regno illo fruebatur; cum enim Israelitis transitum per fines suos concedere nollet, exercitu congregato iis obviam factus in pugna apud Iasa (Iassa) devictus occubuit totumque eius regnum ab Israelitis subactum est (Num. 21,21-25. 34; 32,33; Deut. 1,4; 2, 24 ss.; 3,2. 6; 4,46; 29,7; 31,4; Ios. 2,10; 9,10; 12,2. 5; 13,10. 21. 27; Neh. 9,22; Ps. 134,11; 135,19). A Salomone in terra Sehon regis Amorrhaei praefectus constitutus est Gaber filius Uri (3 Reg. 4, 19) et in aliqua eius regni parte scil. in Ramoth Galaad Bengaber (4,13).

Ad Num. 21,28 et rem ibi narratam alluditur Ier. 48,45 : ignis egressus est de Hesebon et flamma de medio Seon (מִבֵּין סִיחֹן, ἀπὸ μέσου Σεών); quo loco cum Theodotio praebeat ἐκ πόλεως Σηών, similiter Syrus: de arce Sehon, quae dictiones cum loco principe Num. 21,28: « de oppido Sehon » plane conveniunt, nonnulli interpretes emendandum censent מִבֵּית ex domo Sehon i. e. ex regione quae olim Sehon erat; alias aliorum interpretum opiniones de eodem textu enumerat *Knabenbauer* ad Ier. 48,45.

SEIR (שֵׂעִיר i. e. hirsutus; Σηείρ).

1. Seir Horraeus, princeps quidam Horraeorum, qui montem seu terram Seir incolebant (Gen. 36,20. 21; 1 Par. 1, 38); fortasse mons ab isto principe nomen accepit, ex aliorum tamen opinione princeps a monte. Septem filii Seir et filiorum filii Gen. 36,20-28 et 1 Par. 1,38-42 enumerantur; quorum nominum aliqua interpretes ab animalibus petita esse coniiciunt, ut Sobal sit leunculus, Sebeon hyaena, Dison antilope quaedam (Deut. 14,5), Aia milvus vel species quaedam accipitris, Ana onager, Aran capra silvestris; de filiabus duae tantum recensentur, Thamna et Oolibama, quae matrimonio cum familia Esau coniunctae erant (cf. Gen. 36,2. 5. 12. 14. 18). Post filiorum ac nepotum elenchum recensentur Gen. 36,29. 30 duces et tribus Horraeorum in terra Seir, quo loco docemur solos filios Seir, non filios filiorum in separatas tribus excrevisse. Quonam tempore Seir princeps inter Horraeos floruerit, ex eo dignoscitur, quod Eliphaz primogenitus Esau matrimonio iunctus fuerit cum Thamna filia Seir et ipse Esau cum Oolibama filia Anae (cognomine Beeri seu putearii) filii Sebeon filii Seir; adverte insuper Thamnam filiam Seir esse potuisse sensu latiore i. e. neptem vel proneptem (cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in Gen. p. 518. 519). Postmodum vero Horraeos Edomitae subegerunt, atque exstirparunt (Gen. 36, 31-43); unde factum est ut et ipsi Edomitae a sedibus occupatis nominentur Seir (Num. 24,18; Ez. 25,8), filii Seir (2 Par. 25,11. 14; cf. 4 Reg. 14,7), mons Seir (2 Par. 20,10. 22 s.; Ez. 35,2 ss.).

2. Seir mons, sedes Horraeorum et Edomitarum v. EDOM, IDUMAEA.

3. Seir mons in termino septemtrionali tribus Iuda occidentem versus (Ios. 15, 10) seu in confiniis Iuda, Beniamin et Dan. LXX ὄρος Ἀσσάρ. Censetur esse illud iugum asperum et altitudine ex montibus Iuda eminens, super quo vicus *Sārīs* (vide s. v. THOBES) quattuor horis a Ierusalem occidentem versus cernitur; cf. *Guérin*, Judée I. 62; 281-283. Sed *F. de Hummelauer* textum Ios. 15,10 emendandum esse putat, ita ut mons Seir ceteroqui ignotus eliminetur.

SEIRA (צְעִיר, cum terminatione *ā* צְעִירָה; Σιώρ), urbs vel locus in Idumaea (4 Reg. 8,21); eousque Ioram rex Iuda in expeditione contra Edomitas progressus erat, ibi vero ab hostibus undique cinctus noctu feliciter erupit domumque rediit. In textu parallelo 2 Par. 21,9 pro nomine loci legitur עִם שָׂרָיו Vulg. cum principibus suis, LXX μετὰ τῶν ἀρχόντων. Censebant nonnulli (*Movers, Hitzig, Ewald*) designari urbem Zoar seu Segor, quae ad orientem maris Mortui infimi iuxta *Ghōr* sita erat; aliis (*Thenius*) צעיר mendum videbatur pro שׂעיר, quod vix probabile dici potest, cum nomen Seir montis notissimum fuerit. A recentioribus Seira cum aliqua probabilitate agnoscitur *Zuweire* (*Conder*; *Mūhlau* apud *Riehm-Baethgen* s. v. Zair). Exstant occidentem versus ab infimo mari Mor-

tuo et aquilonem versus a monte Salis seu *Djebel Usdum* duae ruinae, *el-Zuweire el-fōqā* seu superior et *el-Zuweire el-taḥtā* seu inferior; cf. *M. Hagen*, Atlas biblicus, 1907, Tab. 13 D 4 et E 4.

SEIRATH (הַשְּׂעִירָה, Σετειρωθά) ex etymo designat regionem hirsutam, silvestrem, quae in monte Ephraim inter meridiem et orientem spectante quaerenda est (Iud. 3,26; cf. vv. 27. 28 et vide s. v. AOD 2).

SELA (שֶׂלָה, Σηλώμ), filius tertius Iuda ex filia Sue Chananaea, genitus in Kezib (Gen. 38,5. 11. 14. 26; 46,12; 1 Par. 2,3); cf. textum hebr. Gen. 38,5 et vide s. v. ACHAZIB 2). Idem est progenitor Selaitarum (Num. 26,20; 1 Par. 4,21-23), qui cum Pharesitis et Zareitis tres praecipuas generationes Iuda patriarchae constituunt; aliqui ex Selaitis in Maresa urbe Sephelae habitabant, aliqui pro tempore saltem in Moab; laudantur inter eos cognationes domus operantium byssum et figuli regii.

SELA (צֶלַע, cod. B omittit, A Σηλαλέφ per fusionem cum nomine sequenti Eleph) recensetur inter quattuordecim urbes occidentales tribus Beniamin (Ios. 18,28). Celebris erat sepulcro Cis eiusque familiae; illuc David ossa Saul eiusque filiorum de Iabes Galaad transportavit (2 Reg. 21,12-14); sed Vulgata nomen urbis, quod in v. 14 textus hebr. legitur (בְּצֶלַע, in Sela), interpretatur: in latere, LXX ἐν τῇ πλευρᾷ. — Est ignota, sed haud procul a Gabaa Saulis seu Gabaa Beniamin (*Tell el-Fūl*) fuisse creditur. *Guérin* (Samarie I. 197 et cf. 188) suggerit *Khirbet Thabaqat* quinque minutis a *Tell el-Fūl* meridiem versus. Exstant quoque inter septemtrionem et orientem a *Tell el-Fūl* sepulcra e saxis excisa, quae sepulcra filiorum Israel, sed etiam sepulcra Amalecitarum nominantur et in *Survey of West. Pal.* Mem. III. p. 100-102 descripta sunt. Ibi sepulcrum Saulis fuisse coniicitur.

SELAHI v. SALAI.

SELCHA urbs v. SALECHA.

SELEBIN urbs v. SALEBIM.

SELEC (צֶלֶק), heros davidicus, Ammonites (2 Reg. 23,37, Ἐλεί; 1 Par. 11, 39, Σέλη).

SELEMIAS (שֶׁלֶמְיָה, שֶׁלֶמְיָהוּ; Σελεμία). **1.** Idem ac Mosollamias (1 Par. 9, 21; v. MOSOLLAMIAS).

2. Salmias (Vulg.) de filiis Bani (Esdr. 10,39).

3. Selemiau (Vulg.) de filiis Bani (Esdr. 10,41).

4. Pater Hananiae (Neh. 3,30; v. HANANIAS 9).

5. Sacerdos a Nehemia constitutus super horrea, in quibus decimae frumenti, vini, olei congestae erant (Neh. 13,13).

6. Avus Iudi (Iehudi) principis in aula Ioakim (Eliacim) regis Iuda (Ier. 36,14); vide s. v. CHUSI 3 et IUDI.

7. Filius Abdeel a Ioakim rege iussus Baruch et Ieremiam comprehendere (Ier. 36,26).

8. Pater Iuchal (Ier. 37,3; 38,1).

9. Pater Ieriae (Ier. 37,12[13]), de quo s. v. HANANIAS 6 diximus.

SELEMIAU v. SELEMIAS 3.

SELEMITH (שְׁלֹמוֹת, שְׁלֹמִית et 1 Par. 26,25 *Kethib* שְׁלֹמוֹת; Σαλωμώθ), unus ex posteris Eliezer filii Moysis, super thesauros sanctorum, quae sanctificavit David, constitutus (1 Par. 26,25. 26. 28).

SELEPH (צָלָף, B Σελέ, A Σελέφ), pater Hanun tempore Nehemiae (Neh. 3,30).

SELETHAI (צִלְתַי, Σαλθεί), unus ex filiis Semei et principibus cognationum Beniamin (1 Par. 8,20).

SELEUCIA (Σελεύκεια), urbs maritima Syriae, 120 stadia ad occidentem Antiochiae, cuius emporium erat, 40 stadia septemtrionem versus ab ostio Orontis fluvii sita, in regione Pieria et in descensu australi montis Pieria (*Strabo* XVI. 2,7. 8; *Stadiasmus Maris Magni* 148). Condita est eodem anno 300 a. Chr. quo ipsa Antiochia a Seleuco I. Nicatore et ut ab aliis octo urbibus eiusdem nominis a Seleuco I. conditis distinguatur, dicitur Seleucia

Pieria (*Strabo* VII. 5,8; *Plin.* V. 12,67; 21,79), Σελευκία ἡ πρὸς θαλάσσῃ (*Appian.* Syr. 63 qui narrat Seleucum I. ibi sepultum esse superstructo delubro Nicatorio), ἡ παραθαλασσία (1 Mach. 11,8). S. Paulus primum iter apostolicum aggressurus Seleucia Cyprum navigavit (Act. 13,4 et cf. 14,25). Eo tempore erat Seleucia libera Pieria (*Plin.* l. c.). Cf. *Baedeker-Benzinger,* Pal. u. Syrien *ed.* 5, p. 402 ss. (delineatio ruinarum, p. 403).

SELEUCUS (Σέλευκος). Eo nomine vocantur quinque reges regni syromacedonici. Apud Danielem et in libris Machabaeorum de quattuor mentio fit, nomine vero prolato solum commemoratur Seleucus IV. Philopator.

1. *Seleucus I. Nicator,* unus ex praestantissimis ducibus in exercitu Alexandri Magni, intellegendus est Dan. 11,5; erat ille olim satrapes Babyloniae, ab Antigono fugit in Aegyptum et factus est dux in exercitu Ptolemaei Lagi; Babyloniam iterum recuperavit et pugna ad Ipsum facta titulum regium assumpsit; regnum eius a Phrygia usque ad Indum extendebatur; unde intellegitur quod Dan. 11,5 legitur : et confortabitur rex austri (Ptolemaeus Lagi) et de principibus eius praevalebit super eum (i. e. Seleucus super Ptolemaeum) et dominabitur ditione (Seleucus); multa enim dominatio eius. — Regnavit 312 (an. 1 aerae Seleucidarum) — 280 a. Chr.

2. *Seleucus II. Callinicus* (246-226); de quo Dan. 11,7-9; Ptolemaeus III. Euergetes ei bellum intulit et cepit Syriam et Ciliciam superioresque partes trans Euphraten et cum magna praeda argenti, vasorum pretiosorum, simulacrorum reversus est in Aegyptum; circa annum 240 Seleucus expeditionem in Aegyptum suscepit; verum victus proelio trepidus Antiochiam confugit (*Iustinus*, Histor. 27,2).

3. *Seleucus III. Ceraunus* (226-223), filius prioris; frater eius erat Antiochus Magnus; de iis agitur Dan. 11,10; isti duo congregabant exercitum; sed antequam bellum inferretur Aegypto, Seleucus Ceraunus expeditione in Asiam minorem contra Attalum occisus est.

4. *Seleucus IV. Philopator* (187-175 a. Chr.), pater Demetrii (1 Mach. 7,1; 2 Mach. 14,1) scil. Demetrii I. Soteris (162-150 a. Chr.). Ab eo missus est Heliodorus (vide s. v.) in Ierusalem, ut thesauros templi raperet (2 Mach. 3,3 ss.; 5,18). Ad eum se contulit Onias pontifex, ut communi utilitati et paci prospiceret contra machinationes Simonis praepositi templi (2 Mach. 4,1-6). Insidiis Heliodori, qui ipse thronum occupare frustra conabatur, occisus est et Antiochum IV. Epiphanem successorem habuit (4,7). Ad Seleucum IV. quoque referuntur verba Dan. 11,20 : « et stabit in loco eius (Antiochi III.), qui transire facit exactorem per gloriam regni » (hebr.) i. e. qui in toto regno suo exactores discursare faciet ad tributa cogenda « et in paucis diebus conteretur non in furore nec in proelio ». Quibus omnino conveniunt quae refert *Appianus* (Syr. 45 et 66) Antiocho III. Magno defuncto in regnum successisse Seleucum filium, annis duodecim regnasse, fuisse otiosum nec admodum potentem propter cladem apud Magnesiam patri a Romanis inflictam, insidiis denique Heliodori cuiusdam purpurati oppressum esse; de eodem S. Hieronymus ad Dan. 11,20 dicit : « nihil dignum Syriae et patris gessit imperio et absque ullis proeliis inglorius obiit ». Illud vero mirum videri potest, quod Seleucus, qui duodecim annos regnavit, Dan. 11,20 in *paucis* diebus conterendus dicitur; sed LXX verterunt ἐν ἡμέραις ἐσχάταις, Theodotio ἐκείναις, unde in textu hebr. אַחֲדִים mendum subesse coniicere licet.

SELIM urbs v. SAROHEN.

SELLA. 1. Sella (צִלָּה, Σελλά), altera uxor Lamech Cainitae, quae ei peperit Tubalcain et Noema (Gen. 4,19. 22. 23).

2. Sella 4 Reg. 12,20[21]. Rex Ioas legitur percussus esse « in domo Mello in descensu Sella » (בֵּית מִלֹּא הַיֹּרֵד סִלָּא; pro LXX cf. *Field*). Textus hebraicus iam tempore LXX videtur fuisse corruptus, neque certi quidquam de hoc loco statui potest.

SELLAI (סַלַּי). **1.** Beniaminita, in-

GENEALOGIA SELEUCIDARUM.



---

* Suppositus Antiochi IV. filius



cola Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,8; Σηλεί).

2. Nomen familiae sacerdotalis, cuius princeps in diebus Ioacim pontificis erat Celai (Neh. 12,20; א Σαλλαί); idem nomen scribitur Neh. 12,6[7] Sellum (סַלּוּ; א Σαλουαί).

SELLEM (שַׁלֻּם, Σελλή) idem ac SELLUM 7.

SELLES (שֶׁלֶשׁ, B Ζέμη, A Σελλής), filius Helem de stirpe Aser, unus ex principibus cognationum (1 Par. 7,35).

SELLUM (שַׁלּוּם; Σελλούμ, Σελλήμ, Σολλήμ, Σαλούμ, Σαλέμ, Σαλώμ, Σελούμ, Σολμήν, Σαλλούμ).

1. Filius Iabes, rex Israel decimus quintus, qui caede Zachariae filii Ieroboam II. domum Iehu exstinxit, uti a prophetis praenuntiatum erat, et ipse post regnum unius mensis a Manahem Samariae percussus est (4 Reg. 15,10-15; cf. Os. 1,4).

2. Filius Thecuae, maritus Holdae prophetidis, custos vestium sive sacerdotalium sive regiarum tempore Iosiae (4 Reg. 22,14; 2 Par. 34,22).

3. Unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda; enumeratur undecimus inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan et Ieraa Aegyptio servo Sesan descendunt (1 Par. 2,40. 41).

4. Filius Iosiae regis Iuda (1 Par. 3, 15; Ier. 22,11), alias Ioachaz appellatus (v. IOACHAZ 2 et cf. *Knabenbauer* ad Ier. 22,11).

5. Simeonita quidam (1 Par. 4,25).

6. Sacerdos (pontifex) inter Sadoc et Helciam (1 Par. 6,12. 13 hebr. 5,38. 39; Esdr. 7,2); idem 1 Par. 9,11 et Neh. 11, 11 Mosollam et Bar. 1,7 Salom scribitur.

7. Filius quartus Nephthali (1 Par. 7,13); idem Gen. 46,24 Sallem vocatur et Num. 26,49 Sellem, progenitor Sellemitarum (hebr. utroque loco שַׁלֵּם).

8. Corita, pater familiae ianitorum (1 Par. 9,17. 19. 31; Esdr. 2,42; Neh. 7,46[45]), qui a multis idem esse censetur ac Meselemia, Mosollamias (v. MESELEMIA).

9. Pater Ezechiae principis filiorum Ephraim (2 Par. 28,12).

10. Ianitor, qui uxorem alienigenam dimittere iussus est (Esdr. 10,24).

11. Unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,42).

12. Filius Alohes, princeps mediae partis vici Ierusalem tempore Nehemiae (Neh. 3,12).

13. Filius Cholhoza, princeps pagi Maspha, qui portam fontis aedificavit (Neh. 3,15: שַׁלּוֹן, LXX omitt.).

14. Pater Hanameel et frater patris Ieremiae (Ier. 32,7).

15. Pater Maasiae in diebus Ioakim regis Iuda (Ier. 35,4).

16. Sellum v. SALO.

17. Sellum v. SELLAI 2.

SELMAI (שַׁלְמַי, Σαλαμεί), Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Neh. 7,48); idem Esdr. 2,46 scribitur Semlai (שַׁמְלַי, al. שַׁלְמַי, Σαλαμεί).

SELMON (2 Reg. 23,28) v. ILAI.

SELMON (צַלְמוֹן i. e. umbrosus; Σελμών) mons prope Sichem, in quo Abimelech cum exercitu ramos arborum praecidit, ut turrim Sichimorum succenderet (Iud. 9,48). Eundem montem agnoscunt LXX, Vulg., Syr. et multi interpretes in loco satis disputato Ps. 67[68],15: nive dealbabuntur in Selmon; alii melius, ut videtur, nomen appellativum interpretantur: mons umbrosus i. e. silvis consitus; designari videtur mons Alsadamus seu Asalmanus (*Ptol.* V. 15, 8 [*ed. Müller-Fischer* V. 14,6]) i. e. *Djebel Ḥaurān*.

Monti Garizim (868 m) ad meridiem adiungitur mons paulo inferior (805 m) a Muhamedanis *Djebel Selman* (*Suleiman*) *el-Farsi* dictus, quem nonnulli montem Selmon esse putant (*Van de Velde*, Memoir s. v. Zalmon) idque recte, dummodo ne ab externa similitudine nominum ratio petatur, sed potius a situ ad contextum Iud. 9,48 accommodato.

SELOMITH (שְׁלוֹמִית, Σαλειμούθ), filius Iosphiae (vide s. v.) de filiis Bani (Esdr. 8,10).

SEM (שֵׁם, Σήμ), filius natu maior Noe;

nam in ordine filiorum eius primo loco nominatur (Gen. 5,32; 6,10; 7,13; 9,18; 10,1 et 10,21 natu maior dicitur fratre Iapheth; 1 Par. 1,4). Eius in patrem pietas laudatur (Gen. 9,23). In genealogia Gen. 10, ultimo loco post Iapheth et Cham, eius recensentur filii, quia in eius stirpe relictis ceteris sacra narratio continuatur. Eius stirpi peculiarem benedictionem a Deo iri provisum, iam indicatur oraculo a Noe edito : benedictus Iahwe, Deus Sem, sit Chanaan servus eius. — Biennio post diluvium erat centum annorum et genuit Arphaxad et vixit per quingentos ultra annos (Gen. 11,10. 11). Eius laus commemoratur Eccli. 49,19.

Semitae sensu strictiore exhibentur posteri Sem in genealogia Gen. 11,10 ss. ab eius filio Arphaxad usque ad Abraham novem membris (decem addito Cainan, apud LXX et Luc. 3,36). Sensu latiore filii Sem secundum cognationes, linguas, regiones in gentibus suis recensentur Gen. 10,21-31 nationes semiticae : Aelam, Assur, Arphaxad, Lud, Aram; 1 Par. 1,17 adscribuntur Hus, Hul, Gether, Mosoch, qui sunt filii Aram. Notum est in genealogiis quandoque componi posteros immediate genitos et mediate genitos. De chronologia Semitarum v. s. v. PATRIARCHAE.

SEMAATH (שְׁמַעַת, Ἰεμουάθ), Ammanitis, mater Iosachar, qui Ioas regem Iuda interfecit (4 Reg. 12,21[22]); loco parallelo 2 Par. 24,26 scribitur in Vulg. Semmaath et in LXX τοῦ Σαμά, acsi nomen viri esset.

SEMAIA (שְׁמַעְיָה). **1.** Idem qui SEMEIA 2.

2. Filius Dalaiae tempore Nehemiae (Neh. 6,10; Σεμεεί).

3. Nomen familiae sacerdotalis, cuius princeps in diebus Ioacim pontificis erat Ionathan (Neh. 12,18; Vulg. 12,6 Semeia; LXX B et A omitt.; ℵ Σεμειάς, Σεμειά).

SEMARITH (שִׁמְרִית), Moabitis, mater Iozabad, qui Ioas regem Iuda interfecit (2 Par. 24,26); LXX nomen viri esse supponunt (B τοῦ Σομαιώθ, A Σαμαρίθ); eadem 4 Reg. 12,21[22] vocatur Somer (שֹׁמֵר, Σωμήρ).

SEMATHEI (הַשִּׁמְתִי cum articulo, Ἡσαμαθείμ), nomen familiae in Cariathiarim (1 Par. 2,53).

SEMEBER (שְׁמֵאֵבֶר, Συμοβόρ), rex Seboim cum regibus Sodomorum et Gomorrhae foedere iunctus contra Chodorlahomor (Gen. 14,2).

SEMEGARNABU v. SARSACHIM RABSARES.

SEMEI (שִׁמְעִי; Σεμεΐ, Σεμεεί). **1.** Filius Gerson filii Levi (Ex. 6,17; Num. 3,18. 21; 1 Par. 6,17[2]; 23,7. 9. 10; Zach. 12,13 LXX Συμεών).

2. Filius Gera, Beniaminita de cognatione domus Saul, habitans in Bahurim, qui Davidi fugienti maledixit (2 Reg. 16,5. 7. 13), a Davide redeunte veniam impetravit (19,16-23), a Salomone autem occidi iussus est (3 Reg. 2,8. 9. 36 ss.).

3. Unus ex asseclis Davidis et Salomonis contra Adoniam (3 Reg. 1,8).

4. Filius Ela, praefectus a Salomone constitutus in Beniamin (3 Reg. 4,18); fortasse idem est ac praecedens.

5. Filius Phadaia et frater Zorobabel (1 Par. 3,19).

6. Simeonita, filius Zachur, pater sedecim filiorum et sex filiarum (1 Par. 4,26. 27).

7. Rubenita, filius Gog (1 Par. 5,4).

8. Levita de stirpe Merari (1 Par. 6, 29[14]).

9. Levita de stirpe Gerson (1 Par. 6,42[27]).

10. Beniaminita (1 Par. 8,21; LXX Σαμαίθ).

11. Semei 1 Par. 26,6 idem ac SEMEIAS 7.

12. Levita de filiis Heman tempore Ezechiae (2 Par. 29,14).

13. Levita tempore Ezechiae, frater Choneniae praefecti horreorum (2 Par. 31,12. 13).

14-16. Tres viri qui uxores alienigenas duxerant et iubente Esdra dimiserunt (Esdr. 10,23. 33. 38; LXX 10,23 Σαμού).

17. Beniaminita ex posteris Cis et

maioribus Mardochaei (Esth. 2,5; 11,2; LXX Σεμείας).

18. Semei (שִׁמְעִי, Σαμαΐ), filius Onam et frater Iada ex posteris Ierameel primogeniti Hesron (1 Par. 2,28. 32; LXX in v. 32 habent Ἀχεισαμάς loco : fratris Semei).

19. Semei (שִׁמְעָיָהוּ, Σαμαίας), pater Uriae prophetae de Cariathiarim (Ier. 26,20).

20. Semei (Σημεεί) in genealogia Christi (Luc. 3,26).

Idem nomen שִׁמְעִי gerunt, qui 1 Par. 23,17; 27,27 in Vulgata scribuntur Semeias; v. SEMEIAS 22 et 23.

SEMEIA, SEMEIAS (שְׁמַעְיָה, שְׁמַעְיָהוּ; Σαμαία, Σαμαίας, Σεμεία, Σεμείας, Σεμαΐας, Σαμαΐ, Σεμεΐ, Σαμία).

1. Propheta in regno Roboam filii Salomonis (3 Reg. 12,22; 2 Par. 11,2; 12, 5. 7. 15).

2. Filius Secheniae ex posteris David (1 Par. 3,22); idem in Vulg. Neh. 3,29 scribitur Semaia.

3. Levita de stirpe Merari in Ierusalem degens post captivitatem (1 Par. 9,14; Neh. 11,15).

4. Pater Obdiae levitae de stirpe Idithun (1 Par. 9,16); idem Neh. 11,17 vocatur Samua (v. SAMUA 2).

5. Princeps domus leviticae de filiis Elisaphan (1 Par. 15,8. 11).

6. Levita, scriba tempore Davidis, filius Nathanael (1 Par. 24,6).

7. Filius primogenitus Obededom ianitoris ex familia Coritarum (1 Par. 26, 4. 6. 7; Vulg. in v. 6 Semei).

8. Levita a Iosaphat rege missus ad docendum populum (2 Par. 17,8).

9. Levita ex posteris Idithun cantoris tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,14).

10. Unus ex levitis, quos Ezechias constituit, ut levitico generi oblata distribuerent (2 Par. 31,15).

11. Levita tempore Iosiae regis (2 Par. 35,9).

12. Pseudopropheta tempore Ieremiae (Ier. 29,24-32); cognominatur Nehelamites, quae vox vel nomen familiae indicat vel locum originis vel ex placitis Rabbinorum somniatorem; urbs eius nominis non innotescit.

13. Pater Dalaiae principis (Ier. 36, 12; LXX Σελεμίου).

14. Unus ex principibus, quos Esdras misit ad Eddo (Esdr. 8,16).

15. Unus de filiis Harim (Esdr. 10,21) et

16. Unus de filiis Herem (Esdr. 10, 31), qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt.

17. Nomen familiae sacerdotalis tempore Zorobabel et tempore Nehemiae (Neh. 10,8[9]; 12,6 et 12,18 quo loco Vulg. Semaia).

18. Unus ex principibus Iuda tempore Nehemiae (Neh. 12,33[34]).

19. Unus ex posteris Asaph et maioribus Zachariae praefecti musicorum leviticorum (Neh. 12,34[35]).

20. Levita quidam tempore Nehemiae (Neh. 12,35[36]).

21. Levita, qui dedicationi muri Ierusalem intererat (Neh. 12,41[42]).

22. Semeias (שִׁמְעִי, B Εμεεί, A Σεμεΐ), praefectus decimae divisionis cantorum tempore Davidis (1 Par. 25,17).

23. Semeias (שִׁמְעִי, Σεμεεί), Romathites, vinearum cultoribus praefectus a Davide (1 Par. 27,27).

24. Semeia (שְׁמַע, Σαμαΐας), unus ex iis (probabiliter sacerdotibus), qui Esdrae verba legis recitanti a latere steterunt (Neh. 8,4).

Idem nomen hebr. שְׁמַעְיָה gerunt, qui in Vulgata scribuntur Samaia (1 Par. 4,37), Samaias (Esdr. 8,13), Samia (1 Par. 5,4), Semaia (Neh. 6,10; 12,18); vide s. vv.

SEMER vel **SOMER** (שֶׁמֶר, Σέμηρ, Σάμηρ), vir ditissimus, dominus montis Samariae (Shomeron), quem duobus talentis argenti regi Amri vendidit (3 Reg. 16,24).

SEMERIA (שְׁמַרְיָה, Σαμαρειά), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,41).

SEMERON. 1. Semeron (שִׁמְרוֹן, Σομοών), urbs antiqua chananaea, cuius regulus cum Iabin rege Asor aliisque regulis chananaeis foedus iniit (Ios. 11,1), sed a Iosue percussus est (12,20;

h. l. nomen scribitur שֹׁמְרוֹן כִּוְרֹאוֹן et LXX duas urbes Συμοών et Μαμβρώθ vel Μαμρώθ distinguunt); fortasse eadem est, quae postea tribui Zabulon assignata est (19,15). — Talmudicis Shimron 19,15 est Simoniah (cf. *Lightfoot,* Fragmenta Terrae Sanctae cap. 3, num. 1). Vicus autem Simonias in confiniis Galilaeae situs commemoratur a Flav. Iosepho (Vita 24) et agnoscitur hodiernus vicus *Semūniye* duabus horis a Nazareth occidentem versus. Accedit similitudo lectionis LXX. Ob has rationes non spernendas aliqui sine scrupulo antiquam urbem Semeron cum *Semūniye* componunt (*Guérin,* Galilée I. 384-386 omisso tamen Ios. 12,20; *Neubauer,* Géographie du Talmud, p. 189; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 339 omisso Ios. 12,20). Atque hic situs saltem pro urbe Zabulon admittendus videtur.

Alii coniiciunt Meron Ios. 12,20 esse *Marūn* occidentem versus a Cedes Nephthali et Shimron esse ruinas *Tell Khureibe* ad occidentem lacus Merom (*Knobel*), alii Meron esse *Meirōn* ad occidentem urbis *Ṣafed,* alii Shimron Meron esse vicum *el-Semīrīye* ab Accho una hora septemtrionem versus in litore situm, medio aevo Casale Somelaria Templi dictum (*Baedeker-Benzinger,* Palaestina und Syrien, 1900, p. 297). *Dillmann* ad Ios. 11,1 omnes situs supra indicatos inter meras coniecturas amandat.

2. Semeron (צְמָרִים, Σομόρων) mons, apud quem Abia rex Iuda magnam victoriam de Ieroboam rege Israel reportavit; situs erat in monte Ephraim (2 Par. 13,4) et meridiem versus a Bethel, Iesana, Ephron urbibus post illam victoriam captis (13,19). Montem Ephraim eousque ad meridiem porrectum esse, ut maiorem partem tribus Beniamin comprehenderet, diximus s. v. EPHRAIM 3. Ipse mons Semeron accuratius determinari nequit. Nomen hebr. quidem omnino suadet cum hoc monte urbem Samaraim (vide s. v.) componendam esse; sed eius urbis situm recentiores prope Iordanem assignant, non in monte Ephraim.

SEMIDA (שְׁמִידָע, Συμαέρ, Συμαρίμ, Σεμιρά) recensetur Num. 26,32 inter filios Galaad filii Machir filii Manasse et Ios. 17,2 inter filios Manasse; ab eo descendunt Semidaitae, qui in quattuor ramos dividuntur (1 Par. 7,19); pertinent autem ad tribum Manasse cisiordanicam seu occidentalem, siquidem de Manasse transiordanica seu orientali iam 1 Par. 5,23. 24 sermo erat.

SEMIRAMOTH (שְׁמִירָמוֹת, Σεμιραμώθ). **1.** Levita in secundo ordine levitarum arcam comitantium constitutus (1 Par. 15,18) et in choro eorum, qui in nablis psallebant (15,20); idem erat unus ex levitis, qui coram arca in tabernaculo foederis constituta ministrarent atque laudarent Dominum Deum Israel (16,5).

2. Levita a Iosaphat rege missus ad docendum populum (2 Par. 17,8; *Kethib* שמרימות).

SEMLA (שַׂמְלָה, Σαμαδά, Σεβλά) recensetur quintus inter reges, qui in Edom florebant, antequam filii Israel regem haberent (Gen. 36,36; 1 Par. 1,47. 48); eius urbs principalis erat Masreca (vide s. v.).

SEMLAI v. SELMAI.

SEMMA (שַׁמָּה). **1.** Semma filius Age de Arari (2 Reg. 23,11; Σαμαιά) seu de Orori (23,33; Σαμνάν); vide s. v. ARARI 1.

2. Semma de Harodi (2 Reg. 23,25; Σαιμά), qui 1 Par. 11,27 vocatur Sammoth (Σαμαώθ) Arorites; vide s. v. ARORITES 2 et HARODI. Coniiciunt eundem quoque esse ac Samaoth (1 Par. 27,8).

SEMMAA (שַׁמְעָה, Σαμαά, Σαμά), frater Davidis (2 Reg. 13,3. 32); v. SAMAA 1 et SAMMA 2.

SEMMAATH v. SEMAATH.

SEMRAN v. SEMRON.

SEMRI (שִׁמְרִי). **1.** Filius Samaia de tribu Simeon (1 Par. 4,37, Σαμάρ).

2. Filius Hosa de stirpe Merari, ianitor tempore Davidis, princeps posterorum Hosa constitutus deficiente primogenito (1 Par. 26,10; LXX omitt.).

SEMRON (שִׁמְרוֹן; Ζαμβράμ,

Σαμαράμ, Σεμερών) recensetur quartus inter filios Issachar (Gen. 46,13); idem scribitur in Vulgata 1 Par. 7,1 Simeron, Num. 26,24 Semran, progenitor Semranitarum.

SEN (הַשֵּׁן cum articulo), locus quidam haud procul a Maspha Beniamin (v. MASPHA 6) versus Philisthaeam septemtrionalem situs; etenim Lapis adiutorii in memoriam victoriae de Philisthaeis reportatae a Samuele erectus est inter Maspha et Sen (1 Reg. 7,12). LXX vertunt τῆς παλαιᾶς, legerunt igitur יְשָׁנָה vel יָשָׁן, *vetus; Peshitta* quoque praebet Beth iashan. Quare coniicit *F. de Hummelauer* intellegi urbem Asena (Ios. 15,33) prope Saream, qui locus sit obvius iis, qui e Maspha fugerent Azotum. Alii agnoscunt Sen in *Deir Yāsīn* 5 km meridiem versus a *Nebi Samwīl* et fere occidentem versus a Ierusalem. Alii Sen cum Iesana (v. s. v.) componunt.

SENAA (סְנָאָה, Σαανά, Σαναάτ), nomen urbis, cuius filii 3630 (Esdr. 2,35) vel 3930 (Neh. 7,38) duce Zorobabel ex captivitate redierunt. Est ignota. Vide etiam ASNAA.

SENATUS IUDAEORUM (ἡ γερουσία τῶν Ἰουδαίων) commemoratur tempore Iudae Mach. 2 Mach. 1,10; 4,44; 11,27 et tempore Ionathan 1 Mach. 12,6: seniores gentis (ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους); cf. etiam 1 Mach. 7,33; 11,23; 12,35; 13,36; 14,20. 28 (οἱ πρεσβύτεροι). Iudaeorum γερουσία primum memoratur apud Flav. Iosephum (Ant. XII. 3,3) tempore Antioch. III. Magni (223-187). Quonam modo senatus ille constitutus fuerit, nescimus; synedrii, quod tempore Christi florebat, primam mentionem facit Flav. Iosephus (Ant. XIV. 9,3-5) de Hyrcano II. et Herode loquens.

SENE (סֶנֵּה, Σεννά) rupes ex adverso Gabaa (1 Reg. 14,4); v. BOSES.

SENECTUS, SENEX. Inter praemia virtuti in Vetere Test. proposita recensetur longa vita : honora patrem etc. ut longo vivas tempore Deut. 5,16. Promittitur Abraham : tu ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona (Gen. 15,15) et ipse mortuus est in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum (Gen. 25,8); Gedeon mortuus est in senectute bona (Iud. 8,32); item David (1 Par. 29,28) etc.; verum « viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos » (Ps. 54,24). Unde iam consequitur honor senectutis, uti Prov. 16,31 indicatur : corona dignitatis senectus, quae in viis iustitiae reperietur. Quare in lege praecipitur : coram cano capite consurge et honora personam senis et time Dominum Deum tuum (Lev. 19,32) et Sapiens monet : ne spernas hominem in sua senectute (Eccli. 8,7). Honor senectutis est magna senum experientia rerum et inde consequens sapientia et rectitudo iudicii : in antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia (Iob 12,12); corona senum multa peritia (Eccli. 25,8). Quare iuvenes admonentur, ut audiant senes : in multitudine presbyterorum sta et sapientiae illorum ex corde coniungere (Eccli. 6,35); ne despicias narrationem presbyterorum sapientium et in proverbiis eorum conversare; ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam intellectus (Eccli. 8,9.10). Iuvenibus haec quoque reverentia senum commendatur : ubi sunt senes, non multum loquaris (Eccli. 32,13); verum senes decet loqui : loquere maior natu; decet enim te primum verbum diligenti scientia (Eccli. 32,4.5). Cum itaque eam aetatem maxime deceat sapientia et virtus, senex fatuus et insensatus merito recensetur inter illos, qui odio habentur et abominationi sunt (Eccli. 25,3. 4). Quantum in iuniores valeat exemplum seniorum, praeclare enuntiat Eleazarus annos natus nonaginta 2 Mach. 6,24. Senectus tamen minime caret molestiis; corporis imbecillitas sensuumque imminutio atque infirmitas poetice describitur Eccli. 12, 1-5. Quare admonentur filii : fili suscipe senectam patris tui, et si defecerit sensu, veniam da et ne spernas eum in virtute tua (Eccli. 3,14. 15). Ceterum sapientiae et virtuti prae senectute honorem esse impertiendum, libro Sapientiae docemur : senectus enim venerabilis est non diuturna neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis (sapienti competit

honor et dignitas senis) et aetas senectutis vita immaculata (Sap. 4,8. 9).

SENIORES (זְקֵנִים, πρεσβύτεροι, γηρουσία, in Vulg. etiam maiores natu). Eo nomine vocantur proceres, nobiles, magistratus relicta notione aetatis provectioris vel senectutis, sicuti simili modo γέροντες, γερουσία apud Graecos, senatores apud Romanos viri nobiles appellantur. Est itaque potius dignitatis nomen quam aetatis. Seniores populi convocantur, ut per eos toti populo annuntietur mandatum Domini; Ex. 3,16 vade et congrega seniores Israel et dices ad eos... ingredierisque tu et seniores Israel ad regem Aegypti; cf. Ex. 4,29; cum Moyse et Aaron ascenderunt septuaginta de senioribus Israel ad Dominum (Ex. 24,1. 9); item eliguntur 70 de senioribus populi, in quos Dominus transferat de spiritu Moysis, ut sustentent cum eo onus populi et non ipse solus gravetur (Num. 11,16. 24). Commemorantur seniores alicuius regionis, v. g. Galaad Iud. 11,5, saepe alicuius civitatis. Ita senioribus urbium refugii incumbit videre quisnam protectione dignus sit (Deut. 19,12); seniores civitatis cognoscere et investigare debent de caedibus commissis, de filiis contumacibus, de accusatione contra sponsae virginitatem lata (Deut. 21,2. 6. 19; 22, 15), de officio leviratus (Deut. 25,7; Ruth 4,2). Aliqua praeterea potestas iudicandi et poenas lege statutas infligendi iis vindicatur; nam Iezabel nomine Achab regis scribit ad seniores civitatis in qua habitabat Naboth, ut falsis testibus subornatis Naboth condemnent, ut lapidetur (cf. Ios. 20,4). Seniores Iabes agunt cum rege Naas Ammonite de condicionibus indutiarum (1 Sam. 11,2); gerunt curam pro securitate urbis (cf. 1 Sam. 16,4); in omnibus oppidis eiusmodi magistratum fuisse, colligitur ex 1 Sam. 30,26-31 : mittit David senioribus multarum urbium dona de praeda hostium. Sat multos quandoque in una civitate fuisse, discimus ex Iud. 8,14, ubi principes et seniores Soccoth septuaginta septem reperiuntur. Seniores sua auctoritate populum inducunt ad agnoscendum et acceptandum regem (cf. 1 Sam. 8, 4 ss.; 2 Sam. 3,17; 5,3; 19,11); in sollemnitatibus regi adstant; ita 3 Reg. 8,1 : congregati sunt seniores Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum ad regem Salomonem in Ierusalem, ut deferrent arcam de Sion. Etiam tamquam consiliarii a regibus accersuntur, cf. 3 Reg. 20,7; 4 Reg. 23,1. In exsilio quoque seniores non caruisse auctoritate et quodam magistratu, patet quia Ieremias ad eos mittit librum et Domini mandata quae exsulibus promulgentur (Ier. 29,1 ss.); seniores veniunt ad Ezechielem, ut interrogent Dominum (Ez. 14,1; 20,1). Eorum quoque mentio fit in instauratione post exsilium (Esdr. 10,14; 2 Mach. 14,37). In libris novi foederis seniores cum scribis et principibus sacerdotum constituunt synedrium, regimen religiosum Iudaeorum (cf. Matth. 16,21; 26,3; 27,41; Marc. 8,31; 11,27; 14,43; 15,1; Luc. 9, 22; 20,1; 22,66); sese adversarios Christi exhibebant (l. c.). De synedrio v. s. v. CONCILIUM.

Alio sensu usurpatur vox, si sermo fit de traditionibus seniorum, uti Matth. 15,2; Marc. 7,3. 5. Nam hic intelleguntur scribae seu legis doctores antiqui, qui ad legem applicandam varia statuerunt, quae praescriptiones etiam paternae traditiones nominantur (Gal. 1, 14), a Christo vero traditiones hominum (cf. Matth. 15,3. 6; Marc. 7,8). Cf. s. v. SCRIBA.

SENNA (Num. 34,4) v. SIN 2.

SENNAAB (שִׁנְאָב, Σενναάρ), rex Adamae cum regibus Sodomorum et Gomorrhae foedere iunctus contra Chodorlahomor (Gen. 14,2). *Delitzsch* (Paradies, p. 294) nomen Ammonitae cuiusdam *Sanibu* comparando adducit. Nomen babylonicum *Shin-a-bu-um* quoque innotuit ex eo tempore, quo illud bellum Gen. 14,1 ss. gestum est (v. *Strassmaier*, Verträge von Tell Sifr, N. 98, lin. 23, in Verhandhl. des V. Orientalistencongresses II. 1).

SENNAAR (שִׁנְעָר, Σενναάρ), terra primi regni, cuius S. Scriptura mentionem facit scil. regni Nemrod cum urbi-

bus Babylon, Arach, Achad, Chalanne (Gen. 10,10), celebris aedificatione turris babylonici et confusione linguarum (11,2 ss.). Cum Chodorlahomor foedere iunctus erat Amraphel rex Sennaar (14, 1. 9), a cuius regno excludi videtur Ellasar (Larsa) in Babylonia inferiore. LXX Is. 11,11 Sennaar interpretantur Babyloniam, Zach. 5,11 terram Babylon. Nec dubium est, quin Dan. 1,2 Sennaar sit Babylonia. Ab assyriologis Sennaar communiter fere agnoscebatur *Sumir* et cum in inscriptionibus cuneiformibus frequenter una nominentur regiones *Sumir* et *Akkadi*, pronum erat concludere voce *Sumir* designari Babyloniam australem, voce *Akkadi* septemtrionalem. Sed probabilius *Sumir* seu Sennaar primitus non solum Babyloniam australem comprehendebat, sed etiam septemtrionalem, quae postmodum nomen *Akkadi* nacta est.

A recentioribus vero illa aequatio Sennaar = Sumir respuitur vel addubitatur et a compluribus (v. gr. *A. H. Sayce*) cum Sennaar potius componitur *Sankhar* in documentis *Tell el-ʿAmarna* (apud *Winckler* 25), hierogl. *Sangara*, hierat. *Sangaira* (cf. *W. M. Müller*, Asien u. Europa, 1893, p. 279), apud Graecos Σίγγαρα (*Steph. Byz.* s. v.), hodie *Sindjār* oasis iuxta *Djebel Sindjār* in media Mesopotamia inter Circesium et Niniven. Celerum iam *Thomas de Pinedo* ad Steph. Byz. adnotat: « Singara, urbs Arabiae ad Edessam ex Uranii Arabicor. primo. Nomen est parum deflexum ab Hebraeo שִׁנְעָר *Singar*, cuius fit mentio Gen. 10,10; 11,2, unde pars campestrium Mesopotamiae *Sangarena* dicitur Sexto Rufo » (Stephanus Byz. cum annotationibus, Lipsiae, 1825, IV. p. 1089).

Cf. *E. Schrader*, Keilinschr. u. Geschichtsforsch. 296. 533; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. ad Gen. 11,1; *Weissbach*, Zur Loesung der sumerischen Frage, Leipzig, 1897; *A. H. Sayce* in Proc. Soc. Bibl. Arch. 1896, p. 173.

SENNACHERIB (סַנְחֵרִיב, Σενναχηρίβ, — ρείμ, in inscriptionibus cuneiformibus *Sin-ahi-irba*, Sin multos fratres donavit; apud *Herod.* 2,141 Σαναχάριβος), rex Assyriorum, filius Sargon, cui in regno successit (705-681). Anno 701 expeditionem suscepit contra « terram Khatti » i. e. Phoeniciam et Palaestinam; « ascendit rex Assyriorum ad universas civitates Iuda munitas et cepit eas » (4 Reg. 18,13). Ex inscriptionibus regis cuneiformibus discimus, regem prius contra Elulaeum, regem Sidon pugnasse, eoque devicto et regione urbibusque subactis aliorum regum obsequium ac subiectionem accepisse, ita regum Arvad, Biblos, Asdod, Ammon, Moab, Edom; Zidka regem Ascaloniten rebellem fuisse cum familia abductum in Assyriam; Ekronitas autem coactos, ut Padi regem Assyriis fidelem, quem vinctum tradidissent Ezechiae regi Iudaeorum, iterum reciperent; pariter a se esse prostratos exercitus Aegyptiorum et Aethiopum prope *Altaku* urbem. Dein narrat: Ezechias rex Iuda non sese subiecerat mihi; 46 urbes munitas, innumerabiles arces et oppida in ea regione cepi... 200.150 homines, viros et mulieres, equos, mulos, asinos, camelos, boves, oves sine numero ut spolia abduxi. Ipsum regem inclusi quasi avem in cavea in eius urbe regia munimentis erectis. Urbes eius quas exspoliavi, ab eius ditione separavi easque dedi Mitinti regi Asdod, Padi regi Ekron, et Zilbel regi Gaza; priori tributo, vectigali annuo, addidi tributum submissionis eis impositum. Dein commemorat 30 talenta auri et 800 talenta argenti et res multas pretiosas esse Niniven asportata et Ezechiam misisse legatum ad solvendum tributum et obsequium praestandum (cf. *Schrader-Whitehouse*). Hisce simul illustratur narratio biblica. Cum enim rex missis militum turmis urbes munitas Iuda caperet, « tunc misit Ezechias rex Iuda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis » — exsistit monumentum quo Sennacherib cernitur sedens in throno, sagittas duas manu tenens et captivos recipiens; ubi legitur inscriptio: Sanherib rex nationum, rex Assyriorum consedit in excelso throno et accepit spolia urbis Lachis — et Ezechias dixit per nuntios regi: « peccavi, recede a me, et omne quod imposueris mihi feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiae trecenta talenta argenti et triginta ta-

lenta auri » (4 Reg. 18,14). Verum hisce minime contentus Sennacherib ipsam urbem Ierusalem, utpote pro expeditione bellica opportunam quam maxime, sibi tradi voluit; quare misit tres duces cum manu valida ad urbem; verum minas eorum sprevit Ezechias confisus ope divina quam Isaias propheta promisit. Reversi sunt illi re infecta ad regem, quem invenerunt expugnantem Sobnam (cf. 4 Reg. 18,17-19,8). Iterum misit Sennacherib, cum audisset Tharacam regem Aethiopiae appropinquare, nuntios ad Ezechiam postulans urbis deditionem, quam Ezechias fortiter negavit. Sennacherib autem peste in eius exercitu exorta qua 185 millia occubuerant coactus est reverti « et mansit in Ninive » (4 Reg. 19,9-36). Vide insuper s. v. EZECHIAS.

Ex comparatione narrationum inter se elucet regem Assyriorum in sua inscriptione aliqua tacuisse, tributum ab Ezechia solutum commemorasse in fine, quasi victor recessisset; pugna ad *Altaku* non suo loco refertur ab eo, uti patet ex 4 Reg. 19,19; cum post eam mox reversus sit, victoria eius non videtur fuisse talis qualem eam ipse narrat. Cladem eius refert *Herodotus* (2,140) ita esse effectam, ut mures pharetras, arcus, scutorum ansas corroserint, unde milites inermes effectos arripuisse fugam multosque esse occisos.

Quomodo rex occubuerit, narratur 4 Reg. 19,37 : Adramelech et Sarasar eum in templo Nesroch gladio percusserunt. Quae nomina in narratione Abydeni apud Eusebium (*ed. Schoene* I. 35) referuntur : Adramelus, Nergilus; v. ADRAMELECH 1.

Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 278 ss. II. 1 ss.; *R. W. Rogers,* A Hist. of Babylonia and Assyria *ed.* 2, II. p. 203 ss.; *G. Smith,* Assyria from the earliest times to the fall of Ninive, p. 116 ss.; *Maspero,* Hist. ancienne des peuples de l'Orient classique III. 293; *E. Meyer,* Gesch. des Altert. I. §. 384; *G. Nagel,* Zug des Sanherib; *Erasmus Nagl,* Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 290 ss. qui breviter rationes exponit pro unitate et continuitate narrationis biblicae et refutat ea, quae *J. V. Prášek* (Sanheribs Feldzüge gegen Juda, in Mitteil. d. Vorderasiat. Ges. 1903, p. 113 ss.) coniectavit de duplici expeditione Sennacherib contra Syriam et Palaestinam, de priore anni 701 et posteriore quadam intra annos 691-681 a. Chr. Coniecturas recentiorum de fontibus in narratione biblica discernendis recenset *Prášek* op. cit., p. 6 ss. allegans *B. Stade, Kleinert, Floigl, Nowack, Winckler, Krall, Guthe,* etc.

SENNESER (שֶׂנְאַצַּר, Σανεσάρ), filius Iechoniae filii Ioakim (1 Par. 3,18). Sunt qui putent eum esse Sassabasar (vide s. v.).

SENNIM vallis v. SAANANIM.

SENSENNA (סַנְסַנָּה, Σεθεννάκ), urbs in meridie (Negeb) tribus Iuda sita (Ios. 15,31). Probabilius eadem est, quae postmodum appellabatur Hasarsusim (vide s. v.).

SENUA (הַסְּנוּאָה cum articulo, Ἀσανά), pater Iudae incolae Ierusalem post instaurationem, Beniaminita (Neh. 11,9). Cf. s. v. ASANA.

SEON (שִׁיאוֹן, Σιωνά), urbs tribus Issachar (Ios. 19,19), de qua Onom. (*ed. Lag.* 294,58; 152,19) notat : « hodieque ostenditur villa iuxta montem Thabor ». Putant nonnulli correspondere hodiernum *ʿAyūn el-Shaīn* circa 5 km a monte Thabor inter septemtrionem et occidentem (*Survey of West. Pal.* Mem. I. 370; cf. *Dillmann* ad Ios. 19,19); sed hic situs potius ad territorium Zabulon quam Issachar spectat.

SEOR (זֹחַר, Σάαρ), pater Ephron Hethaei (Gen. 23,8; 25,9).

SEORIM (שְׂעֹרִים, Σεωρείμ), princeps classis sacerdotalis quartae inter 24 a Davide designatas (1 Par. 24,8).

SEPHAATH v. HORMA 1.

SEPHAM (שְׁפָם, Σαπφείν), Beniaminita, filius Hir (1 Par. 7,12); idem est ac SAPHAN 2.

SEPHAMA (שְׂפָמָה, Σεπφαμάρ) legitur in descriptione orientalis termini terrae promissae (Num. 34,10. 11), qui de villa Enan descendit usque Sephama et inde

in Rebla contra fontem Daphnim et ulterius ad mare Genesareth. Ipsa Sephama est ignota et solummodo ex ordine enumerationis aliquatenus determinari potest. Iamvero villa Enan erat iuxta fines Damasci (v. ENAN 3); Rebla et fons Daphnim emendatione textus adhibita intellegi poterunt mons Bel seu Baal Hermon et unus ex fontibus Iordanis (v. AIN 1); inter hos duos terminos Sephama a multis quaeritur. — Si vero opinio admittitur, quam *J. P. van Kasteren* in Revue biblique IV. 1895, p. 23-36 defendit terminum septemtrionalem terrae promissae infra Libanum et Hermonem maiorem fuisse, Sephama cum eodem auctore agnosci poterit *Ofāni* prope superiorem *Nahr el-Ruqqād* inter meridiem et orientem a *Bāniyās* (l. c. p. 32. 33). Cf. *M. Hagen*, Atlas biblicus (1907), Tab. 16 C 2.

SEPHAMOTH (שִׁפְמוֹת, Σαφί), una ex urbibus, ad quas David post cladem Amalecitarum redux in Siceleg dona de praeda misit (1 Reg. 30,28). Nominatur cum Iether, Aroer, Esthamo; quaerenda igitur est vel in Negeb seu meridiana plaga tribus Iuda vel haud procul a Negeb in australi parte montis Iuda. Situs determinari nequit. De hac urbe oriundus erat Zabdias cellis vinariis a Davide praepositus (1 Par. 27,27), qui cognominatur Aphonites (הַשִּׁפְמִי, ὁ τοῦ Σεφνί); forma quidem שִׁפְמִי dempto puncto diacritico dubium relinquit, utrum fuerit de Sephama (v. supra) an de Sephamoth; attamen posterius praeplacet, quia vineae plurimae erant in territorio Iuda uvis feracissimo.

SEPHAR mons vide s. v. IECTAN.

SEPHARAD (סְפָרַד, Ἐφραθά) legitur in descriptione salutis in Sion consequendae Abd. 20 : et transmigratio Ierusalem, quae in *Bosphoro* est, possidebit civitates austri i. e. qui ex Ierusalem venditi erant in servitutem et in *Sepharad* commorabantur, reduces occupabunt australem partem Iudae scil. civitates in Negeb. De *Sepharad* ipse S. Hieronymus in h. l. animadvertit : « nos ab Hebraeo qui nos in Scripturis sanctis erudivit, didicimus *bosphorum* sic vocari et quasi Iudaeus, Ista, inquit est regio ad quam Hadrianus captivos transtulit » (*M.* 25,1115).

De situ regionis Sepharad opiniones sunt variae et incertae. Ad nomen hebraicum egregie accommodatum est nomen *Sparda*, quae erat provincia regis Persarum et semper una cum *Iauna* (Ionia seu Graecia) nominatur in persicis inscriptionibus cuneiformibus Darii; haec igitur *Sparda* merito in Asia minore quaeritur et eadem putatur ac Sardes in Lydia (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 145). Unde Sepharad et Sardes omnino videntur componi posse; quod enim *Schrader* l. c. obiicit non esse probabile Iudaeos a Nebucadnezar in Asiam minorem translatos esse, id falsa laborat suppositione, quasi Abd. 20 de tempore Chaldaeorum esset sermo. Alii praeferunt explicationem de Sparta, cuius regionis nomen per Phoenices ad Iudaeos translatum sit (*Keil* ad Abd. 20), alii de regione *Shaparda* seu *Sha-pa-ar-da* in parte australi Mediae (*Schrader* l. c.; *Delitzsch*, Paradies, p. 249; *A. H. Sayce*, The land of Sepharad, in Expository Times XIII. 1902, Apr., p. 308 s.). Syrus et Chaldaeus interpretantur Hispaniam, quam interpretationem iam multis reiiciunt *Ribera* et *Sanctius*. — Cf. *Knabenbauer* ad Abd. 20; *A. Van Hoonacker*, Les douze Petits Prophètes, 1908, p. 311, qui insuper coniicit voci hebr. subesse formam derivatam a « ספרוים (4 Reg. 17,24; 18,34) = *Sipar*, une ville babylonienne, dont les endroits cités du l. des *Rois* auraient fourni la notion »; sed v. SEPHARVAIM.

SEPHARVAIM (סְפַרְוַיִם, Σεπφαρουαίμ, Σεπφαρουαίν, Ἐπφαρουναίμ), urbs ditioni assyriacae subiecta, ex qua coloni in Samariam adducti sunt (4 Reg. 17,24. 31; 18,34; 19,13; Is. 36,19; 37,13). Communiter fere Sepharvaim habebatur urbs babylonica Sippar quae distinguitur Sippara Solis et Sippara Anunitis (v. s. v. ANAMELECH in vol. I. col. 240 s.), Σεπφάρα apud *Ptol.* V. 18.7 (*ed. Müller-Fischer* 17,5), Hipparenum apud *Plin.* VI. 26(30), 123, Heliopolis apud *Eusebium* (Praep. evang. 9,12 et

cf. 41; Chron. I. 7,1 *ed. Migne* 19,122 et cf. 115. 116, *ed. Schoene* I. p. 31. 32 et cf. p. 21-24) et apud *Berosum* (Rerum Chald. l. 2. *ed. Richter*, 1825, p. 56). Atque haec urbs babylonica *Sippar*, accuratius *Sippar sha shamash* (Sippara Solis) merito componitur cum ruinis *Abu Habba* 50 km a Babylone aquilonem versus et 4 fere horis a ripa sinistra Euphratis; altera eiusdem urbis pars *Sippar sha Anunit* (Sippara Anunitis) coniicitur esse *Akkadi* seu *Agade* solo interiecto canali *Nar Agade* separata a priore (v. s. v. ACHAD in vol. I. col. 67 s.). — Verum contextus ll. cc. biblicis, quibus Sepharvaim cum Emath una nominatur, potius urbem Syriae, quam Babyloniae postulare videtur. Complures insuper Sepharvaim componunt cum Sabarim (סִבְרַיִם) Ez. 47,16 : « quae est inter terminum Damasci et confinium Emath » eamque agnoscunt in *Shômeriye* iuxta lacum *Ḥôms ;* sed uti s. v. SABARIM diximus, terminus aquilonaris terrae sanctae Ez. 47,15-17 cum *J. P. van Kasteren* potius ad austrum Libani et Hermonis maioris quaerendus est. Illud vero satis certum videtur Sepharvaim esse illam Syriae civitatem *Shabarain*, quam a Salmanasar IV. (727-722 a. Chr.) destructam esse refert chronica babylonica (col. I. lin. 28).

Cf. *J. Halévy* in Ztschr. f. Assyr. II. 1887, p. 401 s.; *H. Winckler*, Alttest. Untersuch., p. 101, quoad 4 Reg. 18,34; Ztschr. f. kath. Theol. XII. 1888, p. 586; *V. Scheil* in Revue bibl. 1895, p. 202-6; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. IV. Koen. 1904, p. 301-4; *Er. Nagl*, Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 208 s.

SEPHATA vallis prope Maresam; sed v. MARESA.

SEPHATIA v. SAPHATHIA 6.

SEPHEI (שְׁפָעִי, B omitt., A Σεφεί), pater Ziza principis de tribu Simeon (1 Par. 4,37).

SEPHELA vide s. v. IUDA 2.

SEPHER mons (הַר־שֵׁפֶר, propter pausam שֵׁפֶר; Σαφάρ), statio Israelitarum in deserto (Num. 33,23. 24); erat inter Ceelatha et Arada, sed situs determinari nequit.

SEPHET legitur in Vulg. Tob. 1,1 ad determinandum situm urbis patriae Tobiae, civitatis Nephthali in Galilaea superiore. Sepositа quaestione de patria Tobiae (v. THISBE) Sephet merito agnoscitur hodierna urbs *Ṣafed* inter Iordanem et *Djebel Ṣafed* in Galilaea superiore in monte sita (838 m); prope urbem ruinae castelli *Ṣafed* in summo monte cernuntur. — Opinantur aliqui Christum in sermone montano Matth. 5,14 Sephet civitatem supra montem positam ante oculos habuisse et quasi digito demonstrasse, provocantes ad traditionem antiquam, montem beatitudinum fuisse *Qarn Ḥaṭṭīn* (Cornua *Ḥaṭṭīn*) ad occidentem lacus Genesareth, ex quo monte aspectus utique usque ad urbem montanam Sephet patet. Verum neque haec traditio de monte beatitudinum certitudine gaudet et modus loquendi indefinitus πόλις sine articulo illam opinionem de Sephet minime suadet (*Knabenbauer*, Comment. in Matth. *ed.* 2 I. p. 186 et 210).

In Talmude hierosol. mentio fit urbis צפת, apud quam ignes ad neomenias annuntiandas accendi solebant (Rosh ha-shana 11,2); quam cum *Ṣafed* eandem esse putant tum propter situm editum tum propter nominis similitudinem (*Neubauer*, Géographie du Talmud, p. 227). A nonnullis in *Ṣafed* agnoscitur quoque oppidum Seph (Σέπφ), quod Flavius Iosephus in Galilaea superiore munivit (Bell. iud. II. 20,6). Cf. *Guérin*, Galilée II. 419-426 ; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 199. 255. 256.

Praeterea notandum est secundum interpretationem *F. de Hummelauer* Ios. 19,27 (cf. LXX) urbem Sephet nominari in descriptione termini Aser : pergitque terminus in Sephat (צפתה).

SEPHI v. SEPHO.

SEPHIM (שְׁפִים, A Σεφιείμ), ianitor templi tempore Davidis (1 Par. 26,16).

SEPHION v. SEPHON.

SEPHO. 1. Sepho (צְפוֹ, Σωφάρ), tertius inter filios Eliphaz primogeniti Esau

(Gen. 36,11) et inter duces filiorum Esau (36,15). Idem 1 Par. 1,36 vocatur Sephi (צְפִי, Σωφάρ).

2. Sepho (שְׁפוֹ, A Σώφ), quartus inter filios Sobal filii Seir Horraei (Gen. 36, 23). Idem 1 Par. 1,40 vocatur Sephi (שְׁפִי, B Σώδ, A Σωφάρ).

SEPHON (צְפוֹן, Σαφών), primus inter filios Gad, progenitor familiae Sephonitarum (Num. 26,15). Idem Gen. 46,16 vocatur Sephion (צְפִיוֹן, Σαφών).

SEPHOR (צִפּוֹר, צִפֹּר, Σεπφώρ), pater Balac regis Moabitarum (Num. 22,2. 10. 16; 23,18; Ios. 24,9; Iud. 11,25).

SEPHORA. 1. Sephora (שִׁפְרָה, Σεπφωρά), una ex obstetricibus, quibus Pharao praecepit, ut parvulos Hebraeorum interficerent (Ex. 1,15).

2. Sephora (צִפֹּרָה, Σεπφώρα), filia Raguel seu Iethro, uxor Moysis, mater Gersam et Eliezer (Ex. 2,21; 4,25; 18,2). Post circumcisionem Gersam Sephora cum filio a Moyse recessit, quem Deo ob omissam circumcisionem exosum esse rata est et ad patrem rediit, donec hic festivo suo adventu Sephoram Moysi reconciliavit. Videtur eadem esse atque illa Moysis uxor Aethiopissa seu Cushita, propter quam Maria et Aaron contra Moysen murmurarunt (Num. 12,1). Poterat sane Sephora, Madianitae filia, vocari Cushita, si admittimus Madianitas fuisse gentem ex Abrahamidis et Cushitis mixtam; probrosa igitur appellatio *Cushitae* Num. 12,1 uxori Moysis affigitur, sed nomen Sephorae ab auctore tacetur (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.).

SEPHTHAN (שִׁפְטָן, B Σαβαθά, A Σαβαθάν), pater Camuel de tribu Ephraim (Num. 34,24).

SEPHUPHAN (שְׁפוּפָן, B Σωφαρφάκ, A Σωφάν) recensetur octavus filius Bale primogeniti Beniamin (1 Par. 5,8).

SEPTHAI (שִׁבְתַּי, LXX omitt.), levita qui Esdrae verba legis explicanti adstitit (Neh. 8,7).

SEPULCRA CONCUPISCENTIAE (קִבְרוֹת הַתַּאֲוָה, Μνήματα τῆς ἐπιθυμίας), statio Israelitarum itinere trium dierum a deserto Sinai Cades versus (Num. 11,34 [et 35]; 33,16. 17; Deut. 9,22), ubi populo murmuranti carnes concessae sunt, sed etiam causam magnae cuiusdam plagae adduxerunt; ab isto eventu stationi nomen inditum est. Ad eundem eventum referuntur Ps. 77 [78],26-31; 105[106],14. 15. S. Silvia Aquitana (c. 388 p. Chr.) pervenit « ad quendam locum, ubi se tamen montes illi, inter quos ibamus, aperiebant et faciebant vallem infinitam ingens, planissimam et valde pulchram et trans vallem apparebat mons sanctus Dei Syna. Hic autem locus, ubi se montes aperiebant, iunctus est cum eo loco, quo sunt memoriae concupiscentiae » (*P. Geyer*, Itinera hier. p. 37; cf. p. 44. 45).

SEPULTURA. Quomodo mortui a sepulturam praeparati sint, pauca ex libris Veteris Testamenti, plura ex Novo Testamento traduntur. A filiis seu cognatis oculos mortui clausos esse et osculo ultimum ei vale ab iisdem dictum fuisse fortasse colligi potest ex Gen. 46,4 (Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos) et Tob. 14,15 (et ipse clausit oculos eorum) et Gen. 50,1 (Ioseph ruit super faciem patris flens et deosculans eum). Mos sepeliendi aegyptiacus i. e. corpus condire aromatibus, solum observatus est in Iacobo et Ioseph (Gen. 50,2. 25). Corpus mortui esse lotum, discimus ex Act. 9, 37 (Tabitham cum lavissent, posuerunt eam in coenaculo); corporis manus et pedes ligatos esse institis, faciem sudario obvolutam, discimus ex Lazari resuscitatione (Ioan. 11,44); corpus sindone involutum esse et ligatum linteis cum aromatibus apposito sudario super faciem, pariter comperimus ex sepultura Christi, quae facta est, sicut mos est Iudaeis sepelire (Ioan. 19,40; 20,7; Matth. 27,59). Corpus ante sepulturam etiam quandoque unctum fuisse, merito colligimus ex pia illa mulierum de Christi corpore sedulitate (Marc. 16,1; Luc. 23,56; 24,1). In honorem mortui regis multa aromata esse combusta, discimus

ex Ier. 34,5 : secundum combustiones patrum tuorum priorum, sic comburent tibi (hebr.) et 2 Par. 16,14 narratur de Asa rege mortuo : combusserunt super eum ambitione nimia; qui honor negatus est Ioram regi impio : non fecit ei populus secundum morem combustionis exsequias, sicut fecerat maioribus suis (2 Par. 21,19).

Generatim facta est sepultura mox post mortem, fere eodem die, uti habes in narratione Act. 5,5-10 (de Anania et Saphira) et Deut. 21,23 mandatur : non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur. Corpus autem Tabithae positum est in cenaculo, quia adventum Petri expectare volebant (Act. 9,37-40). Debuit differri, si locus sepulturae longe aberat (Gen. 50,5). Corpus in arca seu in loculo depositum (Gen. 50,26; Luc. 7,14) efferebatur comitantibus cognatis, amicis, servis. Ita sepeliunt Abraham patrem Isaac et Ismael filii (Gen. 25,9) et Isaac patrem sepeliunt Esau et Iacob (Gen. 35,29); David rex secutus est feretrum, quo Abner occisus ferebatur ad sepulcrum (2 Sam. 3,31); corpus Samsonis tulerunt fratres eius et universa cognatio et sepelierunt in sepulcro patris sui (Iud. 16,31); Iosiam mortuum portaverunt servi de Mageddo et pertulerunt in Ierusalem (4 Reg. 23, 30); corpus Ioannis Baptistae tulerunt discipuli eius et sepelierunt illud in monumento (Matth. 14,2; Marc. 6,29); de sollemniore comitatu vide Gen. 50, 7. 14; 1 Sam. 25,1; 2 Par. 32,33.

Si mors contigerit in itinere, sepultura fiebat statim eodem loco; ita Debora sepulta est infra Bethel subter quercum (Gen. 35,8) et Rachel sepulta est in via quae ducit Ephratam (Gen. 35,19). Ut locum sepulturae eligebant speluncas; ita ad sepeliendam Saram emit Abraham agrum Ephron et speluncam ibique eam sepelivit (Gen. 23,19); ibi Isaac quoque sepultus est (Gen. 25,9) et Iacob (Gen. 50,13); Ioseph autem appositus est in Sichem in parte agri quem emerat Iacob a filiis Hemor, patris Sichem (Ios. 24,32; cf. Gen. 50,25; Ex. 13,19 et Gen. 33,19) et Ioseph ab Arimathaea sibi exciderat in horto suo monumentum in petra; quo exemplo colligere licet viros

nobiles in hortis ac praediis sibi locum sepulturae praeparasse; cuius rei exemplum legitur Is. 22,16. Atque revera saepe invenimus mentionem fieri sepulcreti communis pro familia; ita Gedeon sepultus est in sepulcro Ioas patris sui in Ephra (Iud. 8,32), Samuel in domo sua in Ramatha (1 Sam. 25,1), item Samson in sepulcro patris sui Manue (Iud. 16,31); Asael quoque conditus est in sepulcro patris sui in Bethlehem, et caput Isboseth « tulerunt et sepelierunt in sepulcro Abner in Hebron » (2 Sam. 4,12); etiam Achitophel sepultus est in sepulcro patris sui (2 Sam. 17,23), et Berzellai non vult manere cum David in Ierusalem, sed « moriar in civitate mea et sepeliar iuxta sepulcrum patris mei et matris meae » (2 Sam. 19,37) et ossa Saul et Ionathan sepulta sunt in terra Beniamin in sepulcro Cis patris Saul (2 Sam. 21,14); Amon rex sepultus est « in sepulcro suo in horto Oza » (4 Reg. 21,26). Sepulcretum proprium habebant Machabaei quoque (cf. 1 Mach. 2,70; 9,19; 13,27) in civitate Modin; et Iudas Machabaeus diligenter curavit, ut corpora in pugna prostratorum ponerentur cum parentibus in sepulcris paternis (2 Mach. 12, 39).

Davidis sepulcrum commemoratur tamquam locus notus Neh. 3,16 et Act. 2,29; eum sepultum esse in civitate David narratur 3 Reg. 2,10. Ibi quoque sepulcretum erat regum; ibi sepultus est Salomon (3 Reg. 11,43; 2 Par. 9,31), Roboam (3 Reg. 14,31; 2 Par. 12,16), Abiam (3 Reg. 15,8; 2 Par. 14,1), Asa (3 Reg. 15,24; 2 Par. 16,14), Iosaphat (3 Reg. 22,51; 2 Par. 21,1), Ochozias (4 Reg. 9,28), Amasias (4 Reg. 14,20; 2 Par. 25,28), Ioatham (4 Reg. 15,38; 2 Par. 27,9), Ezechias (2 Par. 32,33). Azarias dicitur 4 Reg. 15,7 sepultus in civitate David; accuratius autem narratur 2 Par. 26,23 : sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum (in agro prope sepulcretum regum) eo quod esset leprosus. Tres reges explicite exclusi sunt a sepulcreto regum : Ioram (2 Par. 21,20), Ioas (2 Par. 24,25) et Achaz (2 Par. 28,27), de quibus dicitur : sepelierunt in civitate David, sed non in se-

pulcris regum. Dum Ioas rex excluditur a sepulcro regum, Ioiada sacerdos sepultus est in civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel et cum domo eius (2 Par. 25,16); Manasses rex sepultus est in horto domus suae, in horto Oza, item Amon in horto Oza (4 Reg. 21,18. 26; 2 Par. 33,20), Iosias in mausoleo patrum suorum (2 Par. 35, 24). Rex Israel, Baasa, sepultus est in Thersa, Amri rex in Samaria, item in Samaria Achab (3 Reg. 16,5. 28; 22,37).

Pro plebe nominantur sepulcra vulgi (4 Reg. 23,6) et Ioakim rex percussit Uriam prophetam gladio et proiecit cadaver eius in sepulcris vulgi ignobilis (Ier. 26,23). Pro triginta argenteis Iudae proditoris emptus est ager figuli prope Ierusalem in sepulturam peregrinorum (Matth. 27,7).

Super sepulcra etiam quandoque erigebantur monumenta; ita Iacob erexit titulum (מַצֵּבָה, cippum, columnam) super sepulcrum Rachel (Gen. 35,20), et locum huius sepulcri etiam tempore Samuelis notum fuisse, comperimus ex 1 Sam. 10,2; crudum monumentum erectum est Absalomi : comportaverunt super foveam in qua proiectus erat acervum lapidum magnum nimis; ipse quidem superstes sibi erexerat titulum in valle regis; dixerat enim : non habeo filium et hoc erit monimentum nominis mei (2 Sam. 18,17. 18); simile quid vide Ios. 7,26; 8,29; 10,27. Sepulcra nobilium monumentis exornata fuisse, merito colligitur ex verbis Iob de divite impio : ipse ad sepulcra ducetur et in congerie mortuorum vigilabit (Iob 21, 32); ibi adhuc quasi vivus monumento laudatus exhibetur hominibus; etiam Iob 3,14 haud pauci explicant de mausoleis. Sepulcrum prophetae insignitum erat titulo (צִיּוֹן cippo, 4 Reg. 23,17). Celeberrimum est monumentum Machabaeorum in Modin, quod a navigantibus mare a longe conspiciebatur; describitur 1 Mach. 13,27-30; de quo vide s. v. MODIN.

De eiusmodi monumentis etiam docemur verbis Christi ad Pharisaeos factis : aedificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumenta iustorum (Matth. 23,29; Luc. 11,47). Propter leges leviticas et periculum contrahendi impuritatem (cf. Num. 19,16) designabantur sepulcra; unde sermo fit de sepulcris dealbatis (Matth. 23,27). Ita sepulcra notionem ingerebant immunditiei. Unde intellegitur quale opprobrium voluerit Antiochus rex Ierusalem urbi inferre statuens se facturum Ierusalem congeriem sepulcri (2 Mach. 9,4. 14). Apud varias nationes sepulcris inferebantur arma, ornamenta mortuorum; eundem morem Iudaeis fuisse certum indicium non reperitur. Nam ad eum morem nullatenus pertinet poena inflicta Num. 16, 32 (devoravit illos terra cum universa substantia) neque iudicium in Achan prolatum (Ios. 7,24), neque quod de regibus nationum Ezechiel poetice dicit : qui descenderunt ad infernum cum armis suis et posuerunt gladios suos sub capitibus suis (Ez. 32,27).

Carere sepultura in magnam ignominiam et calamitatem referebatur. Denuntiatur prophetae inoboedienti poena : non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum (3 Reg. 13,22); opprobrium declaratur fore domui et familiae Ieroboam : qui mortui fuerint de Ieroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves caeli (3 Reg. 14,11); simili modo inter se minantur Goliath et David : dabo carnes tuas volatilibus caeli et bestiis terrae; dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus caeli et bestiis terrae (1 Sam. 17,44. 46). Tamquam poenam denuntiat Ieremias ossa principum idololatrarum de sepulcris eiectum iri et insepulta mansura esse (Ier. 8,1) et casurum esse morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis (9,22); talis sepultura vocatur sepultura asini, quae praedicitur Ioakim : non plangent eum; sepultura asini sepelietur, putrefactus ac proiectus extra portas Ierusalem (22,19) et in universum gentibus tales minae proponuntur : et erunt interfecti, non plangentur et non colligentur neque sepelientur; in sterquilinium super faciem terrae iacebunt (Ier. 25,33; cf. Ez. 29,5); quae poena talionis Iasoni contigit : qui insepultos multos abiecerat, ipse et illamentatus

et insepultus abiicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulcro participans (2 Mach. 5,10; cf. Ps. 78,2; Ier. 14,16; 36,30; Bar. 2,24. 25).

Quare in magno beneficii et pietatis loco habetur providere sepulturae, cuius rei testimonium praebet historia Tobiae : quando sepeliebas mortuos et derelinquebas prandium tuum et mortuos abscondebas per diem et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino, ait angelus (Tob. 12,12; cf. 1,20; 2,4. 9). Laude digna est sedulitas pia Resphae, quae crucifixorum corpora tuita est, ne aves lacerarent ea per diem neque bestiae per noctem (2 Sam. 21, 10).

In sepultura edebantur planctus et consueta luctus signa (vide LUCTUS); cf. canticum David de morte Saul et Ionathan (2 Sam. 1,19-27) et de occisione Abner (2 Sam. 3,33. 34). Apud varios populos sepulcrum etiam epulis celebrabatur; eius rei vix habetur vestigium in pane lugentium (Os. 9,4) vel apud Ier. 16,7 : et non frangent inter eos lugenti panem; indicium eius rei inveniunt multi in monitione Tobiae : panem tuum et vinum tuum super sepulturam iusti constitue (Tob. 4,18), de qua consuetudine multa affert *Serarius* (Comm. in Tob.); apud Iudaeos posteriores vigebat haec consuetudo (*Flav. Ios.* Ant. XVII. 8,3; Bell. iud. II. 1,1).

Excavationibus recenti tempore factis aliqua de antiquissimo sepeliendi modo innotuerunt. Ita in Gezer (Gazara) hypogaeum ex rupe excavatum inventum est continens cineres et intermixta fragmenta ossium humanorum, insuper distingui poterant varia strata cinerum et ossium et clara apparebant vestigia ibi ex longo tempore cadavera fuisse concremata. Inter cineres et ossium plus minusve combustorum fragmenta reperta sunt vasa figulina varii generis. Hisce aliqua indicia nobis praebentur, quomodo in Gezer mortuis funeralia celebrata sint circa 4000-2500 ante Chr.

Sed in eodem hypogaeo cineribus illis superposita inveniuntur cadavera iam non concremata, sed sepulta; agnoscitur itaque c. 2500 immigratio quaedam Semitarum, seu generatim periodus chananaea. Isti incolae ita corpora apponebant, ut ea in latus reclinarent sinistrum et genua fere usque ad mentum attraherent; alia tamen cadavera cernuntur posita separatim in tergo extenta sine illa genuum replicatione. Videntur itaque esse sepulcra nobilium; illis quoque apposita cernitur supellex uberior. Nam mortuis apponebantur non solum arma, verum etiam nutrimenta, carnes coctae, cultri quibus carnes secarent, magni urcei et phialae minores ad potionem hauriendam, lampades, et ornamenta varia. Magnum quoque hypogaeum more et ornamentis aegyptiacis dispositum in Gezer inventum est; quare ibi colonia quaedam aegyptiaca saeculo 25. ante Chr. fuisse creditur. Sepulcra aegyptiaca etiam in Thanac reperta sunt. In Lachis quoque et in collibus Sephelae hypogaea cum varia supellectili urceorum, lampadum, vasorum alabastrinorum, laminarum ex silice, ex aere, etc. inventa sunt.

Cf. *H. Vincent,* Canaan, p. 208 ss. Plura de his in Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1903 et 1904. — Cf. praeterea quae de planctu et luctu in sepultura mortuorum et etiam de sepultura ipsa habentur apud *J. Jahn,* Archaeol. I. 2, Wien, 1796, p. 554 s.; Ztschr. d. D. Pal.-Ver. VI. 1883, p. 185 ss.; *M. J. Lagrange* in Revue bibl. XI. 1902, p. 212-239.

SER (צֹר, Τύρος), una ex civitatibus munitissimis Nephthali (Ios. 19,35), quae immediate cum urbe praecedenti Assedim sine Wav copulativo iungitur. Unde *Dillmann* ad h. l. suspicatur צֹר esse correcturam marginalem ad nomen praecedens הַצִּדִּים. Ceterum Onom. quoque urbem ab Assedim distinctam agnoscit : Τύρος, Tyrus in tribu Nephthali (*ed. Lag.* 297,42; 155,12). Talmud eandem in vicinia Assedim collocat (*Neubauer,* Géographie du Talmud, p. 207). *Furrer* (Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. II. 1879, p. 57) putat Zer nostram fortasse eandem esse cum Magdala (*Medjdel*), quae apud Ios. 19,32-39 desideratur, de qua s. v. MAGEDAN diximus. Verum, uti s. v. ASSEDIM dictum est, *F. de Hummelauer* Ios. 19,35 interpretandum esse censet : Civitates munitissimae Tyriorum : Tyrus (צֹר) etc. et ar-

bitratur inter arces Tyriorum per Galilaeam et regionem transiordanicam sparsas primo loco honoris causa nominari Tyrum.

SERAPHIM (שְׂרָפִים, Σεραφείμ). Dominum in regali solio sedentem, qui aspectus Isaiae oblatus est, corona cingebat Seraphim. Adstant hi tamquam ministri summa reverentia, alis duabus velantes facies, duabus pedes, duabus volitantes et alta voce cantantes : sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius (Is. 6,2-3).

In vocatione Isaiae ad munus propheticum suas agunt partes. Nam ex hoc ipso cantico epromptum est illud nomen Domini apud Isaiam adeo frequenter usurpatum « Sanctus Israel » (cf. 10,17. 20; 12,6; 17,7; 29,19; 30,11. 12. 15; 31,1; 37,23; 40,25; 41,14. 16. 20; 43,3. 14. 15; 45,11 etc. etc.). Neque minus perspicuum est in eius vaticinio, quod Dei gloria tamquam in terram effusa, in terra restituta et terram illustrans proponitur. Uti cantico suo Seraphim prophetae quasi summum prophetiae argumentum praebent, ita quoque eum ad illud digne enuntiandum praeparant. Advolat quippe unus ex illis calculo ignito de altari deprompto et os eius tangens dicit : ecce tetigit hoc labia tua et auferetur iniquitas et peccatum tuum mundabitur (Is. 6,6. 7).

De significatione nominis certi vix quidquam dici potest. Eo nomine appellantur quoque serpentes igniti, vel flatu adurentes, ad puniendos Israelitas missi (Num. 21,6. 8; Deut. 8,15). Secundum etymon שָׂרַף urere, comburere, ardere iam explicavit S. Hieronymus : ἐμπρησταί, incendentes, comburentes; alii : ardentes, igniti, lucentes etc.; alii ex arabico : sublimes, nobiles.

Apud Isaiam 6,2 ss. ita profecto describuntur, ut throno Dei assistere tamquam ministri sacri exhibeantur et ad ministerium prophetae praestandum mittantur. Describuntur itaque ut Angeli (cf. Hebr. 1,14). In ordine Angelorum ex sententia in Ecclesia vigente supremum gradum obtinent, qui Deo proxime assistant eiusque amore quam maxime ardeant. — Ceterum in Scriptura uno hoc Isaiae loco (6,2) eorum fit mentio. Quae quidam de nomine et cultu Serapidis vel de draconibus alatis ex variis mythologicorum deliriis protulerunt, ad fabulas aniles amandanda sunt nec mentione digna.

SEREBIA (שֵׁרֵבְיָה, Σαραβιά, Ζαραβιά, Vulg. etiam Sarebia, Sarebias, Sarabia), princeps levitarum, qui Esdra duce a Chasphia Hierosolyma ascendit (Esdr. 8,18; LXX omitt.) et in ipso itinere custodiam donorum pro templo oblatorum una cum Hasabia principe levitarum gerebat (8,24; LXX Σαραιά). Idem nomen saepius legitur inter principes levitarum (Neh. 8,7; 9,4. 5; 10,12[13]; 12,8. 24).

SERESER v. NEREGEL SERESER.

SERETH (צֶרֶת, B Ἀρεθ, A Σάρεθ), filius Assur patris Thecuae ex Halaa uxore (1 Par. 4,7).

SERGIUS v. PAULUS (col. 545).

SERICUM legitur in Vulgata imprimis pro hebr. רָאמוֹת Ez. 27,16, quod alibi (Iob 28,18; Prov. 24,7) *excelsa* exponitur et a plerisque corallia explicatur. V. EXCELSA (in vol. II. col. 244).

Sensu proprio sericum semel tantum occurrit in Apocalypsi 18,12 (σιρικοῦ vel σηρικοῦ) inter merces Babylonis magnae, ubi certe notam illam telam nobilissimam ex filis bombycis contextam significat, quae inde a tempore Alexandri Magni in Occidente innotuit, sed etiam primis post Christum saeculis auro aequiparabatur; cf. *Plin.* VI. 17 (20), 54; XX. 3 (8), 11.

Utrum in Vet. Test. sericum commemoretur necne, multis dubium apparet. Vulgata sericum pallium dicit vestem byssinam Mardochaei (בּוּץ Esth. 8,15; v. BYSSUS). In eodem versiculo libri Esther alii חוּר de serico exponunt (cf. 1,6), quod S. Hieronymo *aereum* colorem designat, et probabiliter est species quaedam telae lineae subtilissimae. Alii מְשִׁי in prophetia Ezechielis ex sententia Rabbinorum sericum intellegunt, quod in Vulgata explicatur *subtilibus* (Ez. 16,10; cf. LXX τριχάπτῳ) et *polymito* (ib. v. 13; LXX τρίχαπτα).

L. FONCK.

SERON (Σήρων), princeps exercitus Syriae, quem Iudas Mach. apud Bethoron fudit fugavitque a. 166 a. Chr. (1 Mach. 3,13-24). Flav. Iosephus (Ant. XII. 7,1) narrat Serone duce prostrato universos sese in fugam coniecisse, quasi omnis in eo posita esset salutis spes.

SEROR (צְרוֹר, Ἀρέθ), unus ex maioribus Cis patris Saul (1 Reg. 9,1).

SERPENS. Ab antiquis temporibus abundabant serpentes in Palaestina ac multo magis in regionibus finitimis, praesertim in Aegypto et Arabia. Accensentur Lev. 11,41 ss. animalibus immundis. Cum difficile sit determinare, quaenam species serpentum in S. Scriptura nominentur, recensebimus ordine alphabetico nomina hebraica additis interpretationibus versionum vel etiam commentatorum.

אֶפְעֶה redditur Iob 20,16 ὄφις, vipera; Is. 30,6 ἀσπίδες, vipera; Is. 59,5 βασιλίσκος (Aquila ἔχιδνα, Symmachus, Theodotion ἀσπίς), regulus. Locutio Is. 59,5 : contritum (scil. ovum) viperam emittet (hebr.) proverbialis est et apta, qua illustretur, si quis putet se ab uno periculo declinasse feliciter, eum alia et alia via certius esse interiturum (*Knabenbauer* ad h. l.). In Novo Testamento legitur Matth. 3,7; 12,34; 23,33; Luc. 3,7; Act. 28,3 ἔχιδνα, vipera. Nomine אפעה designari viperam iam probavit *Sam. Bochartus* (Hieroz. II. l. 3, c. 1).

נָחָשׁ redditur apud LXX ὄφις (praeter Am. 9,3 δράκων), in Vulgata serpens Gen. 3,1 ss.; Am. 9,3; Eccle. 10,11; Ps. 57[58],5; 139[140],4 et coluber Gen. 49, 17; Ex. 4,3; Is. 14,29; Am. 5,19; Prov. 23,32; 39,19. Accedunt locutiones compositae Num. 21,6 הַנְּחָשִׁים הַשְּׂרָפִים, οἱ ὄφεις οἱ θανατοῦντες, igniti serpentes; Deut. 8,15 נָחָשׁ שָׂרָף, ὄφις δάκνων, serpens flatu adurens; Is. 27,1 נָחָשׁ בָּרִחַ, ὄφις φεύγων, serpens vectis, נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן, ὄφις σκολιός, serpens tortuosus. Quoad sidus Iob 26,13 (נָחָשׁ, δράκων, coluber) v. s. v. STELLAE. In Novo Testamento legitur Matth. 7,10; 10,16; 23,33; Marc. 16,18; Luc. 10,19; 11,11; Ioan. 3,14; 1 Cor. 10,9; 2 Cor. 11,3; Apoc. 9,19; 12,9. 14. 15; 20,2 ὄφις, serpens; Act. 10,12; Rom. 1,23; Iac. 3,7 ἑρπετά, serpentia.

עַכְשׁוּב redditur Ps. 139[140],4 ἀσπίς, aspis et concordat eiusdem textus allegatio Rom. 3,13. Chaldaeus quidem Ps. 139,4 interpretatur araneam (עַכְבִישׁ), item *Rashi* ad h. l. Insuper arguit *J. Levy* (Neuhebr. Wbch III. 648) voce עַכְשׁוּב Tosef. Par. VIII. ex contextu designari araneam (probabiliter tarantulam); cf. etiam *Lewysohn,* Zoologie d. Talmud, p. 309. Sed recte *Bochartus* (Hieroz. II. l. 3, c. 4) tam ex vocis etymo probabili quam praesertim ex priscis interpretibus probavit ea voce designari aspidem.

פֶּתֶן redditur Deut. 32,33 ἀσπίς, aspis; Iob 20,14 ἀσπίς, aspis, 20,16 δράκων, aspis; Ps. 57[58],5 ἀσπίς, aspis, 90[91], 13 βασιλίσκος, basiliscus; Is. 11,8 ἀσπίς, aspis; Eccli. 39,36[30] ἔχις. Textibus allatis sine dubio serpens venenosus indicatur.

צֶפַע redditur Is. 14,29 ἔκγονα ἀσπίδων, regulus; item צִפְעֹנִי redditur Is. 11,8 ἔκγονα ἀσπίδων, regulus, 59,5 ἀσπίς, aspis; Prov. 23,32 κεράστης, regulus. Locutionem compositam נְחָשִׁים צְפָעֹנִים Ier. 8, 17 LXX interpretantur ὄφεις θανατοῦντας, Vulg. serpentes regulos.

קִפּוֹד redditur Is. 34,15 ἐχῖνος, ericius. Sed cum *Bocharto* (Hieroz. II. l. 3, c. 11) dicendum videtur ea voce neque designari ericium (קִפְּד), ut veteribus placuit neque avis speciem, ut recentioribus visum est, sed serpentem iaculum (arab. *qiffāze*).

שָׂרָף i. e. urens, veneno imbuens est attributum serpentis Num. 21,6; Deut. 8,15 (v. supra נָחָשׁ). Deinde ipse serpens (aeneus) Num. 21,8 vocatur שָׂרָף, ὄφις (Graec. Ven. πρηστήρ); v. SERPENS AENEUS. Denique ponitur cum adiectivo שָׂרָף מְעוֹפֵף Is. 14,29; 30,6 et vertitur 14,29 ὄφεις πετάμενοι, absorbens volucrem, et 30,6 ἔκγονα ἀσπίδων πετομένων, regulus volans. In Commentario ad Is. 14,29 S. Hieronymus adnotat :

« pro eo quod nos transtulimus *absor-. ens volucrem*..... interpretari potest *serpens volans* ».

שְׂפִיפֹן redditur Gen. 49,17 ἐγκαθήμενος, cerastes. Vide CERASTES.

תַּנִּין redditur δράκων, draco, interdum coluber; generatim serpentem significat; v. DRACO 1.

In Vulgata Deut. 8,15 nominatur dipsas seu serpens, cuius morsus ingentem sitim causat; sed vox hebr. צִמָּאוֹן vertenda est : regio inaquosa.

Apud *H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palestine, 1884, p. 140-147 enumerantur 33 species ex ordine Ophidiorum in Syria et Palaestina inventae; familiae, in quas distribuuntur, sunt Typhlopidae, Elapomorphidae, Oligodontidae, Colubridae, Psammophidae, Dipsadidae, Erycidae, Elapidae, Viperidae. Plurimae et innocuae sunt Colubridae. Valde communis est ex familia Erycidarum *Eryx jaculus* Wagler (*Eryx turcicus*). Venenosa Ophidia sunt ex familia Elapidarum *Naja haje* Merrem seu Cobra aegyptiaca, quae circa Bersabee et Gazam invenitur, et ex familia Viperidarum *Vipera ammodytes* Duméril et Bibron, quae colles et montes quaerit, *Cerastes aegyptiacus* Duméril et Bibron (*Cerastes Hasselquistii* Strauch), quae vipera cornuta frequens est in Aegypto et in desertis Iudaeae meridianae, *Daboja xanthina* Gray (cf. *Daboja Russellii* apud *A. E. Brehm*, Thierleben, 1883, VII. p. 475), *Echis arenicola* Boie, communis in Aegypto et prope mare Mortuum frequens, a qua vix differt *Echis carinata* in India et Persia (cf. *Brehm* VII. p. 487).

De serpente antiquo v. s. v. DAEMONES.

SERPENS AENEUS. Cum populum in deserto taedere coepisset itineris et laboris et cum vehementer murmurassent contra Deum et Moysen, misit Dominus in populum ignitos serpentes (seraphim, ardentes), quorum scil. morsibus inflammationes et quasi ardores comburentes efficiebantur (sicut πρηστήρ apud Dioscoriden nomen est eiusmodi serpentum generis). Ea plaga ad paenitentiam adducti rogarunt Moysen, ut a Domino impetraret cessationem. Moysen pro populo intercedentem iussit Dominus erigere serpentem aeneum : « qui percussus aspexerit eum, vivet ». Quod factum est (cf. Num. 21, 4-9). Serpens iste aeneus exstitit usque ad tempus Ezechiae regis; nam Ezechias eum confregit, quia Israelitae illum serpentem sub nomine Nohestan (נְחֻשְׁתָּן, Νεεσθάν) superstitioso cultu venerabantur adolentes ei incensum (4 Reg. 18,4). Typicam rationem eventus illius ipse Christus indicat : sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam (Ioan. 3,14. 15).

SERUG v. SARUG.

SERVITUS, condicio servi, famulatus; sensu latiore labor durus et officium molestum, quod onera multa secum affert. Ita Iacob dicit ad Laban : tu nosti servitutem qua servivi tibi (Gen. 30,26) et : Nabuchodonosor fecit exercitum suum servire servitute magna adversus Tyrum (Ez. 29,18). Et quia lege vetere multa imponebantur praecepta et minis ac severis poenis singula mandata inculcabantur, lex vetus dicitur generare in servitutem, servire cum filiis suis, dicitur in ea adesse spiritus servitutis, et qui ei subiiciuntur dicuntur redigi in servitutem (cf. Act. 15,10; Gal. 2,4; 4,24; 5,1; Rom. 8,15).

Singulari ratione dicitur Aegyptus domus servitutis. Nam Abraham dictum est de suis posteris : et subiicient eos servituti et affligent quadringentis annis (Gen. 15,13). Quae servitus describitur Ex. 1,10 ss. eaque aucta, cum Moyses et Aaron postulassent a rege, ut populus abiret in desertum Ex. 5, 6-23. Quare liberatio ex Aegypto dicitur egressio de domo servitutis (Ex. 13, 3. 14; 20,2; Deut. 5,6; 6,13; 7,8; 8,14; 13,5. 10; Ios. 24,17; Iud. 6,8) et apud Ieremiam quoque Dominus populo in memoriam revocat : eduxi eos de terra Aegypti, de domo servitutis (Ier. 34,13). Ceterum vide s. v. SERVUS.

SERVUS. De servis iam antiquissimis temporibus mentio fit numerusqu

eorum sat magnus effertur. Ita donantur Abram patriarchae in Aegypto oves et boves et asini et servi et famulae et asinae et cameli (Gen. 12,16); ipse habet expeditos vernaculos trecentos decem et octo (Gen. 14,14); Iacob quoque habuit greges multos, ancillas et servos (Gen. 30,43; 32,5). Et ex tempore posteriore cum ex exsilio redirent 42360, cum iis erant servi et ancillae 7337 (Esd. 2,64; Neh. 7,66). Erant servi vel vernaculi i. e. in domo heri in servitute nati, vel coempti (cf. Gen. 17,12. 23. 27); ita Ioseph a fratribus venditus est Ismaelitis, qui vendiderunt eum in Aegypto Putiphari (Gen. 37,28. 36). De servis emptitiis lex quoque statuit Ex. 12,44; eos esse ex alienigenis emptos probabile est. Captivi in bello pariter redigebantur in servitutem (cf. Num. 31,26); quandoque autem mares omnes occidebantur, et solum mulieres et infantes servituti addicebantur (Deut. 20,13 ss.). Etiam Iudaeis bello victis et captis contingebat, ut in regiones alienas venderentur in servitutem (cf. Ioel 3,3-6) et 1 Mach. 3,41 venerunt mercatores in castra, ut acciperent filios Israel in servos et 2 Mach. 8,11 Nicanor misit ad maritimas civitates convocans ad coemptionem Iudaicorum mancipiorum. Servituti ex lege mancipabatur fur : si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venumdabitur (Ex. 22,3). Paupertate coactus poterat se in servitutem vendere (Lev. 25,39. 47), immo filiam quoque in famulam vendere licebat (Ex. 21,7). Si debitor aere alieno oneratus creditori debitum non reddere poterat, in servitutem eum accipiebat creditor; ita 4 Reg. 4,1 : ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi; Is. 50,1 quis est creditor meus, cui vendidi vos? Amos 8,6 possideamus pauperes pro calceamentis; Matth. 18,25 cum non haberet unde redderet, iussit eum dominus venumdari etc.

Pretium quo servus emi poterat, indicatur Ex. 21,32 esse triginta siclorum; nam si bos cornupeta servum vel ancillam percusserit, hero triginta sicli debebant reddi a domino bovis; pretium varium fuisse pro variis servorum condicionibus patet; Ioseph a fratribus viginti siclis venditur (Gen. 37,28); aliqua pro varia aetatis ac sexus condicione aestimatio eius pretii potest colligi ex pretio redemptionis quod statuitur Lev. 27,3 ss.; pro masculo ab anno 20. usque ad 60. solvendi erant sicli 50; pro muliere 30; pro masculo ab anno 5.-20. sicli 20; pro muliere decem; sexagenarius dabit siclos 15, mulier decem; in qua aestimatione, ut quis a voto se redimeret, debuit ultra etiam quintam partem solvere (Lev. 27,13. 15. 19. 27).

Commendatur, ut servo certus quidam labor assignetur, et ut servus piger fustigetur; Eccli. 33,25: panis et disciplina et opus servo; laxa manus illi et quaerit libertatem; servum inclinant operationes assiduae; servo malevolo tortura et compedes; mitte illum in operationem ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas; in opere constitue eum, sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus (sed simul admonetur:) et non amplifices i. e. ne modum excedas, ne severior sis in ullum hominem; verum sine iudicio nihil facias grave; cf. Eccli. 42,5. Quod si quis habet servum fidelem, « sit tibi dilectus quasi anima tua » (Eccli. 7,23), « quasi fratrem sic eum tracta, quoniam in sanguine animae comparasti illum » (Eccli. 33,31) i. e. ut hominem tibi parem eum acquisivisti. Iniustitiam in servum cum damno heri committi, monet Sapiens : si laeseris eum iniuste, in fugam convertetur; et si discesserit, in qua via quaeres illum (l. c.)? Immo lege praescribitur : non trades servum domino suo qui ad te confugerit (Deut. 23,15), qui scil. ex aliena regione et extero populo ad te confugerit (uti ex sequentibus quoque elucet). Iuribus servorum bene providetur ipsa lege : qui percusserit servum suum vel ancillam virga et mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit; si autem uno die vel duobus supervixerit, non subiacebit poenae, quia pecunia illius est (Ex. 21,20. 21) i. e. suo ipsius damno punitur herus. Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillae et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit (Ex. 21,26); similiter si eis excusserit

dentem (v. 27); qua ratione hic modus servos tractandi quam maxime distat a barbarie quae apud Graecos et Romanos haud raro obtinebat. Dignitatem humanam in servo praeclare agnoscebat Iob quoque : « non contempsi subire iudicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me; numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est » (31,13 ss.)? et insuper agnoscit in iudicio Deum expostulare ut ratio reddatur de modo quo servi habiti sint. Sapiens praecipit : non laedas servum fideliter operantem (Eccli. 7,22). Servos generatim bene esse habitos, concluseris ex eo quoque, quod a nimia benignitate cavendum esse etiam monetur : servus verbis non potest erudiri, quia quod dicis intellegit et respondere contemnit; qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem (Prov. 29,19. 21).

Ceterum ipsa lege statuitur discrimen inter servum iudaeum et alienigenam. Si emeris servum hebraeum, sex annis serviet tibi et septimo egredietur liber gratis cum uxore quam iam antea habuit; si autem herus ei dederit uxorem, haec et filii manent in potestate heri (Ex. 21,2 ss. Deut. 15,12); sed servus non est vacuus dimittendus : dabis viaticum de gregibus et de area et de torculari tuo (Deut. 15,14). Quodsi servus libertate uti non vult sed manere apud herum et uxorem quam ab eo acceperat, eius voluntatis testes sunt adhibendi et auris servi subula perforanda, ut sic publice constet de eius voluntate, eritque servus quamdiu vixerit (Ex. 21,5. 6). Nemo poterat filiam suam alienigenae vendere; Israelitae non tam ut serva, quam ut concubina vendi poterat; si postea herus eam non ut talem adhibere vult, « dimittet eam »; si eam filio suo desponderit, iuxta morem filiarum faciet ei (Ex. 21,7-11). Anno quoque iubilaeo servus hebraeus libertate erat donandus : si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimas servitute famulorum, sed quasi mercenarius et colonus erit; usque ad annum iubilaeum operabitur apud te et postea egredietur cum liberis suis (Lev. 25,39 ss.), quo loco iterum inculcatur : ne affligas eum (servum) per potentiam, sed metuito Deum tuum; mei enim servi sunt et ego eduxi eos de Aegypto; non veneant condicione servorum (l. c. 42. 43). Legem istam de libertate concedenda tempore statuto non esse semper observatam propter avaritiam dominorum, exemplo docemur Ier. 34,9; legem neglectam exsecutioni mandabant; verum mox eos rei bene gestae paenituit, « et reversi estis et commaculastis nomen meum et reduxistis unusquisque servum suum et subiugastis eos »; sceleris poenas dabunt (34,16 ss.).

Servum hebraeum iubentur adhibere non ut servum, sed ut mercenarium; neque eum more servorum alii vendere licebat; sed « servus et ancilla sint vobis de nationibus quae in circuitu vestro sunt et de advenis qui peregrinantur apud vos vel qui ex his nati fuerint in terra vestra; hos habebitis famulos et hereditario iure transmittetis ad posteros ac possidebitis in aeternum » (Lev. 25,40-46). Pro tali itaque non valebat lex iubilaei. Sed si servus ab hero percussus effectus est mutilus, liber erat dimittendus (Ex. 21,26). Circumcisione inserebantur populo israelitico : tam vernaculus quam emptitius circumcidetur (Gen. 17,12); omnis servus emptitius circumcidetur et sic comedet pascha (Ex. 12,44). Quies sabbatina servis quoque erat concedenda (Ex. 20,10; 23,12; Deut. 5,14) et pariter celebritatis dierum festorum erant consortes (cf. Deut. 12, 12. 18; 16,11. 14) et servo sacerdotis licuit quoque de sanctificatis comedere (Lev. 22,11). Quibus etiam patet sortem servorum fuisse satis tolerabilem. Idem exemplis cernitur v. g. in Abraham agendi modo cum Eliezer servo seniore qui reliquis praeerat (Gen. 24,2 ss.) vel in commercio Booz cum servis (Ruth 2, 4. 9). Servum prudentem posse facile dominium in alios sibi acquirere, monetur Prov. 17,2 : servus sapiens dominabitur filiis stultis et inter fratres hereditatem dividet et Eccli. 10,28 : servo sensato liberi servient.

Ut servus hebraeus redimatur, valde commendatur, praesertim si ille paupertate compulsus se advenae vendiderit; qui voluerit, poterit eum redimere et praecipue cognati ad id admonentur : « si au-

tem et ipse potuerit, redimet se » (Lev. 25,47 ss.); anno vero iubilaeo debebit egredi liber cum liberis suis. Eiusmodi redemptiones Nehemias se fecisse testatur : nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Iudaeos qui venditi fuerant gentibus secundum possibilitatem nostram; et vos igitur vendetis fratres vestros et redimemus eos? (Neh. 5,8). Servos fuga se servituti subtraxisse raro refertur (cf. 1 Reg. 25,10; 3 Reg. 2,39).

In novo foedere praecepto caritatis adeo a Christo commendato et participatione eiusdem fidei et sacrorum mysteriorum sors ac dignitas servorum in tuto collocabatur. Nam in Christo Iesu non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber; omnes vos unum estis in Christo (Gal. 3,28) et qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini; quare : servus vocatus es? non sit tibi curae; sed et si potes fieri liber, magis utere (servitute). Unde tantum abest, ut servi admoneantur ad quaerendam omni modo libertatem, ut edoceantur remanere in ea condicione utpote liberti Domini; verum simul monet apostolus heros, eos esse servos Christi (1 Cor. 7,21. 22). Praecavet itaque ne servi sub praetextu nominis ac libertatis christianae condicionem servitutis modo indebito excutere conentur. Ipse servum fugitivum domino remisit, utique cum magna commendatione, ut in gratiam reciperetur (cf. epist. ad Philem.). Iubet servos oboedire dominis ut Christo (Eph. 6,5; Col. 3,22) atque de eadem re scribit ad Timotheum : quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur; quia autem fideles habent dominos, non contemnant quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Haec doce et exhortare (1 Tim. 6,1); cf. Tit. 2,9; 1 Petr. 2,18. Repentinam rerum ac condicionum mutationem non potuisse fieri in aperto est positum; satis erat, ut vera dignitas humana servis vindicaretur et iura convenientia. Demum tota de servitute quaestio reduci potest ad illud Christi : omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis (Matth. 7, 12; Luc. 6,31); unde simul colligitur, quod Tobias docet filium : quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias (Tob. 4,16).

Ceterum servus titulus quoque est honoris. Appellantur enim sancti viri servi Domini atque seipsos eo nomine designant. Ita ait Abraham : ne transeas servum tuum (Gen. 18,3) et Moyses : tu coepisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam (Deut. 3,24); Moyses appellatur servus Domini; Deus ipse vocat eum « servum meum » (Ios. 1,1. 2. 7), eodem titulo honoratur Iosue (Ios. 24,29), David (3 Reg. 3,6; 8,24; Ps. 88,4. 21, etc.), Iob (1,8; 2,3; 42,7. 8), Eliacim (Is. 22,20), Israel, Iacob (Is. 41,8. 9; 44,1), et singulari ratione ipse Messias servus Domini vocatur (Is. 42,1; 49,6 ss.; 52,13 ss.). Eo sensu honorifico etiam Paulus se vocat servum Iesu Christi (Rom. 1,1; Phil. 1, 1; Tit. 1,1) et Iacobus (1,1), Petrus (2 Petr. 1,1), Iudas (1).

Modestiae et urbanitatis causa saepissime qui loquitur se vocat servum eius ad quem loquitur, ita ut pro *ego, mei, me* fere servus tuus, servi tui poni soleat, et pro *tu, tui, te* dominus meus, etc. Ita Iacob ad Esau : parvuli sunt quos Deus donavit servo tuo, ut invenirem gratiam coram domino meo (Gen. 33,5. 8); praecedat dominus meus ante servum suum (33,14); et fratres loquuntur ad Ioseph : servi tui venerunt ut emerent cibos (Gen. 42,10); duodecim servi tui fratres sumus; viri pastores sumus servi tui (Gen. 46,34). Eodem modo loquitur Moyses ad Dominum : ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris linguae sum (Ex. 4,10); et Iosue quaerit : quid dominus meus loquitur ad servum suum? (Ios. 5,15); Gabaonitae loquuntur : de terra longinqua valde venerunt servi tui (Ios. 9,9); Anna precatur ad Dominum : si dederis servae tuae sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius (1 Reg. 1,11) et Samuel ad Dominum : loquere Domine, quia audit servus tuus (1 Reg. 3,9. 11) etc. etc.

I. KNABENBAUER.

SESAC. 1. Sesac (שִׁשַׁק, in pausa שִׁשָׁק, B Σωκήλ, Σωιήκ, A Σωσήκ), prin-

ceps familiae beniaminiticae in Ierusalem (1 Par. 8,14. 25).

2. Sesac (שִׁישַׁק, in pausa שִׁישָׁק, *Kethib* 1[3] Reg. 14,25 שׁוּשַׁק; Σουσακείμ), rex Aegypti, qui Ieroboam a Salomone fugientem secum habuit usque ad mortem Salomonis (3 Reg. 11,40) et contra Roboam regem Iuda cum ingenti exercitu progressus civitates munitissimas in Iuda cepit, Ierusalem diripuit, thesauros templi ac regis et clypeos aureos a Salomone confectos abstulit (3 Reg. 14,25; 2 Par. 12,2. 5. 7. 9). Praeterea LXX (B 3 Reg. 12,24) addunt Ieroboam uxorem duxisse Ano, sororem seniorem uxoris Sesac. Idem est Sesonchis I., rex primus dynastiae XXII. (bubasticae) apud Manethonem. In monumentis aegyptiacis nominatur *Sheshenk*. Expeditio contra Roboam regem Iuda in inscriptionibus non accuratius describitur, sed repraesentatur in muro exteriore australi templi apud *Karnak* imagine, in qua nomina 133 regionum Palaestinae conservata sunt.

Cf. Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XV. 1861, p. 233-250; *Brugsch*, Geogr. Inschr. II. 56 s.; Geschichte Aegypt. p. 661 s.; *Wiedemann*, Aegypt. Geschichte, 1884, p. 542. 548 s.; Aegypt. Zeitschr. 1880, p. 44 ss.

SESACH (שֵׁשַׁךְ, LXX omitt., cod. Marchalianus Σησάχ, Εἰσάκ) est designatio Babylonis (Ier. 25,26; 51,41). Sed quomodo nomen Sesach explicandum sit, ut Babylonem designet, non constat. Est antiqua opinio vocem formatam esse secundum canonem Atbash mutatione litterarum (שׁ = ב, ךְ = ל) pro Babel. Alii alias coniecturas tentarunt. *Calmet* coniecit Sesach esse nomen alicuius numinis babylonici et similiter *H. Rawlinson* deam lunam legi posse *Shishaki* opinatus est (cf. Journal of the Asiatic Society XII. p. 478). *Delitzsch* defendit *Sheshku*, quod in inscriptionibus cuneiformibus legitur, componi posse cum Sesach et significare partem urbis Babylon, fortasse eam quae olim Borsippa dicebatur. *Brunengo* quoque probabilem esse censet opinionem, *Shishku* = Sesach fuisse nomen notum ad designandam urbem Babylonem.

Cf. *Gesenius*, Thesaurus, 1486; *Lauth*, Remarks on the name *Shishku*, in Proc. Soc. Bibl. Arch. 11. Ian. 1881, p. 46-48; *Delitzsch*, Paradies, p. 214. 215; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 108. 109 (ad Ier. 25,26); *Brunengo*, L'Impero di Babilonia e di Ninive II. p. 495. 496; *Knabenbauer* ad Ier. 25,26 et 51,41.

SESAI (שֵׁשַׁי, Σεσσεί et Ios. 15,14 Σουσεί), gigas ex stirpe Enac (Num. 13, 23[22] Vulg. Sisai; Ios. 15,14; Iud. 1,10); v. AHIMAN 1.

SESAN (שֵׁשָׁן, Σωσάν, Σωσάμ), filius Iesi de stirpe Ierameel (1 Par. 2,31. 34), qui filios non habens dedit filiam suam Oholai uxorem servo Aegyptio Ieraa, quorum posteritas numerosa exstitit.

SETH (שֵׁת, Σήθ), filius Adam, quem genuit postquam Abel a Cain occisus est. Quare nominis ratione declaratur eum a Deo donatum esse pro Abel; Adam enim « vocavit eum Seth dicens : posuit (שָׁת) mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain » (Gen. 4,25). Natus est Seth, cum Adam iam esset 130 annorum; Seth 105 annos natus genuit filium Enos (Gen. 5,3. 6); postea vixit per 807 annos genuitque filios et filias et 912 annos natus obiit.

Ab eo descendunt antiqui illi patriarchae, quorum series ab Adam ad diluvium usque texitur Gen. 5 et qui Sethitae vocari solent : Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusala, Lamech, Noe. De varietate numerorum annorumque quae cernitur in textibus traditis (hebraeo, samaritano, graeco) vide s. vv. CHRONOLOGIA, PATRIARCHAE et cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 200 ss.

Ab Adam itaque usque ad Noe et diluvium decem numerantur patriarchae. Idem numerus teste Beroso etiam apud Chaldaeos habetur principum ante diluvium (cf. *Richter*, Berosi Chald. hist. quae supersunt, 1825, p. 29. 52. 53. 55). Nomina ipsa non caruisse significatione, patet cum plura explicite declarentur : ita Adam, Seth, Noe (Gen. 5,29); Enos est idem quod homo (fragilis); difficilius reliqua explicantur : Malaleel laudator Dei? Iared descensus? Henoch de-

dicatio? Mathusala vir iaculi? Lamech robustus?

Aliqua ex istis nominibus etiam leguntur in serie Cainitarum (Gen. 4); ita Henoch et Lamech, et secundum LXX etiam Malaleel et Mathusala (hebr. Vulg. Maviael, Mathusael). Ex quorum nominum cognatione indicari videtur commercium ac connubia exstitisse inter Sethitas et Cainitas (cf. *F. de Hummelauer* l. c. p. 186); Sethitae autem ex Gen. 4, 25 erant populus Iahwe; quare istorum connubiorum effectus et exitus habetur Gen. 6,2 i. e. connubiorum inter filios Dei et filias hominum sequela erat morum corruptio atque diluvium.

SETHAR (שְׁתָר, B Σαρσαθαῖος, A Σαρεσθέος), unus ex septem principibus in aula Assueri regis (Esth. 1,14).

SETHRI (סִתְרִי, B Σεγρεί A Σεθρεί), filius Oziel filii Caath (Ex. 6,22).

SETIM in Vulgata retento nomine hebraico vocantur ligna arboris שִׁטָּה seu acaciae, עֲצֵי שִׁטִּים, quae apud LXX explicantur ξύλα ἄσηπτα, ligna imputribilia. Ex lignis Setim confecta erant arca foederis, mensa panum propositionis, altare holocaustorum et altare thymiamatis, tabulae (asseres) tabernaculi foederis, vectes pro asseribus, vectes ad portanda altaria et mensam sacram, columnae pro velo ante Sanctissimum, columnae pro velo ante Sanctum (Ex. 25, 5. 10. 13. 23. 28; 26, 15. 26. 32. 37; 27,1. 6; 30,1. 5; 35,7. 24; 36,20. 31. 36; 37,1. 4. 10. 15. 25. 28; 38,1. 6; Deut. 10,3), probabiliter etiam columnae atrium tabernaculi cingentes, in quibus cortinae suspendebantur. Ipsa arbor memoratur Is. 41,19 : שִׁטָּה, Vulg. spina, LXX autem πύξος i. e. buxus. Vocem hebraicam interpretantur ex voce aegyptiaca *shnṣt* (postmodum *shonte*) et comparant assyr. *ṣamtu;* cf. Orient. Litteraturzeitung VI. 266 s. 446 s.

In Commentario ad Is. 41,19 S. Hieronymus adnotat : « Est autem genus arboris nascentis in eremo, spinae albae habens similitudinem; unde omnia ligna arcae et tabernaculi facta sunt instrumenta quae appellantur setim : quod lignum imputribile et levissimum omnium lignorum tam in fortitudine quam in nitore soliditatem superat et pulchritudinem » (*Migne* 24,417); et in Commentario ad Ioel 3,18 (de quo loco v. SPINARUM TORRENS) : « Est autem genus arboris in eremo, spinae albae simile, colore et foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores sunt, ut latissima ex illis tabulata caedantur lignumque fortissimum est et incredibilis levitatis et pulchritudinis, ita ut ex his vasa etiam torcularium ditissimi quique et studiosissimi faciant; quae ligna in locis cultis et in romano solo absque Arabiae solitudine non inveniuntur » (*Migne* 25,986; cf. etiam Comm. in Mich. 6,5, *Migne* 25,1208). His descriptionibus correspondet spina aegyptiaca veterum, de qua Herodotus (2,96) scribit : « Naves illorum (Aegyptiorum) onerariae ex spina arbore (ἐκ τῆς ἀκάνθης) confectae sunt, cuius species simillima loto Cyrenaico, lacrima autem gummi est. Ex hac igitur spina caedunt ligna fere bicubitalia, quae laterum in morem componunt ex eisque naves fabricantur ».

Spina aegyptiaca veterum est acacia vera ex ordine Leguminosarum, plane diversa ab arbore, quam nos acaciam vocamus seu a *Robinia Pseudacacia* Linné ex familia Papilionacearum. Acacia vera pertinet ad familiam Mimosacearum seu Mimosoidearum. Distinguuntur *Acacia arabica* Willdenow in Aegypto et Arabia crescens, *A. nilotica* Delile in tota valle Nili culta et subspontanea, sed verisimiliter ex Nubia tropica oriunda, etiam in regione *Wādi Ḥebrān* Arabiae Petraeae habitans, *A. tortilis* Hayne in desertis libycis et arabicis Aegypti et valle Nilotica ad Syenen, in litore aegyptiaco maris Rubri ad *Qoseir* et in Arabia Petraea ad *Wādi Mokatteb* frequens, *A. Seyal* Delile in Nubia, Abyssinia, Arabia Felice.

Cf. *O. Celsius,* Hierobot. I. p. 498-504; *M. Hiller,* Hierophyt. I. p. 426-8; *I. H. Ursinus,* Arboret. bibl. p. 313-9; *E. Boissier,* Flora orient. II. p. 635-6; *Leunis-Frank,* Botanik II. (1885) § 438, n. 4; *Engler-Prantl,* Nat. Pflanzenfam. II. 3, p. 113;

F. Hamilion, Botanique de la Bible, 1871, p. 143-5; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible, 1885, p. 80-82; *I. Loew*, Aram. Pflanzennamen, 1881, p. 197 (n. 148).

SETIM v. ABELSATIM.

SETRAI (*Kethib* שִׁטְרַי, *Qeri* שִׁתְרַי; Ἀσαρταΐς, A Σατραΐ), Saronites a Davide armentis in Saron praepositus (1 Par. 27,29).

SETTIM v. ABELSATIM.

SHOA (שׁוֹעַ, Σουέ, A Σούδ), gens cum Babyloniis et Chaldaeis foedere iuncta contra Iudaeam et Ierusalem (Ez. 23, 23). Vulgata nomen commune *tyrannos* praebet. Coniunguntur Shoa (assyr. *Sutū*) cum Coa (*Qutū*); v. COA.

SIAA (סִיעָהא, Σωήλ Esdr. 2,44; סִיעָא, Ἀσουιά Neh. 7,48[47]), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt.

SIAHA (צִיחָא, LXX omitt., א Σιάλ), princeps Nathinaeorum in Ophel post instaurationem urbis Ierusalem (Neh. 11,21).

SIBA (צִיבָא, 2 Sam. 16,4ª צֵבָא, Σειβά), servus Saulis, qui domino mortuo in potestatem Miphiboseth transiit (2 Reg. 9,2-12). Cum Davidi filium Absalom fugienti alimenta providisset, omnes possessiones heri, quem falso, ut videtur, proditionis incusaverat, praemium consecutus est (16,1-4). Sed postquam Miphiboseth (v. s. v.) regi per triumphum redeunti se purgavit perfidiaeque servum arguit, dimidiam partem restituere debuit (19,17-29).

SIBAN (Esth. 8,9) v. SIVAN.

SIBBOLETH v. SCIBBOLETH.

SICELEG (צִיקְלַג, צִקְלַג; Σεκελάκ, Σικελάκ, Σικελάγ), urbs in extremo meridie (Negeb) Iuda (Ios. 15,31), tribui Simeon assignata (Ios. 19,5; 1 Par. 4,30). Actate Saulis in possessione Philisthaeorum erat et ab Achis rege Geth Davidi concessa est (1 Reg. 27,6); illuc multi viri fortissimi ad Davidem confluxerunt ex tribubus Iuda, Beniamin, Gad, Manasse (1 Par. 12,1. 20).

Eorum ope David contra meridiem excurrens multas praedas egit de gentibus Iudaeorum inimicis, de Gessuri, Gerzi, Amalecitis (cf. 1 Reg. 27,8 ss.; 1 Par. 12,21); cum autem eo absente Amalecitae Siceleg cepissent et succendissent, David eos persequens percussit et in Siceleg reversus de praeda Amalecitarum senioribus Iuda, amicis suis, dona misit (1 Reg. 30,1. 14. 26). Tertia die post reditum in Siceleg nuntius ei allatus est de morte Saulis (2 Reg. 1,1; 4,10), qua de re consulto Domino Hebronem ascendit (cf. 2,1); regnum autem adeptus vicum Siceleg, quod eum dilexerit, pro privata sua possessione habuit eiusque similiter posteri, prout refert Flav. Iosephus (Ant. VI. 13,10). Post exsilium a filiis Iuda incolebatur (Neh. 11,28). — A nonnullis agnoscebatur *ʿAṣlūdj* in *Wādi ʿAṣlūdj* 20 km a meridie Bersabee, ab aliis *Tell el-Ḥasī* inter Gazam et Eleutheropolim (cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 2), ab aliis denique *Khirbet Zuheiliqa* 15 km infra *Tell el-Ḥasī* et 6 km supra *Wādi el-Sherīʿa*, quem torrentem Besor (vide s. v.) esse coniiciunt (*Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3).

SICERA (שֵׁכָר, τὸ σίκερα), temetum sensu generali i. e. vel vinum vel omnis potio inebrians. Unde Num. 28,7 sicera pro vino (cf. Ex. 29,40) ponitur et in Vulgata redditur vinum. Principes et iudices Is. 5,22 ironice dicuntur fortes ad miscendam siceram (hebr.) i. e. ad vina variis aromatibus condienda, quibus reddantur suaviora. Aliis vero locis una nominantur ac distinguuntur vinum et sicera : Lev. 10,9; Num. 6,3; Deut. 14,26; 29,6[5]; Iud. 13,4. 7. 14 (LXX μέθυσμα); Luc. 1,15 atque in libris poeticis et propheticis parallela ponuntur : Prov. 20,1; 31,6 (his ll. μέθη); Is. 5,11; 24,9; 28,7 (h. l. bis σίκερα, semel μέθη); 29,9; 56,12 (LXX omitt.); Mich. 2,11 (μέθυσμα). In Vulgata compluribus locis pro sicera legitur : omne quod inebriare potest, potio, ebrietas. S. Hieronymus in ep. 52 ad Nepot. (*Migne* 22,536-7) vocem explicat : « Sicera hebraeo sermone omnis potio nuncupatur, quae inebriare potest, sive illa quae frumento conficitur sive pomorum succo aut cum favi decoquuntur in dulcem et barba-

ram potionem aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem coctisque frugibus aqua pinguior coloratur (colatur?) »; cf. etiam S. Hieron. ad Is. 28,7 (*Migne* 24,317). De voce שכר, quae assyr. *shikaru* audit et in aegyptiacam quoque linguam transiit, cf. *Lagarde*, Mittheil. 2,357; *M. Müller*, Asien u. Europa, 1893, p. 102; *I. Loew*, Aram. Pflanzennamen, 1881, p. 125 (n. 78).

SICHAR (codd. Amiat. et Fuld. Sychar; Σιχάρ, Συχάρ) legitur Io. 4,5 : « Venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar : iuxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo ». Ibidem erat fons Iacob (4,6. 12), qui describitur puteus altus (4,11) extra civitatem (4,5. 8. 28. 30). Puteus ille hodieque exstat dimidiae horae itinere a *Nābulus* orientem versus ibi fere, ubi vallis frugifera (cf. 4,35) inter montes Hebal et Garizim in planitiem *el-Makhna* desinit, iuxta viam quae Hierosolymis septemtrionem versus ducit; a puteo septem fere minutis orientem versus ostenditur sepulcrum Ioseph patriarchae (cf. Ios. 24,32; Act. 7,16) atque inde via leniter ascendit ad vicum *el-ʿAskar*, qui ab ipso puteo conspicitur. Hunc vicum *el-ʿAskar* esse Sichar, cum magna probabilitate ostendit *I. K. Zenner* S. I. (Zeitschrift für kath. Theologie XIII. 1889, p. 397-400); negat quidem vocem aramaicam Sichar in vocem arabicam *ʿAskar* (עסכר) persicae originis transiisse, sed vocem Sichar (סחר) interpretatur forum nundinarium, forum in quo mercatus habetur; atque revera Sichimitis in angusta valle montana inclusis mercatus habendi erant orientem versus a Sichem, circa vicum *el-ʿAskar* et puteum Iacob vel etiam in ipsa planitie *el-Makhna*; ipsa nomina *Makhna* = castra, *el-ʿAskar* = exercitus, Sichar = forum nundinarium innuunt maiores hominum conventus. Insuper vix credibile est mulierem Samaritanam hora meridiana ex urbe Sichem fontibus ditissima ad istum puteum exiisse, ut aquam hauriret; neque enim ob reverentiam patriarchae Iacob illuc ivisse censenda est, cum statim aliam aquam acceptare parata sit, ne huc venire cogatur (Is. 4,15). Adverte denique hodiernam urbem *Nābulus* non eousque orientem versus protendere, quo Sichem antiqua (v. SICHEM et cf. *Guérin*, Samarie I. p. 401). Possumus itaque admittere Sichar proprie quidem fuisse istud forum nundinarium, deinde novis aedificiis accedentibus fuisse partem urbis Sichem, denique etiam communiore nomine Sichem comprehendi potuisse.

Quibus admissis assertum S. Hieronymi Sichar esse ipsam Sichem cum assertis aliorum testium, qui Sichar a Sichem distinguunt, conciliari poterit. Dicit S. Hieronymus (Peregrinatio S. Paulae 16; apud *Tobler et Molinier*, Itinera latina I. p. 37) : « Transivit Sichem, non ut plerique errantes legunt Sichar, quae nunc Neapolis appellatur et ex latere montis Garizim exstructam circa puteum Iacob intravit ecclesiam ». *Eusebius*, Onom. *ed. Lag.* 297,26 Sichar a Sichem distinguit, quem locum S. Hieronymus vertit addita mentione ecclesiae (l. c. 154,31) : « Sichar ante Neapolim iuxta agrum, quem dedit Iacob filio suo Ioseph, in quo Dominus noster atque Salvator, secundum evangelium Ioannis, Samaritanae mulieri ad puteum loquitur, ubi nunc ecclesia fabricata est ». Quam maxime perspicua est descriptio loci in Itinerario Burdigalensi : « Ad pedem montis ipsius (Garizim) locus est, cui nomen est Sichem. Ibi est monumentum, ubi positus est Ioseph in villa, quam dedit ei Iacob pater eius.... Inde passus mille locus est, cui nomen Sichar, unde descendit mulier samaritana ad eundem locum, ubi Iacob puteum fodit » (*Tobler et Molinier*, Itinera latina I. p. 16). Ecclesia illa, cuius post S. Hieronymum multi alii (S. *Antoninus* [Anonymus], *Arculphus*, *Willibaldus* etc.) mentionem faciunt, constructa esse censetur saeculo quarto, aetate bellorum inter Christianos et Sarracenos destructa, saeculo 12. a Latinis denuo erecta, sed iam anno 1187 iterum destructa post famosam pugnam apud *Haṭṭīn*, qua regnum latinum hierosolymitanum interiit. Ruinae hodie apud puteum cernuntur tum basilicae antiquioris tum ecclesiae iunioris. Cf. *Guérin*, Samarie I. p. 376-382; *M. Hagen*,

Atlas biblicus, 1907, Tab. 12 D 3 cum tabella : Sichem.

SICHEM. 1. Sichem, Sichima (שְׁכֶם i. e. humerus; Συχέμ, τὰ Σίκιμα, τὰ Σήκιμα, ἡ Σίκιμα), urbs in montanis Ephraim inter montes Hebal et Garizim. Abraham ab Haran migravit usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem (Vulg.) i. e. usque ad quercum Moreh ibique altare Domino aedificavit (Gen. 12,6 ss.), quo tempore Chananaei eam regionem obtinebant. Iacob de Mesopotamia Syriae redux iuxta Sichem habitavit emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor Hevaei (Gen. 33,18 ss.), quam postea filio suo Ioseph in possessionem tradidit (Ios. 24,32; Io. 4,5); ad id tempus referuntur violenta oppressio Dinae filiae Iacob, nex Hemor eiusque filii Sichem, depopulatio urbis Sichem (Gen. 34). Antequam de Sichimis in Bethel migraret, Iacob convocata domo sua deos alienos, quos habebant in manibus, et inaures, quae erant in auribus eorum, utpote res superstitiosas collegit et infodit subter terebinthum (melius: quercum), quae est post urbem Sichem (Gen. 35,2-4). Cum Iacob in Hebron moraretur, eius filii greges pascebant prope Sichem et in Dothain Ioseph fratrem Ismaelitis vendiderunt (Gen. 37,12 ss.). Post ingressum in terram promissam de montibus Garizim et Hebal, qui amoenissima valle Sichem seiunguntur, benedictio in fideles Legis custodes, maledictio in impios pronuntiata est (cf. Deut. 11,29; 27,12. 13; Ios. 8,33). Sichem sita erat in termino septemtrionali tribus Ephraim (Ios. 17, 7; 1 Par. 7,28), levitis de genere Caath concessa et urbs refugii (Ios. 20,7; 21, 21; 1 Par. 6,67[52]). Iosue morti proximus omnes tribus in Sichem congregavit iisque ultima praecepta dedit (Ios. 24,1. 25). Gedeone defuncto Abimelech eius filius a Sichimitis rex proclamatus est, sed post regnum trium annorum Sichimitis in rebellionem prorumpentibus eorum urbem destruxit et arcem Mello igne succendit (Iud. 8,31; 9,1 ss. et v. ABIMELECH 3). Sine dubio haud multo post restituta est. Etenim Salomone mortuo omnis Israel in Sichem congregatus erat (3 Reg. 12, 1; 2 Par. 10,1) et ibidem Ieroboam I. sedem regni Israel pro aliquo tempore fixit eamque munivit (12,25). Praeterea v. Iud. 21, 19; Ps. 59,8; 107,8; Eccli. 50,28 : stultus populus, qui habitat in Sichimis; Ier. 41,5; Os. 6,9; Act. 7,16.

Narrat Flav. Iosephus (τὴν Σίκειμαν *ed. Niese*) fuisse caput regionis Samaritanorum (Ant. XI. 8,6) eamque a Ioanne Hyrcano expugnatam esse (Ant. XIII. 9,1; Bell. iud. I. 2,6). Fata urbis circa initium aerae christianae nobis non innotescunt. Multi coniiciunt eam in bello iudaico destructam esse. Tempore Vespasiani in Samaria condita est Flavia Neapolis (*De Saulcy,* Numismatique de la Terre Sainte, p. 244-274, planches XII-XIV.) in loco oppidi, quod antea Mabortha vel Mamortha vocabatur, immediate prope Sichem, unde Neapolis et Sichem velut eiusdem urbis nomina usurpantur. Cf. *Flav. Ioseph.* Bell. iud. IV. 8,1 : Neapolis quae vocatur, Mabortha (*ed. Dindorf,* sed Μαβαρθά *ed. Niese*) vero ab indigenis; *Plinius* V. 13, 69 : Neapolis quod antea Mamortha dicebatur; Onom. (*ed. Lag.* 290,56; 148, 20): Sichem... civitas Iacob nunc deserta; ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos; cf. l. c. 274,5 et 135, 14 : Luza.... iuxta Sichem in tertio lapide Neapoleos (*Eusebius :* in nono lapide!); S. *Hieron.* Peregrinatio S. Paulae 16 : Transivit Sichem..... quae nunc Neapolis appellatur. — Nomen oppidi Mabortha explicatur *transitus, saltus,* quod sane maxime convenit urbi inter montes Hebal et Garizim sitae in iugo seu humero montano, a quo descensus fiebat tum ad mare Mediterraneum tum ad Iordanis depressionem. Neapolis inter urbes egregias Palaestinae recensebatur ab *Ammiano Marcellino* (XIV. 8,11); hodie vocatur *Nābulus,* 570 m supra mare sita, ad meridiem respiciens montem Garizim, ad aquilonem montem Hebal, quem situm *Flav. Iosephus* urbi Sichem assignat (Ant. IV. 8,44) in valle maxime frugifera et fontibus ditissima.

Cf. *Reland,* Palaestina, p. 1004-1010; *Ritter,* Erdkunde XVI. p. 637-658; *Guérin,* Samarie I. 390-424; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 203-210; *G. Ebers* u. *H. Guthe,*

Palaestina in Bild u. Wort I. (1883), p. 255 ss.; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. IV. Koen. 1904, p. 198-201; *Er. Nagl*, Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 185.

2. Sichem (שְׁכֶם, Συχέμ), filius Hemor Hevaei, principis urbis Sichem et regionis eius (Gen. 33,19; 34,2 ss.; Ios. 24,32; Iud. 9,28; vide s. v. HEMOR). Quaeritur, num a Sichem filio Hemor urbs Sichem nomen habeat. Id affirmari nequit; poterat idem nomen Sichem etiam uni vel compluribus inter maiores Hemor obtingere. Hoc forte suadetur Act. 7,16 : « in sepulcro quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem ». In hoc textu difficultatem parit, quod Abraham, non Iacob agrum prope Sichem emisse dicatur. Aliqui interpretes admittunt S. Stephanum haec in oratione sua proferentem memoria lapsum esse et monent eum dici quidem plenum Spiritu S,, neque tamen *ut loquentem*. Alii mendum in textu subesse coniiciunt; sed haec coniectura in textibus et versionibus nullum fundamentum habet. Alii putant S. Stephanum ex traditione orali hausisse et Abraham non solum apud Hebron (Gen. 23,9-16), sed etiam apud Sichem agrum emisse scil. a filiis alterius Hemor filii Sichem; indicium quoddam in eo deprehendunt, quod Abram Gen. 12,6. 7 usque ad locum Sichem pertransierit ibique altare Domino aedificaverit (cf. *Felten* ad Act. 7,16). Bene advertit *Knabenbauer* ad Act. 7,16 : « Iam in aliena possessione altare aedificare non potuit (Abram); ut altare a profanatione tutum redderet, debuit agrum emere ». Hac explicatione admissa duo Hemor et duo Sichem distinguendi sunt; saltem duo Sichem distinguendi sunt, si Act. 7,16 ita emendandum est, ut nomen Iacob pro Abraham legatur.

SICLUS v. MENSURAE et PECUNIA.

SICYON (Σικυών) recensetur 1 Mach. 15,23 inter urbes ac regiones, quibus Romani anno 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur. Sita erat in litore septemtrionali Peloponnesi a Corintho occidentem versus. Cf. *Barclay V. Head*, Hist. Num. 1887, p. 345-7.

SIDDIM vallis (עֵמֶק הַשִּׂדִּים, ἡ φάραγξ ἡ ἁλυκή, ἡ κοιλὰς ἡ ἁλυκή, Vulg. Vallis silvestris) est illa planities, in qua urbes Pentapoleos Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, Bala seu Segor sitae erant (Gen. 14,3. 8. 10). De etymo variae erant coniecturae. Vulgata et Ps. Ionathan interpretantur vallem hortis amoenis consitam seu silvestrem, Aquila, Onkelos, Samar., Saadia vallem campestrem; LXX, Symmachus, Theodotio (si apud hunc praeferatur lectio κοιλὰς τῶν ἁλσῶν prae altera ἀκτῶν) vallem salsam. *Gesenius* (Thesaurus, p. 1321) non dubitat quin Siddim idem sit quod terra depressa (*Wādî*) saxis petrisque impleta, quae transitum difficilem reddunt, ut vallis Siddim sit planities secta alveis lapidosis. Sed animadvertit *F. de Hummelauer* (Comment. in Gen. p. 377) perquam dubium esse nomina tum regum Pentapoleos tum vallis Siddim derivanda esse e lingua semitica, cum secundum Gen. 10,19 quattuor Pentapoleos urbes certe non fuerint chananaeae.

Ubinam vallis Siddim fuerit, generali aliquo modo determinari potest ex situ Sodomae et Segor; erat autem Sodoma prope montem Salis (*Djebel Usdum*) inter meridiem et occidentem a mari Mortuo inferiore, Segor in *Ghōr el-Ṣāfiye* inter meridiem et orientem a mari Mortuo inferiore. Iamvero maris Mortui duae discernuntur partes paeninsula *el-Lisān* ab oriente protrusa distinctae; quarum illa ad septemtrionem sita aquas habet altissimas (usque ad 399 m), altera meridiana ubique vado traiici potest. Utrum haec pars meridiana Abrahae tempore an diu ante aquis fuerit mersa, non constat; illud vero ex stratis indubie constat mare Mortuum diu ante creatum hominem exstitisse neque unquam ultra illud Iordanem effusum esse in ipsum sinum Aelaniticum, ut aliqui supposuerant. Hinc duae se offerunt de catastrophe Sodomae et Gomorrhae (Gen. 19) explicationes. Altera censet sola eruptione vulcanica urbes Pentapoleos (excepta Segor) esse oppressas, mari Mortuo pristinos fines fere servante; in hac suppositione vallis Siddim erit regio palustris *el-Ghōr* infimo mari Mortuo adia-

cens, hodie *el-Sebkha* appellata, quae meridiem versus per modum semicirculi cingitur a scopulis albidis cretaceis, quibus a valle *el-ʿAraba* inde usque ad mare Rubrum protensa separatur. Altera explicatio una cum eruptione vulcanica censet vallem esse concussam atque aquis submersam, ut vallis Siddim ibi potissimum ante floruerit, ubi nunc est pars maris Mortui australis; atque huic explicationi magis favet Gen. 14,3 : omnes hi convenerunt in vallem silvestrem, quae nunc est mare salis. Ita fere eventum Gen. 19 exponit *F. de Hummelauer* in Comment. p. 416.

Eadem vallis Gen. 13,10 et 19,17. 25. 28. 29 appellatur circulus Iordanis (כִּכַּר הַיַּרְדֵּן) seu brevius circulus (הַכִּכָּר); quo termino generatim esignatur tractus in utraque Iordanis ripa a lacu Genesareth usque ad extremum mare Mortuum et speciatim regio prope ostia Iordanis atque locis citatis regio Pentapoleos.

Vallis Siddim habebat puteos multos bituminis (Gen. 14,10), in quos Pentapolitae a Chodorlahomor devicti et in fuga praecipites haud pauci inciderunt.

SIDE (Σίδη) recensetur 1 Mach. 15, 23 inter urbes ac regiones, quibus Romani anno 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur. Erat urbs Pamphyliae cum portu, ad sinum Chelidonicum sita, colonia aeolica Cumaeorum (*Strabo* XIV. 2,3; 4,2; *Scylax*, Periplus n. 101). Cf. *W. M. Ramsay*, Hist. Geogr. of Asia Minor, 1890, p. 415 s.; *Barclay V. Head*, Hist. Num. 1887, p. 585-7.

SIDON (צִיְדוֹן, צִידֹן, Σιδών), primogenitus Chanaan (Gen. 10,15; 1 Par. 1, 13), progenitor Sidoniorum; v. artic. seq.

SIDON, SIDONIA, SIDONII. Sidon (צִיְדוֹן, צִידֹן, Σιδών, phoen. צדן, assyr. *Ṣīdūnu*), urbs fuit Phoeniciae maritima antiquissima, iam in carminibus Homeri epistulisque *Tell-el-ʿAmarnensibus* quae vocantur celebris. Antiquitus ita caput totius regionis populique fuit, ut sicut a Roma Romani ita Phoenices a Sidone Sidonii vocarentur (Il. 6,290; Od. 4,618; Ov. Fasti 3,108). In S. Scriptura compluries nomen Sidonis et Sidoniorum per ipsum contextum ad urbem eiusque incolas restringitur; cf. Gen. 10,19; Iud. 1,31; 2 Sam. 24,6; 3 Reg. 17,9 coll. Luc. 4,26; Is. 23,2. 4. 12; Ez. 28,21 s. Saepius vero nomen Sidonis et Sidoniorum etiam Phoenicen et Phoenices generatim designat; v. s. v. PHOENICE.

Usque ad Sidonem pertingebat territorium tribus Aser (Ios. 19,28); quae cum Sidonios non exterminaret (Iudic. 1,31), Sidonii Israelitis (ib. 2,3; 3,3; 10,6) atque ipsi Salomoni scandalo fuerunt (3 Reg. 11,5; 4 Reg. 23,13). Propter pravitatem eorum cuius etiam Christus mentionem obiter facit (Matt. 11,21; Luc. 10,3), Dominus per prophetas iis poenas praedicit (Is. 23; Ier. 25,22; 27,3; 47,4; Ez. 28, 21; Ioel 3,4; Zach. 9,2). Saepe ac fere formulae instar nomina « Tyrus et Sidon » copulantur in utroque Testamento (Ioel 3,4; Zach. 9,2; Matth. 11,21 al.). — Sidonia vocatur regio Sidoniorum (Luc. 4,26).

Ab ipsa Sidone deducti sunt coloni Tyrum, Carthaginem, alio. Paulatim Tyrii Sidoniis potientiores evaserunt (v. TYRUS). Circa annum 678 ante Chr. Sidon urbs insularis ab Asarhaddon rege Assyriorum destructa et in terra continente reaedificata est. Deinde ex ordine Babylonios, Persas, Graecos, Aegyptios Syriosque reges dominos agnovit. Tandem Romanorum imperio subiecta est. Antequam a Muhamedanis occuparetur, fuit sedes episcopalis. Civitatem hodiernam *Ṣaidā* fere 12 milia hominum incolunt.

Cf. *Zimmern-Winckler*, Die Keilinschr. u. d. Alte Test. 1903, p. 88. 127 ss.; *H. Winckler*, Alttest. Untersuch. 1892, p. 111 ss.; *H. Prutz*, Aus Phoenizien, 1876, p. 98 ss.; *Barclay V. Head*, Hist. Num. 1887, p. 670-673.

SIDRACH (שַׁדְרַךְ, Σεδράχ), nomen babylonicum Ananiae, socio Danielis, in Babylonia impositum (Dan. 1,7; 2,19; 3, 12 ss.); v. ANANIAS 5.

SIGILLUM, SIGNACULUM (σφραγίς). Sigillum per se dicit parvum signum, parvam figuram; adhibetur in Vulg. pro graeco σφραγίς, Apoc. 5,1; 6, 1 etc. et quidem de sigillo quod libro

imponitur, quo volumen clauditur, obsignatur, ita ut evolvi seu legi nequeat nisi sigillo soluto seu aperto.

Signaculum v. s. v. ANNULUS signatorius. Adhibetur quoque pro inscriptione sigillo impressa; cf. Eccli. 38,28; pro forma quae usurpatur ad res claudendas, obsignandas, ita ut eas a nullo esse apertas constare possit; ita Dan. 14,16: salvane sunt signacula? Ponitur pro documento quo quid confirmatur et comprobatur; v. g. signaculum iustitiae fidei dicitur signum circumcisionis in Abraham (Rom. 4,11); simili modo dicit apostolus : signaculum apostolatus mei vos estis in Domino (1 Cor. 9,2); i. e. me esse vere apostolum Deus quasi sigillo apposito et annulo suo signatorio comprobavit in vestra conversione.

SIGNUM (σημεῖον) generatim id est cuius ope in cognitionem alicuius rei vel personae ducimur; ita arcus in nubibus dicitur signum foederis quod Deus dat inter se et homines (Gen. 9,12. 13. 17), i. e. arcu illo apparente significatur id quod Deus ea nota homines docere voluit; eo viso monentur de Dei pacto : nequaquam ultra interficietur omnis caro (Gen. 9,11). Similiter vocatur circumcisio signum foederis inter me et vos (Gen. 17,11); et pari modo apostolus vocat signa apostolatus sui (2 Cor. 12,12) illa documenta et notas, quibus demonstratum est ipsum esse apostolum, et si Christus vocatur signum cui contradicetur (Luc. 2, 34), annuntiatur tamquam is qui a nullo possit ignorari, qui omnibus conspicuus proponatur. Saepe exprimit signum id quo quid futurum annuntiatur et quod nunc exhibetur et donatur tamquam documentum quasi et pignus rei futurae certo eventurae. Ita Deus Moysi dicit : hoc habebis signum quod miserim te : cum eduxeris populum meum ex Aegypto, immolabis Deo super montem istum (Ex. 3,12). Et Iesum discipuli interrogant : quod erit signum adventus tui et consummationis saeculorum? (Matth. 24,3; Marc. 13,4; Luc. 21,7). Frequenter signum adhibetur notione portenti, miraculi. Vide s. v. MIRACULUM.

SIHA (צִיחָא), Nathinaeus cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,43, Σουθιά; Neh. 7,47 [46], Σηά).

SIHOR (Ios. 19,26) v. LABANATH.

SIHOR AEGYPTI (שִׁיחוֹר מִצְרַיִם, LXX ἀπὸ ὁρίων Αἰγύπτου) ponitur 1 Par. 13, 5 terminus australis Palaestinae in oppositione ad introitum Emath, terminum septemtrionalem. Shikhor (Is. 23,3 שִׁחֹר; Ier. 2,18 שִׁחוֹר) est nomen proprium Nili fluvii. Sed 1 Par. 13,5 potius intellegendus est rivus Aegypti (נַחַל מִצְרַיִם), postmodum Rhinocorura dictus, hodie *Wādi el-ʿArīsh*, qui etiam Ios. 13,3 hebr. vocatur « Shikhor, qui est ante facies Aegypti »; v. TORRENS AEGYPTI. Sunt tamen qui putent 1 Par. 13,5 et Ios. 13, 3 designari partem vel canalem Nili inferioris maxime orientalem.

SILAS (Σίλας), unus ex viris primis inter fratres ecclesiae hierosolymitanae, ab Apostolis una cum Iuda Barsaba Antiochiam missus, ut decretum concilii apostolici deferret (Act. 15,22-34), a Paulo socius secundi itineris apostolici electus (15,40). Cum S. Paulo igitur Asiam Minorem peragravit, ecclesias macedonicas fundavit, Philippis carcerem et flagella perpessus est, Beroeae a Paulo relictus est, ut cum Timotheo neophytos consolaretur, et paucis mensibus post cum eodem Timotheo Corinthi se iterum Paulo adiunxit (16,19 ss.; 17,4 ss.; 18,5). Idem est qui in epistulis S. Pauli Silvanus (Σιλουανός) appellatur, quem S. Paulus auctorem secundarium epistularum ad Thessalonicenses adhibuit (1, 2 Thess. 1,1) et cooperarium suum Corinthi fuisse 2 Cor. 1,19 in memoriam revocat. « Probabile est eum epistulam ad Galatas detulisse et ecclesiis Asiae Minoris eadem ratione a Paulo esse praepositum, qua Titus cretensibus, Timotheus ecclesiis provinciae Asiae posthac praefecti sunt. Revera S. Petrus in priore sua epistula, quae ecclesiis Asiae Minoris destinata est, eum ita nominat (1 Petr. 5,12), ut auctoritatem magnam inter asiaticos neophytos habuisse videatur « (*Cornely* ad 2 Cor. 1,19 in nota).

SILIQUAE (κεράτια), fructus arboris ceratoniae, quibus filius prodigus saturari cupiebat Luc. 15,16. *Ceratonia siliqua* Linné in Palaestina passim invenitur, attingit altitudinem 10 m et etiam ramorum diametrum 10 m; fructus arboris in modum cornuum curvatus (κεράτιον, corniculum) et valvulis inclusus longitudinem 15-30 cm et latitudinem 2-3 cm habet. Siliquae dulces sunt pabulum animalium, alimentum pauperum et inter medicamina *involventia* recensentur. Creveritne Ceratonia etiam in Aegypto, inter recentiores auctores non convenit. Indigena est in regione mediterranea orientali. Apud Graecos κερατεία vel κερωνία, κερατωνία vocabatur arbor, apud Latinos siliqua, siliqua graeca tam arbor quam fructus, apud Arabes arbor *takharrūt*, fructus *kharrūb*, unde nomina moderna hispan. *garrobo*, *algarrobo*, portug. *alfarroba*, ital. *carrobo*, *carruba*, gall. *caroube*, *carouge*. Secundum traditionem Christianorum S. Ioannes Baptista in deserto siliquis Ceratoniae vescebatur, unde medio aevo exorta sunt nomina *Pain de S. Jean*, *Iohannisbrot*, *Iohannisbrotbaum*.

Cf. *G. E. Post*, Flora of Syria, 1896, p. 297; *Leunis-Frank*, Botanik II. (1885) § 437 n. 5 et I. (1883) § 362, p. 882; *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées, 1883, p. 268-270; *F. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aegypten, 1886, p. 344-6; *V. Hehn*, Kulturpflanzen u. Hausthiere, 1894, p. 440-444; *H. O. Lenz*, Botanik der alten Griechen u. Römer, 1859, p. 733; *V. Loret*, Flore pharaonique, 1892, p. 87-89, n. 146.

SILO (שִׁילֹה, שִׁלֹה, plerumque שִׁלֹה, fortasse abbreviatum ex שִׁילֹנִי; Σηλώ, Σηλώμ, apud *Flav. Ios.* Ant. V. 1,19 κατὰ Σιλοῦν, 10,2 Σιλώ), urbs in tribu Ephraim « sita ad septemtrionem urbis Bethel et ad orientalem plagam viae, quae de Bethel tendit ad Sichimam et ad meridiem oppidi Lebona » (Iud. 21,19). Silunte erat tabernaculum testimonii (Ios. 18,1) seu domus Dei (Iud. 18,31) in diebus Iosue (Ios. 18,8 ss.; 19,51; 21,2; 22,9. 12) et aetate Iudicum (Iud. 20,18; 21,2 ss.) usque ad tempus Heli pontificis (1 Reg. 1,3. 9. 24; 2,14; 4,3. 4. 12; 14,3) et Samuelis, cui puero revelatus est Dominus in Silo (1 Reg. 3,21; 3 Reg. 2,27). Silunte oriundus erat et habitabat Ahias propheta tempore Salomonis et Ieroboam I. (3 Reg. 11,29; 12,15; 14,2. 4; 15, 29; 2 Par. 9,29; 10,15). Tabernaculum in Silo a Deo esse repulsum enuntiatur Ps. 77[78],60 ss.; Ier. 7,12. 14; 26,6. 9; quibus locis satisfactum est abolitione tabernaculi illius siluntini; oppidum tempore Ieremiae iacuisse dirutum ex locis citatis non efficitur. — Commemorantur denique Ier. 41,5 octoginta viri de Sichem et de Silo et de Samaria profecti, ut in Ierusalem dona sua offerrent; quodsi pro Silo cum LXX Σαλήμ legendum est, ad h. l. referendus videtur viculus *Salim* orientem versus a Sichem (*Nābulus*), de quo s. v. SALEM 2 et 3 diximus.

Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 293,42; 152,1) ponunt Silo « in tribu Ephraim... in decimo (*Euseb.* 12) miliario Neapoleos in regione Acrabbitena ». Insuper testatur S. Hieronymus in Comment. in Soph. 1,15 ss. (*Migne* 25,1353-1354) : « Vix ruinarum parva vestigia in magnis quondam urbibus cernimus. Silo ubi tabernaculum et arca testamenti Domini fuit, vix altaris fundamenta monstrantur » et in Peregrinatione S. Paulae (apud *Tobler et Molinier*, Itinera hieros. I. p. 37) : « Quid narrem Silo, in qua altare dirutum hodieque monstratur? « (cf. in Ier. 7,12; *Migne* 24, 731).

Hodie *Seilūn* inter *Beitīn* (Bethel) et *Nābulus* (Sichem) orientem versus a via.

Cf. *Ishak Chelo*, Les chemins de Jérusalem apud *Carmoly*, Itinéraires de la terre Sainte, 1847, p. 251; *Robinson*, Palaestina III. p. 303 ss.; *Guérin*, Samarie II. 21-27; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 299. 367-370; *Fahrngruber*, Nach Ierusalem, 1890, II. p. 143. 144; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui, 1899, II. 507 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte, 1897, III. 25 s.; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. IV. Koen. 1904, p. 23-25; *Er. Nagl*, Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 185.

SILOE, fons et piscina in parte austro-orientali urbis Ierusalem. Siloe nominantur Is. 8,6 aquae (מֵי הַשִּׁלֹחַ, τὸ ὕδωρ τοῦ Σιλωάμ), quae vadunt cum

silentio; etenim ad radices montis Sion et Moria fluentes adumbrant indolem theocratiae a fastu et tumultu mundano alienam, humilitatem, tranquillitatem, abundantiam bonorum spiritualium. Eodem nomine appellatur Neh. 3,15 piscina Siloe (LXX κολυμβήθρα τῶν κωδίων seu piscina pellium ovillarum), quae describitur fuisse apud hortum regis et prope gradus descendentes de civitate David. Eadem piscina est Io. 9,7. 11 natatoria Siloe, ἡ κολυμβήθρα τοῦ Σιλωάμ, ὃ ἑρμηνεύεται Ἀπεσταλμένος i. e. Missus. Lotione in natatoria Siloe caecus natus visum recipit, postquam Missum adiit; unde nomine ipso innuitur verus ille Missus, beneficii largitor; quae symbolica ratio eo facilius agnosci potest, quia in tabernaculorum festo (v. s. v.) sollemni pompa aqua hauriebatur ex fonte Siloe; cf. Io. 7,37 et v. *Knabenbauer* ad Io. 7,37; 9, 7. Haud procul a piscina erat Luc. 13,4 turris in Siloe (ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ), probabiliter turris aliquis in vicino muro civitatis.

Cum locis biblicis conferendus est modus loquendi apud Flav. Iosephum, Bell. iud. V. 4,1 : μέχρι Σιλωᾶς, οὕτω γὰρ τὴν πηγὴν γλυκεῖάν τε καὶ πολλὴν οὖσαν ἐκαλοῦμεν, V. 4,2 : ἡ Σιλωὰ πηγή, brevius V. 9,4; 6,1; VI. 8,5 : ἡ Σιλωά, vel V. 12, 2 : ἡ Σιλωάμ et II. 16,2; VI. 7,2 : ὁ Σιλωᾶς scil. χῶρος. Unde colligitur nomen imprimis fonti, deinde etiam systemati aquarum deductarum et regioni inditum fuisse.

Hodie *'Ain Silwān* vocatur ostium australe illius canalis subterranei, qui a fonte Dominae Mariae (*'Ain Sitti Maryam*) seu fonte graduum (*'Ain Umm el-daradj*) extra murum antiquum decurrens, deinde sub muro urbem intrans deducitur usque ad piscinam (superiorem) Siloe 16 m longam, 5,6 m latam. In latere orientali circa 6 m ab ostio australi canalis subterranei anno 1880 reperta est inscriptio hebraica, quae sex lineis inaequalibus constat et breviter refert, quomodo hic canalis 1200 cubitorum e rupe excisus sit. Ex comparatione longitudinis 1200 cubitorum (in linea quinta inscriptionis) et 537,60 m (iuxta mensurationem *Reginaldi Conder*) commendari videtur, quod aliunde s. v. MENSURAE statuimus, cubitum vulgare = 0,45 m fuisse. Distinguenda est piscina Siloe superior, quam incolae vici vicini (*Kefr Silwān* ad orientem torrentis Cedron) simpliciter piscinam (*el-birke*) vocare solent, a piscina inferiore (*Birket el-Ḥamrā* seu piscina rubra), in quam ducebat canalis apertus, antiquior et brevior ab eodem fonte Dominae Mariae. Cf. *M. Hagen*, Atlas biblicus, 1907, Tab. 22. Contra opinionem satis communiter receptam, fontem Dominae Mariae esse Gihon superiorem ac proinde canalem Ezechiae 2 Par. 32, 30 referendum esse ad istum canalem Siloe subterraneum vide *L. Fonck* s. v. GIHON in vol. II. col. 415. 416.

Cf. *T. Tobler*, Die Siloahquelle u. d. Oelberg, 1852; *Kneucker*, Siloah, 1873; *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. p. 122 ss.; 1890, p. 257 ss.; Ztschr. d. D. Pal.-Ver. V. 1882, p. 1 ss. XIII. 1890, p. 229 s.; *H. Guthe*, Ausgrabungen bei Jerusalem 1883, p. 84 ss. 283 ss.; *Ch. Clermont-Ganneau*, Recueil d'archéologie orientale II. 1898, p. 254-294.

De inscriptione cf. *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1881, p. 69 ss. 141 ss. 282 ss.; 1882, p. 62 ss.; Ztschr. d. D. Pal.-Ver. III. 1880, p. 54; IV. 1881, p. 102 ss. 250 ss. 261 ss.; V. 1882, p. 205 ss.; Ztschr. d. D. Morg. Ges. XXXVI. 1882, p. 725 ss.

SILONI 1 Par. 9,5 v. s. v. ASAIA 4 et cf. MAASIA 17.

SILVANUS (2 Cor. 1,19; 1. 2 Thess. 1,1; 1 Petr. 5,12) v. SILAS.

SILVESTRIS vallis v. SIDDIM.

SIMEON (שִׁמְעוֹן, Συμεών). **1.** Filius secundus Iacob patriarchae ex Lia genitus (Gen. 29,33; 35,23; 48,5). Significatio nominis est *exauditio*, ut ex verbis Liae colligitur : « Quoniam audivit (שָׁמַע) me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi ». Ex gestis Simeonis illud primum occurrit, quod stuprum in Dinam sororem perpetratum indigne ferentes Simeon et Levi Sichemitas dolo gravi et sacrilego circumvenerunt et crudeliter trucidarunt (Gen. 34,1-31); factum severe reprobat Iacob in vaticinio (49,5 ss.) Deo inspirante loquens; quoad encomium Iudith 9,2 notandum est eam in oratione sua non Deo inspi-

rante locutam esse (ceterum v. DINA). In priore itinere aegyptiaco filii Iacob Simeonem designaverunt, qui in vinculis a Ioseph retineretur, utpote maximum natu post Ruben primogenitum et minus ceteris crimine in fratrem Ioseph patrato obstrictum (Gen. 42,25. 36; 43,23). Tempore quo Iacob cum filiis suis in Aegyptum descendit, sex filii Simeon recensentur : Iamuel, Iamin, Ahod, Iachin, Sohar (Soar) et Saul filius Chanaanitidis (Gen. 46,10; cf. Ex. 1,2; 6, 15); quinque solum, omisso Ahod, recensentur Num. 26,12-14 et 1 Par. 4,24 scil. Namuel, Iamin, Iachin (Iarib), Zare (Zara), Saul. Quoniam sextus filius dicitur filius Chanaanitidis, inferre licet reliquos filios Simeonis non ex matre Chanaanitide natos esse; parcior igitur in commixtione cum Chananaeis erat Simeon quam Iuda (v. IUDA 1). Utrum reliquorum fratrum aliquis Chanaanitidem duxerit necne, in s. litteris non indicatur. Genealogia Simeonitarum traditur 1 Par. 2,1; 4,24 ss.

2. Simeon tribus Israel. Sors tribus Simeon describitur Ios. 19,1-9; cf. 1 Par. 4,28-33. Hereditas Simeonitarum erat in medio possessionis filiorum Iuda, quae maior erat (Ios. 19,2. 9). Unde termini non delineantur, sed urbes tantum recensentur. In priore provincia urbium Simeon Ios. 19,2-6 enumerantur urbes 13 [14] in Negeb seu tractu australi tribus Iuda sitae, quae etiam loco parallelo 1 Par. 4,28-31 leguntur et iam inter urbes Iuda Ios. 15,26-32 comprehendebantur, nominibus interdum mendose mutatis vel etiam reapse diversis pro eadem urbe scil. Bersabee, Sabee (Sama), Molada, Hasersual (Hasarsuhal), Bala (Baala), Asem (Asom, Esem), Eltholad (Tholad), Bethul (Bathuel, Cesil), Harma (Horma), Siceleg, Bethmarchaboth (Medemena?), Hasersusa (Hasarsusim, Sensenna?), Bethlebaoth (Bethberai, Lebaoth), Sarohen (Saarim, Selim); ex his quattuordecim Sabee (Sama) omittitur 1 Par. 4,28. In altera provincia urbium Simeon Ios. 19,7 (cf. Ios. 15,32. 42 et 1 Par. 4,32) adduntur quattuor aliae, quarum duae erant in Negeb seu tractu australi Iuda scil. Etam (ex 1 Par. 4, 32) et Aen Remmon (quod nomen vel duas urbes satis vicinas vel unam quandam significat) et duae in campestribus seu Sephela scil. Athar (Ether, alio nomine 1 Par. 4,32 Thochen, cuius nominis vestigium etiam Ios. 19,7 LXX exhibent inserentes Θαλχά inter Ἐρεμμών et Ἰεθέρ) et Asan. Advertit *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,1 ss. distributionem regionis factam esse secundum cognationes, cognationes vero Simeonitarum alias fuisse atque Iudaeorum.

His consideratis impletum cognoscitur vaticinium Iacobaeum in Simeon et Levi fratres prolatum, qui in poenam sceleris contra Sichemitas commissi inter reliquas tribus dispergendi praedicuntur : « Dividam eos in Iacob et dispergam eos in Israel » (Gen. 49,5-7). Ex iis quae de historia Simeonitarum subiungimus, ulterius patebit eos nomadum more vitam pastoriciam excoluisse neque firmam quandam rem publicam constituisse. Unde explicatur, cur in benedictione Moysis Deut. 33 solus Simeon praetermittatur.

Conspectus historiae. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Salamiel filius Surisaddai (Num. 1,6). Apud montem Sinai de Simeon numerabantur 59 300 viri bello apti (1,22), qui numerus solum a Iuda et Dan superabatur; verum in altero censu in campestribus Moab facto eorum numerus 22 200 virorum bellatorum infimum inter duodecim tribus locum tenebat (26,12. 14). Cuius deminutionis ratio merito assignari potest exterminatio illorum Israelitarum, qui fornicationis cum Moabitis et Madianitis rei fuerant, inter quos eminebat unus de principibus Simeon, Zambri filius Salu, in ipso crimine perpetrando a Phinees percussus (25,14). In castris Simeon cum Ruben et Gad ad meridiem tabernaculi erat (2,12); eaedem tribus in ordine itineris secundo loco progrediebantur (10,19). Oblationes Salamiel principis Simeon in dedicationem altaris 7,36-41 recensentur. Inter duodecim exploratores terrae Chanaan de tribu Simeon erat Saphat filius Huri (13,6), inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos Samuel filius Ammiud (34,20). Post ingressum in terram

promissam Simeon cum Levi, Iuda, Issachar, Ioseph (Ephraim et Manasse), Beniamin benedictionem in monte Garizim pronuntiavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,12). Ex urbibus simeoniticis Levi unam tantum accepit scil. urbem sacerdotalem Asan 1 Par. 6,59. 65 [hebr. 6,44. 50], quae loco parallelo Ios. 21,4. 9. 16 mendose, ut videtur, scribitur Ain. Territorium Iuda (Simeon), quod Iosue prima sua expeditione in ore gladii percusserat (Ios. 10,28 ss.), Iuda et Simeon fratres viribus unitis ac variis pugnis in plenam potestatem redegerunt (Iud. 1,3. 17 et vide s. v. IUDA 2); optimam tamen partem ipse Iuda occupavit, Simeonitis pascua tantum in extremo austro relinquens. Cum David in Hebron ab universis tribubus rex agnosceretur, de Simeonitis virorum fortissimorum ad pugnandum 7 100 aderant (1 Par. 12,25). Tempore Davidis regis princeps tribus Simeon erat Saphatias filius Maacha (1 Par. 27,16). Verum tota tribus paulatim cum Chananaeis, Ismaelitis et tribu Iuda magis magisque coaluisse videtur. Potior pars genealogiae 1 Par. 4,24-27 reducitur ad istum Saul, filium matris Chanaanitidis et de uno ex eius posteris, nomine Semei, adnotatur fratres eius non multos filios genuisse et universam cognationem Simeon non potuisse adaequare summam filiorum Iuda. Fortasse etiam nomina Simeonitarum Mapsam (Mabsam) et Masma (1 Par. 4,25), quae apud Ismaelitas quoque Gen. 25,13. 14 leguntur, aliquam commixtionem Simeonitarum cum Arabibus ismaeliticis indicant. Inde ab aetate Davidis complures urbes simeoniticae iterum urbibus Iuda accensentur: Bethel (Bethul), Ramoth ad meridiem (cf. Baalath Beer Ramath Ios. 19,8), Arama seu Horma, Asan tempore Davidis (1 Reg. 30,27. 30), Bersabee tempore Davidis, Achab et Iosiae (2 Reg. 24,7; 3 Reg. 19,3; 4 Reg. 23,8), Siceleg tempore Davidis et regum Iuda (1 Reg. 27,6). Unde intelleguntur verba 1 Par. 4,28-31 in fine addita: hae civitates eorum (Simeonitarum) usque ad regem David. Neque tamen his verbis negatur aliquas urbes (ut Siceleg) ante Davidem a Philisthaeis occupatas fuisse. Simeonitas aliquos etiam in regiones Palaestinae septemtrionales emigrasse et ibi sedes habuisse tempore Asa et Iosiae regum Iuda, ex 2 Par. 15,9 et 34,6 colligendum videtur; ratio aliqua huius emigrationis in eo cerni potest, quod cultus Iahwe idololatricus florebat in urbe simeonitica Bersabee sicut in Bethel, Galgala et Lais-Dan (cf. Am. 4, 4; 5,5; 8,14), quo vel pii Simeonitae adducebantur, ut emigrarent, vel impii invitabantur, ut ista alia quoque loca cultus idololatrici inviserent. Ii vero, qui in territorio Simeon vitam nomadum colebant, varias expeditiones susceperunt, ut ultra fines Israelitarum novas sedes et nova pascua sibi acquirerent. Duae eiusmodi expeditiones ex tempore Ezechiae regis 1 Par. 4,34-43 narrantur; tredecim principes Simeonitarum profecti sunt ad introitum Gador (rectius fortasse Gerara cum LXX) usque ad orientem vallis prope eandem urbem et Chamitis inde expulsis tabernacula sua ibidem fixerunt; alii quattuor principes cum 500 Simeonitis in montem Seir profecti reliquias Amalecitarum exstirparunt eorumque sedes occuparunt. Post exsilium inter reduces Simeonitae non nominantur, sed eorum urbes praecipuae a filiis Iuda habitabantur (Neh. 11,25 ss.). De tribu Simeon erant Ozias princeps in Bethulia (Iudith 6,11; LXX 6,15) et ipsa Iudith (Iudith 8,1; 9,2; de nomine Ruben 8,1 in Vulg. et Vetere latina post nomen Simeon addito diximus s. v. RUBEN 2). Denique Simeon locum suum occupat in symbolica descriptione terrae sanctae et novae Ierusalem Ez. 48,24. 25. 33 et in Apoc. 7,7.

3. Unus de filiis Herem, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,31).

4. Sacerdos de classe Ioarib seu Ioiarib, avus Mathathiae patris heroum Machabaeorum (1 Mach. 2,1).

5. Senex hierosolymitanus, homo iustus et timoratus, exspectans consolationem Israel, de quo Luc. 2,25-35. Putarunt aliqui hunc esse Simonem filium Hillelis eiusdemque in principatu synedrii successorem ab anno 13 p. Chr.

et patrem Gamalielis magistri S. Pauli (cf. *Othonis* Lexic. rabb. philol. p. 697. 698). Sed haec opinio certo fundamento caret, praesertim cum merito dubitetur, num ille Simon in Talmude babylonico inter Hillelem et Gamalielem nominatus unquam exstiterit et insuper constet neque Hillelem neque Gamalielem praesidem synedrii fuisse (cf. *Schürer,* Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 II. p. 361-366); praeterea nomen Simeonis (Simonis) apud Iudaeos satis frequens erat; accedit denique, quod alia quoque traditio, quae Gamalielem rei christianae nomen dedisse fert, sustineri nequit, ut diximus s. v. GAMALIEL.

6. Simeon in genealogia Christi Luc. 4,30.

SIMERON v. SEMRON.

SIMIAE (3 Reg. 10,22 קֹפִים, LXX B omitt.; 2 Par. 9,21 קוֹפִים, πίθηκοι) afferebantur in Palaestinam tempore Salomonis, cuius naves una cum navibus Phoenicum commercium exercebant in Ophir (v. s. v.) et Tharsis (v. THARSIS 2). Semitica vox ab aegyptiaca *gôfê* mutuata esse censetur; cf. *W. M. Müller,* Asien u. Europa, 1893, p. 95; *A. Erman* in Ztschr. d. D. Morg. Ges. XLVI. 1892, p. 121. Correspondet vox graeca κῆβος, κῆπος, κεῖπος. Vocem aegyptiacam derivari a sanscr. *kapi* (« celer, agilis ») alii affirmant (*Gesenius,* Thes. III. p. 1208), alii vero negant, cum vox aegyptiaca sit antiquior; cf. *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs of the ancient Egyptians, 1878, II. p. 189. 190. Quodnam genus simiarum in s. litteris designetur, superfluum est inquirere; poterant simiae afferri vel ex ipsa regione Ophir vel ex quibusvis regionibus maritimis Asiae et Africae, quas classis Salomonis attingebat. — Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. P. I. l. 3, c. 31; *ed. Rosenmüller* II. p. 398. 399; *O. Keller,* Thiere des klass. Altert. 1887, p. 1-19; *H. O. Lenz,* Zoologie der alten Griechen u. Römer, 1856, p. 76-80.

SIMMAA (שִׁמְעָא, Σαμαά). **1.** Frater Davidis (1 Par. 2,13; v. SAMAA 1 et SAMMA 2).

2. Filius Davidis ex Bethsabee genitus in Ierusalem (1 Par. 3,5); idem 2 Reg. 5,14 et 1 Par. 14,4 vocatur SAMUA.

SIMON (Σίμων). **1.** Simon (שִׁמְעוֹן, Σεμών), vir de tribu Iuda (1 Par. 4,20).

2. Simon, filius Oniae, pontifex Iudaeorum, cuius praeconia Eccli. 50,1-21 celebrantur. Quaestio de Simone, quem auctor Eccli. 50,1 ss. tam vivide depingit, ut ex communi interpretum sententia auctor s. et Simon pontifex aequales fuisse dicantur, intime cohaeret cum quaestione de Euergete rege, cuius mentio fit in Prologo ad Ecclesiasticum; dicit enim, qui librum graece vertit, nepos auctoris se in Aegyptum venisse anno trigesimo octavo ἐπὶ Εὐεργέτου βασιλέως.

Iamvero duo erant pontifices Iudaeorum, quibus nomen *Simon Oniae filius* competit: Simon I. cognomine Iustus, filius Oniae I. ineunte saeculo tertio a. Chr. et Simon II. filius Oniae II. exeunte saeculo tertio a. Chr.; duo quoque erant Ptolemaei cognomen Euergetis habentes, Ptolemaeus III. Euergetes I. (247 vel 246-221) et Ptolemaeus VII. (IX.) Euergertes II. (170-164 una cum fratre Philometore, deinde solus 146 vel 145-117), qui teste Eusebio (Chron. 2,22; *Migne* 19,202 vel *ed. Schoene* I. 164) annos suos inde computare coepit, ex quo primum rex habitus fuerat scil. ab anno 170. Interpretes autem in tres diversas sententias abierunt.

Prima sententia priorem Simonem et priorem Euergetem intellegi vult, ita ut liber Eccli. circa a. 290 scriptus, et circa a. 230 a nepote auctoris graece versus esse dicatur; putat enim nepotem in Prologo non loqui de anno 38. regni Euergetis, sed de anno 38. suae ipsius aetatis (*Corn. a Lapide, Goldhagen, A. Scholz, Welte, Danko, Haneberg, Holzammer, Lesêtre, Vigouroux,* Manuel, *ed.* 12, II. 555. 556; ex Protestantibus *Keil, Vaihinger,* alii).

Secunda sententia priorem quidem Simonem, sed alterum Euergetem designari censet, ita ut liber Eccli. circa a. 280 scriptus et circa a. 130 graece versus esse dicatur (*Winer,* Bibl. Realwörterbuch I. p. 555). In hac sententia inter avum et nepotem 150 anni interiacent;

unde nonnulli coniiciunt avum sensu quodam latiore unum ex maioribus explicandum esse.

Tertia denique sententia alterum Simonem alterumque Euergetem intellegit, qua admissa liber Eccli. circa a. 190 scriptus et circa a. 130 graece translatus esse dicendus est (*Calmet, Vincenzi, Kaulen, Zschokke, Cornely;* ex acatholicis *Eichhorn, Bertholdt, de Wette-Schrader, Davidson, Fritzsche, Koenig, Cornill*). Rationes expositas vide apud *Cornely*, Introd. II. num. 236 et *Knabenbauer*, Comm. in Eccli. p. 2. 3.

3. Simon Machabaeus, inter filios Mathathiae sacerdotis 1 Mach. 2,3 enumeratos secundum locum occupans. Cognominatus est Thasi, Θασσί (A Θασσίς); etymologia non liquet; secundum quosdam (*Winer*, Bibl. Realwb. *ed.* 3. s. v. Simon) hoc cognomen cohaerere videtur cum chald. תַּסַּס, *fervere, effervescere,* secundum alios (*Grimm* in 1 Mach. 2,3) cum chald. תְּדַשֵׁי *germinabit herba tenella* i. e. *ver appropinquat.* — Mathathias moribundus filiis suis Simonem consiliarium commendaverat 1 Mach. 2, 65 : « Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est : ipsum audite semper et ipse erit vobis pater ». Iam tempore Iudae Mach. (166-161 a. Chr.) Simon cum tribus millibus virorum in Galilaeam missus proelia multa cum ethnicis commisit eosque usque ad portam Ptolemaidis persecutus est; spoliis hostium onustus Iudaeos cum uxoribus, liberis ac bonis suis laetitia magna in Iudaeam transtulit, ubi securius degerent (1 Mach. 5,17-23). Defuncto Iudae successit Ionathas (161-143 a. Chr.). Simon fratrem suum fortitudine ac prudentia multum iuvit eo tempore, quo Bacchides Iudaeos opprimebat (1 Mach. 9,32-69). Postea cum Demetrius II. a. 147 a. Chr. Alexandro Balae se opponeret, Apollonius praefectus Coeles Syriae, qui ab Alexandro defecerat et pro Demetrio II. pugnabat, apud Azotum a Ionatha et Simone devictus est (10,67-89). Demetrio II. regnante Tryphon, ut Antiochum VI. filium Alexandri Balae regem faceret, cum Ionatha foedus pepigit et Simonem ducem constituit a terminis Tyri usque ad fines Aegypti (11, 57-59); erat igitur Simon dux regius etiam extra Iudaeam scil. a scala Tyriorum (ἀπὸ τῆς κλίμακος Τύρου, quo nomine mons altissimus centum stadiis a Ptolemaide septemtrionem versus distans vocatus est; cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. II. 10,2) usque ad Aegyptum, ut hanc regionem ducibus Demetrii II. eriperet; in expeditionibus bellicis a Ionathan pro Tryphone gestis Simon Bethsuram occupavit (1 Mach. 11,64-66), Ioppen expugnavit (12,33. 34), Adiadam in tribu Dan munivit (12,38). Cum vero Ionathas per fraudes et ambitionem Tryphonis captus esset (12,39-54), Simon a populo dux electus est; ut fratrem ex captivitate redimeret, pecuniam a Tryphone postulatam et filios Ionathae obsides misit; nihilominus Ionathas a Tryphone perfide interfectus est (13,1-24). Simon fratrem in Modin sepelivit et ibidem monumentum magnificentissimum fratribus et Mathathiae patri exstruxit (13,25-30). Ab hoc tempore ipse erat pontifex et princeps Iudaeorum (143-135 a. Chr.). Brevi post necem Ionathae Tryphon in Syriam reversus Antiochum VI. dolo interfecit, ut ipse cum Demetrio II. de throno concertaret (13,31. 32). Simon autem causa Tryphonis relicta opportunitate temporis prudenter usus est et a Demetrio II. non solum remissionem tributorum retro debitorum, sed etiam plenam ac perpetuam immunitatem a tributis impetravit. Hoc igitur anno 170 aer. Seleuc. (143/142 a. Chr.) ablatum est iugum gentium ab Israel et nova chronologia in tabulis et gestis publicis adhiberi coepta est, cuius initium ducebatur ab anno primo Simonis pontificis et principis Iudaeorum (13,33-42). Ut libertatem a rege concessam firmaret et contra Tryphonem imprimis defenderet, Simon Iudaeam a praesidiis Syrorum, quae Gazaram et arcem hierosolymitanam occupabant, liberavit. Gazaram, quae non procul abest ab Emmaus (Nicopoli) occidentem versus, vi expugnavit (13,43-48; pro Gaza legendum esse Gazara suadent 11, 61. 62 et 14,7. 34); Ioannem autem filium suum ducem Gazarae constituit (13,54; 16,1. 19. 21). Syros in arce hierosolymitana fame coegit, ut victas manus darent

et die 23. secundi mensis anni 171 aer. Seleuc. (142 a. Chr.) sollemni pompa arcem ingressus est (13,49-53). Ab hoc tempore, cum Tryphon in Syria regnum appeteret, secuta est periodus quietis et pacis, qua Simon usus est, ut dominationem suam muniret, iniquos et impios expelleret, observationi legis provideret (14,4-15). Foedera, quae Iudas cum Romanis, Ionathas cum Spartiatis pepigerant, Simon renovavit (14,16-24; 15,15-24). Anno tertio Simonis, die 18. Elul anni 172 aer. Seleuc. (141 a. Chr.) magnus conventus sacerdotum et populi et principum gentis et seniorum regionis habitus est, quo Simon declaratus est summus sacerdos, dux et princeps Iudaeorum in aeternum, donec surgat propheta fidelis; dignitates igitur, quibus Simon iam antea fruebatur, publico populi decreto confirmatae et iure hereditario familiae Hasmonaeorum (v. MACHABAEI) traditae sunt; decretum ipsum in tabulis aereis exaratum et in peribolo sanctuarii repositum est (14,25-49).

Versus finem regni sui Simon iterum perturbationibus Syrorum implicatus est. Postquam Demetrius II. ab Arsace VI. Parthorum rege captus est (14,1-3), Antiochus VII. Sidetes, frater Demetrii II., thronum Syriae occupavit (138-128 a. Chr.). Ut Tryphonem regno pelleret, statim Simoni litteras amicitiae misit, omnia privilegia Iudaeis antea concessa renovavit, ius nummos cudendi eis contulit (1 Mach. 15,1-9). Simon regi, cum hic Dorae Tryphonem obsideret, duo millia virorum electorum auxilio misit multaque dona obtulit. Rex autem favente fortuna contra Iudaeos asperior factus auxilia oblata respuit, privilegia antea concessa revocavit et per Athenobium legatum suum a Simone postulavit, ut Iudaei Ioppen, Gazaram, arcem hierosolymitanam omnesque urbes extra Iudaeam occupatas Syris restituerent aut mille talenta argenti exsolverent. Simon centum talenta pro Ioppe et Gazara solvere paratus alia postulata reiecit (15, 25-36). Antiochus VII. ut armis rem decideret, Cendebaeum ducem cum exercitu misit; Simon senex, cum ipse bello gerendo impar esset, Iudam et Ioannem filios suos copiis praefecit, qui Syros prope Iamniam fugaverunt (15,38-16,10). — Hoc etiam periculo remoto Simon senex pace frui posse videbatur; sed res aliter evenit. Ptolemaeus Simonis gener, qui dux in campo Iericho constitutus erat, dominandi ambitione inflammatus Simoni mortem parabat. Cum igitur Simon civitates Iudaeae perambularet et ad Ptolemaeum in castellum Doch prope Iericho diverteret, is magnum convivium paravit et inter illud Simonem ac duos filios eius Mathathiam et Iudam vi ac dolo occidit. Simoni successit Ioannes filius, qui dicitur Hyrcanus (16,11-24). Cf. de Simone duce ac pontifice *Flav. Ioseph.* Ant. XIII. 6,3-7,4.

4. Simon de tribu Beniamin, praepositus templi, qui ob discordias cum Onia III. pontifice habitas thesauros templi prodidit Heliodoro duci Syrorum (2 Mach. 3,4. 11); postmodum propter Simonis detractiones ac perturbationes Onias ipse ad Seleucum IV. regem Syriae se contulit (4,1-6); sed quid hoc itinere effecerit, non traditur. Impius proditor fratrem habebat Menelaum (4,23), impium pontificem Iudaeorum tempore Antiochi IV. Epiphanis.

5. Simon Petrus v. PETRUS.

6. Simon Cananaeus (Matth. 10,4; Marc. 3,18), qui vocatur Zelotes (Luc. 6, 15; Act. 1,13), unus ex duodecim apostolis, in tertio quaternione apostolorum enumeratus. Vox *Cananaeus* non est derivanda ab urbe Cana, sed apud Lucam rite explicatur : zelotes; unde referatur oportet ad hebr. קַנָּא zelotypus, zelotes. Simon igitur steterat a partibus zelotarum, qui erant aemulatores legis ac paternarum traditionum; minime vero cum *Lightfoot* et aliis cogitandum est de furiosa illa secta zelotarum, quae a Iuda Galilaeo (v. IUDAS 9) ortum duxit.

7. Simon quidam recensetur inter fratres i. e. cognatos Domini (Matth. 13, 55; Marc. 6,3), qui matrem habebant Mariam, quae ab Evangelista Ioanne appellatur soror matris Domini, Maria Cleophae i. e. Cleophae uxor (cf. Matth. 27,56; Marc. 15,40. 47; 16,1; Io. 19, 25). Hic fortasse idem est ac Simon Zelotes apostolus; rationes quae id sua-

dent, vide apud *Cornely,* Introductio III. *ed.* 2, num. 203, p. 595 ss.

8. Simon pater Iudae Iscariotis (Io. 6,72; 13,2. 26).

9. Simon Pharisaeus, qui in Galilaea Iesum ad se invitavit ante pascha paenultimum vitae Iesu publicae et inter convivium indolem pharisaicam satis clare pandit (Luc. 7,36 ss.).

10. Simon leprosus, qui Iesum ante sollemnem in urbem ingressum Bethaniae in domo sua excepit (Matth. 26,6 ss. Marc. 14,3 ss.); cognominatur leprosus i. e. qui antea lepra laboraverat et sanatione (fortasse per Christum) habita hoc cognomine ab aliis eiusdem nominis distinguitur. Simonem leprosum eundem esse ac Simonem Pharisaeum, ut aliqui voluerunt, nulla ratione suadetur, sed potius adiecto cognomine reiicitur; quantopere autem convivium et unctio Iesu in Bethania apud Simonem leprosum differant a convivio et unctione Iesu apud Simonem Pharisaeum in Galilaea, pluribus ostendit *Knabenbauer,* Comm. in Luc. *ed.* 2, p. 275.

11. Simon Cyrenaeus, vir genere Iudaeus, ut ipsum nomen prodit, ex Cyrene, urbe florentissima Lybiae pentapolitanae, oriundus, in qua multi Iudaei degebant; hunc a labore rustico in urbem Ierusalem revertentem Iudaei exeuntes (scil. ex urbe) angariaverunt (de iure angariae cf. *Knabenbauer* ad Matth. 5,41), ut crucem post Iesum (ipse solus) portaret (Matth. 27,32; Marc. 15, 21; Luc. 23,26). Apud Marcum pater accuratius designatur nominibus filiorum suorum Alexandri (de quo fortasse sermo est Act. 19,33) et Rufi (cf. Rom. 16,13); erant igitur hi filii insigniore quodam modo noti inter Christianos et imprimis inter Romanos, quibus Marcus scribit.

12. Simon magus, qui artibus magicis gentem Samariae seducebat dicens se esse aliquem magnum, deinde a Philippo (diacono) baptizatus est; postea cum a Petro et Ioanne apostolis Spiritum Sanctum per impositionem manuum dari vidisset, pecuniam eis obtulit, ut eandem potestatem sibi acquireret, sed a S. Petro dure correptus est (Act. 8,9. 13. 18. 24). Ab hoc facto emptio vel venditio rei spiritualis pro pretio temporali nomen simoniae habet. — De eodem Simone refert S. Iustinus M. (Apol. 1,26) : « Simonem quendam Samaritanum e vico Gittum (Γίττων) dicto, qui sub Claudio Caesare, cum magica miracula daemonum in eo operantium arte in regia vestra urbe Romae edidisset, deus existimatus est et a vobis tamquam Deus statua honoratus, quae statua erecta est in insula Tiberina inter duos pontes, habens hanc romanam inscriptionem : Simoni deo sancto. Hunc Samaritani paene omnes et ex aliis gentibus nonnulli primum deum esse confitentur eumque adorant; ac Helenam quandam, quae eum hoc tempore ubique assectata est, cum antea in lupanari prostitisset, primam eius notionem (ἔννοιαν) esse dictitant ». — Ad eundem Simonem videntur referenda esse, quae scribit *Flav. Iosephus,* Ant. XVIII. 4,1 : « Concitat enim eos (Samaritanos) vir, qui mentiri pro nihilo ducebat et omnia ad ineundam a plebe gratiam faciebat, iubens ut secum montem Garizin conscenderent, montium apud eos sanctitatis opinione celeberrimum; illisque asseverabat se ostensurum ipsis, ubi eo pervenirent, sacra vasa a Moyse istic defossa atque recondita etc. ». Ab hoc Simone autem distinguendus videtur ille Simon magus, Iudaeus, genere Cyprius, quo auctore Drusilla, uxor Azizi regis Emesae in Syria Felici procuratori Iudaeae nupsit (Ant. XX. 7,2).

Quae in Pseudoclementinis (Hom. 2, 22 s.; 4,4 s.; Recogn. 1,72; 2,7 s.; 3,12 s.) de Simone mago traduntur, magnam partem fabulosa sunt, attamen saltem exsistentiam Simonis praesupponunt, quam Tubingenses duce *Baur* (Gnosis p. 310) negare frustra conabantur. Eum haereticae pravitatis principem atque auctorem fuisse et usque ad saeculum quartum aliquos eius sectam professos esse testatur *Eusebius,* H. E. 2,13.

13. Simon coriarius, in cuius domo S. Petrus multos dies in Ioppe degebat (Act. 9,43; 10,6. 17. 32).

14. Simon qui vocabatur Niger enumeratur inter prophetas et doctore ecclesiae Antiochensis (Act. 13,1); co-

gnomen Niger fortasse fuscum colorem indicat; ceteroquin ignotus est.

SIMULACRUM adhibetur notione imaginis, statuae quae ad cultum idololatricum refertur. In Vulg. haec vox valde frequens pro hisce vocibus hebr. ponitur : חמי Lev. 26,30; Ez. 6,4; immo Num. 23,21 etiam pro עמל (labor, molestia); תרפים 1 Reg. 19,16; Zach. 10,2; מפרצת 3 Reg. 15,13; 2 Par. 15,16; צלם 2 Par. 23,17; מצבות 2 Par. 31,1; Os. 10,1. 2; סמל 2 Par. 33,15; פסולים Is. 10,10; Os. 11,2; אלילים Ps. 96,7; Is. 2, 20; 19,1; Hab. 2,18; עצב Ps. 113,4 (12); 134,15; Is. 10,11; 46,1; פסל Is. 40.20; נסך Is. 41,9; גלול Ez. 6,5; 30,13; שקוץ Ez. 7,20.

Et ex graeco ponitur ad explicanda verba : εἴδωλα 1 Mach. 3,48; 13,47; Act. 7,41; 15,20; 1 Cor. 12,2; 1 Thess. 1,9; 1 Ioan. 5,21; Apoc. 9,20; ἄγαλμα 2 Mach. 2,2; σέβασμα Act. 17,23.

SIN. 1. Sin (סִין, Σείν), desertum inter Elim et Sinai (Ex. 16,1), accuratius inter Elim et Raphidim (17,1). In eo deserto Deus Israelitis ob annonae inopiam murmurantibus coturnices et prima vice manna praebuit. De eodem deserto agitur in elencho stationum Num. 33,11 ss. et alia insuper statio inter Elim et desertum Sin 33,10 commemoratur scil. illa *super mare Rubrum* seu in conspectu eius. Qui Elim in *Wādi Gharandel* agnoscunt, illam stationem *in conspectu maris* iuxta *Wādi Taiyibe*, quod octo fere horis a *Wādi Gharandel* meridiem versus distat, plerumque collocant. Desertum Sin igitur erit planities *el-Markha*, ex qua Israelitae per *Wādi Feirān* (Raphidim) versus montem Sinai profecti sunt. Duae autem aliae stationes, quae Num. 33,12-14 inter desertum Sin et Raphidim recensentur scil. Daphca et Alus, videntur in ipso deserto Sin fuisse; potuit enim prima statio deserti Sin, in qua annonae penuriam passi sunt Israelitae, generali nomine deserti Sin appellari, eo quod esset regio arida ac deserta, dum aliae quaedam stationes in eodem deserto suis nominibus efferuntur (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Ex. Lev. p. 166. 167; sed hic auctor illam stationem supĕr mare Rubrum potius cum *Wādi Gharandel* componere mavult).

2. Sin (צִן, Σείν), desertum in termino australi terrae Chanaan (Num. 13, 22[21]; 34,3) et tribus Iuda (Ios. 15,1), iuxta Idumaeam situm (Num. 34,3), in quo erat Cadesbarne urbs notissima (Num. 20,1; 27,14; 33,36; Deut. 32,51). Nomen deserto inditum videtur a loco Sin, qui scribitur cum He locali Num. 34,4 צִנָה, B Ἐννάχ, A Σεννάχ, Vulg. Senna et Ios. 15,3 צִנָה, B Ἐννάχ, Σεννάχ, A Σενά, Vulg. Sina. Erat autem desertum Sin pars maxime septemtrionalis deserti Pharan, ita ut Cadesbarne adscribi potuerit vel deserto Sin vel deserto Pharan (v. PHARAN).

SINA (Ios. 15,3) v. SIN 2.

SINA mons et desertum (Iudith 5,14; Ps. 67[68],18; Eccli. 48,7; Act. 7,30. 38; Gal. 4,24. 25); v. SINAI.

SINAEUS (הַסִּינִי cum articulo, ὁ Ἀσσεναῖος) nominatur ramus familiae Chanaan ab uno ex filiis Chanaan (Gen. 10,17; 1 Par. 1,15). Teste Strabone (XVI. 2,18) praedones, qui Libanum incolebant, habebant munitionem in monte Sinnan. Secundum S. Hieronymum (Quaest. hebr. in Gen. 10,17) haud procul ab Arcis (*Tell ʿArqa*; v. ARACAEUS) erat civitas nomine Sini, quae postea vario eventu subversa bellorum nomen tantummodo loco pristinum reservavit. *Marino Sanuto* refert : « de castro Arachas ad dimidiam leucam est oppidum Sin »; et *B. von Breidenbach* anno 1483 vicum *Syn* horae fere itinere septemtrionem versus ab *ʿArqa* reperit. Geographus arabicus *Khalil ben Shahin* (apud *Rosenmüller*) commemorat *Sin* urbem pulchram in *Pashalik Aleppo*. Praeterea *Delitzsch* ex inscriptionibus cuneiformibus urbem « *Sianu* ad litus maris » componit cum Sini et punctandum esse הַסִּינִי coniicit.

Praeter Comment. *Dillmann, F. de Hummelauer* ad Gen. 10,17 cf. *Rosenmüller*, Analecta arab. III. p. 25; *Knobel*, Völkertafel p. 328; *Riess*, Bibl. Geogr. (1872) s. v. Siniter; *Delitzsch*, Paradies, p. 282.

SINAI (סִינַי, Σινᾶ), mons legislatione mosaica celeber (Ex. 16,1; 19,11. 18. 20. 23; 24,16; 31,18; 34,2. 4. 29. 32; Lev. 7, 38; 25,1; 26,45; 27,34; Num. 3,1; 9,5; 28,6; Deut. 33,2; Iud. 5,5; Neh. 9,13; Ps. 67[68],9), cui a septemtrione occidentem spectante adiacet desertum Sinai (Ex. 19,1. 2; Num. 1,1. 19; 3,4. 14; 9,1; 10,12; 26,64; 33,15. 16); in Vulgata Sinai mons vel desertum etiam scribitur Sina (Iudith 5,14; Ps. 67[68],18; Eccli. 48,7; Act. 7,30. 38; Gal. 4,24. 25). Praeterea mons Sinai etiam Horeb appellatur; nomina sunt synonyma uno loco Ex. 17,6 excepto; v. HOREB.

Sinai-Horeb sine ullo dubio quaerendus est in illo tractu montano paeninsulae Sinai, quem Arabes vocant *Djebel el-Ṭūr* vel *Ṭūr Sīnā*. In eo tractu duo prae ceteris montes cum Sinai-Horeb comparari consueverunt, *Djebel Serbāl* et *Djebel Mūsā*.

Djebel Serbāl, cui aquilonem versus *Wādi Feirān* (v. RAPHIDIM) adiacet, prostat solus a reliquis circum montibus separatus, 2052 m supra mare, 1452 m supra *Wādi Feirān* caput attollens. Sed praecipua difficultas contra Serbal-Sinai inde exsurgit, quod ad radices montis *Serbāl* desideretur planities satis ampla, quae desertum Sinai haberi possit et longiori commorationi Israelitarum apta fuerit. *Djebel Serbāl* esse montem Sinai defendunt *Lepsius*, *Bartlett*, *Ebers*, alii; atque huic opinioni iam favere videtur *Cosmas Indicopleustes* (Topogr. christ. V. apud *Migne*, Patr. gr. 88,217).

A monte *Serbāl* inter meridiem et orientem est tractus montanus, ex quo *Djebel Mūsā* 2244 m supra mare, 644 m supra planitiem *el-Rāḥa* assurgit. Cacumini *Djebel Mūsā* inter septemtrionem et occidentem praeiacet cacumen inferius *Rās el-Ṣafṣāf* (2114 m supra mare), a traditione christiana Horeb nuncupatum. Planities *el-Rāḥa* extenditur inter septemtrionem et occidentem a *Rās el-Safṣāf* vel generatim a tractu montano centrali *Djebel Mūsā*. Eadem planities per *Wādi el-Shuʿaib* seu vallem Iethro cohaeret cum planitie montana *el-Sebaʿīye*, quae est ad orientem cacuminis *Djebel Mūsā*. Quodsi mons Sinai agnoscitur esse *Djebel Mūsā*, desertum Sinai erit planities *el-Rāḥa* ad radices septemtrionales totius tractus montani centralis sita et castrametationi Israelitarum multo aptior, quam planities altior et petrosa *el-Sebaʿīye*. Ceterum auctores, qui montem Sinai in *Djebel Mūsā* agnoscunt, inter se dissentiunt, sitne desertum Sinai planities *el-Rāḥa* an *el-Sebaʿīye*. Addendum est *Djebel Mūsā* non esse altissimum montem istius tractus centralis altitudine absoluta; nam a *Djebel Mūsā* meridiem versus eminet *Djebel Katherīn* 2602 m supra mare. Affirmat quidem Flavius Iosephus (Ant. II. 12,1) montem Sinai esse omnium in ea regione celsissimum; sed difficile dictu est, utrum hoc ex traditione hauserit an amplificando effinxerit.

Etsi in quaestione de situ montis Sinai veri nominis traditio desideratur, tamen opinio antiquissima fert montem Sinai esse *Djebel Mūsā*. Quam opinionem tuebantur primis saeculis christianis anachoretae et monachi Sinaitiden incolentes, postea Arabes et scriptores geographi (*Pococke*, *Niebuhr*, *Seetzen*, *Burckhardt*, *Schubert*, etc.). Primus *Robinson* montem Sinai cum *Rās el-Ṣafṣāf* componere conatus est eumque secuti sunt *Olin*, *Wellsted*, *Winer*, *Stanley*, *Dieterici*, *Palmer*. Nihilominus opinio antiquior pro *Djebel Mūsā* decertans hodie quoque praevalet; eam contra *Robinson* defenderunt *Léon de Laborde*, *Tischendorf* (licet titubanter), *Graul*, *Ritter*, *Russegger*, *Keil*, *Furrer*.

Vigouroux contendit in *Djebel Mūsā* Dominum Moysi apparuisse in rubo ardenti ac postea legem dedisse, promulgationem autem legis (Ex. 19,10 ss.) factam esse in *Rās el-Ṣafṣāf*.

Cf. pro Sinai = *Serbāl*: *Lepsius*, Reise von Theben nach der Halbinsel des Sinai, 1845; eiusdem: Briefe aus Aegypten, Aethiopien und der Halbinsel des Sinai, 1852, p. 340 ss. 417 ss.; *Bartlett*, Forty days in the desert, London, 1848; *G. Ebers*, Durch Gosen zum Sinai, 1872, p. 189 ss. 380 ss.

Cf. pro Sinai = *Rās el-Ṣafṣāf*: *Robinson*, Palaestina I. 145 ss.; *Olin* in Zeitschr. d. D. Morg. Ges. II. 1848, 315 ss.; *Wellsted*, Reisen in Arabien II. 69 ss.; *Winer*, Bibl. Realwörterbuch *ed.* 3, II. 471; *Stanley*, Sinai

and Palestine in connexion with their history, 1858; *Dieterici,* Reisebilder aus dem Morgenland, 1853, II. p. 13 ss.; *Palmer,* The desert of the Exodus, 1871; germ. Der Schauplatz der 40 jährigen Wüstenwanderung, 1876.

Cf. pro Sinai = *Dj. Mūsā : Pococke,* Beschreibung des Morgenlandes I. 230; *Niebuhr,* Reisebeschr. I. 243 ss.; *Seetzen,* Reisen durch Syrien, Palaestina etc., *ed. Kruse,* III. 80 ss.; *Burckhardt,* Reisen in Syrien, Palaestina, *ed. Gesenius,* II. 906 ss. 965. 1077 s.; *Schubert,* Reise in das Morgenland II. 307 ss.; *Léon de Laborde,* Voyage de l'Arabie Petrée, Par., 1830-1834; eiusdem : Commentaire sur l'Exode etc., Append. p. 1 et 41 s.; *Tischendorf,* Reise in den Orient, 1846, I. 218; *Graul,* Reise nach Ostindien über Palaestina und Aegypten, 1854; *Ritter,* Erdkunde XIV. 591 ss.; *Russegger,* Reisen III. 34 ss.; *Keil* ad Ex. 19,1. 2; *Furrer* apud *Schenkel,* Bibel-Lexicon V. 328 ss.; *Vigouroux,* La Bible et les déc. mod. *ed.* 6, II. 498 ss.

SINDON (סָדִין, σινδών). Sindon linteum est subtilius (cf. Matth. 27,59; Marc. 15,46; Luc. 23,53). Adhibetur vox quoque de indusio (Marc. 14,51. 52) et in Vetere Testamento generatim de veste ex linteo pretioso confecta; ita promittit Samson se daturum triginta sindones, si aenigma solverint intra septem dies (Iud. 14,12. 13; LXX 14,12 σινδών, 14,13 δθόνιον); talis vestis vel velamen ex linteo subtiliore recensetur quoque inter mulierum ornamenta Is. 3,23 et mulier fortis « sindonem fecit et vendidit » (Prov. 31,24). De voce סדוּ, quae etiam assyriace *sudinnu* audit, cf. *S. Fraenkel,* Aram. Fremdwoerter im Arab. 1886, p. 48; *H. Lewy,* Semit. Fremdwoerter im Griech. 1895, p. 84 s. Significatio vocis hebr. iuxta usum eius vocis talmudicum est generatim linteum velamen; cf. *J. Levy,* Neuhebr. u. chald. Woerterbuch (1876 ss.) III. p. 480.

SINIM (אֶרֶץ סִינִים, γῆ Περσῶν, Vulg. terra australis) nominatur Is. 49,12 inter regiones, ex quibus populus electus congregabitur ad instaurationem theocratiae, quae incohative fit in priore liberatione per Cyrum et altiore modo in liberatione altera per servum Domini. S. Hieronymus interpretatus est montem Sinai in australi parte positum. Sed ex contextu regio multo remotior postulatur. Eadem ratio militat contra Sinaeos (Gen. 10,17; v. SINAEUS) et contra Pelusium (סִין) Aegypti. Sinarum regionem designari censent *Osorius, Arias Montanus, Corn. a Lapide, Menochius, Tirinus* et recentiores plerique nonnullis dubitantibus. Cf. *Knabenbauer* ad Is. 49,12.

SION (צִיּוֹן, Σιών). Nomen hoc primum legitur in expugnatione Ierusalem : cepit autem David arcem Sion, haec est civitas David (2 Sam. 5,7; 1 Par. 11,5); eodem modo civitas David appellatur Sion (3 Reg. 8,2; 2 Par. 5,2). Erat Sion nomen arcis Iebusaeorum; arcem illam fuisse expugnatu difficillimam, ex narratione 2 Sam. 5,6 ss. elucet. Duobus collibus Ierusalem urbs continebatur; collis occidentalis est altior orientali; unde iam a priore verisimile videtur, arcem exstructam esse in colle altiore (vide Arx Sion s. v. IERUSALEM in vol. II. c. 694 ss.). Verum ipsum nomen Sion mox desiit esse nomen topographicum sensu antiquo; apud prophetas ipsa urbs Ierusalem vocatur Sion Is. 1,8 : et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea; 10,24 : noli timere populus meus habitator Sion; 12,6 : exsulta et lauda, habitatio Sion; 33,20 : respice Sion, civitatem sollemnitatis nostrae; et ita saepius apud Isaiam. Idem cernitur apud Amos 6,1 : vae qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariae; item Mich. 1,13 : filia Sion; et cum metropolis in sorte sua quasi totum populum contineat et repraesentet, haud raro filia Sion non solum incolas Ierusalem, verum totum populum designare videtur (cf. Ier. 4,31; 6,2. 23; 14,19; Mich. 6,14; Soph. 3,14; Is. 52,1. 2). Certum est tempore Machabaeorum templi montem vocatum esse montem Sion, uti elucet ex 1 Mach. 4,37 : et ascenderunt in montem Sion et viderunt sanctificationem (τὸ ἁγίασμα) desertam et altare profanatum; 5,34 : et ascenderunt in montem Sion et obtulerunt holocausta; item 7,33-36. Unde nomen Sion transmigravit in collem orientalem. Et haec transmigratio etiam assumenda erit pro temporibus

prioribus. Michaeas quidem montem templi adhuc distinguit a Sion : Sion quasi ager arabitur et Ierusalem quasi acervus lapidum erit et mons templi in excelsa silvarum (3,12). Si legimus Dominum regnare in monte Sion (Is. 24,23), habitare in monte Sion (Is. 8,18) seu delatum iri munus ad locum nominis Domini, ad montem Sion (Is. 18,7) vel pios venturos esse Deumque laudaturos in monte Sion (Ier. 31,12) vel Dominum regnare in monte Sion (Mich. 4,7), Dominum habitare in Sion monte sancto suo (Ioel 3,17), profecto necessitate quadam nobis in mentem venit ipsa cogitatio de monte templi. De monte templi erit sermo : memor esto congregationis tuae... (et) montis Sion, in quo habitasti (Ps. 73,2); pariter Ps. 77,68. 69 : elegit montem Sion quem dilexit, et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum; item Is. 4,5, nam mentione facta montis Sion statim subditur coetus sacer (hebr.).

Aliis in locis ita sermo fit de monte Sion, ut vel ex re ipsa vel ex parallelismo membrorum colligi debeat, non de templo, sed de Ierusalem nomen usurpari. Id clarum est Ps. 133,3 : sicut ros qui descendit in montes Sion (uti hebr. legitur), sed eodem modo erit explicandum Is. 10,12: cum compleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion et in Ierusalem; nam in expeditione Sennacherib agitur de urbe quidem et de populo, neque tamen de templo. Idem cernitur Is. 16,1; tributum enim non templo solvitur, sed ei qui regnat in Ierusalem; item Is. 29,8 et 31,4; nam impetus gentium et defensio Domini non in templum dirigitur, sed in urbem, in populum, in regnum. Et in prophetia Abdiae 21 opponitur mons Sion monti Edom; ergo regio regioni, seu populus populo. Dubium esse potest utrum Lament. 5,18 solum templum, an urbs intellegatur : propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. Ratione typica mons Sion opponitur monti legislationis et accipitur eadem notione ac Ierusalem caelestis Hebr. 12,22 : accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem.

Quandoque dubium est, sitne mons Sion explicandus de monte templi, an ex lege parallelismi tamquam pars urbis pro tota urbe per modum synecdoches; ita Ps. 47,3. 12 : laetetur mons Sion et exsultent filiae Iudae, et Ps. 2,6 : rex super Sion montem sanctum eius; hic tamen ex regis nomine potius de urbe quam de templo cogitandum erit.

SION, qui est et Hermon (Deut. 4, 48) v. HERMON.

SIOR (צִיעֹר, Σωραίθ), oppidum montis Iuda, in secunda provincia montis Iuda (Ios. 15,54). Hodie vicus *Sa'īr* duabus fere horis a Hebron distans inter septemtrionem et orientem (*Survey of West. Pal.* III. 309. 379; *G. A. Smith*, Historical Geography of the Holy Land, Plate I. IV; *Legendre*, Carte de la Palestine). Ibidem ostenditur sepulcrum Esau; utrum revera ibi sepultus sit an sola similitudo nominum *Sair* et *Seir*, in quo monte Esau habitavit, illi traditioni ansam praebuerit, non liquet (cf. *Guérin*, Judée III. 150-151).

SIRA cisterna (בּוֹר הַסִּרָה, τοῦ φρέατος τοῦ Σειράμ), a qua Ioab Abnerum revocavit Hebronem, ut eum dolose interficeret (2 Reg. 3,26). Ex contextu patet Abnerum Hebrone septemtrionem versus abiisse, ut opus pro Davidis causa inceptum perficeret i. e. singulas tribus septemtrionales a partibus Isboseth in partes Davidis pertraheret. Apud Flav. Iosephum (Ant. VII. 1,5) vocatur Βησιρᾶ (*ed. Dindorf*) vel Βησηρᾶ (*ed. Niese*), locus quidam 20 stadiis a Hebrone dissitus. Hodie censetur esse *'Ain Sāre* prope Hebronem ad occidentem viae, quae Hebrone Bethlehem versus ducit (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 314; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV.). Cf. descriptionem in Zeitschrift d. D. Morg. Ges. XII. 1858, p. 486.

SIRACH (Σειράχ), pater Iesu Ierosolymitae, auctoris Ecclesiastici (Eccli. 50,29; 51,1); v. IESUS 3.

SIS (הַצִּיץ, Ἀσάε) clivus vel potius saltus arduus ab Engaddi in desertum

Ieruel ascendens (2 Par. 20,16); vide s. v. BENEDICTIONIS VALLIS.

SISA (3 Reg. 4,3) v. SARAIA 1.

SISAI (Num. 13,23[22]) v. SESAI.

SISAI (שֵׁשַׁי, Σεσεί), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,40).

SISAMOI (שַׁמַּי, Σοσομαί), unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda; enumeratur decimus inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan et Ieraa Aegyptio servo Sesan descendunt (1 Par. 2,40).

SISARA (סִיסְרָא, Σισάρα). **1.** Dux militaris Asoritarum, qui a Iabin rege Asor in arce Haroseth gentium constitutus est, ut Israelitas iugo servitutis opprimeret. Is cum exercitu valido et nongentis curribus falcatis (hebr. ferreis) in planitiem torrentis Cison progressus, sed a Barac et Debbora victus et fugatus est. Ut fugam ipse celerius arriperet, dux famosus de curru suo desiliit et ab itinere curruum ad fugam se vertentium deflectens usque ad tabernacula Haber Cinaei non procul a Cedes Nephthali posita citato cursu pervenit. Absente Haber marito Iahel fugientem in tentorium suum blande invitavit. De mulieris fide minime dubitans ille ingreditur, tum quia Haber Cinaeus foedere iunctus erat cum Iabin rege Asor, tum quia in tentorio feminae tutior latere sibi visus est. Sed ubi primum ad soporem membra fatigata composuit, Iahel clavum, quo vela tabernaculi extendebantur et firmabantur, in tempora dormientis imposuit malleoque in cerebrum usque ad terram defixit. Brevi membrorum contorsione vitam finivit dux eo usque invictus (Iud. 4, 2-22; 5,20-30; 1 Reg. 12,9; Ps. 82[83], 10). Vide s. v. IAHEL.

2. Nathinaeus quidam cuius filii duce Zorobabel e captivitate redierunt (Esdr. 2,53; B Σισάρα, A Σισαραά; Neh. 7,55 Σισαράθ).

SIVA (2 Reg. 20,25) v. SARAIA 1.

SIVAN (Bar. 1,8; Esth. 8,9 Vulg. Siban), mensis tertius v. MENSIS.

SIZA (שִׁיזָא, Σαιζά), pater Adina principis de tribu Ruben (1 Par. 11,42).

SMARAGDUS (בָּרְקַת, בָּרֶקֶת; σμάραγδος), lapis pretiosus (Ex. 28,17; 39, 10; Ez. 28,13; Tob. 13,21[16]; Iudith 10,19[21]; Eccli. 32,8; Apoc. 4,3; 21,19 et smaragdinus lapis, σμαραγδίτης λίθος Esth. 1,6). De smaragdis scribit *Plinius* XXXVII. 5,62 : « Tertia auctoritas (scil. post adamantem et margaritas) smaragdis perhibetur multis de causis, quippe nullius coloris aspectus iucundior est... nihil omnino viridius comparatum illis viret »... 5,65 : « Genera eorum duodecim : nobilissimi Scythici ab ea gente in qua reperiuntur appellati; nullis maior austeritas nec minus vitii; quantum smaragdi a gemmis distant, tantum Scythicus a ceteris smaragdis. Proximam laudem habent sicut et sedem Bactriani... sed hos minores multo Scythicis esse tradunt. Tertium locum Aegyptii habent; eruuntur circa Copton oppidum Thebaidis collibus excavatis ». 5,66 : « Reliqua genera in metallis aerariis inveniuntur, quapropter principatum ex iis obtinent Cyprii »... 5,69 : « Aethiopici laudantur a Copto dierum itinere, ut auctor est Iuba, viginti quinque, acriter virides, sed non facile puri aut concolores ». Iamvero ab urbe Copto (hodie *Quft* sub 26° lat. sept. ad ripam Nili dexteram) in directione austro-orientali cernuntur antiquae smaragdi fodinae apud Smaragdum montem (*Djebel Zabara* circiter sub 24° 40′ lat. sept.) e regione Iambe seu Veneris insulae. Smaragdum montem memorat *Ptolemaeus* IV. 5,15[8] inter Album portum (Λευκὸς λιμήν, hodie *Qoṣeir* paulo supra 26° lat. sept.) et Berenicen iuxta Leptum promontorium (paulo infra 24° lat. sept.). In ea regione smaragdos reperiri etiam refert *Strabo* XVII. 1,45 : « Deinceps est isthmus ad Rubrum mare porrectus versus Berenicen urbem, quae quamquam sine portu est, tamen ob opportunitatem isthmi idonea diversoria habet... atque nunc omnes Indicae et Arabicae merces et Aethiopicae etiam, quae Arabico sinu advehuntur, Coptum deferuntur, istarum mercium emporium... In hoc isthmo etiam smaragdi sunt et aliorum quorundam pretiosorum lapidum metalla, ubi Arabes profundos

quosdam cuniculos effodiunt ». Ad *Ptolemaeum* IV. 5,8 in editione recentissima parisiensi (apud *Firmin-Didot*, 1883 et 1901) adnotat *C. Th. Fischer,* postquam Smaragdum montem cum *Djebel Zabara* comparavit : « Aliae Smaragdi fodinae in Petermanni tabula indicantur 25° 41′ ad *Djebel Zumurtud* (*Djebel Sumrud* in Niebuhrii tabula 25° 54′), cui vicinus est *Djebel el-Tiour* in ea regione, ubi Ptolemaeus ponit Acabam montem. Hae sunt Smaragdi fodinae, quae in Iacuti lexico geographico 2,417 (citante Sprenger, p. 19) a Copto abesse dicuntur sex dierum itinere (distantia directa in tabulis c. 700 stadiorum) ». Sed his indicationibus potius respondent fodinae auri in *Wādi Umbārek* prope *Umm Rus* (sub 25° 30′ lat. sept. et 7 km a parvo portu *Umbārek*), ubi teste Ptolemaeo IV. 5,15[8] posita erat Nechesia. De fodinis smaragdi et auri cf. *Baedeker-Steindorff,* Aegypten *ed.* 6 (1906), p. 354. — Smaragdus refertur ad beryllum (v. s. v.) velut eius praecipua varietas, cui reliquae berylli varietates opponuntur; cf. *Naumann-Zirkel,* Mineralogie, 1898, p. 710. 711.

SMYRNA (Σμύρνα), urbs Ioniae (*Ptolem.* V. 2,7[6]), ad sinum Smyrnaeum sita (*Pompon. Mela* 1,17), amne Melete gaudens non procul orto (*Plin.* V. 29, 118), ab Epheso 320 stadia septemtrionem versus (*Strabo* XIV. 1,2). Eius mentio fit Apoc. 1,11; 2,8. Ex eadem urbe Alexander Balas (v. ALEXANDER 2) oriundus esse putatur. Iudaeos ibi degisse testantur inscriptiones (cf. Revue des études juives, t. VII. Nr. 14, 1883, p. 161 ss.; Corp. Inscrip. Graec. n. 9897) et Martyrium Polycarpi c. 12. 13. 17. 18. Cuius generis isti Iudaei fuerint, elucet tum ex Martyrio Polycarpi tum ex Apoc. 2,9 : « et blasphemaris ab his qui se dicunt Iudaeos esse et non sunt, sed sunt synagoga Satanae ». De Smyrna cf. *W. M. Ramsay,* Hist. Geogr. of Asia Minor, 1890, p. 107-9. 115. 116; *Ch. Wilson,* Handbook to Turkey; *Meyer*'s Reisebücher, Griechenland u. Kleinasien, 1906, p. 277 ss.

SOAM (שֹׁחָם, Ἰσοάμ), levita de stirpe Merari (1 Par. 24,27).

SOAR v. SOHAR.

SOBA (צוֹבָא; Σουβά et 1 Par. 19,6 Σωβάλ),regnum aramaicum, pleniore nomine Aram Soba, Vulg. : Syrus Soba (2 Reg. 10,6. 8). Contra reges Soba iam Saul pugnavit (1 Reg. 14,47). Tempore Davidis Adarezer rex Soba cum aliis regnis aramaicis (Aram Damasci, Rohob, Maacha, Istob) et cum Ammonitis foedus inierat, sed duplici clade a Davide afflictus est (2 Reg. 8,3 ss.; 10,6 ss.; 1 Par. 18,3 ss.; 19,6 ss.). Verum postea quoque regnum Soba Israelitis infestum erat. Razon filius Eliada Adarezer regem Soba dominum suum fugerat et collectis latronibus Damascum occupavit eratque adversarius Israel cunctis diebus Salomonis (3 Reg. 11,23-25). Ipse Salomon contra Emath Soba (Vulg. Suba) profectus est eamque regionem subegit (2 Par. 8,3) i. e. regna Emath et Soba illo tempore in unum regnum unita, ut nonnulli interpretes coniciunt; sed v. EMATH 3. De regno Soba etiam agitur Ps. 59[60],2 (Vulg. Sobal, LXX Σοβάλ) et probabiliter Iudith 3,1. 14 (Vulg. Syria Sobal).

In inscriptionibus cuneiformibus mentio fit urbis *Subat, Subut* vel *Subit,* quae alia nequit esse nisi nostra Soba. Ex his fontibus tum biblicis tum assyriacis id certo eruitur regionem Soba fuisse ad septemtrionem Palaestinae inter mare Mediterraneum et Euphraten (cf. *Schrader,* Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 122; *Schrader-Whitehouse,* Cuneiform Inscriptions and Old Test. I. p. 171. 172 ad 2 Sam. 8,3. 5). Insuper putant *Nöldeke* et *Delitzsch* Soba ibi fere fuisse, ubi est Emesa, hodie *Ḥoms* (*Delitzsch,* Paradies, p. 279 s.).

Praeterea 2 Reg. 23,36 inter heroes davidicos recensetur Igaal filius Nathan de Soba; certe non agitur de regno aramaico Soba; de textu emendando cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.

SOBAB (שׁוֹבָב, Σωβάβ, Σουβάβ).

1. Filius Davidis ex Bethsabee in Ierusalem natus (2 Reg. 5,14; 1 Par. 3,5; 14,4).

2. Filius Caleb filii Hesron ex Azuba genitus (1 Par. 2,18) vel fortasse filius Ierioth, filiae Caleb et Azubae, si textum corruptum cum *Keil* ad h. l. emendare volueris. Sed iuxta correctionem, quam *F. de Hummelauer* ad 1 Par. 2,18 adhibet, Soba erat filius Azubae, filiae Ierioth et uxoris Caleb.

SOBACH (שׁוֹבַךְ, Χωβάχ), magister militiae Adarezer regis Soba; praeerat copiis, quas Adarezer a Ioab prope Medabam devictus e regionibus trans Euphraten sitis adduxit, sed in altero proelio apud Helam ipse Sobach percussus statim obiit (2 Reg. 10,16-18). Idem 1 Par. 19,16. 18 nominatur Sophach (שׁוֹפַךְ, Σωφάθ).

SOBAI (שׁוֹבַי, in pausa שׁוֹבָי), ianitor, cuius posteri cum Zorobabel Babylone redierunt (Esdr. 2,42 B Ἀβαού, A Σωβαί; Neh. 7,46[45] B Σαβεί, A Σαβαί).

SOBAL (שׁוֹבָל, Σωβάλ). **1.** Filius secundus Seir Horraei et unus ex ducibus Horraeorum in monte Seir (Gen. 36,20. 23. 29; 1 Par. 1,38. 40); eius filii enumerantur Alvan (Alian), Mahanath, Ebal, Sepho (Sephi), Onam.

2. Pater i. e. possessor urbis Cariathiarim, filius Hur et nepos Caleb filii Hesron (1 Par. 2,50). Idem 1 Par. 4,1. 2 (LXX Σουβάλ) inter filios i. e. posteros Iuda recensetur et filium Raia (רָאָיָה, Ῥάδα) habuisse asseritur. In textu satis obscuro 1 Par. 2,52. 53 filii Sobal recensentur: primo loco Raia, cuius nomen corruptum est in הָרֹאֶה (Vulg. qui videbat, LXX Ἀραά), secundo loco Dimidium requietionum (vide s. v. MANAHATH), tertio loco cognatio Cariathiarim, de qua egressi sunt Iethrei, Aphuthei, Semathei, Maserei, a quibus quattuor generationibus etiam Saraitae et Esthaolitae descendunt.

3. Sobal in Vulg. Ps. 59,2 (LXX Συρία Σοβάλ) mendum est pro Soba (vide s. v.); idem dicendum videtur de Syria Sobal Iudith 3,1. 14.

SOBBOCHAI v. SOBOCHAI.

SOBEC (שׁוֹבֵק, Σωβήκ), princeps populi inter signatores foederis (Neh. 10, 24[25]).

SOBI v. NAAS 2.

SOBNA. 1. Sobna (שֶׁבְנָא, Σομνάς), praefectus palatio in aula Ezechiae regis (Is. 22,15; cf. textum hebr.), non praepositus templi, ut Vulg. habet. Praepositus domus regiae non solum domum regiam administrabat, sed etiam regni negotia gerebat (cf. 22,21. 22). Quo maior igitur eius dignitas et auctoritas, eo perniciosior erat superbia et contumacia, ob quam Isaias eum verbis indignatione plenis alloqui iubetur.

2. Sobna (שֶׁבְנָא et 4 Reg. 18,18. 26 שֶׁבְנָה; Σωμνάς, Σαμνᾶς), scriba in aula regia Ezechiae, qui Eliacim praepositum domus regiae comitatus est ad legatos a Sennacherib missos et ad Isaiam prophetam (4 Reg. 18,18. 26. 37; 19,2; Is. 36,3. 11. 22; 37,2). De hoc scriba adnotat *Knabenbauer* (Comm. in Is. I. p. 431): « Prorsus incertum est, utrum Sobna scriba idem sit, de quo hoc loco (Is. 22, 15 ss.) agitur, necne. Si est idem, eum admonitione et reprehensione vatis commotum meliores induisse sensus supponendum erit; alias certo ab Ezechia in munere scribae non esset constitutus neque fuisset missus ad Isaiam, quem pro salute regis populique ut Deum precaretur, nomine regis rogaret. Sed mihi probabilius est scribam illum alium omnino esse virum; neque enim probabile censeo post talem reprehensionem et abiectionem Sobnam munere alio honorifico ab Ezechia fuisse insignitum et tamquam nuntium ad Isaiam missum ».

SOBOBA (הַצֹּבֵבָה cum articulo; B Σαβαθά, A Σωβηδά), filius Cos de tribu Iuda (1 Par. 4,8).

SOBOCHAI, SOBBOCHAI (סִבְכַּי Σεβοχά, Σοβοχαί), unus ex Gibborim davidicis, octavus princeps 24 000 virorum pro mense octavo, de stirpe Zarahi i. e. Zarae filii Iuda (1 Par. 11,29; 27, 11); idem 2 Reg. 23,27 mendose scribitur Mobonnai (מֵבֻנַּי). Celebratur quod gigantem Saph de stirpe Arapha percussit in Gob (2 Reg. 21,18) vel secundum

1 Par. 20,4: gigantem Saphai de genere Raphaim in Gazer. Cognominatur Husathites (vide s. v.).

SOCCOTH, SOCOTH (סֻכּוֹת, סֻכֹּת i. e. casae, tabernacula; Σοκχώθ).

1. Prima statio Israelitarum, postquam de Ramesse profecti sunt (Ex. 12, 37; 13, 20; Num. 33,5. 6). Erat in terra Gessen. Determinatio situs pendet ab opinione de situ urbis Ramesses. Si Ramesses admittitur esse Tanis seu Zoan, quam opinionem valde probabilem esse diximus, *Sukkoth* est forma hebraica pro *Thuku* seu *Thukoth* regione seu provincia, cuius caput erat Phithom (cf. *Naville*, The store-city of Pithom, London, 1887, p. 6. 7. 28; Atlas of Ancient Egypt, London, 1894, p. 8. 14). — Sin autem Ramesses agnoscitur in ruinis *Abu Keisheb*, quaerenda erit Soccoth in vicinia lacus *Timsāḥ*.

2. Urbs tribus Gad in valle Iordanis (Ios. 13,27). Nominis interpretatio : *casae*, *tabernacula* Gen. 33,17 traditur; Iacob enim ex Mesopotamia redux primum in Phanuel, deinde in Soccoth venit, ubi *tabernacula* sua pro aliquo tempore fixit, antequam Iordane traiecto ad Sichemitas proficisceretur. Gedeonis aetate erat urbs munita a septuaginta septem principibus administrata; Gedeon Madianitas in planitie Iezrael devictos insequens Iordanem traiecit et primum in Soccoth, deinde in Phanuel pervenit; cum viri Soccoth et Phanuel annonam Gedeoni praebere recusarent, quod Madianitarum reges Zebee et Salmana nondum cepisset, Gedeon regibus illis captis redux iniuriam sibi illatam ultus est tormento seniorum Soccoth et destructione turris Phanuel (Iud. 8,4-17). Psalmista 59[60],8 et 107[108],8 enumerat vallem Soccoth (Vulg. convallem tabernaculorum, LXX τὴν κοιλάδα τῶν σκηνῶν) et Sichem ad designandum agrum tum trans tum cis Iordanem. Eadem a plerisque agnoscitur Soccoth (Vulg. Sochot, Sochoth), quae 3 Reg. 7, 46 et 2 Par. 4,17 nominatur cum Sarthan urbe cisiordanica eique ut urbs transiordanica opponi videtur; inter utramque urbem in campestri regione Iordanis Salomon officinam operum ex aere fusorum habebat.

Ex textibus allatis omnino efficitur, Soccoth ab oriente Iordanis quaerendam esse; utrum autem supra an infra fluvium Iaboc fuerit, certo dici nequit, praesertim cum etiam situs Sarthan cisiordanicae et Phanuel apud fluvium Iaboc accuratius determinari nequeant. Exstant quidem ruinae *Sāqūt* (*ʿAin el-Sāqūt, Tell el-Sāqūt*) cis Iordanem et quinque fere horis a *Beisān* (Bethsan) meridiem versus sitae, in quibus *Guérin* (Samarie I. 269-274) et *Er. Nagl* (Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 76. 77) agnoscunt Sochoth 3 Reg. 7,46 et 2 Par. 4,17 nominatam, quam a Soccoth transiordanica distinguunt.

Apud Talmudicos Soccoth vocabatur תרעלה, *Tarʿalā;* unde commendari videtur opinio recentiorum, qui Soccoth agnoscunt in *Tell Deir ʿAlla* 1,5 km a fluvio Iaboc aquilonem versus in regione depressa Iordanis ad radices regionis montanae; cf. *C. R. Conder*, Heth and Moab, 1892, p. 183; *S. Merrill*, East of the Jordan, 1881, p. 385 ss.; *Moore*, Comm. on Judges, 1898, p. 219; *M. J. Lagrange*, Le livre des Juges, 1903, p. 143; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I.

Alii vero Soccoth infra fluvium Iaboc quaerunt prope vadum Iordanis *el-Dāmiye;* cf. *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. IV. Koen. 1904, p. 127 s.; *I. Benzinger*, Die Bücher d. Koenige, 1899, p. 54.

SOCHO (שׂוֹכֹה, שׂכֹה, שׂוֹכוֹ). **1.** Urbs in campestribus Iuda, in prima provincia Sephelae enumerata (Ios. 15, 35; Σαωχώ), sed iam in ascensu versus montem Iuda posita, prope quam Philisthaei castrametati sunt (1 Reg. 17,1; Σοκχώθ) contra Israelitas in Valle Terebinthi congregatos; pertinebat cum Aruboth et terra Epher ad praefecturam salomonicam a Benhesed administratam (3 Reg. 4,10; Σωχώ); a Roboam rege munita (2 Par. 11,7; ἡ Σοχώθ), sed regnante Achaz a Philisthaeis capta est (2 Par. 28,18; ἡ Σωχώ). — Onomast. (*ed. Lag.* 293,32; 151,21) duos viculos commemorat, Sochoth superiorem et

inferiorem, 9 mil. pass. ab Eleutheropoli Ierusalem versus distantes. Ruinae vici superioris agnoscuntur in *Khirbet Shuweike* circiter 2 ½ horis a *Beit Djibrîn* (Eleutheropoli) inter septemtrionem et orientem in colle positae; vici autem inferioris, qui ad radices eiusdem collis fuisse supponitur, ruinae non exstant (*Guérin,* Judée, III. 332-335; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 53; *Er. Nagl,* D. nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 102. 103).

2. Urbs in prima provincia montis Iuda (Ios. 15,48; Vulg. Socoth, LXX Σωχά). Probabilius eadem est quae 1 Par. 4,18 una cum Gedor et Zanoe nominatur (Vulg. Socho, LXX Σωχών). Hodie *Khirbet Shuweike* 15 km a Hebron meridiem versus (*Riess,* Bibel-Atlas s. v.; *Guérin,* Judée, III. 201. 202; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 404). Sunt etiam qui Socho 3 Reg. 4,10 non illam urbem Sephelae (v. num. 1), sed hanc urbem in prima provincia montis Iuda interpretentur (*Thenius, Kneucker, Neteler, Kittel,* quibus assentitur *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Koenige, 1904, p. 51. 52).

3. Socho (שֹׂכוֹ, ὁ Σεφί) prope Ramatham patriam Samuelis (1 Reg. 19,22); est ignota.

SOCHOTH, SOCHOT (3 Reg. 7, 46; 2 Par. 4,17) v. SOCCOTH 2.

SOCHOTHBENOTH (סְכּוֹת בְּנוֹת, B Ῥοχχωθδαινειθεί, A Σοχχωθδενιθεί), idolum Babyloniorum, qui a rege Assyriorum in Samariam translati sunt (4 Reg. 17,30). De isto idolo nihil certi constat. Priore voce *Sukkōt* designari videtur Marduk, altera autem voce eius uxor [*zir*] *banīti.*

Varias opiniones enumerat *P. Scholz,* Götzendienst u. Zauberwesen, 1877, p. 407-409. Cf. praeterea Studien und Kritiken, 1884, p. 197 ss.; Zeitschr. f. alttest. Wissensch. III. 1883, p. 113; Zeitschr. f. Assyriol. VI. 1891, p. 352; *Delitzsch,* Paradies, p. 215; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and. Old Test. I. 274.

De coniecturis recentiorum cf. *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Koenige, 1904, p. 295; *Er. Nagl,* D. nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 281. 282.

SOCOTH v. SOCCOTH et SOCHO 2.

SODI. 1. Sodi (סוֹדִי, Σουδεί), pater Geddiel exploratoris de tribu Zabulon (Num. 13,11[10]).

2. Sodi (Σούδ), flumen in Babylonia, ad cuius ripas Iudaei exsules habitabant (Bar. 1,4), hucusque prorsus ignotum. Fortasse canalis quidam Euphratis eo nomine designatur. Coniecturae variae de isto flumine propositae sunt, quas vide apud *Knabenbauer* ad h. l.

SODOMA (סְדֹם, Σόδομα), urbs praecipua Pentapoleos in valle Siddim, terminus ad quem terra Chanaan a Sidone protenditur (Gen. 10,19). Distinguitur a terra Chanaan; nam Abram habitavit in terra Chanaan, Lot vero moratus est in Pentapoli et fixit tentoria usque Sodoma (Gen. 13,10. 12). Rex Sodomorum dux erat regum Pentapoleos contra Chodorlahomor eiusque socios (14,2 ss.). Ob impietatem ac pravitatem incolarum urbes Pentapoleos excepta Segor destructae sunt a Deo (Gen. 18,16 ss.; 19,1 ss.) per catastrophen, de qua s. v. SIDDIM diximus. In S. Scriptura passim exhibetur impietas Sodomitarum velut typus impietatis maximae (Deut. 32,32; Is. 1, 10; 3,9; Lam. 4,6; Ez. 16,44 ss.; Apoc. 11,8) et interitus Sodomorum velut typus iudiciorum vindictae divinae (Deut. 29,23; Is. 1,9; 13,19; Ier. 49,18; 50,40; Am. 4,11; Soph. 2,9; Matth. 10,15; 11, 23. 24; Luc. 10,12; 17,29; Rom. 9,29; 2 Petr. 2,6; Iudas 7).

Vestigium nominis ac situs Sodomorum hodie prae se fert *Djebel Usdum* iuxta occidentalem ripam maris Mortui inferioris.

SODOMITICA POMA a nonnullis interpretibus obscure significata esse censentur Sap. 10,7; Deut. 32,32; Ez. 47, 12. Quae opinio etsi in sacro textu fundamentum sufficiens non habeat (cf. commentarios *Cornely-Zorell, F. de Hummelauer, Knabenbauer*), nihilominus brevem expositionem postulat de pomis sodomiticis, quae inde ab aetate Flavii Iosephi et Taciti notissima ac celeberrima sunt. Referunt enim antiqui scriptores, prope mare Mortuum gigni pomum quod licet speciem habeat maturitatis, mandi ta-

men non possit, quia fuliginem intrinsecus favillaceam ambitus tantum extimae cutis cohibeat, quae vel levi tactu pressa fumum exhalet et fatiscat in vagum pulverem (*Solin.* Polyhist. 38). Iuxta Flavium Iosephum in regione Pentapoleos « adhuc ignis a Deo immissi reliquias et oppidorum quinque istic videre licet umbram et imaginem; insuper et in fructibus cineres renascentes, qui specie quidem et colore edulibus similes sunt, manibus autem decerpti in favillam et cinerem resolvuntur » (Bell. iud. IV. 8,4). Quae Flavii Iosephi verba referre et amplificare videtur Tacitus (Hist. 5,7) asserens « terram ipsam specie torridam vim frugiferam perdidisse; nam cuncta sponte edita aut manu sata sive herba tenus aut flore seu solidam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt ».

Quaenam planta his veterum descriptionibus correspondeat, non certo constat. Tres plantae in comparationem adducuntur : prima *Citrullus colocynthis* Schrader = *Cucumis colocynthis* Linné, quae habitat in arenosis regionibus iuxta mare Mortuum, Rubrum, Mediterraneum (*E. Boissier*, Flora orient. II. p. 759; *G. E. Post*, Flora of Syria, 1896, p. 324); secunda *Solanum coagulans* Forskal = *S. sanctum* Linné = *S. hierochuntinum* Duval, frequens in regionibus calidis Palaestinae prope Iericho et ad mare Mortuum, in Aegypto superiore et Persia australi (*Boissier* IV. p. 286; *Post*, p. 567 s.); tertia denique *Calotropis procera* Willdenow, arab. *'ushr* et *'ushār*, habitans in Nubia, Abyssinia, India boreali, sed etiam in valle Iordanis prope Iericho, circa mare Mortuum, versus Sinai et Aegyptum (*Boissier*, IV. p. 57. Supplem. p. 344; *Post*, p. 526). Calotropis procera est frutex 3-5 m altus, floribus purpureis ornatus, cuius fructus ovati 4-5 cm longi ab Arabibus ova appellantur et manibus compressi nonnisi fibras et semina patefaciunt; atque hi fructus a recentioribus plerisque existimantur poma sodomitica veterum scriptorum.

Cf. *I. N. Mundelstrup*, De pomis sodomiticis, Havniae 1683; *I. M. Stohr*, Poma sodomitica ad illustrat. Sap. 10,7, Lipsiae 1695; *H. Chr. Kaasböl*, De arboribus sodomaeis, Havniae 1705; *I. H. Ursinus*, Arboretum biblicum, 1699, p. 596 ss.; *M. Hiller*, Hierophyt. 1625, I. p. 343 s.; *O. Celsius*, Hierobot. 1745-7; II. 40-46; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 1791, III. 17, p. 141-145; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. 1884, p. 220; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 482-4; *J. Smith*, Bible plants, 1878, p. 59-61; *P. Schegg*, Bibl. Arch. 1887, p. 270; *M. Julien*, L'Égypte, 1891, p. 192 s.; *L. Fonck*, Streifzüge durch d. bibl. Flora, 1900, p. 137 ss.

SOHA v. SIHA.

SOHAR, SOAR (שֹׁחָר, Σάαρ), filius Simeon patriarchae (Gen. 46,10; Ex. 6, 15), alibi Zare, Zara appellatus (Num. 26,13; 1 Par. 4,24).

SOHORIA (שְׁחַרְיָה, B Σαραιά, A Σααριά), filius Ieroham, Beniaminita (1 Par. 8,26).

SOL. Summa solis et claritas et utilitas animos hominum merito admiratione affecit. In eius contemplatione exclamat Sapiens : vas admirabile, opus Excelsi; magnus Dominus qui fecit illum (solem) et in sermonibus eius festinavit iter (Eccli. 43,2. 5). Deus solem posuit in caelo, ut praeesset diei (Gen. 1,16; Ps. 135,8) et eum oriri facit super bonos et malos (Matth. 5,45; cf. Iob 9,7); uti dies, ita annus a sole determinatur (Eccli. 33, 7); calore suo replet omnia : in meridiano exurit terram et in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? (Eccli. 43,3; cf. Ps. 18,7); magno splendore procedit ex tabernaculo vel habitaculo suo (Ps. 18, 6; Hab. 3,11), tamquam sponsus de thalamo suo et exsultat ut gigas ad currendam viam; a summo caelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius (Ps. 18,6; Eccle. 1,5. 6); in ortu suo splendet (Iud. 5,31); eius claritas effertur, ut summa quaedam pulchritudinis species menti ingeratur; ita Cant. 6,9 electa ut sol, Sap. 7,29 sapientia est sole speciosior, Eccli. 23,28 oculi Domini multo plus lucidiores sunt sole, Matth. 13, 43 iusti fulgebunt sicut sol, Apoc. 1,16 facies eius sicut sol lucet in virtute eius. Ut luminis ac beatitatis abundantia indicetur, dicitur : lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum (Is. 30,26);

verum haec claritas vincitur et evanescit summa Dei claritate : et civitas non eget sole; nam claritas Dei illuminavit eam (Apoc. 21,23; 22,5).

Quae afferunt illuminationem et splendorem, comparatione solis saepius designantur; ita dicitur sol intellegentiae (Sap. 5,6), sol iustitiae nomen meum (Mal. 4,2); sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus (Eccli. 26,21). Ad beatitatis stabilitatem declarandam dicitur : non occidet sol tuus (Is. 60,20); et a contrario : occidet sol in meridie (Am. 8,9) i. e. subito ingruet atra calamitas media in iubilatione; et similiter : occumbet sol super prophetas (Mich. 3,6).

Cum sol suo splendore omnium rapiat oculos, non mirum est, homines eum religioso cultu esse prosecutos (cf. Sap. 13,2 ss.), a qua superstitione ut sibi caveant monentur Israelitae (Deut. 4,19); eam longe a se abfuisse testatur Iob : si vidi solem cum fulgeret et laetatum est in abscondito cor meum et osculatus sum manum meam ore meo (Iob 31,26). Verum Israelitae inter alia solem quoque superstitiose venerabantur; Ezechiel 8,16 vidit in visione stantes viros principes in ostio templi inter vestibulum et altare adorantes ad ortum solis; Iosias rex pius delevit eos qui adolebant incensum soli et abstulit quoque equos quos dederant reges Iuda soli et currus solis combussit igne (4 Reg. 23,5. 11). Ut cultus ille vindicetur, Isaias praedicit : et confundetur sol cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion (24,23). Atque revera ante magnum illum Domini diem signa fore in sole saepius est praedictum; cf. Ioel 2,10. 31; 3,15; Matth. 24,29; Marc. 13,24; Luc. 21,25; in cuius rei praesagium in morte Domini sol est obscuratus (Luc. 23,45) et portenditur Apoc. 6,12 : sol factus est niger tamquam saccus cilicinus et 9,2 : obscuratus est sol.

SOLARIUM. Ea voce redditur in Vulg. hebr. גַּג tectum. Intellegitur tectum planum domus, in quo tecto vel res asservabantur ad siccandum (ita Ios. 2,6 absconduntur exploratores in stipula lini), vel homines secreta loqui, dormire, ambulare solebant (cf. Iud. 16,27; 1 Reg. 9,25. 26; 2 Reg. 11,2; 16,22). Eundem morem versandi in tecto domus tangit Christus : et qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua (Matth. 24,17 cf. Marc. 13,15).

De solario (horologio) Achaz v. s. v. HORA in vol. II. col. 546-9.

SOMAA (1 Par. 12,3) v. SAMAA 4.

SOMER. **1**. Somer (שֶׁמֶר, in pausa שָׁמֵר, Σέμμηρ), levita de stirpe Merari, unus ex maioribus Ethan (1 Par. 6,46 [31]).

2. Somer (שׁוֹמֵר, Σαμήρ), filius Heber de tribu Aser (1 Par. 7,32); idem 1 Par. 7,34 scribitur שֶׁמֶר, in pausa שָׁמֵר (B Σέμμηρ, A Σώμηρ).

3. Somer 3 Reg. 16,24, v. SEMER.

4. Somer 4 Reg. 12,21[22] v. SEMARITH.

SOMNIUM. De somniis vario modo mentio fit in s. litteris. Proponitur tamquam imago rei inanis seu conatus inutilis : sicut somniat esuriens et comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius; et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, sic erit multitudo omnium gentium quae dimicaverunt contra montem Sion (Is. 29,8); velut somnium surgentium, Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges (Ps. 72,20); somnium avolans non invenietur (Iob 20,8). Cum homines facile somniis vim quandam fatidicam tribuant, explicite monetur : non observabitis somnia (Lev. 19,20), non invenietur in te qui observet somnia (Deut. 18,10); nam multos errare fecerunt somnia et exciderunt sperantes in illis (Eccli. 34, 7); et ubi multa sunt somnia, plurimae sunt vanitates (Eccle. 5,6). Pseudoprophetae somnia praetendunt quibus alios decipiunt (Deut. 13,1; Ier. 23,27; 29,8). Verum somnia extollunt imprudentes; quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia; sunt quippe somnia, uti imago in speculo, carent re et significatione (Eccli. 34,1 ss.).

Nihilominus Deus ad suos erudiendos

etiam somniis utitur. Terrebis me per somnia, lamentatur Iob (7,14) et Dominus ipse dicit se ad prophetas per somnia quoque loqui (Num. 12,6), immo etiam ipse per somnium venit ad hominem eumque de re praestanda edocet; ita Gen. 20,3; 31,24. Somnia rerum futurarum auguria narrantur habita a Ioseph (Gen. 37,5 ss.), ab aulicis Pharaonis (Gen. 40,8 ss.), a Pharaone (41,1 ss.), a milite in exercitu Gedeonis (Iud. 7,13 ss.), a Mardochaeo (Esth. 10,5 ss.; 11,2 ss.), a Nabuchodonosor (Dan. 2,1 ss.; 4,1 ss.). Talium somniorum explicatio expetenda est a Deo : numquid non Dei est interpretatio? (Gen. 40,8); Deus respondebit Pharooni prospera (Gen. 41,16) et Danieli dedit Deus intellegentiam omnium visionum et somniorum (Dan. 1,17; 2,27). Somnio edocet Deus Iacob (Gen. 28,12; 31,11), Salomonem (3 Reg. 3,5); ita angelus edocet Ioseph de conceptione virginea, de fuga capessenda (Matth. 1,20; 2,12) et « per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines et dormiunt in lecto, tunc aperit aures virorum et erudiens eos instruit disciplina » (Iob 33,15 s.). Verum Sapiens sapienter monet : nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis phantasiis cor tuum (Eccli. 34,6).

SOMORIA (שִׁמְרִית, Σαμαρίας), filius Roboam regis Iuda ex Abihail (2 Par. 11,19 et v. ABIHAIL 4).

SOPATER (Σώπατρος), filius Pyrrhi ex Beroea urbe Macedoniae oriundus, unus ex illis septem, quos S. Paulus ex tertio itinere apostolico rediturus Troadem praemisit, ut inde ipsum in urbem Ierusalem comitarentur (Act. 20,4). Idem videtur esse ac Sosipater (Σωσίπατρος), quem S. Paulus inter cognatos i. e. contribules suos enumerat (Rom. 16,21; cf. *Cornely* ad h. l.).

SOPHACH v. SOBACH.

SOPHAI v. SUPH.

SOPHAN urbs v. ETROTH.

SOPHAR (צוֹפַר, Σωφάρ), unus ex tribus amicis Iob (Iob 2,11; 11,1; 20,1; 42,9), cognominatus Naamathites (vide s. v.).

SOPHER (הַסֹּפֵר, ὁ γραμματεύς), princeps exercitus Sedeciae regis, in Reblatha interfectus a Nabuchodonosor (4 Reg. 25,19); loco parallelo Ier. 52,25 Vulg. non nomen proprium exhibet, sed : scribam principem militum, textus hebr. סֹפֵר (סוֹפֵר) sine articulo. Non liquet, utrum סֹפֵר revera sit nomen proprium (forte corruptum) istius principis bellici (*A. Klostermann*) an potius scriba eiusdem (*R. Kittel*).

SOPHERET, SOPHERETH (הַסֹּפֶרֶת, Ἀσεφῆραθ Esdr. 2,55; סֹפֶרֶת, Σαφάραθ Neh. 7,57), unus ex servis Salomonis, quorum posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt.

SOPHONIAS (צְפַנְיָה, Σοφονίας). **1**. Filius Maasiae et sacerdos regnante Sedecia, a quo bis legatus ad Ieremiam missus est (Ier. 21,1; 37,3). Successerat in locum Ioiadae sacerdotis et erat dux in domo Domini super omnem virum arreptitium et prophetantem, ut scil. tales impostores cohiberet ac puniret (Ier. 29,25. 26); ad eum Semeias Nehelamites Babylone epistulam misit, ut Ieremiam velut falsa prophetantem increparet (Ier. 29,29). Urbe a Chaldaeis expugnata ipse cum Saraia sacerdote primo aliisque vi abductus et in Reblatha occisus est (4 Reg. 25,18 ss.; Ier. 52, 24 ss.).

2. Levita de stirpe Caath, ex maioribus Heman cantoris (1 Par. 6,36[21]).

3. Pater Iosiae cuiusdam hierosolymitani (Zach. 6,10. 14 et cf. *Knabenbauer* ad 6,14).

4. Sophonias ultimus inter prophetas minores, qui ante exsilium babylonicum vaticinati sunt, filius Chusi filii Godoliae filii Amariae filii Ezeciae in diebus Iosiae filii Amon regis Iudae (Soph. 1,1). De quaestione fueritne Sophonias e nobili stirpe Ezechiae regis Iuda vide s. v. EZECIAS. in vol. II. col. 255. Insuper quaerunt interpretes, utrum Sophonias munere suo functus sit circa Iosiae regis primordia i. e. ante inchoatam reformationem an post inchoatam, sed nondum terminatam reformationem an demum post foedus renovatum seu post annum

18. Iosiae. Respondet *Knabenbauer* : « Liber propheticus non unam aliquam exhibet contionem, sed ea quae propheta saepe et variis occasionibus populo proposuit, ad breve argumentum redacta nobis refert. Quare nihil obstat quominus dicamus Sophoniam et ante morum instaurationem praedicasse et post eam vel eum regi opitulatum esse et in praeparanda et in exsequenda illa reformatione et demum summam contionum, minarum, promissionum hoc suo comprehendisse libello ».

SOREC (נַחַל שׂוֹרֵק, Vulg. vallis Sorec, LXX Ἀλσωρήχ), vallis in qua Dalila habitabat (Iud. 16,4). Nomen in editionibus et plerisque mss. legitur שׂוֹרֵק, sed explicandum videtur a שֹׂרֵק, quae est vitis generosioris species, probabiliter ab uvis rubris seu caeruleis et nigricantibus appellata (*Gesenius*, Thesaurus s. v.); vallis igitur a vitibus nomen videtur accepisse. S. Hieronymus in Onom. (*ed. Lag.* 153,7) notat : « sed et usque hodie ad septemtrionalem plagam Eleutheropoleos vicus ostenditur nomine Cafarsorec iuxta villam Saraa, unde et Samson fuit » (*Eusebius* l. c. 295,77 scripserat ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως Βαρὴχ λεγομένη). Iamvero Cafar Sorec agnoscitur hodiernus vicus *Ṣūrīk* 18 km septemtrionem versus ab Eleutheropoli nec procul ab oppido *Sar'a* (Saraa); vallis igitur, cui vicus *Sūrīk* imminet, est antiqua vallis Sorec, hodie *Wādi el-Ṣarār*, cui mare versus nomen *Nahr Rūbīn*. Cf. *P. Thomsen*, Loca sancta (1907) I. s. v. Σωρηχ.

SORES (Σωρής) Ios. 15,59 cod. A v. THOBES.

SORI v. ISARI.

SORS. Uti nomen hebr. sortis גּוֹרָל (calculus) indicat, adhibebantur ad sortes mittendas calculi seu tesserae, quae vel coloribus vel forma inter se distinguebantur vel etiam inscriptione quadam. Mittebantur vel in vas aliquod vel urnam aut in sinum vestimenti, unde excutiendo sors determinabatur; cf. Prov. 16,33 sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. Ipsae tesserae fortasse proiiciebantur, ut ipsa proiectione et situ cadentium res decideretur. Varii enim sortiendi modi ipsa locutionum varietate indicantur : mittere sortem, dare, iacere, cadere sortem, exire, egredi, ascendere, sorte contingere.

Nomina tesseris esse inscripta vel signa certa concluseris iam ex Lev. 16,8 : duo hirci statuebantur coram Domino, unus Domino, alter Azazel; mittebantur sortes, uter Domino esset offerendus, uter in desertum propellendus. Eodem modo explica : et applicuit Samuel omnes tribus Israel et cecidit sors tribus Beniamin (deprehensa est tribus B.) et applicuit cognationes eius et cecidit cognatio Metri etc. (1 Reg. 10, 20) et ita sane saepius.

Sortibus frequenter utebantur : sorte terra sancta divisa est (Num. 26,55 s.; 33,54; 34,2; 36,2 Domino praecipiente; Deut. 1,38; 31,7; Ios. 1,6 etc.); sorte deprehensus est Achan (Ios. 7,14), Ionathan (1 Reg. 14,38), Ionas (1,7), sorte ministeria templi divisa sunt 1 Par. 24,5; 25,8; 26,13 et distributa post exsilium habitacula Neh. 11,1; et Esth. 3,7 : missa est sors in urnam mense primo et exivit mensis duodecimus. Sorte quoque distribuebantur spolia, captivi; cf. Ioel 3,3; Abd. 11; Nah. 3,10; vestes Ps. 21, 19; Matth. 27,35; Marc. 15,24; Luc. 23, 34; Ioan. 19,23; sorte designatus est Matthias (Act. 1,23-26).

Quia itaque sorte res attribuebantur, portio illa ipsa et pars quae attributa erat nomine sortis appellabatur. Ita Iud. 1,3 : ascende mecum in sortem meam i. e. in hereditatem, possessionem mihi sorte contingentem; cf. Iud. 1,16 etc. Inde notione generaliore sors dicitur de fortuna, condicione et variis hominum casibus : Ps. 30,16 in manibus tuis sortes meae; Ps. 124,3 non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum; Ier. 13,25 haec sors tua a me, dicit Dominus, quia oblita es mei et confisa es in mendacio (i. e. haec calamitas et poena tibi continget); cf. Sap. 5,5 inter sanctos sors illorum est; Eccli. 6,4; 17,20; 25,26 sors peccatorum cadet super illam; Act. 26,18 ut

accipiant sortem inter sanctos; Col. 1, 12 etc.

SOSIPATER (Σωσίπατρος). **1.** Dux in exercitu Iudae Machabaei (2 Mach. 12,19. 24).

2. Cognatus i. e. contribulis S. Pauli (Rom. 16,21); probabilius idem est ac Sopater (vide s. v.) Beroeensis.

SOSTHENES (Σωσθένης), princeps synagogae corinthiae, qui coram Gallione proconsule Paulum apostolum accusavit, sed ante tribunal verberibus affectus est Gallione annuente (Act. 18,17); successerat in munere archisynagogi Crispo, quem S. Paulus brevi ante baptizaverat (cf. Act. 18,8). — Praeterea 1 Cor. 1,1 apostolus nomini suo addidit nomen Sosthenis fratris, qui velut alter epistulae auctor ea, quae Paulus Corinthiis scribit, approbaret et confirmaret. Fortasse hic Sosthenes frater idem est atque ille archisynagogus; fieri enim potuit, ut illa tribulatione ad fidem adductus Paulo sese adiunxerit discipulum (*Cornely* ad 1 Cor. 1,1).

SOSTRATUS (Σώστρατος), praepositus arcis hierosolymitanae, ad quem exactio vectigalium pertinebat; quam cum neglexisset, ad regem Antiochum IV. evocatus est et in eius locum suffectus Crates Cypriorum praefectus (2 Mach. 4, 27-29; in v. 29 vide textum graecum).

SOTAI vel **SOTHAI** (סֹתַי, סוֹתַי, Σατεί, Σουτεί), unus ex servis Salomonis, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,55; Neh. 7,57).

SPARTIATAE SPARTIANI (Σπαρτιᾶται), incolae urbis Spartae et reipublicae eiusdem nominis qui etiam Lacedaemonii vocabantur. Sparta caput reipublicae in Peloponneso sita erat urbs inter Eurotam fluvium et Taygetum montem. Ex anno 146 a. Chr. Graecia quidem Romanorum dominationi erat subdita, at Lacedaemones magnam retinuisse libertatem Strabo (VIII. 5,5; *ed. Cas.* p. 365) asserit: ἔμειναν ἐλεύθεροι praeter socias operas (πλὴν τῶν φιλικῶν λειτουργιῶν) nihil quidquam pendentes (Romanis).

Ionathas, pontifex Machabaeus (160-143 a. Chr.), cum versus finem suae gubernationis legatos mitteret Romam, simul voluit ut Spartam adirent et epistulam ad Spartiatas traderent ad renovandam amicitiam. Quae epistula legitur 1 Mach. 12,6 ss.; dicitur in ea iampridem missas esse epistulas ad Oniam summum sacerdotum ab Ario, rege Lacedaemoniorum; nam Spartiatas esse fratres Iudaeorum; Ionathas itaque iterum voluit renovare fraternitatem et amicitiam; affirmat in sacrificiis Iudaeos memores esse eorum « sicut fas est et decet meminisse fratrum »; narrat de tribulationibus habitis; se tamen non indiguisse ope eorum, « habuimus enim de caelo auxilium et humiliati sunt inimici nostri ». Dein sequitur epistulae rescriptum, quod Arius miserat Oniae (1 Mach. 12,20-23) : inventum esse in scriptura Spartiatas et Iudaeos esse fratres et esse de genere Abraham; quare scribant de pace sua; omnia ipsis secum esse communia. Intellegendus est Areus I. et Onias I., ita ut hoc commercium litterarum referendum sit ad annum 300 a. Chr. circiter (Areus I. 309-265). Epistulam hanc non esse confictam, iam eo concludas necesse est quod Ionathas noverit nomen regis et sacerdotis; dein argumentum ipsum epistulae sua se simplicitate probat genuinum. Unde autem orta sit opinio de genere abrahamitico Spartiatarum eorumque cum Iudaeis cognatione, nemo dixerit. Sacer auctor 1 Mach. 12,7. 21 illas epistulas Arei I. regis Spartiatarum ad pontificem Oniam I. et Ionathae Mach. ad Spartiatas fideliter transcripsit. Sane immerito quis eiusmodi opiniones potuisse mentibus insidere negaret. Refert Flavius Iosephus (Ant. I. 15) ex Alexandro Polyhistore, scripsisse Cleodemum prophetam (qui et Malchus vocatur) ex Abraham et Ceturae filiis Assyrios et Africam regionem nomen habere (cf. *Euseb.* Praep. evang. 9,20). Qualia portenta de populorum origine ac cognatione apud veteres pervulgata fuerint, vide apud Tacitum (Hist. 5,2); et apud Plutarchum (de Is. et Osir. 31) refertur

fuisse qui putarent Hierosolymum et Iudaeum filios esse Typhonis. Samaritani pro rerum condicione atque utilitate se Iudaeos vel Persas asserere solebant (*Flav. Ios.* Ant. XI. 8,6), scriptores autem iudaici, ut Eupolemus, Artapanus, iactant ab Abraham, Moyse gentes de variis artibus, de astrologia, navigatione, architectura, re militari etc. esse edoctas (fragm. apud *Euseb.*, Praep. evang. 9,18. 23. 27; apud *Clementem Alex.* Strom. I. 23). Uti refert Iosephus (Ant. XIV. 10, 22) in decreto Pergamenorum, isti affirmare non dubitant : « Abrahami temporibus qui erat omnium Hebraeorum pater, maiores nostri fuerunt illis amici, prout in acta publica relatum invenimus ». Ex altera parte aeque probabile est Areum, si id e re sua esse existimaverit, tenui quadem specie usum affirmasse et affectasse cognationem cum Iudaeis. Eandem opinionem de cognatione Iudaeorum ac Spartiatarum etiam habebat Iason, qua permotus Spartam fugit « quasi pro cognatione ibi refugium habiturus » (2 Mach. 5,9). Haec referre, prout facta sunt, immerito erroris arguitur.

Ionatha demortuo Spartiatarum principes et civitates responderunt per litteras ad Simonem sacerdotem magnum datas, legatos esse gloriose a se exceptos et quae acta essent esse in publicas tabulas relata de amicitia renovata (1 Mach. 14,20).

Lucius Calpurnius Piso, consul Romanorum, uti multis aliis, ita Spartiatis quoque scripsit de pace et amicitia cum Iudaeis fovenda (1 Mach. 15,17-23).

SPECULATORES. Ad invigilandum, explorandum, praesertim in re militari, adhibentur custodes, speculatores, in alta specula, in moenibus, turribus positi, qui pericula hostium nuntient (cf. 1 Reg. 14,16; 2 Reg. 13,34; 18,24 ss.; 4 Reg. 9,17 ss.; 1 Mach. 12,26).

Munus propheticum apte describitur vigilantia et denuntiatione periculorum quale est officium speculatorum. Quare prophetae vocantur speculatores : constitui super vos speculatores; audite vocem tubae, et dixistis : non audiemus (Ier. 6,17) i. e. monitis prophetarum non sunt obsecuti. Dominus dicit ad Ezechielem : speculatorem dedi te domui Israeli (3,17); si speculator non munere suo fungitur, sanguis eorum qui eius culpa pereunt, ex eius manu requiretur; eius est imminens periculum denuntiare (Ez. 33,2 ss.). Malos prophetas Isaias vocat speculatores caecos (56,10 et canes mutos).

SPELUNCAE v. CAVERNAE.

SPES. Spes est quoddam desiderium boni cum exspectatione id attingendi. Unde notio vocis facile transfertur ad illam ipsam rem quam quis sperat et quae spes eius i. e. obiectum eius spei dicitur; immo is quoque a quo speratur bonum, eo designatur nomine. Qui usus vocis satis frequens est in s. litteris, ut scil. Deus, a quo bona cuncta procedunt et a quo singula petenda sunt et exspectanda, appelletur spes nostra; ita Dominus est spes iusti (Ps. 13,6); Deus, spes mea ab uberibus matris meae Ps. 21, 10; beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius Ps. 39,5 i. e. cuius spes est Dominus; Domine, spes mea a iuventute mea Ps. 70,5; 90,9; 141,6.

Quod Ps. 72,28 generatim enuntiatur : mihi adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam, id multoties commendatur multis variisque praemiis propositis quae qui sperat in Domino consequetur. Est scil. spes quasi titulus quidam, quo iuremerito salutem, protectionem, auxilium a Deo exspectamus et obtinemus : Domine in te speravi, salvum me fac Ps. 7,2; conserva me Domine, quoniam speravi in te Ps. 15,1; Deus salvos facit sperantes in se Ps. 16,7; protector est omnium sperantium in se Ps. 17,31; in Domino sperans non infirmabor Ps. 25,1; in ipso speravit cor meum et adiutus sum Ps. 27,7, cf. 26,3; salvabit eos, quia speraverunt in eo Ps. 36,40; cf. 85,2; Dan. 13,60. Deus enim est scutum sperantium in se (2 Reg. 22,31). Quare praeclara bona iis obtingent qui spem suam firmiter ponunt in Deo; iis perfecit magnam multitudinem dulcedinis suae, abscondet eos in abscondito faciei et proteget eos in tabernaculo suo (Ps. 30,20. 21); sperantem in Domino misericordia circumda-

bit Ps. 31,10; in eos dirigit oculos suos Ps. 32,18; beatus vir qui sperat in eo Ps. 33,9; Prov. 16,20; cf. Ps. 35,8 ss.; 36, 3. 5; 83,13; 90,2 ss.; 142,8; 144,15; Deus non derelinquet sperantes in se Ps. 33, 23; 113,11; isti laetabuntur et exsultabunt in aeternum Ps. 5,12; 24,20; 30,7; 70,1. Haec spes fundatur in fide et cognitione Dei : et sperent in te qui noverunt nomen tuum Ps. 9,11. Atque haec valde accepta est Domino : beneplacitum est Domino in eis qui sperant super misericordia eius (Ps. 146,11).

Perniciosum autem est spem ponere in rebus fluxis, in homine; Is. 20,5 confundentur ab Aethiopia spe sua, et subvertet grando spem mendacii (Is. 28,17); non enim in arcu meo sperabo Ps. 43,7; nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus Ps. 145,2 cf. 117,9; qualis sors obtingat viro speranti in divitiis ac vanitate, depingitur Ps. 51,7-9; nolite sperare in iniquitate Ps. 61,11; dens putridus et pes lassus qui sperat super infideli in die angustiae Prov. 25,19; vacua est spes impiorum et labores sine fructu (Sap. 3,11), quoniam spes impii tamquam lanugo est quae a vento tollitur et tamquam spuma gracilis quae a procella dispergitur et tamquam fumus qui a vento diffusus est (Sap. 5,15).

Quid vero sperandum sit, colligitur partim ab ipsa natura eiusque quasi innato desiderio, potissimum autem a divinis promissis. Divina autem promissa data sunt protoparentibus, Noe, Abraham, Moysi, prophetis. Quare spes messiana unum erat e praecipuis quae in vetere foedere sperare oportebat; unde apostolus eam simpliciter spem Israel vocat (Act. 28,20). In promissione foederis continebatur et proponebatur spes bonorum et temporalium et spiritualium, dummodo homo condiciones foederis impleverit. In novo foedere praecipue speranda nobis exhibetur vita aeterna et quae ad eam assequendam requiruntur (cf. Ioan. 3,15. 16; 6,40), quae vita aeterna est participatio gloriae Dei (Rom. 5,2 graece : gloriamur in spe gloriae Dei), est visio Dei immediata (1 Cor. 13,12). Fundamentum autem spei est fides (Hebr. 11,1), qua nobis et mensura spei et modus et res sperandae innotescunt. Firmitatem ac certitudinem spei repetit ac probat apostolus ex Dei in nos caritate et exhibitione operis redemptionis in Christo (Rom. 5, 5-10). Eius spei defectum reprehendit in epistula ad Hebraeos (6,11 ss.). Ceterum vide s. v. FIDUCIA.

SPINAE designantur compluribus nominibus hebraicis, quae ordine alphabetico recensebimus additis interpretationibus versionem LXX et Vulgatae.

אַטָּד, ἡ ῥάμνος, rhamnus; v. RHAMNUS.

בָּאְשָׁה redditur Iob 31,40 βάτος, spina. Vox hebr., quae est ἅπαξ λεγόμενον, explicatur herba mala, inutilis.

בַּרְקָנִים redditur Iud. 8,7.16 Βαρκηνίμ (B 8,7 ἀδαρκηνείν, 8,16 βαρακηνείμ), tribulus. Secundum *E. Boissier*, Flora orient. III. p. 602 voce arabica *berqān* designatur *Phaeopappus scoparius* Boissier = *Centaurea scoparia* Sieber, habitans « in rupestribus desertorum Aegypti superioris ad Thebas..... in Arabia Petraea ad radices montis Sinai » seu secundum *G. E. Post*, Flora of Syria, 1896, p. 472, a regione Sinai usque ad Aegyptum superiorem. In regionibus Libani et Hermonis crescit *Phaeopappus Libanoticus* Boissier, planta perennis; cf. *Boissier* l. c. p. 594; *Post* l. c.

דַּרְדַּר, redditur Gen. 3,18; Os. 10,8 τρίβολος, tribulus. Secundum *P. Ascherson* apud *I. Loew*, Aram. Pflanzennamen, 1881, p. 427, voci *dardar* correspondet *Centaurea Calcitrapa* Linné. Crescit haec planta biennalis in Aegypto et Syria (*E. Boissier*, Flora orient. III. p. 689), a litore Syriae usque ad zonas montium medias et planities interiores (*Post*, Flora of Syria, p. 470) ac praesertim in Galilaea (cf. *J. Schwarz*, D. hl. Land, 1852, p. 317).

חֵדֶק redditur Prov. 15,19 ἄκανθα, spina; Mich. 7,4 paliurus (LXX textum omnino diversum praebent). Ex Prov. 15,19 colligitur designari spinas, quae saepibus tendendis inserviunt. Pro saepibus autem in Palaestina et generatim in Syria communissime adhibetur oleaster, arab. *zaizafūn*, *Elueagnus hortensis*

Marschall Bieberstein (*Post,* Flora of Syria, p. 711), praeterea etiam *Rubus discolor* Weihe et Nees ab Esenbeck (*Post,* p. 304), *Paliurus aculeatus* Lamarck (*Post,* p. 201), *Cactus opuntia* Linné vel eius varietas *Opuntia Ficus-Indica* Haworth (*Post,* p. 326), *Smilax aspera* Linné (*Post,* p. 778), *Lycium Europaeum* Linné (*Post,* p. 568); cf. *Post,* apud *Hastings,* Dict. of the Bible s. v. Thistles. Quibus addendum est cum *L. Fonck,* Streifzüge durch d. bibl. Flora, 1900, p. 91 s. *Solanum coagulans* Forskal = *S. sanctum* Linné = *S. hierochuntinum* Duval, quod ab Arabibus *khūdaq* appellatur et saepibus tendendis adhibetur.

חוֹחַ redditur 4 Reg. 14,9 ὁ ἄκαν, carduus; 2 Par. 25,18 ὁ ἀκχούχ, carduus; Iob 31,40 κνίδη, tribulus; Prov. 26,9 et Cant. 2,2 ἄκανθα, spina; Is. 34,13 paliurus (LXX omitt.); Os. 9,6 ἄκανθα, lappa. Videntur etiam 1 Sam. 13,6 חֲוָחִים esse dumeta, sed LXX μάνδραι, Vulg. abdita. Sensu translato חוֹחַ designat Iob 40,26 hamum et 2 Par. 33,11 instrumentum ad captivos vinciendos. Ex varietate versionum antiquarum elucet notionem specificam vocis hebr. esse obscuram. *L. Fonck,* Streifzüge, p. 93, innuit fortasse nomen חוח fuisse commune pro variis spinis et carduis, sicuti hodie *shauk* apud incolas Palaestinae v. gr. *shauq el-ʿarqabāni* = *Eryngyum creticum* Lamarck, *shauk el-djemāl* = *Echinops spinosus* Linné, *shauk el-djamal* = *Acanthus syriacus* Boissier, *shauk el-hanash* = *Noea spinosissima* Linné in Libano; quibus addi possunt species quaedam frequentiores *Cirsium acarna* Linné, *Notobasis syriaca* Linné, *Onopordon cynarocephalum* Boissier et Blanche etc.

חָרוּל redditur Iob 30,7 φρύγανα ἄγρια, sentes; Prov. 24,31 (חֲרָלִים) et Soph. 2,9 spinae (LXX textum diversum praebent : ἐκλελειμμένος?). Ea voce designari coniicitur ab *E. Levesque* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible s. v. Bugrane : *Ononis antiquorum* Linné vel *Ononis leiosperma* Boissier ex familia Papilionaceārum, ab aliis autem minus apte vel urtica vel lathyrus, quae utique spinis non accensentur.

נַעֲצוּץ redditur Is. 7,19 σπήλαιον, frutetum, 55,13 στοιβή, saliunca (v. s. v.).

סִירִים redditur Eccle. 7,7[6] ἄκανθαι, Is. 34,13 ἀκάνθινα ξύλα, Os. 2,6[8] σκόλοψ, Nahum 1,10 θεμέλιον (!), in Vulgata ll. cc. spinae. Sensu translato סִירוֹת designat Am. 4,2 hamos ad piscandum. Nomine arabico *sirr* hodie designantur *Gypsophila Rokejeka* Delile (fam. Caryophyllaceae) et *Gymnocarpum fruticosum* Persoon (fam. Paronychiaceae), nomine *dirr, thirr, ʿathirr,* designatur *Noea spinosissima* Linné (fam. Chenopodiaceae), nomine *zīr* designatur *Linum* Linné. Cf. *G. E. Post,* Flora of Syria, 1896, p. 128. 162. 181. 691. Ex hac autem nominum similitudine significatio vocis hebr. accuratius determinari haud poterit.

סַלּוֹן redditur Ez. 28,42 σκόλοψ, offendiculum; cf. Ez. 2,6 סַלּוֹנִים, LXX ἐπισυστήσονται, Vulg. subversores et in eadem sententia סָרָבִים, LXX παροιστρήσουσι, Vulg. increduli. Nomine arabico *Sillah* designatur planta spinosa in desertis Aegypti et Arabiae Petraeae frequentissima *Zilla myagroides* Forskal; cf. *Post,* p. 101; *Boissier,* I. p. 408.

סְנֶה redditur Ex. 3,2-4; Deut. 33,16 βάτος, rubus; cf. Marc. 12,26; Luc. 6,44; Act. 7,30. 35. Versionibus LXX, Vulgata, Peshitta et Targum utique commendatur rubus (gall. *ronce,* angl. *bramble,* germ. *Brombeerstrauch*), cuius una saltem species in Palaestina et Syria passim propagata est scil. *Rubus discolor* Willdenow et Nees (fam. Rosaceae); cf. *Boissier,* II. p. 695; *Post,* p. 304. Attamen rubus virgultum humilius est, quam ut textui Ex. 3,2-4 satisfaciat, et vox hebr. sicuti arab. *sanna* generatim spinam designat. Ex maioribus autem sentibus in Syria passim inveniuntur *Crataegus azarolus* Linné et *C. monogyna* Willdenow (fam. Rosaceae), quae altitudinem 3-4 m attingunt (gall. *aubépine,* angl. *hawthorn,* germ. *Hagedorn*); in regione Sinai autem crescit species altitudine ac robore praecellens *Crataegus sinaica* Boissier (cf. *Post,* p. 311), quam cum rubo Ex. 3,2 componunt *M. Jullien,* Sinai et

Syrie, 1893, p. 118 et *L. Fonck*, Streifzüge, p. 97. 98.

סִרְפַּד redditur Is. 55,13 κόνυζα, urtica. Cum LXX, Aquila et Theodotione praeferenda erit interpretatio κόνυζα, cui respondet *Inula viscosa* Linné, arab. *ʿUrq el-tayyūn*. Cf. *Post*, p. 421.

צְאָלִים redditur Iob 40,16[21]s. παντοδαπὰ δένδρα, sub umbra. Secundum *I. Loew*, Aram. Pflanzennamen, 1881, p. 275. 276, n. 219 designatur ex Rhamneis *Zizyphus lotus* Linné. Sed eius altitudo 1-1,5 m textui citato non videtur satisfacere; unde secundum *L. Fonck*, p. 96. 97, magis commendatur *Crataegus monogyna* Willdenow (fam. Rosaceae) vel etiam ex Rhamneis *Zizyphus vulgaris* Lamarck vel *Z. Spina Christi* Linné, quarum prior altitudinem 3-6 m, altera 3-5 m attingit; cf. *Post*, p. 201.

צִנּוֹם redditur Prov. 22,5 τρίβολοι, arma; Iob 5,5 κακῶν, armatus. Sensu translato צִנּוֹת designat Am. 4,2 harpagonem piscatorium (LXX ἐκ ὅπλοις, Vulg. in contis). Cum eadem voce צִן etiam cohaerent Ios. 23,13 צִנִּים, βολίδες, sudes; Num. 33,55 צִנִּים, βολίδες, lanceae; Eccli. 43,21[19] צִנִּינִים, σκόλοπες tribuli, de quo loco cf. *N. Peters*, Hebr. Text d. Ecclesiasticus, 1902, p. 217. 403.

קוֹץ (קוֹצִים, קֻצִים) constanter redditur ἄκανθα, spina Gen. 3,18; Ex. 22,5; Iud. 8,7. 16; 2 Sam. 23,6; Ps. 117[118], 12; Is. 32,13; 33,12; Ier. 4,3; 12,13; Ez. 28,24; Os. 10,8.

קִמּוֹשׁ, urtica (v. s. v.).

שְׁכִים redditur Num. 33,55 σκόλοπες, clavi.

שִׁטָּה redditur Is. 41,19 πύξος, spina; v. SETIM.

שַׂיִת et שָׁמִיר una nominari solent et in Vulgata redduntur vepres et spinae vel viceversa Is. 5,6; 7,23-25; 9,18[17]; 10,17; 27,4; apud LXX χέρσος, ἄκανθα, χόρτος et aliter. Semel iunguntur קוֹץ et שָׁמִיר Is. 32,13 LXX ἄκανθα καὶ χόρτος, Vulg. spinae et vepres. Voci שָׁמִיר correspondere videtur nomen arabicum *Samūr*, quo hodie designatur Rhamnearum species in Palaestina communissima *Paliurus aculeatus* Lamarck; cf. *Post*, p. 201.

In Novo Test. memorantur ἄκανθαι, spinae Matth. 7,16; 13,7. 22; Marc. 4,7. 18; Luc. 6,44; 8,7. 14; Hebr. 6,8; σκόλοψ, stimulus 2 Cor. 12,7; στέφανος ἐξ ἀκανθῶν, corona de spinis Matth. 27,29; Io. 19,2; ἀκάνθινος στέφανος, spinea corona Marc. 15,17; Io. 19, 5. *Spinae Christi*, ex quibus hodie coronae plecti et in memoriam coronae Christi a peregrinis in Palaestina emi solent, complures sunt. Secundum *L. Fonck*, Streifzüge, p. 99 101 Spinis Christi accenseri non meretur *Poterium spinosum* Linné, cuius ramusculi tenuiores sunt et ignibus focorum et furnorum alimenta praebent (cf. *Post*, p. 307-8), neque *Lycium europaeum* Linné (fam. Solanaceae), quod in saepibus iuxta litus maris et in valle Iordanis inveniri solet (*Post*, p. 568) neque *Zizyphus lotus* Linné iuxta mare et Iordanem frequens neque etiam *Zizyphus Spina Christi* [Linné in valle Iordanis et in oasibus deserti *el-Tīh* Aegyptum usque (*Post*, p. 201), sed potiore cum iure accenseri merentur *Zizyphus vulgaris* Lamarck et etiam *Paliurus aculeatus* Lamarck, passim in Palaestina crescentes (*Post*, p. 201).

Ceterum in Palaestina et Syria plantae spinosae abundant, quarum circiter 50 genera et 200 species teste *G. E. Post* (apud *Hastings*, Dict. of the Bible s. v. Thistles) numerantur.

SPINARUM TORRENS (נַחַל הַשִּׁטִּים, ὁ χειμάρρους τῶν σχοίνων i. e. torrens funiculorum) seu vallis acaciarum in visione symbolica Ioel 3,18 describitur irrigata per fontem de templo egredientem. Cum agatur de visione symbolica, situm vallis quaerere supervacaneum est.

SPIRITUALIS (πνευματικός). Uti natura, naturalis ordinem dicit ac condicionem communem, obviam, humanam, ita spiritus, spiritualis refertur ad ordinem quendam sublimiorem, cuius auctor atque opitulator est πνεῦμα, spiritus i. e. Spiritus Sanctus. Ita secundum apostolum homo spiritualis sentit, iudicat, agit secundum ductum Spiritus Sancti

et opponitur homini animali i. e. naturali vel carnali, qui sentit, iudicat, agit secundum cognatam sibi indolem vel secundum appetitum naturae lapsae et per peccatum corruptae, quae saepe simpliciter caro dicitur. Quam oppositionem hominis spiritualis et hominis animalis apostolus clare describit 1 Cor. 2,13. 15; 3,1 ss. Gratia, bona spiritualia sunt dona illa supernaturalia, quae quia sunt gratuita beneficia divinae bonitatis et in nos caritatis, praecipue Spiritui Sancto, qui est amor divinus, adscribuntur et appropriantur. Ita vocat apostolus spiritualia omnia illa quae nobis per evangelicam praedicationem et gratiam obtingunt, dum opes, divitias, pecuniam appellat carnalia (Rom. 15,27). Simili modo corpus glorificatum vocat spirituale, quia indolem quasi spiritus induit (uti Christus redivivus hanc indolem in se exhibuit) in oppositione ad corpus animale (ψυχικόν), naturale quod gerimus (1 Cor. 15,44). Escam in deserto, quae modo quodam mirabili data erat, appellat spiritualem, quia naturam communem excedit; eodemque modo potum dicit spiritualem modo praeternaturali, scil. per miraculum concessum (1 Cor. 10,3). Pariter in oppositione ad petram, quam Moyses percussit, *petram spiritualem* ait potum praebuisse Israelitis i. e. Deum vel Christum, quatenus scil. Iahwe (« ego stabo ibi coram te supra petram Horeb» Ex. 17,6), qui in textu hebraeo frequenter petra dicitur, iis potum subministravit; unde vera illa petra quae dedit potum erat Christus (1 Cor. 10,4). Quae sacra sunt et pietate plena et ad Dei cultum pertinentia, etiam merito spiritualia nominantur, ita v. g. cantica spiritualia (Eph. 5,19; Col. 3,16). Quare fideles constituunt domum seu familiam (1 Petr. 2,5), et hostiae spirituales sunt oblationes, adorationes quales Spiritus S. animis fidelium suggerit. Unde patet de spiritualibus illum solum rite posse iudicare, qui ipse sit spiritualis, quia spiritualia spiritualiter (πνευματικῶς, πνεύματι quasi organo ac facultate) examinantur (1 Cor. 2,14), sicuti v. g. colores oculo tamquam organo proprio iudicantur. — Cum docente revelatione daemones sint spiritus nequam, spiritualia nequitiae τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας quoque exsistunt, contra quae nobis est colluctatio (Eph. 6,12). Apud Osee 9,7 falsus propheta, qui scil. se a spiritu inspiratum iactet, vocatur insanus vir spiritualis (vir spiritus hebr.).

I. KNABENBAUER.

SPIRITUS (רוּחַ, πνεῦμα). Usu ac significatione multiplici vox adhibetur. Notio nativa videtur id quod spirando producitur seu sentitur : halitus; ita spiritu labiorum suorum interficiet impium Is. 11,4; 26,18; spiritus oris nostri Lam. 4,20; 2 Thess. 2,8; et quia halitu, anhelitu animal vivens a mortuo distinguitur, dicitur spiritus vitae quoque, seu spiritus vim vitalem designat; ita Is. 2,22 quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est; Ez. 1,21 spiritus vitae in rotis (vis quaedam vitalis); spiritus universae carnis Iob 12,10; Ps. 103,29; Deus immittit in ossa spiritum et vivent Ez. 37,5. 9; unde spiritus est anima qua vivitur, spiritus vitae (Gen. 6,17; Num. 27,16; Sap. 15,16; Eccli. 38, 24 in exitu spiritus eius; 2 Mach. 7,22); similiter spiritus iumentorum Eccle. 3,21.

Ex notione halitus, anhelitus fit facile gressus ad notionem flaminis, aurae, aurae agitatae, venti, procellae; ita spiritus sibilans Sap. 17,17 (aer leniter fluens); spiritus ubi vult spirat, nescis unde veniat, quo vadat Ioan. 3,18; adduxit Deus spiritum super terram et imminutae sunt aquae Gen. 8,1; flavit spiritus tuus et operuit eos mare Ex. 15,10; spiritus grandis subvertens montes 3 Reg. 19,11; spiritus procellarum Ps. 10,7; 47,8; qui facis angelos tuos spiritus Ps. 103,4 (i. e. qui ut nuntios adhibes ventos et procellas; cf. Hebr. 1,7).

Ad notionem animae qua vivitur cognata est notio vigoris vitae, quo sensu v. g. dicitur de Iacob; revixit spiritus eius (Gen. 45,27) et a contrario de maximo quodam stupore seu admiratione, qua omnis quasi vigor vitae intercluditur; ita de regina Saba admirabunda : non habebat ultra spiritum

3 Reg. 10,5; et de stupore et timore Ios. 2,11; 5,1 non remansit in eis spiritus. Anima qua vivitur in homine est anima rationalis, animus, quo homo sentit, intellegit, vult; ita angustia spiritus Sap. 5,3 (animus angore cruciatus); spiritus anxius clamat ad te Bar. 3,1; spiritus hominis qui in ipso est scit quae in homine sunt 1 Cor. 2,11; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma Matth. 26,41; corpore absens, spiritu vobiscum sum Col. 2,5 (cogitatione, mente, memoria, desiderio); cogitat (virgo) ut sit sancta corpore et spiritu 1 Cor. 7,34. Ceterum notandum est plerumque apud S. Paulum spiritum πνεῦμα dici de animo hominis (non secundum vim suam naturalem, sed) quatenus ductu et virtute Spiritus S. est imbutus et sub eius influxu agit; in carne non est, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis Rom. 8,9; ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro Rom. 8,16; qui Deo adhaeret, unus spiritus est 1 Cor. 6,17; spiritu loquitur mysteria 1 Cor. 14,2; si orem lingua (dono ecstatico), spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est (quia alios nequeat edocere) 1 Cor. 14,14; factus est Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem 1 Cor. 15,45 (qui nobiscum spiritum communicat, altiorem scil. et supernaturalem vitam). Et quia in novo foedere per sacramenta gratia divina tribuitur, S. Paulus vocat munus apostolicum ministrationem spiritus 2 Cor. 3,8; spiritu ambulate; caro concupiscit adversus spiritum (contra impulsum ac ductum quem vobis tribuit Spiritus S.) Gal. 5,16. 17 et eo modo frequenter.

Alias animus hominis cui Deus aliquem peculiarem impulsum tribuit etiam spiritus dicitur : suscitavit Deus spiritum Phul, spiritum Theglathphalnasar (1 Par. 5,26); suscitavit Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum et Arabum 2 Par. 21,16; suscitavit Dominus spiritum regum Medorum (Ier. 51,11), spiritum Zorobabel Agg. 1,14; spiritum Cyri Esdr. 1,1; convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem Esth. 15, 11 etc.

Altior et sublimior est ille influxus divinus quo vis nomine Dei agendi, vaticinandi, praesagiendi homini tribuitur; ita postulat Eliseus, ut fiat in se duplex spiritus Eliae (4 Reg. 2,9) et requievit spiritus Eliae super Eliseum (4 Reg. 2,15); et de Isaia legitur : spiritu magno vidit ultima Eccli. 48,27; et Michaeas propheta vocatur vir habens spiritum Mich. 2,11. Plerumque tamen haec vis effertur secundum originem, scil. a Deo procedentem, unde sermo fit de spiritu Domini, qui fit in homine, qui irruit in hominem, insiluit in eum, induit hominem (cf. Iud. 3,10; 6,34; 14, 6; 1 Reg. 10,6; 11,6; 16,13; 1 Par. 12,18; 2 Par. 24,20); requiescet super eum spiritus Domini Is. 11,2 et quid iste spiritus tribuat explicatur nominibus : spiritus sapientiae et intellegentiae, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis seu timoris Domini.

Quare ipsa Dei in res hominesque efficacia et operatio spiritui Dei tribuitur, ita ut saepe spiritus Dei ponatur pro Deo, vel si malueris, ut opus sapientiae, pulchritudinis, potentiae non tam naturae divinae (Deo), sed eius animo, intellegentiae, amori, ergo spiritui tribuatur; ita iam Gen. 1,2 spiritus Dei ferebatur super aquas; Iob 26, 13 spiritus Dei ornavit caelos; Iob 33,4 spiritus Dei fecit me; Ps. 138,7 quo ibo a spiritu tuo; Is. 40,13 quis adiuvit spiritum Domini; 61,1 spiritus Domini super me; Sap. 12,1 quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in omnibus; si Deus peculiarem suam curam ac providentiam et favorem subtrahit, spiritus Domini recessisse dicitur v. g. a Saul 1 Reg. 16,14; spiritus Domini locutus est 2 Reg. 23,2; spiritus Domini asportabit te 3 Reg. 18,12; Deus misit me et spiritus eius Is. 48,16; cf. 59,19; 63,14 spiritus Domini ductor eius fuit; spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suae ostensionis evidentiam 2 Mach. 3,24.

Uti in hisce aliisque spiritus Dei circumlocutio est pro Deo, ita in aliis locutionibus spiritus Dei dicit aliquem effectum quem Deus in hominibus producit; ita iam Gen. 6,3 : non permanebit spiritus meus in homine quia caro est; Ex. 31,3 implevi cum spiritu Dei, sa-

pientia et intellegentia et scientia; 35, 31; Num. 11,29 det eis Dominus spiritum suum; Neh. 2,20 spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos; 2,30 contestatus es eos in spiritu tuo per prophetas tuos; Iudith 16,17 misisti spiritum tuum et creata sunt; cf. Ps. 103,30 emittes spiritum tuum et creabuntur. In his aliisque exemplis effectus qui missione spiritus indicatur statim subditur. Iob 27,3 ipse halitus, utpote a Deo datus et conservatus, dicitur spiritus Dei in naribus; Ps. 50,13 spiritum sanctum tuum ne auferas a me; Sap. 9,17 sensum tuum quis sciet, nisi tu miseris spiritum sanctum tuum de altissimis; cf. 11,21; Is. 42,1 dedi spiritum meum super eum; 44,3 effundam spiritum meum super semen tuum; cf. 59,21; Ez. 11,19 spiritum novum tribuam in visceribus eorum; cf. 36,26; 39, 29; Ioel 2,28 effundam spiritum meum super omnem carnem; etc. Eodem modo dicitur spiritu Dei plenus, qui a Deo singulari modo regitur. Maxime proprie spiritus dicitur natura corporis expers, vi intellegendi et volendi instructa. Hoc sensu dicitur : spiritus est Deus (Ioan. 4,24) et spiritus carnem et ossa non habet (Luc. 24,39); angelum et spiritum esse negabant Sadducaei, Pharisaei utraque confitebantur (Act. 23,8); quid si spiritus locutus est ei aut angelus? (Act. 23,9). Daemones quoque eo nomine designantur : Iesus eiiciebat spiritus verbo Matth. 8,16; plerumque dicuntur spiritus mali, immundi cf. Matth. 10,1; 12,43; Marc. 1,23. 26. 27; 3,11; 5,2 etc. 7,25; Luc. 11,24; Act. 5, 16. De aliqua vel apparitione vel imaginatione legimus Iob 4,15 : spiritus me praesente transiit.

Ipsa quoque virtus seu vis angelica vel divina vocatur spiritus; ita Ez. 3,12 assumpsit me spiritus; 3,14 spiritus quoque levavit me; 8,3 et elevavit me spiritus; 11,24; 43,5; similiter Act. 8,39 spiritus Domini rapuit Philippum et inventus est in Azoto. Huic cognatus est usus vocis qui cernitur v. g. 1 Cor. 12,10 alii datur discretio spirituum i. e. ut possit diiudicare et discernere, sitne aliquis impulsus et agitatus a spiritu divino, an a daemoniaco; item 1 Cor. 14,32; 2 Thess. 2,2; 1 Ioan. 4,1 ss. : « nolite omni spiritui credere; omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ex Deo est, et omnis spiritus qui solvit Iesum ex Deo non est; et hic est antichristus ». Unde ipse homo in quo talis spiritus advertitur, spiritus vocatur.

Spiritus appellatur facili translatione vis qua quis perfunditur, mens quoque et affectio, studiorum indoles qua quis regitur; ita v. g. 2 Cor. 12,18 : numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? (eadem mente ac sententia egimus); Luc. 9,55 increpavit illos dicens : nescitis cuius spiritus estis; 1 Petr. 3,4 in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus; Gal. 6,1 huiusmodi instruite in spiritu lenitatis; simili modo dicitur spiritus servitutis i. e. mens ea et animi affectio quam gignit, inspirat servitus, animus servilis, indoles servilis; spiritus adoptionis filiorum i. e. animus, indoles filialis (cf. Rom. 8,15). Eiusmodi locutiones sat frequentes sunt; ita spiritus prudentiae (Ex. 28,3), sapientiae (Sap. 7,7; Eccli. 15,5); spiritu intellegentiae replebit illum (Eccli. 39,8); spiritus iudicii (Is. 4,4; 28,6), zelotypiae (Num. 5,14), fornicationis (Os. 4,12; 5,4), divinationis (Lev. 20,27), spiritus furoris (2 Reg. 22,16; Ps. 17,6); spiritus gratiae et precum (Zach. 12,10) i. e. studium et fervor quo quis feratur vel ad vitia vel ad virtutem, vel quo animetur, impellatur et quo quis se imbutum exhibeat.

I. KNABENBAUER.

SPIRITUS SANCTUS. Est quidem Spiritus Dei saepius locutio pro Deo (vide s. v. SPIRITUS), verum clare in libris novi foederis Spiritus, Spiritus Sanctus designatur persona divina, distincta a Patre et Filio. Ita docet Christus, cum dicat : rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis; Spiritus Sanctus quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis, apud vos manebit et in vobis erit (Ioan. 14,16. 17. 26). Uti Ioannes Baptista de Christo dixerat : ille baptizabit in Spiritu Sancto (Matth. 3,11; Marc. 1,8), ita Christus docet di-

scipulos ; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto (Act. 1,5; cf. 2,4 et repleti sunt omnes Spiritu Sancto). Spiritus Sanctus mittitur et a Patre et a Filio, quia ab utroque procedit (cf. Ioan. 15, 26; 16,14). Eius divinitas asseritur quoque, cum iubeantur apostoli baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (Matth. 28,19); mentiri Spiritui Sancto idem esse ac Deo mentiri affirmat Petrus (Act. 5,3. 4.); Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei, atque idem Spiritus omnia operatur et prout vult singulis charismata distribuit (1 Cor. 2,10; 12,2-11). Quia a Patre et Filio procedit, appellatur Spiritus Dei, Spiritus Filii, Spiritus Christi (cf. 1 Cor. 2,10; Rom. 8,9; Gal. 4,6).

Missio eius visibilis habebatur in baptismo Christi (Matth. 3,16; Marc. 1,10; Luc. 3,22; Ioan. 1,32), in die pentecostes (Act. 2,2 ss.), dum Petro contionante cecidit Spiritus super omnes qui audiebant verbum, qui loquebantur linguis (Act. 10,44. 46); item si impositione manuum charismata manifesto tributa esse apparebat (cf. Act. 8,17 s.; 19,6; 1 Cor. 12,2 ss.; Gal. 3,5 etc.). Missio eius invisibilis habetur in eius inhabitatione in animis iustorum : ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus (Ioan. 14,23), Spiritus Dei habitat in vobis (Rom. 8,9. 11); Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, postulat pro nobis, adiuvat infirmitatem nostram (Rom. 8, 16. 26); sumus templum Spiritus Sancti (1 Cor. 3,16; 6,19); nobis datus est Spiritus Sanctus tamquam pignus, arrha, arrhabo aeternae hereditatis (2 Cor. 1, 22). Sacramentum quo speciali modo datur, est impositio manuum, confirmatio, Act. 8,17 : tunc imponebant manus super illos (baptizatos) et accipiebant Spiritum S.; Act. 19,6 : et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant. Spiritus S. ponit episcopos regere Ecclesiam Dei (Act. 20,28); idem continuo testimonium in mundo perhibet de Christo (Ioan. 15,26) per pastores et doctores Ecclesiae quos ipse docet utpote Spiritus veritatis, sicut olim ante Christum Spiritu S. inspirante locuti sunt sancti Dei homines (2 Petr. 1, 21). Idem arguit mundum de peccato et de iustitia et de iudicio i. e. convincit per Ecclesiam mundum de iniquitate, de legatione divina Christi et de clade et condemnatione inimicorum regni Dei. — Dona Spiritus sunt : sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas et timor Domini (Is. 11,2 s.). Fructus Spiritus S. declaratur virtutibus novem (graece; duodecim, Vulg.) : caritas, gaudium, pax, (patientia,) longanimitas, benignitas, bonitas, (mansuetudo,) fides, modestia, continentia, (castitas) Gal. 5,22.

Cum Spiritus S. sit amor personalis Patris et Filii, ei attribuuntur opera Dei ad extra quibus Dei in nos caritas ac benignitas maxime exhibetur. Inde ei attribuitur maximum illud divinae in genus humanum caritatis ac misericordiae miraculum effectio Incarnationis ; Spiritus S. superveniet in te etc. (Luc. 1,35). Inde opus regenerationis et renovationis est opus Spiritus S.; nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest intrare in regnum Dei (Ioan. 3,5); lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Chr. (Tit. 3,5 s.). Et cum Christus alterum renovationis sacramentum, paenitentiam, instituerel, praefatus est : accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata, etc. Ioan. 20,22.

I. KNABENBAUER.

STABULUM. Antiquis patriarcharum temporibus, cum ipsi cum gregibus in alias regiones migrarent, stabula fixa non poterant haberi. Pascebantur greges in campis apertis, noctu concludebantur saeptis. Narratur Gen. 33,17 Iacob reducem ex Mesopotamia aedificasse sibi domum et iumentis suis סֻכֹּת tuguria. In regione ad orientem Iordanis Ruben et Gad caulas ovium fabricare se velle profitentur (Num. 32,16. 24. 26). Caulae eiusmodi vel saepta conficiebantur textis cratibus vel greges noctu in locum muro circumdatum colligebantur; cf. גְּדֵרוֹת 1 Sam. 24,4; Soph. 2,6. Talia stabula, sed in duas partes divisa pro pecoribus et armentis, videntur designari voce in forma duali מִשְׁפְּתַיִם

Gen. 49,9; Iud. 5,16; Ps. 68,14. De tabernaculis pecorum mentio fit 2 Chron. 14,14 (hebr.). Pro varia regione et anni tempore stabula erant tectis munita vel aperta. Stabula fixa et bene composita requirebantur pro equis, quorum magnum numerum habebat Salomon (2 Par. 9,25). Ovile αὐλή Ioan. 10,1. 16 explicatur saeptum subdiale in aperto campo ad greges noctu continendos.

STACHYS (Στάχυς), Christianus ecclesiae romanae, quem S. Paulus salutat « dilectum meum » (Rom. 16,9). Eius nomen graecum est (στάχυς = spica). Martyrologium Rom. (31. Oct.) et Menologia graeca eum a S. Andrea Apostolo episcopum Byzantii constitutum esse tradunt.

STACTE in Vulgata tribus nominibus hebraicis respondet :

1. Imprimis aroma hebraice לֹט appellatum a LXX (στακτή) ac Vetere latina et Vulgata *stacte* explicatur. Bis in S. Scriptura occurrit, cum inter aromata, quae viatores Imaelitae per Palaestinam transeuntes in Aegyptum portabant (Gen. 37,25), et inter optimos terrae fructus recenseatur, quae Iacob domino Aegypti dono misit (Gen. 43,11). Licet nomen *stacte* a scriptoribus praesertim pro suco et unguento myrrhino adhibeatur (*Diosc.* Mat. med. I. 73. 77; *Plin.* XII. 17,73-4), et graecum στακτή in Vulgata etiam sensu generali *gutta* exponatur (Ps. 44,9; Eccli. 24,21), communiter tamen voce לֹט sucus resinosus *ladanum* dictus designari admittitur. Est autem *ladanum* resina fruticis cui nomen *Cistus*, cuius variae species in Palaestina ac Syria crescunt (*Cistus villosus* Linné, eiusque varietates *genuinus* Boissier, *creticus* Boiss.; *C. salviaefolius* L., et in monte Amano etiam *C. incanus L.*; familia *Cistineae*). Resina odorifera ex ramusculis et foliis huius plantae exsudans antiquis nomine graeco λῆδον, λήδανον, assyr. *ladunu*, lat. *ladanum* nota et ad varios usus medicos utilis erat; cum saepe capillis caprarum inter cistos pascentium adhaerere inventa sit, antiquitus ex capris colligi consuevit, immo cum Herodoto a nonnullis in ipsis capillis caprinis nasci credebatur (*Herod.* 3,112; cf. *Theophr.* Hist. pl. VI. 2,1; de odorib. *Diosc.* Mat. med. 1, 128; *Plin.* XII. 17,73-6; XXVI. 8,47 etc.). Usus huius resinae hodie minus frequens est, cum non nisi ad suffitum adhibeatur; apud antiquos autem ladanum tanto in honore habebatur, ut etiam in inscriptionibus cuneiformibus inter tributa, quae *Resin*, princeps Damasci, regi *Theglathphalasar* misit, enumeretur; pariter etiam apud Aegyptios in condiendis cadaveribus videtur adhibitum esse. Etiam in medio aevo haud raro a peregrinis commemoratur et locum suum in commercio orientali habuit; probabiliter illa quoque appellatione « *thuris Libani* » quae in itinerariis peregrinorum medii aevi occurrit, ladanum intellegendum est.

Cf. de ladano apud Assyrios *Eb. Schrader* in Monatsberichte d. berl. Akad. d. Wissensch. 1881, philos.-hist. Kl., 413-7; de Aegyptiis v. *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aegypten 386; de medio aevo cf. *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels im Mittelalter, II. Stuttgart, 1879, 614 s.; *Daniel*, hegum. rossus (a. 1106-7) in Itinéraires russes, *ed. B. de Khitrowo*, Genevae, 1889, p. 5, n. IV; p. 10, n. VII; p. 65, n. LXXXV (*thus Libani*); *Grethenios* archimandr. (c. a. 1400) ibid., p. 168; *Zosimus* diacon. (a. 1419-21) ib. 219 s. etc.

Cum nomina *loṭ* et λῆδ-ον, *lad*-anum satis consentiant, et sucus ille resinosus plantae palaestinensis narrationi biblicae optime conveniat, nulla videtur ratio haberi, cur a sententia satis communi discedamus. Itaque *stacte* hoc primo sensu *ladanum* esse dicimus.

De planta ladanifera cf. *Rob. Sweet*, Cistineae, London, 1825-30; *E. Boissier*, Flora orient. I. 436-8; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 410 s.; *G. E. Post*, Flora of Syria 114 s.; optima cisti imago picta habetur inter tabulas operis Card. *Haynald* de plantis gummiferis biblicis, qui in textu, p. 5-8 de ladano tractat. — Praeterea cf. *J. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Continuatio 206-11; *M. Hiller*, Hierophyticon I. 448 s.; *O. Celsius*, Hierobotanicon I. 280-8; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1, 156-9; *H. O. Lenz*, Botanik d. alt. Griechen u. Römer 630 s.; *J. H. Balfour*, The plants of the Bible, ed. nova, 129 s.; *P. Cultrera*, Flora bibl. 322-4; *H. B. Tristram*, Nat.

Hist. of the Bible, *ed.* 8, 458-60; *A. Kinzler,* Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,199 s.; *I. Löw,* Aram. Pflanzennamen n. 79, cf. p. 70; *P. Schegg,* Bibl. Archaeol. 210 s.

2. Alio sensu *stacte* in Vulgata et LXX adhibetur pro hebraico נָטָף, quod inter aromata ad thymiama sanctum sumenda primo loco nominatur (Ex. 30,34). Nomen hebraicum proprie generatim quamcumque *guttam* vel *stillam* designat (cf. Iob 36,27); sed in praecepto divino de compositione suffitus sacri necessario specialem quemdam sucum ex aliqua arbore stillantem significat, et cum de *suffitu* sermo sit, probabilius non de suco aliquo liquido, sed resinoso et arido explicandum erit. Ex quo capite opinio *Jarchii* et *Maimonidis* aliorumque, qui nomine *nāṭāf balsamum* intellegendum censent, minus commendatur. Plures auctoritate LXX et Vulgati interpretum et significatione vocis *stacte* apud classicos commoti cum *Celsio* et *Hillero* de myrrha vocem hebraicam exponunt, « quam nisi hoc loco myrrham interpreteris, ait *Celsius* (I. 530), illam ex sacro thymiamate excluseris cuius erat in eo locus vel praecipuus ». At cum myrrha a Moyse paucis versibus antea suo nomine מֹר־דְּרוֹר appellata sit (Ex. 30,23) et cum alias semper eodem nomine *mōr* vocetur (v. MYRRHA), vix probabile videtur, eam nunc alia omnino voce designari; neque auctoritas veterum interpretum rem evincit, cum στακτή etiam pro לֹט et אֲהָלוֹת (Ps. 44[45],9 LXX) pariterque pro קְדָה (Ez. 27,19 Symmachus et Vulg.) ab iisdem adhibeatur. Omissis variis aliis opinionibus praestat cum sententia communiore *nāṭāf* de storace exponere; contra hanc resinam nullum argumentum inveniri iam *Ursinus* animadvertit, pro ipsa autem valet, quod natura sua praecepto legis optime convenit, et quod nomen *stillae* bene mereatur atque antiquis notissima fuerit, denique quod reliqui suci resinosi aliis nominibus videntur appellari.

Est autem storax antiquorum lacrima arboris cydoniae similis (*Diosc.* Mat. med. 1,79; cf. *Theophr.* Hist. pl. IX. 7,3; *Plin.* XII. 17,81; 25,124-5; XXIV. 6,24), cui nomen scientificum *Styrax officinale* Linné (fam. *Styracaceae*). Variae species antiquis notae erant, quae in remedia variorum malorum, ad suffitum atque unguenta utiles erant. Nostra vero aetate storax officinarum ab alia prorsus arbore, scil. *Liquidambar orientale* Miller et species similis a *Liqu. styraciflua* L. (fam. *Platanaceae*) colligitur.

Eadem resina a S. Hieronymo semel nomine נְכֹאת (Gen. 43,11) intellegitur; v. STORAX. Arbor autem styraciflua multis est hebr. לִבְנֶה, quam Vulgata *populus* interpretatur; v. POPULUS.

Cf. de storace *E. Boissier,* Flora orient. IV. 35; *Leunis-Frank,* Synopsis *ed.* 3, II. 2, p. 541 s. 568; *G. E. Post,* Flora, 518. Praeterea cf. *J. H. Ursinus,* Arb. bibl. 158-61; Contin. 231-5; *M. Hiller,* Hieroph. I. 422 s.; *O. Celsius,* Hierob. I. 529 s.; *E. F. K. Rosenmüller,* Alterth. IV. 1,163 s. 261-3; *H. O. Lenz,* Botanik 551 s.; *J. H. Balfour,* Plants, 130 s.; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. 389 s. 395 s.; *A. Kinzler,* Naturgesch. 196-8; *J. Smith,* Bible plants, 190 s.; *L. Haynald,* op. c., 36-9 (cum tabula picta); *I. Löw,* Pflanzenn. p. 360; *R. Sigismund,* Aromata 17 s.; *G. Henslow,* The plants of the Bible 69 s.; *P. Schegg,* Arch. 218 s.; *W. H. Groser,* Trees and plants ment. in the Bible, 214.

3. Tertio sensu stacte in Vulgata cum Symmacho (στακτή) exponitur hebr. קְדָה Ez. 27,19, quod S. Hieronymus alibi melius *casiam* explicat (Ex. 30,24); v. CASIA.

L. FONCK.

STADIUM v. s. v. MENSURAE.

STANNUM (בְּדִיל, κασσίτερος) enumeratur Num. 31,22 inter metalla igne purganda, Is. 1,25 et Ez. 22,18. 20 inter metalla argento admixta, Ez. 27,12 inter metalla, quae negotiatores Tyri de Tharsis (Tartesso in Hispania) ad fora Tyri afferebant. Describitur Zach. 4,10 Zorobabel pro templi aedificatione in manu gerens lapidem stanneum (הָאֶבֶן הַבְּדִיל, τὸν λίθον τὸν κασσιτέρινον) seu lapidem perpendiculi.

Stannum vel plumbum explicari solet vox אֲנָךְ (LXX ἀδάμας, Vulg. trulla),

quae in textu hebr. Am. 7,7. 8 quater legitur et etiam in linguis assyriaca (*anāku*), syriaca (*ānkhā*), arabica (*ānukun*) aethiopica (*nā'k*) habetur, sed dubiae significationis est. Cf. *Gesenius*, Thes. Addenda p. 71; *P. de Lagarde*, Arm. Stud. § 103; Ztschr. d. D. Morg. Ges. XLVIII. 1894, p. 466 s. Quoniam plumbum voce עפרת et stannum voce בדיל designatur, voce אנך potius compositio quaedam metallica designari videtur. LXX vertunt ἀδάμας, qua voce primitus non adamas stricte dictus significabatur, sed metallum valde durum. Quoad metalla generatim probe notandum est, apud veteres tam Orientales quam Graecos et Romanos terminologiam fuisse magis vagam (cf. aes, χαλκός in lexicis et Deut. 3,11 lectus ferreus = ex basalte?). Pro interpretatione textus Am. 7,7. 8 parum refert, cuius speciei istud metallum אנך fuerit; in vaticinio illo symbolico sermo est de muro metallico et de telo metallico in manu Dei vindicis. Cf. *A. Condamin* in Rev. bibl. 1900, p. 586-594.

STATER v. s. v. PECUNIA.

STATERA. Ea voce in plerisque locis exprimitur hebr. מֹאזְנַיִם (ita Lev. 19,36; Iob 6,2; 31,6; Ps. 61,10; Prov. 11, 1; 16,11; 20,23; Eccli. 42,4 in fragmentis hebr. repertis; Is. 40,12. 15; Ier. 32,10; Ez. 5,1; 45,10; Os. 12,7; Am. 8,5; Mich. 6,12). Uti ipsa forma duali indicatur, intellegenda est libra sive trutina cum duabus lancibus, quae proinde forma erat communis. Idque etiam elucet ex verbis Iob : utinam appenderentur peccata mea.... et calamitas.... in statera; quasi arena maris haec gravior appareret (Iob 6,2. 3). Praeter talem trutinam duabus lancibus instructam habebatur quoque *statera*, consistens scapo seu tigno transversario, in media parte suspenso, in cuius altero brachio idem pondus certis appenditur intervallis ad mensurandam rei gravitatem. Talem stateram designari censent voce פֶּלֶס (Vulg. pondus, Prov. 16,11; Is. 40, 12; cf. Eccli. 42,4), quam etiam vox קָנֶה (scapus, Vulg. statera) Is. 46,6 indicat.

Trutina sive statera indigebant iam antiquo tempore, cum v. g. argentum seu pecunia non nummis cusis solvebatur, verum secundum pondus pendebatur; cf. Gen. 23,16 appendebat Abraham argentum. Utebantur lapidibus pro pondere antiquo tempore; unde locutio invaluit : lapides iusti (Lev. 19,36, Vulg. aequa pondera); non habebis in sacculo lapidem et lapidem, magnum et parvum (Vulg. diversa pondera maius et minus). Saepius conquerunter sacri auctores de statera dolosa, de fraudibus ope staterae commissis; cf. Os. 12,7; Am. 8,5; Mich. 6,11 : numquid iustificabo stateram impiam et saccelli pondera dolosa? et Prov. 11,1 statera dolosa abominatio est apud Dominum et pondus aequum voluntas eius (cf. 20,23).

STATIONES EXODI. Num. 33,1-49 traditur elenchus a Moyse conscriptus stationum exodi a terra Gessen ad Iordanem. Stationes vocantur illa loca, ubi castra posita sunt et inde a monte Sinai tabernaculum explicatum est; distinguendae igitur sunt stationes seu castrametationes a commorationibus brevioribus et cotidianis; non haberi totidem stationes quot dies perspicuum est ex sacro textu (v. g. Num. 33,8) neque semper, quando plus quam iter diei inter duas stationes habetur, id explicite effertur (Num. 33,16 coll. 10,33; 11,34).

Elenchus in tres partes dividitur interpositis duabus commorationibus longioribus in Sinai et Cades : Num. 33,3-15 recensentur stationes a terra Gessen usque ad montem Sinai (cf. Ex. 12,37; 13,20; 14,2. 9; 15,22. 23. 27; 16,1; 17,1; 19,1); Num. 33,16-36 recensentur stationes a monte Sinai usque ad Cades in deserto Sin (cf. Num. 10,12; 10,33-11, 34[35]; 13,1. 27; 20,1); Num. 33,37-49 recensentur stationes a Cades usque ad Iordanem (cf. Num. 20,14 ss.).

Stationes a terra Gessen usque ad montem Sinai sunt : Ramesses, Soccoth, Etham, Phihahiroth (castra videntur fuisse inter Magdalum et mare Rubrum simulque e regione Phihahiroth, quae respicit Beelsephon), Mara, Elim, statio super mare Rubrum, Sin desertum, Daphca, Alus, Raphidim (Tentatio et Iurgium), Sinai.

Stationes a monte Sinai usque ad Ca-

des in deserto Sin recensentur : Incensio (Tabeera; potius brevis commoratio, quam statio proprie dicta), Sepulcra concupiscentiae, Haseroth, Rethma (in deserto Pharan haud procul a Cades meridiem versus), Cades in deserto Sin, quod est pars septemtrionalis deserti Pharan (Num. 13,1. 27), Remmomphares (orientem versus a Cades), Lebna, Ressa, Ceelatha, mons Sepher, Arada, Maceloth, Thahath, Thare, Methca, Hesmona, Moseroth, Beneiaacan, Gadgad, Ietebatha, Hebrona, Asiongaber, Cades in deserto Sin.

Stationes a Cades in deserto Sin usque ad Iordanem recensentur : mons Hor (et cf. fragmentum itinerarii Deut. 10,6. 7 : Beroth filiorum Iacan seu Beneiaacan, Mosera, Gadgad, Ietebatha), Asiongaber (Num. 21,4; Deut. 2,8), Salmona, Phunon, Oboth, Iieabarim, deinde traiecto torrente Zared statio contra Arnonem (Num. 21,12. 13), Dibongad (fortasse eadem ac praecedens statio contra Arnonem), Helmondeblathaim, montes Abarim; praeterea Num. 21,16-20 stationem illam contra Arnonem excipiunt Beer, Matthana, Nahaliel, Bamoth seu Bamothbaal, vallis iuxta caput Phasga in montibus Abarim. Ultima denique statio in campestribus Moab extendebatur de Bethiesimoth (Bethsimoth) usque ad Abelsatim (Settim).

De stationibus Exodi copiose scripsit *M. J. Lagrange* in Revue bibl. 1900, p. 63 ss. 273 ss. 443 ss. L'Itinéraire des Israélites du pays de Gessen aux bords du Jourdain; cf. etiam Revue bibl. 1896, p. 440 ss. 618 ss.; 1897, p. 107 ss. 605 ss.; 1898, p. 112 ss.; 1899, p. 369 ss. — De stationibus singulis v. s. vv.

STATUA. Ea voce in Vulg. plerumque exprimitur hebr. מַצֵּבָה, stela, simulacrum, signum; ita Ex. 23,24 non adorabis deos eorum, sed confringes statuas eorum; item 34,13; Deut. 7,5; 12,3; 16,22 neque constituas statuam (Dei tui); 3 Reg. 14,23; 4 Reg. 3,2 Ioram tulit statuas Baal, quas fecerat Achab pater eius; 4 Reg. 10,26; 17,10; 18,4; 23,14; Ier. 43,13; Mich. 5,12. Semel ponitur pro נְצִיב. Gen. 19,26 uxor Lot respiciens post se versa est in statuam salis, hebr. facta est acervus, columna salis i. e. retrospiciens salso humore fuit obcaecata, prostrata, exanimata, ut respicientes iam nihil viderint nisi formam aliquam prostratam totamque sale obtectam (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 417).

Ponitur quoque pro hebr. צֶלֶם, aram. צְלֵם; cf. Num. 33,52; Dan. 2,31 tu rex videbas, et ecce quasi statua una grandis, cuius caput ex auro optimo erat, pectus et brachia de argento etc.; 3,1 ss. aurea statua quam erexerat Nabuchodonosor, i. e. alta illa columna, lata sex cubita, cui simulacrum dei erat impositum (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Dan. p. 103).

Ponitur pro hebr. פֶּסֶל i. e. imago idoli plerumque ex ligno exsculpta; ita 2 Chron. 33,19 et pro מַסֵּכוֹת 2 Chron. 28,2 : insuper et statuas fudit Baalim. Semel etiam תְּרָפִים explicatur statua, scil. 1 Sam. 19,13 : tulit autem Michol statuam et posuit eam super lectum (qua scil. Davidem aegrotare fingere volebat).

STELLA MAGORUM. Ut angelorum cantu ex valle bethlehemitica ad Messiae praesepe vocati sunt pastores, ita magi ab oriente eodem invitati sunt miranda quadam stella (Matth. 2,2. 7. 9. 10).

Iam per Balaam, prophetam ex Mesopotamia (Deut. 23,4) praedictum erat : orietur stella ex Iacob etc. (Num. 24,17); unde permultis vix dubium esse videtur, quin magi illi ex vaticinio Balaam a maioribus accepto de nova stella eiusque significatione edocti fuerint. Alii tamen notitiam de Messia apud gentes longe lateque propagatam referre malunt ad Iudaeorum dispersionem, vaticinium Danielis, versionem graecam S. Scripturae, oracula sibyllina aliosque libros ut librum Henoch et psalmos salomonicos (cf. *Knabenbauer*, Comment. in Matth. *ed.* 2, I. p. 89).

Stellam fuisse mirabilem manifeste sacris litteris proditur. Tamen *Ideler* (Handbuch der mathem. und technischen Chronologie II. p. 400-408) magorum stellam ex planetarum Iovis et Saturni coniunctione explicandam esse censet atque praeter hanc planetarum

constellationem necesse esse negat singularis quaedam stella admittatur. Qua in re *Keplerum* profert eumque huius opinionis ducit esse auctorem; errat. *Keplerus* enim illam planetarum coniunctionem a magorum stella apertissime seiungit. Nam : « Da nunc, inquit, ut nova magorum stella primum conspecta fuerit non tantum eodem tempore, quo vicini invicem spectabantur Saturnus et Iupiter, anno scilicet 39., mense Iunio, sed etiam eodem caeli loco cum planetis....., quid aliud Chaldaei..... coniicere potuerant quam maximi momenti eventum? » (Opera omnia, Vol. IV. p. 347). Porro ut stella illa magos in Iudaeam dirigeret, Dei fuisse consilium idem *Keplerus* asserit Vol. II. p. 708 : « Hos (magos) Deus ad Christum Dominum perducturus incensa stella admonet » et in iis quae sequuntur p. 709 : « Cumque divinitus haec stella magis fuerit exhibita, fidem facit igitur Deum ipsum his magorum regulis sese tantisper accommodasse, ut stellam eo tempore incenderet, quo tempore magi stellam potissimum exspectabant, forsan etiam, quod ante dictum, eo loco collocaret, ad quem locum potissimum magorum oculi ob trinum planetarum congressum dirigebantur..... ». *Keplerus* igitur magorum stellam mirabile quoddam astrum fuisse ducit, quod a magis eo diligentius observatum esse putat, quod plures eodem tempore planetarum coniunctiones factae essent.

Ex *Kepleri* calculis et rationibus efficitur anno Iuliano undequadragesimo tres planetarum coniunctiones mense Iunio, Augusto, Decembri factas esse. Quas coniunctiones *Idèler*, qui hos calculos iteravit (Handbuch II. p. 406) diei 20 Maii, 27 Octobris, 12 Novembris eiusdem anni (747 U. C.) assignat. Eandem rem iterum computavit *Rev. C. Pritchard*, cuius calculos astronomi Grenovicenses (*Greenwich*) examinarunt (*Mem. R. A. S.* vol. 25, p. 119); qui illas planetarum coniunctiones eodem anno circa diem 29 Maii, 29 Septembris, 4 Decembris factas esse censent affirmantque distantiam inter duos planetas semper tantam saltem fuisse, quantam duplex lunae plenae diameter exaequat. Quapropter si *Ideler* fieri potuisse opinatur, ut duo illi planetae una viderentur esse stella, vehementer errat. Numeros, quibus calculi astronomici facti sunt et facile iterari possunt, *Pritchard* in tabella descriptos exhibet, neque vero has planetarum coniunctiones magorum stellam efformasse *Idelero* assentitur.

Multi autem magorum stellam unam eandemque esse statuerunt atque illam, quae anno 1572 in Cassiopea sidere exarsit et a *Tychone de Brahe* copiose descripta est (*Tychonis de Brahe* Opera omnia, Francofurti, 1648, lib. I. cp. 3, p. 230 ss.); primum conspecta esse videtur illa stella a *Bernardo Lindauer* Vitodurensi (Winterthur) die 7 Novembris 1572 (cf. *Wolf*, Handbuch II. p. 364), per 17 menses in omnium hominum conspectu erat atque ad Veneris claritatem accessit. Idem *Tycho* (l. c. pag. 239) : « fuerunt etiam, inquit, aliqui hac tempestate, qui insolitam hanc stellam Magis olim apparenti assimilare (sive serio sive pro ingenii ioco, non dixerim) ausi sunt, et secundi adventus Christi, quemadmodum illa altera primi, praenuntiam esse existimarunt. Inter quos praecipuus est *Theodorus Beza*..... qui de stella hac elegante epigrammate sic lusit »; sequitur carmen, in quo *Beza* de novo illo cometa — ita enim stellam illam vocat — haec habet :

Hic ille est, olim parvam Davidis ad urbem
Duxit ab Eoo qui prius orbe Magos.

Cardanus idem arbitratus esse dicitur. Ex eo autem quod huius stellae lux certis temporum spatiis mutari soleret, eam esse stellam magorum demonstrare primus, ut videtur, conatus est *Goodrike*; qui, quod prope eandem Cassiopeam et anno 1264 et anno 945 novae stellae conspectae esse dicerentur, opinabatur stellam a *Tychone* descriptam tertio quoque saeculo conspectam fuisse ideoque verisimile esse eam aevi christiani initio fuisse visam. Duobus autem illis annis novam stellam esse visam solus auctor est *Cyprianus Leovitius*, Boiohemus, qui in quibusdam pagellis, quas inscripsit : « Observationes astronomicae pertinentes ad novam stellam sive cometam nuper visum » haec habet : « Historiae perhibent tempore Ottonis primi

imperatoris similem stellam in eodem fere loco caeli arsisse, anno Domini 945 » et paulo postea : « Verum multo locupletius testimonium in historiis exstat de anno Domini 1264, quo stella magna et lucida in parte caeli septemtrionali circa sidus Cassiopea apparuit, carens similiter crinibus ac destituta motu proprio» (apud *Tychonis* Op. omn. lib. I. cp. 10, pag. 420-421). Neque vero quae sint hae historiae indicatur. *Tycho* quidem non arbitratur « illum haec falsa pro veris nobis obtrusisse » (l. c. p. 421), sed fontes, ex quibus hausit, dubios habet. *Tycho* cum eodem *Leovitio* amicitiam non ingratam contraxerat, attamen : « Fuit hic auctor, inquit, astrologicis vaticinationibus impensius addictus » (p. 422); de iis vero, quae ille refert, haec dicit *Tycho :* « Id quidem, quod ait, bis antea eiusmodi stellas fuisse conspectas..... consideratione dignum foret : si modo, an id ita contigisset, in rei veritate constaret. Ex historiis certe fide dignis hactenus evulgatis nihil eiusmodi probatur etc. » (l. c. p. 423). Stellam igitur a Tychone descriptam certis temporibus lucem mutasse vana coniectura est a *Goodrike* excogitata, cui a nullo astronomo fides habetur.

Tycho autem *Bezae* et *Cardano* repugnans magorum stellam fuisse mirabilem defendit, nam : « Stella ista, inquit, quae in oriente magis apparuit..... non erat de caelestium astrorum genere neque cum hac nova, cuius hic fit mentio, aut cometis ullatenus congruebat. Fuit potius peculiare atque admirandum Dei opus » et iterum : « Quae autem et qualis revera haec fuerit stella, non arbitror hominibus datum extricare, cum extra omnes naturae leges fuerit soliusque Dei immediatum opus procul dubio exstiterit » (Lib. I. cp. 3 in fine, pag. 239).

Et re quidem vera quicunque magorum stellam naturae legibus regi volunt, in duos incidunt scopulos. Neque enim quidquam, quod solas naturae leges sequeretur, Messiae esse stella putari potuit; magi autem dixerunt : vidimus stellam Eius. Deinde stellae naturae legibus subiectae, sive planetae sunt sive astra fixa, nunquam tantam habent parallaxin, quae ipsa oculorum acie cerni possit i. e. earum radii in omnibus terrae partibus paralleli conspiciuntur. Iamvero magorum stella stabat supra ubi erat puer (ἐστάθη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον). Stella autem naturalis minime supra locum quemquam manens conspicitur; eaedem stellae naturales, quae supra domum pueri lucebant, conspiciebantur supra domos singulas bethlehemiticas vel etiam hierosolymitanas et hebronitic as. Magi vero domum, supra quam Messiae stella stabat, a ceteris domibus internoverunt et intrantes invenerunt puerum.

Quamobrem magorum stellam tantam parallaxin habuisse, quanta nec planetarum nec lunae esse potest, *Tycho de Brahe* clare cognovit. « Ex his, inquit, (quae Evangelista narrat) non obscure colligitur stellam istam nihil commercio cum ceteris (de quibus diximus) habuisse. Siquidem non in suprema aeris regione, nedum in ipso caelo versabatur; alias magis ab oriente profectis iter Hierosolymis Bethlehemam versus quomodo monstrasset, utpote nimium ab aspectu dissita : multo minus domum, in qua Salvator inveniretur, adeo directe prae reliquis in illa urbe designasset, nisi admodum propinqua in citimo aere observata fuisset? Nam quae aetheri altissimo insistunt, revolutioni diurnae universali obtemperant : neque hunc vel illum in terris magis minusque indicant locum » (Opera omnia, lib. I. cp. 3, pag. 239). Proinde cum plerisque S. Scripturae interpretibus stella magorum cogitari debet apparitio quaedam luminosa stellae formam praebens in inferiore hoc nostro aere et terrae satis vicina (*Knabenbauer*, l. c. p. 90).

Neque vero putandum est stellam istam ducem viae ab oriente in Ierusalem fuisse; magi enim id solum enuntiant : vidimus stellam eius in oriente et venimus adorare eum; similiter Evangelista (2,9) loquitur de stella, quam viderant in oriente (cf. *Knabenbauer*, l. c. p. 91). Ex v. 9 : antecedebat eos usque dum veniens staret (προῆγεν αὐτοὺς ἕως ἐλθὼν ἐστάθη) multi censent stellam ducem brevioris illius itineris fuisse, quod magi ex urbe Ierusalem egressi Bethle-

hem versus instituebant; verum ne id quidem narratione evangelica postulari contendit *Knabenbauer*, l. c. p. 97-98 tum ex re ipsa tum ex usu biblico verbi προάγειν τινά.

I. G. HAGEN.

STELLAE. Species caeli i. e. ornatus ac pulchritudo est gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Domini (Eccli. 43,10 graece). Eas Deus creavit (Gen. 1,16), qui « facit Arcturum et Oriona et Hyadas et interiora austri » (Iob 9,9); « videbo caelos tuos... lunam et stellas quae tu fundasti » (Ps. 8,4); Deus numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat (Ps. 146,4; cf. Is. 40,26). Stellarum ordinem ac dispositionem regi ac conservari a Deo, pulchre indicatur in illis ad Iob quaestionibus : numquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? numquid producis Luciferum in tempore suo et Vesperum super filios terrae consurgere facis? (38,31); cf. Ier. 31,35. Stellae tamquam exercitus caelestis et militia considerantur (Is. 40, 26); unde personificatione quadam stellae manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnasse dicuntur (Iud. 5,20) i. e. lumine suo adiuverunt Hebraeos. Splendore suo ac claritate Deum dicuntur laudare (Iob 38,7). Ingens earum multitudo comparationibus saepius inservit : numera stellas, si potes; sic erit semen tuum (Gen. 15,5; 22,17; 26,4). Uti sol et luna, ita stellae quoque lumine destituuntur ad iudicia Dei ingruentia designanda; Is. 13,10 stellae caeli non expandent lumen suum; Ez. 32,7 nigrescere faciam stellas caeli (cf. Ioel 2,10; 3,15); Luc. 21,25 erunt signa in sole et luna et stellis; Matth. 24,29 stellae cadent de caelo (cf. Is. 34,4) i. e. e statu et condicione pristina mutabuntur (cf. Apoc. 6,13; 8,12).

Symbolice septem stellae angeli sunt septem ecclesiarum (Apoc. 1,20) i. e. episcopi suis ecclesiis luminaria esse debent; sunt in dextera Iesu (ab eo instituti tenentur, Apoc. 1,16; 2,1; 3,1).

Sidera aliqua nominibus peculiaribus efferuntur : arcturus, coluber, hyades, interiora austri, lucifer (stella matutina), orion, pleiades, signa zodiaci, vesperus. Singulorum textuum nomina hebraica, graeca, latina exhibet hic conspectus :

4 Reg. 23,5 מַזָּלוֹת, μαζουρώθ, duodecim signis.

Iob 9,9 עָשׁ, Πλειάς, Arcturus.

Iob 9,9 כְּסִיל, Ἔσπερος, Orion.

Iob 9,9 כִּימָה, Ἀρκτοῦρος, Hyades.

Iob 9,9 חַדְרֵי תֵמָן, ταμεῖα Νότου, interiora austri.

Iob 11,17 בֹּקֶר, ἑωσφόρος, lucifer.

Iob 37,9 מִזָּרִים, ἀκρωτήριον, Arcturus.

Iob 38,31 כִּימָה, Πλειάς, Pleiades.

Iob 38,31 כְּסִיל, Ὠρίων, Arcturus.

Iob 38,32 מַזָּרוֹת, Μαζουρώθ, Lucifer.

Iob 38,32 עַיִשׁ, Ἔσπερος, Vesperus.

Ps. 109[110],3 מִשְׁחָר (שַׁחַר?), ἑωσφόρος, lucifer.

Is. 14,12 הֵילֵל (הֵילֵל?), ἑωσφόρος, lucifer.

Am. 5,8 כִּימָה, LXX omitt., Arcturus.

Am. 5,8 כְּסִיל, LXX omitt., Orion.

Eccli. 50,6 כּוֹכַב אוֹר, ἀστὴρ ἑωτινός, stella matutina.

2 Petr. 1,19 φωσφόρος, lucifer.

Apoc. 2,28; 22,16 ὁ ἀστὴρ ὁ πρωινός stella matutina.

Arcturus legitur in Vulgata Iob 9,9 pro עָשׁ (LXX Πλειάς), 37,9 pro מִזָּרִים (ἀκρωτήρια), 38,31 pro כְּסִיל (Ὠρίων), Am. 5,8 pro כִּימָה. In LXX Ἀρκτοῦρος legitur Iob 9,9 pro כִּימָה (Vulg. Hyades). Non Arcturus seu stella polaris, sed Ursa maior (arcton, currus) intellegi videtur Iob 9,9 voce עָשׁ et etiam 38,32 voce עַיִשׁ (Vulg. Vesperus, LXX Ἔσπερος). Sed 37,9 non de stellis agitur, sed potius de ventis septemtrionalibus, qui nubes dissipant et frigus clarum afferunt.

Coluber (נָחָשׁ, δράκων) tortuosus (בָּרִחַ, ἀποστάτης) Iob 26,13 censetur esse sidus draconis iuxta Ursam minorem et polum arcticum.

Hyades, septem stellae in capite Tauri,

sorores quae dicuntur Pleiadum. Vocem כִּימָה S. Hieronymus Iob 9,9 interpretatur Hyadas, sed 38,31 Pleiadas et Am. 5,8 Arcturum. LXX Iob 9,9 eam vocem vertunt Ἀρκτοῦρον. Recentiores plerumque Pleiadas explicant.

Interiora austri (חַדְרֵי תֵמָן, ταμεῖα Νότου) Iob 9,9 sunt sidera in penetralibus austri recondita, proinde constellationes antarctici poli. Iob utriusque hemisphaerii i. e. totius caeli sidera tamquam divini roboris argumenta complectitur (*Knabenbauer* ad h. l.).

Lucifer correspondet Iob 11,17 voci בֹּקֶר (LXX ἑωσφόρος) : orieris ut lucifer i. e. ex ipsa calamitate surges ad prosperitatem, eris splendidus tamquam sidus matutinum. At Iob 38,32 eodem modo vertitur מַזָּרוֹת (Μαζουρώθ) : numquid producis luciferum in tempore suo? i. e. num tu facis, ut sidus fulgeat? uti astra nec posuisti nec auferre potes, ita minime in tuo arbitrio positum est, ut oriantur et luceant. Vocem מזרות LXX et Vetus latina retinuerunt, recentiores varie explicant: signa zodiaci, coronam, Iovem, stellam Veneris. In Ps. 109[110],3 vox מִשְׁחָר (tempus aurorae) vel forte, si מ ut dittographia deleri debet, שַׁחַר (aurora) redditur lucifer (LXX πρὸ ἑωσφόρου). In parabola contra regem Babylonis Is. 14,12 ruina regis regnique potentissimi describitur : quomodo cecidisti de caelo, lucifer (הֵילֵל, vel forte rectius הֵילֵל, ὁ ἑωσφόρος). Eadem voce redditur φωσφόρος 2 Petr. 1, 19 : donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris. Cf. Eccli. 50,6; Apoc. 2,28; 22,16.

Orion (כְּסִיל) sidus australe formam viri (venatoris) exhibens cingulo et tribus gladiis conspicui (Iob 9,9; 38,31; Am. 5,8); Vulg. Iob 38,31 Arcturus. Forma pluralis כְּסִילִים Is. 13,10 designat Orionis i. e. sidera maiora splendore et pulchritudine Orioni similia. LXX interpretantur כְּסִיל Iob 9,9 Ἔσπερον, 38,31 Ὠρίων, Am. 5,8 omittunt.

Pleiadas interpretatur S. Hieronymus Iob 38,31 vocem כִּימָה (LXX Πλειάς), quam 9,9 Hyadas (LXX Ἀρκτοῦρον) et Am. 5,8 Arcturum (LXX omitt.) vertit. Eandem vocem praebet Peshitta. Antiquiores plerique Pleiadum sidus intellegunt 7 stellis maioribus aliisque minoribus constans vel quasi conglomeratum (כימה = cumulus, conglomeratio?). Ex recentioribus alii Pleiadas interpretantur (*Payne Smith*, Thesaurus syriacus 1723), alii Sirium (Zeitschr. für alttest. Wiss. III. 1883, p. 107), alii Scorpionem (Zeitschr. für Assyr. I. 1886, p. 264).

Signa duodecim (Zodiaci) S. Hieronymus 4 Reg. 23,5 interpretatur vocem מַזָּלוֹת i. e. deversoria, hospitia scil. solis (LXX τὰ μαζουρώθ). Cf. *Payne Smith*, Thes. syr. 109; *Levy*, Chald. Woerterb. II. p. 20 s.; *Friedr. Delitzsch*, Prolegomena eines neuen hebr.-aram. Woerterb. 1886, p. 142 (ex assyr. *manzaltu* pro *manzaztu*). Sed alii negant ea voce designari signa zodiaci; cf. Abhandl. der Berliner Akad. 1860, p. 316 s.; 1861, p. 267; Zeitschr. f. alttest. Wiss. III. (1883), p. 109-10; Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XL (1886), p. 732-3.

Vesperus in Vulgata Iob 38,32 respondet voci עַיִשׁ (LXX Ἔσπερος), qua designari videtur Ursa maior (arcton, currus), ut supra de arcturo agentes indicavimus.

Praeterea cf. *Bourdais*, Les astres dans la Bible, in Science Catholique, VIII. 1894, p. 881-905; *G. Schiaparelli*, L'astronomia nell' Antico Testamento, Milano, 1903, [editio germ. emendata : W. *Lüdtke*, Die Astronomie im Alten Test. Giessen, 1904].

STELLIO inter reptilia immunda sexto loco commemoratur (Lev. 11,30), ubi textus hebraicus לְטָאָה exhibet; praeterea in Prov. 30,28 Vulg. stellionem vocat hebr. שְׁמָמִית.

1. Priore nomine lacertae speciem designari communiter et veteres et recentiores admittunt, idque contextui maxime videtur convenire. LXX καλαβώτης (ita B, Ald. et multi minusc.; alii ασκαλαβωτης cum Complut. et multis aliis minusc.; alii χαλαβωτης v. a.; cf. *Holmes* in Lev. 11,30), Peshitta צרוריתא i. e. salamandram, Ps.-Ionathan שממיתא (v. infra) interpretantur; On-

kelos et versio samaritana vocem hebr. retinent, quam etiam Talmudistae de lacerta explicant (Mishna, Tract. Oholoth 1,6). Stellio, quem S. Hieronymus nominat, et quem etiam vox graeca ἀσκαλαβώτης designat (cf. *Plin.* XXIX. 4,90), a recentioribus praesertim genus ex familia *Agamidarum* vocatur, cuius species in Palaestina communissima est *Stellio cordylina* Laurenti. Varias etiam alias species tamquam proprie nomine *leṭā'ā* designatas recentiores proponunt, rationibus haud ita validis innixi.

Literam ל in לטאה Massora *maiusculam* esse notat, ut indicet « inter reliqua reptilia vel maxime ab hoc reptili esse cavendum » (!) ait *Buxtorf*, Comment. masoreth. C. 14.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 4, *ed. Rosenmüller* II. p. 497-500; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, p. 261-3; *L. Lewysohn*, Zoologie des Talmuds, Frankfurt a. M. 1858, p. 221-3; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 341 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of. the Bible, *ed.* 8, p. 266-8; *id.* Fauna and Flora of Pal., London, 1888, p. 154; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, p. 124 s.; *H. Ch. Hart*, Animals of the Bible, London, 1888, p. 149 s.; *J. G. Wood*, Bible Animals, new ed., ib. 1892, p. 529-31. — Cf. LACERTA.

2. In libro Prov. 30,24-28 inter « quattuor minima terrae », quae « sunt sapientiora sapientibus », post formicam, lepusculum (i. e. choerogryllum), locustam ultimo loco שְׂמָמִית (al. שְׁמָמִית) recensetur (v. 28). Quam vocem LXX καλαβώτης (ασκαλαβωτης 3 minusc. ap. *Parsons*), Peshitta אמוקתא similiterque Chaldaeus אקמיתא, S. Hieronymus *stellionem* interpretantur, omnes in lacertae specie convenientes. Eadem interpretatio confirmatur ex versione samaritana, quae in Lev. 11,30 אַנָקָה, lacertae speciem, שמיותא vocat, et ex duobus paraphrastis hierosolymitanis, qui ibidem aliam speciem לְטָאָה dictam eodem nomine designant.

Atque etiam textus et contextus huic expositioni favent. Contextus enim pusillum animalculum terrestre requirit, ex quorum numero certo lacertae sunt. Textus vero dupliciter explicatur, sive cum S. Hieronymo « stellio manibus nititur (vel potius : apprehendit) et moratur in aedibus regis », sive cum Theodotione (ἑλλαμβανόμενος ap. *Field*) et recentioribus : stellio manibus apprehenditur (pro תִּתָּפֵשׂ legendo תִּתְפָּשׂ vel supplendo suffixum) et moratur in aedibus regis. Utraque explicatio, quae in versione septuagintavirali hodierna coniuncta apparet (gr. 24,63 : καλαβώτης χερσὶν ἐρειδόμενος καὶ εὐάλωτος ὤν ℵ BA etc.), lacertis satis conveniens est (cf. *Bochart*).

Quare illam veterum de lacerta interpretationem, quam etiam glossa graeca « Ζαμιάμινθος = stellio » (*Du Cange*, Glossarium med. et inf. graec. 1330) confirmat, recentiores communissime admittunt neque opus est ut futilia Rabbinorum commenta pluribus refellamus, qui piscem vel vermem vel araneam vel hirundinem vel simiam et nescio quid aliud lacertae praeferunt (cf. *Bochart*).

Species lacertae nomine שממית designata accuratius determinari vix poterit. Plerisque *gecko* seu lacerta aliqua ex familia *Geckonidarum* (*Ptyodactylus Hasselquisti* Schneider, e. a.) vel *Agamidarum* (*Stellio cordylina* Laurenti, e. a.) placuit, eamque iuxta etymologiam vocis (arab. *samm* venenum) venenatam creditam esse contendunt.

Cf. *Bochart*, o. c. IV. 7, *ed. Ros.* p. 510-20; *F. Hasselquist*, Reise in Pal., *ed. C. Linnaeus*, p. 356-8; *P. Forskal*, Descript. anim. p. 13; *Rosenmüller*, o. c., p. 267 s.; *Lewysohn*, o. c., p. 222 s.; *Cultrera*, o. c., p. 342 s.; *Tristram*, Nat. Hist. p. 304 (favet araneae); Fauna and Flora, p. 153 s.

L. FONCK.

STEPHANAS (Στεφανᾶς), unus ex legatis corinthiis, qui S. Paulo litteras ecclesiae corinthiae attulerunt et priorem Apostoli epistulam ad Corinthios retulerunt (1 Cor. 16,17); alii legati erant Fortunatus et Achaicus. Stephanas et eius familia, quam Paulus ipse baptizavit (1,16), appellantur primitiae Achaiae et singulari honore ac reverentia digni celebrantur, quoniam sponte ministerio fidelium sese dedicaverunt caritatis fraternae munera exercentes (16,15. 16; adverte nomina Fortunati et Achaici 16, 16 esse delenda).

STEPHANUS (Στέφανος), vir plenus fide et Spiritu Sancto (Act. 6,5), firmitate fidei et donis Spiritus S. in se conspicuis eminens ex numero septem diaconorum, qui praeter unum Nicolaum alienigenam erant origine Iudaei, probabilius etiam Hellenistae. Diaconos illos non solum ministros mensae sacrae ac profanae, sed etiam adiutores Apostolorum in praedicatione fuisse actis Stephani plane declaratur. Hellenistis nuntium messianum magno cum successu praedicans invidiam adversariorum inflammavit; quem cum disputantes vincere non possent, falsis testimoniis coram synedrio perdere studuerunt. Sed faciem angeli prae se ferens longa oratione exponit, quid sentiendum sit de manifestationibus Dei, de Moyse, de lege, de templo et nisi vi ac violentia interruptus esset, ipse declaraturus fuisset, quorsum tota illa institutio ex vetere historia exposita tenderet. Ad quid oratio tenderet, Iudaei bene advertentes indignationem ostenderunt; quapropter Stephanus zelo accensus eorum pertinaciam ac perfidiam vehementer increpuit et visione divinitus sibi facta corroboratus testimonium de Iesu stante a dextris Dei enuntiavit. A furentibus Iudaeis extra civitatem eiectus et pro se suisque inimicis orans lapidatus est (Act. 6,8 ss.; 7,1 ss.). Atque haec, quae de morte Stephani narrat S. Lucas, a Paulo didicit, qui cum funderetur sanguis Stephani, testis adstabat (22,20). Non obstante furore Synedristarum aliorumque viri timorati (ἄνδρες εὐλαβεῖς), qua dictione proselyti alienigenae designari videntur, lamentantes eum honorifice sepelierunt (8,2). Eius mortem subsecuta est magna persecutio in ecclesiam hierosolymitanam ac dispersio discipulorum, qui praedicationi operam dabant, remanentibus Apostolis ad consolationem fidelium (8,1; 11,19).

De difficultatibus, quas moderni critici in Stephani dictis et factis pro more suo sagaciter deprehendunt, consule commentatores (*Felten*, *Knabenbauer*, *Belser*, etiam protestantem *Blass*, Acta Apostolorum, 1895).

STHARBUZANAI (שְׁתַר בּוֹזְנַי, B Σαθαρβουζανά, Σαθαρβουζάν, A Σαθαρβουζαναί, Σαθαρβουζανής, Σαθαρβουζανέ), praefectus persicus tempore Darii Hystaspis et Zorobabelis Esdr. 5,3. 6; 6,6. 13.

STHUR (סְתוּר, Σαθούρ), filius Michael, princeps de tribu Aser, explorator terrae promissae Num. 13,14[13].

STIBINUS LAPIS v. STIBIUM.

STIBIUM (פּוּךְ, στίβι, στίμμι, unde στιβίζω, στιμμίζω), fucus quo palpebrae oblinebantur, ut oculi et magis splendidi et maiores quoque viderentur 4 Reg. 9,30; Ier. 4,30; Ez. 23,40 (h. l. כחל). Describitur splendida novae Ierusalem aedificatio Is. 54,11 hebr. : ecce ego sternam in stibio lapides tuos i. e. lapides inter se coniungentur non calce, sed stibio, quo splendor moenibus et aedificiis concilietur (*Knabenbauer* ad h. l.); LXX autem pro stibio ἄνθρακα interpretantes videntur legisse נֹפֶךְ (v. CARBUNCULUS). Unde etiam 1 Par. 29,2 אַבְנֵי פוּךְ (λίθοι πολυτελεῖς, lapides stibini) fortasse corrigendi sunt אַבְנֵי נֹפֶךְ seu carbunculi. De more veterum fucandi oculos cf. Ztschr. d. D. Morg. Ges. V. 1851, p. 236-242; *Lane*, Modern Egyptians, I. p. 43; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs of the anc. Egypt. 1878, II. p. 347-9.

STIGMATA. Vox legitur Lev. 19, 28 : super mortuo non incidetis carnem vestram neque figuras aut stigmata facietis vobis; hebr. scripturam stigmatis כתבת קעקע non dabitis in vobis; erant signa quaedam cuti incisa, fortasse suco quodam erodenti perfusa. — Paulus profitetur de se : stigmata Domini Iesu in corpore meo porto (Gal. 6,17) i. e. cicatrices vulnerum ex plagis inflictis (cf. Act. 14,18; 16,23).

STIPENDIUM. Milites Israelitae, quibus ab anno aetatis vicesimo (Num. 1,3; 26,2; 2 Par. 25,5) ad bella procedere incumbebat, stipendium seu mercedem aut aes militare non recipiebant. Pro eorum victu iam Iud. 20,10 cura quaedam publica habebatur : decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exer-

citui cibaria. Verum incertum est, sitne hoc lege quadam stabili observatum. Cibaria a viris privatis esse bellatoribus oblata legimus (1 Reg. 17,17; 2 Reg. 17, 27). Extraneis si qui conducerentur ad pugnandum stipendia esse soluta, colligere poteris ex eo quod Amasias, rex Iuda, mercede conduxit de Israel centum millia robustorum centum talentis argenti (2 Par. 25,6). Ceterum militum merces potissimum constabat spoliis et praeda post victoriam. Tempore Machabaeorum iam in usu erat solvere stipendia; cf. 1 Mach. 3,28; 14,32. Et praecursor monet milites, ut ab exactionibus sibi temperantes contenti sint stipendiis suis. Immo Paulus, quis, inquit, unquam militat suis stipendiis (Luc. 3. 14; 1 Cor. 9,7)? ita scil. ut se suis alat sumptibus neque aes militare accipiat.

Notione mercedis seu pecuniae ad victum adhibetur vox 2 Cor. 11,8 : alias ecclesias exspoliavî accipiens stipendium ad ministerium vestrum (cf. Phil. 4,10-17). Et quia Rom. 5-7 ἡ ἁμαρτία describitur quasi belli dux, apte concluditur Rom. 6,23 stipendia peccati mors (est spiritualis, aeterna; talem mercedem solvit peccatum).

STOICI, philosophorum secta, quorum nomen petitum est ex ποικίλη στοά (porticus, vestibulum), in qua eius scholae philosophicae parens et auctor, Zeno, Athenis docuerat. Profitebantur Stoici pantheismum quendam; omnes vires naturales esse partes unius totius quod simul sit et ratio universalis et materia; hominem ipsum esse partem quandam totius; omnia regi quadam necessitate ineluctabili; quare sapientis esse nulla re commoveri. Mythos deorumque fabulas explicarunt allegorice de rationibus rerum naturalium, de elementis, sideribus vel etiam de praeclare gestis ab heroibus. Quandam severitatem, apathiam affectabant. Athenis Paulum audientes praedicantem συνέβαλλον αὐτῷ, cum eo congrediebantur, conferebant (Act. 17,18) eumque esse novorum daemoniorum annuntiatorem dicebant, quia scil. Iesum et ἀνάστασιν praedicabat quae numina esse peregrina suspicabantur.

STOLA, vestis superior, usque ad talos demissa. Ponitur vox in Vulgata pro hebr. בֶּגֶד (Gen. 41,42), שִׂמְלָה (Gen. 45,22), לְבוּשׁ (Esth. 6,10. 11; Is. 63,1), מְעִיל (1 Chron. 15,27), et pro στολή v. g. Eccli. 6,30. 32; 45, 12; 1 Mach. 6,13; 10,21; 14,9; 2 Mach. 3,15; Marc. 12,38 etc.

STORAX imprimis exponitur hebr. נְכֹאת, quod filii Iacob cum optimis terrae fructibus in Aegyptum portarunt (Gen. 43,11). Eadem vox hebraica antea occurrit in historia Ioseph, cum mercatores Ismaelitae etiam נכאת in Aegyptum attulisse narrantur (Gen. 37,25), ubi S. Hieronymus expressione generali *aromata* usus est. Ex opinione multorum etiam נֹכַח, quod in phrasi בֵּית נֹכַחַת bis occurrit (4 Reg. 20,13; Is. 39,2) et a S. Hieronymo pariter *aromata* explicatur, eundem sensum habet ac נכאת; quod alii negantes potius de *domo thesauri* interpretantur, collata expressione synonyma assyriaca *bīt nakamti*.

Iam vero נכאת in Genesi a LXX et similiter in Vetere latina generatim redditur θυμίαμα, *thymiama;* at contextui potius particularis quaedam aromatum vel thymiamatis species videtur convenire. *Storax* autem, quem etiam Aquila praefert (στύραξ), alia potius voce *nāṭāf* probabiliter designatur (v. STACTE 2), licet *Bochartus* ac *Celsius* eius partes indubie defenderint. Cum idem nomen *naka'at* in lingua arabica *gummi tragacanthae* significet, plerique recentiores hunc eundem sensum voci hebraicae tribuunt, isque textui omnino conveniens est. Etenim gummi illud tragacanthae est sucus resinosus ex ramis et caule variarum specierum fruticis *Astragali* (fam. Leguminosae) profluens, quae etiam in Palaestina et Syria atque in regione Galaad frequentes inveniuntur. Ex 122 speciebus palaestinensibus, quas enumerat cl. *G. E. Post,* plures illius gummi feraces sunt (v. gr. *Astragalus gummifer* Labillardière, *A. bethlehemiticus* Boissier), cuius praeterea e regionibus vicinis, praesertim ex Mesopotamia et Asia Minore

ac Graecia, magna copia praesto erat. Penes antiquos ille sucus magno in honore habebatur atque ad varios usus, sicut etiam nunc, utilis erat (cf. *Theophr.* Hist. pl. IX. 1,3; 15,8; *Dioscurid.* Mat. med. 3,20; *Plin.* XIII. 21,115).

Praeter textus citatos in Vulgata etiam Eccli. 24,21 *storax* inter varia aromata commemoratur, ubi in textu graeco omittitur (v. 15), neque etiam in versione syriaca expressio conformis occurrit. Collato hoc versiculo cum loco Ex. 30,34, in textu graeco Ecclesiastici eadem quattuor aromata nominantur, quae ad incensum sacrum sumenda erant, quare haud temere quis dicat, vocem *storax* hic nil aliud esse quam explicationem vocis σταχτή, cui in latino *gutta* respondet, et sic interpretationem de *stacte* alibi datam confirmare. De resina storacis v. STACTE 2, de ipsa arbore storaciflua v. POPULUS.

De astragalo et gummi tragacanthae cf. *P. S. Pallas*, Species astragalorum, Lipsiae 1800; *A. P. de Candolle*, Astragalologia, Paris, 1802; *A. Bunge*, Generis Astragali species gerontogeae, Petropoli, 1868; *E. Boissier*, Flora orientalis II. 205-498; *Leunis-Frank*, Synopsis, *ed.* 3, II. 2, p. 116; *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels im Mittelalter II. Stuttgart, 1879, 653 s.; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen, n. 24; *G. E. Post*, Flora of Syria, 11 s. 253-76. — *De* נכאת biblico cf. praeterea *Sam. Bochart*, Hierozoicon II. l. 4, c. 12; *J. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Continuatio, II. 206-11; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 211-4; 4; *O. Celsius*, Hierobot. I. 548; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,164 s.; *P. Cultera*, Flora bibl. 262 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, 393-5; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 198 s.; *J. Smith*, Bible Plants, 193 s.; *L. Haynald*, A szentírási mézgák es gyanták termönövényei (De plantis gummiferis S. Scripturae), 9-11 (cum tabula picta *Astragali bethlehemitici*); *P. Schegg*, Bibl. Arch. 209 s.

L. FONCK.

STRAGULATA VESTIS ponitur Prov. 31,22 pro hebr. מַרְבַדִּים i. e. stragula, tapeta, peristromata. Dicitur in laudibus mulieris fortis : stragulatam vestem (stragula) fecit sibi; LXX χλαίνας ἐποίησεν τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. Cf. Prov. 7,16.

STRUTHIO (בַּת הַיַּעֲנָה i. e. filia deserti; plur. בְּנוֹת יַעֲנָה et Iob 39,13 יַעֲנִים i. e. struthiones femininae, nisi forte h. l. legendum sit יְעִנִּים i. e. habitatores deserti; LXX στρουθός, στρουθίον, etiam σειρῆνες) recensetur inter aves immundas (Lev. 11,16; Deut. 14,15). Illustratur Iob 39,13-18 multiplex et varia divinae administrationis ratio ex indole struthionis, cuius erga ova et pullos incuria (Lam. 4,3) accusatur, celeritas laudatur. In comparationem adducuntur Iob 30,29 et Mich. 1,8 struthionis lugubres soni et eiulatus nocturni. Incolit desertas regiones (Is. 13,21; 34,13; Ier. 50,39), quamvis aqua largiore indigeat (Is. 43,20). Apud LXX etiam Ier. 10,22; 49,33 dracones (תַּנִּים) redduntur στρουθοί.

Struthio camelus Linné est unica species ex familia Struthionidarum, quae prima recensetur in ordine Cursorum. Olim multo frequentior in Asia occidentali, hodie quoque invenitur in Arabia, in deserto syriaco et in Persia meridiana. Quae de incuria erga ova et pullos ad modum popularem in poeticis descriptionibus dicuntur, inde videntur explicari, quod praeter ova usque triginta a quattuor gallinis in nido arenoso deposita circa nidum haud pauca ova recentiora circumiacent, quae a feris felibus et canibus aureis (*Schakal*) auferuntur ac devorantur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. l. 2, c. 14-17; *P. Cultrera*, Fauna biblica, 1880, p. 308-310; *G. J. Wood*, Bible animals, 1892, p. 450-461; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 233-9; *E. Brehm*, Thierleben, VI. (1879), p. 192 ss.; *Leunis-Ludwig*, Zoologie, I. (1883), § 305.

STULTITIA, STULTUS. Uti sapientia, sapiens dicitur non solum de recta intellegentia, verum etiam de recta agendi et sentiendi ratione, de eximia quadam pietate et sanctitate, ita a contrario stultitia et stultus de vitio adhibetur et intellectus et voluntatis; stultus est impius, scelestus, qui ipsum Deum esse negat et in vitiorum barathro versatur. Ita Iud. 19,23 vitium contra naturam vocatur stultitia; item incestus

2 Reg. 13,12; item adulterium et pseudoprophetia Ier. 29,23; item idololatria Os. 2,10. Homo carnalis non capit ea quae Dei sunt; ita praedicatio de cruce (morte) Christi ei est stultitia, et ipse Christus crucifixus ei est stultitia, sicut Iudaeo carnali scandalum (1 Cor. 1,18. 21. 23).

STUPPA (נְעוֹרֶת), quae ex lino excutitur, memoratur Iud. 16,9 (στύππιον), Is. 1,31 (στίππυον, cod. Marchalianus = XII. *Parsons* στιππεῖον), Eccli. 21,10 (στυππεῖον) et in Vulgata Dan. 3,46.

STYLUS (ita in editionibus Vulgatae; corrige: stilus) instrumentum est ad exprimendas litteras, ad scribendum. Ita exoptat Iob, ut verba sua exarentur in libro, immo ut stylo ferreo sculpantur in silice (19,24) et Ieremias peccatum Iuda scriptum esse dicit stylo ferreo in cornibus ararum i. e. peccata esse manifestissima quae negari, expiari, deleri nequeant. Facili translatione dicitur de ipso opere scribendi: mendacium operatus est stylus mendax scribarum (Ier. 8,8) i. e. doctores legis et pseudoprophetae scriptis suis explicationibus et vaticiniis normas statuerunt a lege Dei alienas, mendacia promulgarunt. Et Is. 8,1 scribe stylo hominis i. e. modo quo quisque facillime legere et intellegere possit, modo cuivis maxime accommodato.

Quod in Vulgata legitur 4 Reg. 21,13: et delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulae, et delens vertam et ducam crebrius stylum super faciem eius, interpres expressit ex more veterum, qui scripturam quandam delere volebant. Stylus enim scribendi habebat extremam unam oram cuspidatam, alteram teretem planamque. Pars cuspidata exarabat litteras in tabula cera obducta; si quid delendum erat, pars teres et plana ductas litteras litura eradebat; nam super ceram pars illa plana omnia aequabat. Unde illud Horatii: saepe stylum vertas, iterum quae digna legi sunt scripturus.

Sed eo loco in hebr. alia comparatio nobis offertur: et abstergam Ierusalem, sicuti abstergunt paropsidem; abstergunt et evertunt eam. In utraque comparatione exprimitur fore, ut nullum quasi vestigium prioris urbis et gloriae relinquatur.

SUA. 1. Sua (שׁוּחָה, B Ἀσχά, A Ἀσχάς), frater Caleb ex posteris Iuda (1 Par. 4,11).

2. Sua (סוֹא, B Σηγώρ, A Σωά, *rec. Lucian.* Ἀδραμελεχ τὸν Αἰθίοπα) rex Aegypti, aequalis Osee ultimi regis Israel (4 Reg. 17,4). Ex opinione communissima Sua est idem, qui in monumentis aegyptiacis scribitur *Shabaka*, primus Pharao dynastiae XXV. aethiopicae, apud Manethonem *Sabakon*, in inscriptionibus cuneiformibus *Shab'i* (cui formae aequivaleret hebr. סָבָא, unde in textu massor. potius punctandum erat סוֹא loco סוֹא). Osee rex Israel contra Assyrios rebellare nitens nuntios misit ad Sua regem Aegypti, sed frustra. Post expugnatam Samariam, cum nonnullae regiones Syriae rebellarent, Sargon eas subegit et adversus Aegyptum progressus apud Raphiam ad meridiem Gazae proelium commisit, quo *Shabaka* rex Aegypti et *Hannon* rex Gazae devicti sunt. — Sed vide SUPPLEMENTUM: Reges Aegyptiorum.

Cf. *A. Wiedemann*, Aegyptische Geschichte, § 44; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 261. 262 (ad 2[4] Reg. 17,4). Recentius coniecit *Winckler*, Mitteil. der Vorderas. Gesellsch. 1898, 3 ss. non regem Aegypti 4 Reg. 17,4 designari, sed principem militiae regis *Pir'u* regionis *Muṣri* in Arabia septemtrionali.

SUAA (שׁוּעָא, Σωλά), filia Heber de familia Baria in tribu Aser (1 Par. 7,32).

SUAL. 1. Sual (שׁוּעָל, B Σουλά, A Σουάλ), unus ex filiis Supha de tribu Aser (1 Par. 7,36).

2. Sual (שׁוּעָל, ἡ Σωγάλ) terra, ad quam Philisthaei ex castris in Machmas positis septemtrionem versus palabantur (1 Reg. 13,17). Terra Sual ignota est, sed prope fines septemtrionales tribus Beniamin quaerenda erit, quia l. c. additur Philisthaeos processisse contra viam Ephra (v. EPHRA 2), quae urbs censetur esse *el-Ṭaiyibe* prope *Beitīn* (Bethel).

SUAR (צוּעַר, Σωγάρ), pater Nathanael principis tribus Issachar (Num. 1, 8; 2, 5; 7,18. 23; 10,14).

SUBA (2 Par. 8,3) regio v. SOBA.

SUBAEL (1 Par. 24,20 et 25,20) v. SUBUEL 1 et 2.

SUBCINERICIUS PANIS est panis qui in seu sub cineribus calidis, vel etiam super lapidibus calidis coquitur. Ita in Vulgata explicatur hebr. עֻגָה Gen. 18,6; Ex. 12,39; 3 Reg. 17,13; 19,6; Ez. 4,12; Os. 7,8. Apud LXX ἐγκρυφίας. Semel, scil. Iud. 7,13 in Vulgata eadem voce redditur hebr. צְלוֹל, LXX μαγίς, proprie tostum, frictum.

SUBSTANTIA. Frequentissime adhibetur vox significatione possessionis, proprietatis, bonorum, opum, divitiarum. Ponitur pro variis vocibus hebr. et graecis, quibus eiusmodi notio inest. Ita explicatur רְכוּשׁ Gen. 12,5; 13,6; 14, 11 ss.; 15,14; 31,18; Num. 16,32; 1 Par. 27,31; 28,1 etc.; alias eo modo redditur מִקְנֶה Gen. 31,9; 34,23; 36,6; alias נְכָסִים (opes) Ios. 22,8; 2 Par. 1,11; Esd. 7,26; Eccle. 5,18; 6,2; item כֹּחַ Iob 6, 22; חַיִל Iob 15,29; Prov. 13,22; 31,3; frequenter in Prov. הוֹן 1,13; 3,9; 6,31; 10,15; 12,27; 13,11; 18,11; 24,4; 29,3; Cant. 8,7; semel legitur substantia pro hebr. כֹּלִי Gen. 31,17; semel Num. 32,1 in iumentis infinita substantia, hebr. multum valde מְאֹד; etiam ponitur pro סְגֻלָּה Eccle. 2,8; pro חֶסֶן Ier. 20,5; pro קִנְיָן Ez. 38,13; pro בִּזָּה Esth. 9,10. 15. In pluribus locis verba explicat graeca : κτῆμα Sap. 13,17; χρήματα Eccli. 31,3; 34, 24; 40,13; πλοῦτος Eccli. 10,33; 13,30; 14,3; 21,5; 28,12; τὰ ὑπάρχοντα Eccli. 41, 1; βίος (victus scil.) Eccli. 38,20; Luc. 8, 43; 15,12. 30; 1 Ioan. 3,17 qui habuerit substantiam huius mundi etc.; ὕπαρξις Act. 2,45; Hebr. 10,34; οὐσία Luc. 15, 12. 13.

Dicitur quoque de animantibus Gen. 7,4 delebo omnem substantiam (hebr. יְקוּם) quam feci; item 7,23; Deut. 11,6 adhibetur יְקוּם alia notione : absorbuit terra rebelles cum omni substantia eorum.

Porro correspondet substantia voci ὑπόστασις, quae ipsa non una significatione legitur : Ps. 38,6 substantia mea tamquam nihilum ante te; 38,8 substantia mea apud te est (i. e. ex hebr. : spes mea ad te est); qua notione spei, confidentiae ὑπόστασις (substantia) etiam habetur 2 Cor. 9,4; 11,17; Hebr. 3,14; alias ὑπόστασις est fundamentum v. g. Ps. 68,3 infixus sum in limo profundi et non est substantia; est id quod substructum est; fides quatenus res sperandas certissime docet est sperandarum substantia rerum Hebr. 11,1; Filius Dei est figura substantiae eius (Hebr. 1,3), χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, Filius perfecte refert imaginem naturae divinae, utpote Patri consubstantialis. — Accedit denique, quod de manna dicitur Sap. 16,21 ὑπόστασίς σου substantia a te data dulcedinem tuam quam in filios habes ostendit; ad h. l. cf. *Cornely-Zorell :* « Cum plerisque iunioribus ac modernis omnino teneatur oportet manna simili modo, quo in praecedenti sententia *cibus angelorum* et *panis de caelo* vocabatur, hic *substantiam Dei* vocari i. e. rem populi sustentandi causa a Deo ipso productam seu alimentum divinitus paratum ». Differt utique haec interpretatio ab expositione s. v. MANNA data, quae manna naturale adstruit, sed etiam in pluribus circumstantiis miraculosam Dei interventionem; in qua opinione manna sensu quodam latiore est substantia Dei seu alimentum divinitus paratum.

SUBUCULA, tunica linea interior; Lev. 8,7 ponitur vox pro hebr. כְּתֹנֶת, alias redditur in Vulg. tunica (Ex. 28, 39; 39,27; Lev. 10,5 linea tunica; 2 Sam. 13,18; Cant. 5,3 etc.).

SUBUEL (שְׁבוּאֵל, Σουβαήλ). **1.** Levita ex posteris Gersom filii Moysis (1 Par. 23,16), praepositus thesauris tempore Davidis (1 Par. 26,24 : שֵׁבוּאֵל, B Ἰωήλ, A Σουβαήλ); idem nominatur 24,20 Subael (שׁוּבָאֵל, B Ἰωβαήλ, A Σουβαήλ) de filiis Amram.

2. Unus ex filiis Heman cantoris (1 Par. 25,4), princeps decimae tertiae classis cantorum (25,20 : שׁוּבָאֵל, Vulg. Subael).

SUE. 1. Sue (שׁוּחַ, Σωύε), filius

Abraham et Cetturae (Gen. 25,2; 1 Par. 1,32 B Σῶε).

2. Sue (שׁוּעַ, Σαύα, Αὖα), Chananaeus in Odollam, pater uxoris Iudae (Gen. 38,2. 12; 1 Par. 2,3). LXX Gen. 38,2. 12 nomen non ad patrem, sed ad filiam referunt.

3. Sue (שׁוּעָא, B Σαού, A Σαούλ), filius Saaph filii Iahaddai de tribu Iuda, pater (dominus) urbis Machbena (1 Par. 2,49).

4. Sue (סוּחַ, B Χουχί, A Σουέ), unus ex filiis Supha de tribu Aser (1 Par. 7,36).

SUFFOCATUM v. CIBI VETITI.

SUHAM v. HUSIM 1.

SUHITES (הַשּׁוּחִי, הַשֻּׁחִי, ὁ Σαυγαίων, Αὐχαίων, ὁ Σαυχείτης, Σαυχίτης, Αὐχίτης) i. e. oriundus de terra שׁוּחַ cognominatur Baldad amicus Iob (Iob 2,11; 8,1; 18,1; 25,1; 42,9); v. BALDAD.

SULAMITIS (הַשּׁוּלַמִּית; B ἡ Σουμανεῖτις, A Σουλαμῖτις), nomen Sponsae Cant. 6,12[7,1]; 7,1. Censent plerique Sponsam nomine gentilicio appellari Sulamitidem i. e. oriundam de Sulam seu Sunam (הַשּׁוּנַמִּית et v. SUNAM). Attamen non minus probabile est nomen allegorice, quam historice esse interpretandum, praesertim cum totum Canticum sit carmen allegoricum de Christi cum Ecclesia desponsatione. *Gietmann* (Comment. in Eccle. et Cant. p. 381) defendit nomen Sponsae ita fictum esse, ut esset forma feminina nominis Salomon, ut si graece diceretur ἡ Σολωμωνική i. e. ἡ τοῦ Σολωμῶνος; insuper vero nomen quodammodo gentilicium esse arbitratur scil. ita fictum, ut cum Salem (שָׁלֵם) conosnaret et videretur significare urbis pacificae, cuius erat rex Salomon, incolam ac reginam.

SULPHUR (גָּפְרִית vox bactrica, de qua v. lexica hebr.; Targ. גַּפְרִיתָא, כִּבְרִיתָא; syr. *kebritha;* arab. *kibrit;* θεῖον) memoratur in describenda catastrophe Sodomae et Gomorrhae (Gen. 19, 24), in allusionibus sive explicitis sive implicitis ad istum eventum (Deut. 29, 23; Iob 18,15; Luc. 17,29), in describendis iudiciis divinis (Ps. 10,7[11,6]; Is. 30,33; 34,9; Ez. 38,22), in visionibus apocalypticis de inferni spiritibus (Apoc. 9,17. 18) ac tormentis (14,10; 19,20; 20, 9[10]; 21,8). In Palaestina sulphur invenitur in valle Iordanis inter Iericho et mare Mortuum et etiam circum mare Mortuum in multis locis ripae orientalis et occidentalis v. g. in paeninsula *el-Lisān,* ad radices orientales *Djebel Usdum,* prope *el-Sebbe* (Masada), *ʿAin Djidī* (Engaddi) etc. Cf. Ztschr. d. D. Pal.-Ver. II. 1879, p. 113-119; XIX. 1896, p. 44-48.

SUNAM, SUNEM (שׁוּנֶם; Σουνάμ, Σωνάμ, Σωμάν), urbs tribus Issachar (Ios. 19,18), prope quam Philisthaei castrametati sunt ante pugnam ad montes Gelboe (1 Reg. 28,4), patria Abisag adulescentulae (3 Reg. 1,3. 15; 2,17. 21. 22) et mulieris illius, quae Eliseum hospitio excepit et ab eo resuscitationem filii mortui impetravit (4 Reg. 4,8. 12. 25. 36). Sunt permulti qui putent etiam Sponsam in Cantico Canticorum (6,12; 7,1) nomine gentilicio appellari Sulamitidem i. e. de Sulam seu Sunam oriundam; sed v. SULAMITIS. — Tempore Eusebii et S. Hieronymi Sunem (*Euseb.* Σουβήμ) agnoscebatur vicus Sulem 5 mil. pass. a monte Thabor contra australem plagam (Onom. *ed. Lag.* 294,56; 152,16). Hodie vicus *Sōlem* ad radices australes Hermonis minoris et 7 km a *Zerʿīn* (Iezrael) aquilonem versus (*Riess,* Bibel-Atlas; *Guérin,* Galilée I. p. 112-114; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 87).

Eusebius et S. Hieronymus a Sunem urbe Issachar distinguunt Sonam patriam mulieris, quae Eliseum hospitio excepit, atque hanc cum vico Sanim in finibus Sebastae in regione Acrabbitena componunt (Onom. *ed. Lag.* 295,86; 153,18); sed una eademque urbs in textibus supra allatis communiter et iuremerito agnoscitur.

SUNAMITIS v. SUNAM.

SUNI (שׁוּנִי, Σαννίς, Σουνί) enumeratur tertius inter septem filios Gad, progenitor familiae Sunitarum (Gen. 46, 16; Num. 26,15).

SUPERHUMERALE vide s. v. EPHOD.

SUPERLIMINARE, limen superius, seu contignatio, trabes super portam sive ianuam. De sanguine agni ponendum erat in superliminaribus domorum (Ex. 12,7. 22) et si viderit Dominus percutiens Aegyptios sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium domus et non sinet percussorem ingredi domos vestras et laedere (Ex. 12,23). Quibus in locis ponitur vox pro hebr. מַשְׁקוֹף.

Quod Is. 6,4 legitur : et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, explicabis ex hebr. fundamenta liminum, vel postes superliminarium, LXX τὸ ὑπέρθυρον, Syrus : limina portarum. Et Am. 9,1 vox ponitur pro hebr. סַף limen; visione interna percipit propheta, quomodo Dominus cardinem percuti iubeat, ita ut limina, superliminaria commoveantur et contremiscant.

Etiam Soph. 2,14 ponitur pro סַף sicut Zach. 12,2 quoque : ecce, ego ponam Ierusalem superliminare crapulae omnibus populis; verum hoc loco vocem melius vertes : pelvim vertiginis; est scil. urbs pro aliis quasi vas repletum potu inebriante; quicumque aggressus fuerit urbem, quasi ebrietate perculsus corruet. Qua notione Hieronymus quoque suam versionem explicat. Ceterum סַף in Vulg. vertitur hydria Ier. 52,19; 3 Reg. 7,50.

SUPERSTITIO; vide s. v. DIVINATIO, MAGIA, SOMNIUM.

In Vulg. legitur vox pro δεισιδαιμονία i. e. reverentia deorum, pietas seu reverentia numinis. Ea voce utitur Act. 25,19 Festus de iudaica religione. Voce δεισιδαιμονέστεροι (Vulg. superstitiosiores) caute et prudenter utitur Paulus Act. 17, 22 Athenienses vocans prae aliis numinis divini cultui addictos, quasi prae aliis religiosos ac pios. Praeterea Col. 2, 23 ea voce in Vulg. redditur ἐθελοθρησκεία cultus quem quis sua voluntate seu arbitrio assumit et exercet contra rectam rationem et religionem, in quo omnino habetur vera notio superstitionis.

SUPERSUBSTANTIALIS. Ita legitur in Vulg. Matth. 6,11 panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie; sed Luc. 11,3 eadem vox ἐπιούσιος redditur panem nostrum cotidianum. Versio prior itaque vocem explicat de eo quod ad substantiam (vitam, naturam) accedere debeat ἐπι-ούσία. Quae explicatio ad contextum apta est. Graeci vocem ἐπιούσιος saepius explicant ἐφήμερον (ita Gregor. nyss. de or. dom. or. 4; *M.* 44, 1168; Basilius reg. brev. 252; *M.* 31,1252; Chrysost. Cyrill. alex. in Luc. 11,3; *M.* 72, 693). Alii ita explicant, ut οὐσίαν respiciant (ita Orig. Cyrill. hier. Theophyl. Euthym. et etiam Cyrill. alex.; locos vide apud *Knabenbauer* in Matth. *ed.* 2 I. p. 271). Panem supersubstantialem explicat S. Hieronymus : peculiarem vel praecipuum panem quem nobis tribuat Deus; vel qui sit super omnes substantias et universas superet creaturas (ita in Comment. in Ezech. 18,6; *M.* 25,175; dialog. adv. Pelag. 3,15; *M.* 23,585; ad 1 Tim. 6,8; ad Tit. 3,12; *M.* 26,588). Vide quoque *Knabenbauer* in Luc. 11,3 de voce ἐπιούσιος.

SUPH. 1. Suph (צוּף et 1 Par. 6,20 *Kethib* צוּף), unus ex maioribus Samuelis prophetae (1 Reg. 1,1 B Νασεθ, A Σούπ; 1 Par. 6,35[20] Σούφ); idem 1 Par. 6,26[11] scribitur Sophai (צוֹפַי, Σουφεί).

2. Suph ((צוּף, cod. B εἰς τὴν Σείφ, cod. A γῆν Σείφ), terra, in qua erat urbs Samuelis prophetae (1 Reg. 9,5); vide s. v. SALISA.

SUPHA (צוֹפַח, Σωχάθ), filius Helem de stirpe Aser, progenitor numerosae prolis (1 Par. 7,35. 36).

SUPHAM (שֻׁפִּים, Σωφάν), unus ex filiis Beniamin, a quo familia Suphamitarum (הַשֻּׁפָּמִי, ὁ Σωφανεί) descendit (Num. 26,39). Idem Gen. 46,21 scribitur Mophim; cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 46,21.

SUR. 1. Sur (צוּר, Σούρ), unus ex quinque regibus Madianitarum, qui a Moyse devicti sunt (Num. 31,8) et cum Sehon rege Amorrhaeorum foedere iuncti erant (Ios. 13,21); eius filia Cozbi fornicatrix una cum Zambri a Phinees occisa est (Num. 25,15).

2. Beniaminita, filius Ichiel seu Abigabaon (1 Par. 8,30; 9,36).

3. Sur (שׁוּר, Σούρ), desertum prope

Aegyptum, a Palaestina inter meridiem et occidentem situm, in quo iuxta fontem Agar fugiens inventa est ab angelo Domini (Gen. 16,7) et postea Abraham tabernacula fixit : habitavit inter Cades et Sur et peregrinatus est in Geraris (20,1). Ismael habitavit ab Hevila usque Sur, quae respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios (25,18; A Σουήλ); sed adverte *Assyrios* fortasse alicui corruptioni vel etiam dittographiae vocis Sur originem debere. Post transitum maris Rubri Israelitae ingressi sunt desertum Sur (Ex. 15,22), quod Num. 33,8 desertum Etham audit. Saul percussit Amalec ab Hevila, donec venias ad Sur, quae est e regione Aegypti (1 Reg. 15,7; B Ἀσσούρ, A Σούρ). Pagi denique, quos incolebant Gessuri, Gerzi, Amalecitae tempore Davidis, sese extendebant a Telem (vide s. v.) euntibus Sur (B ἀπὸ Γελαμψούρ, A Γελαμσούρ) usque ad terram Aegypti (1 Reg. 27,8). Nomine *Sur* designari murum a Pharaonibus exstructum, ut nomades Asiae ab ingressu Aegypti arcerentur, ostenderunt *G. Ebers* et *H. Brugsch*. Ab istis munimentis nomen sortita est tota illa regio, quae inter Aegyptum inferiorem et desertum Pharan extenditur et cuius pars septemtrionalis apud geographos arabicos et hodie quoque *el-Djifar* audit. Praeterea v. ETHAM.

Cf. *G. Ebers*, Aegypten u. die Bücher Mose's I. 78 ss.; *H. Brugsch*, Dictionnaire géogr. de l'ancienne Égypte, p. 49 ss.

4. Sur (סוּר), porta palatii regii in Ierusalem (4 Reg. 11,6; LXX ἡ πύλη τῶν ὁδῶν, quae loco parallelo 2 Par. 23,5 appellatur porta fundamenti (שַׁעַר הַיְסוֹד, LXX ἡ πύλη ἡ μέση).

5. Sur (Σούρ, Ἀσσούρ) legitur apud LXX Iudith 2,28, sed videtur esse dittographia nominis Tyri (צֹר), quod immediate praecedit.

SURIEL (צוּרִיאֵל, Σουριήλ), filius Abihaiel, princeps familiae leviticae de stirpe Merari (Num. 3,35).

SURISADDAI (צוּרִישַׁדַּי, Σουρεισαδαί Σουρισαδαί), pater Salamiel principis tribus Simeon (Num. 1,6; 2,12; 7,36. 41; 10,19 et apud LXX Iudith 8,1 B Σαρασαδαί, א Σαρισαδαί, A Σαλασαδαί).

SUS (חֲזִיר, ὗς, σῦς, apud Evangelistas χοῖρος) recensetur Lev. 11,7; Deut. 14,8 inter animalia immunda, quorum esus etiam profanus interdictus erat. Ab idololatris Is. 65,4; 66,3. 17 sues immolabantur et comedebantur; pii autem Israelitae potius mori parati erant quam carnes porcinas manducare 1 Mach. 1,50 [47]; 2 Mach. 6,18; 7,1. Aper de silva vineam Israel conculcans Ps. 79 [80],14 collective hostes designat. Sus quasi imago est immunditiei Prov. 11,22; 2 Petr. 2,22 et apud Iudaeos despectui habebatur Matth. 7,6; Luc. 15,15. 16. In regione Gerasenorum (v. s. v.), quae potissimum a gentilibus incolebatur, porcorum magna multitudo alebatur Matth. 8,30 ss.; Marc. 5,11 ss.; Luc. 8,32 s.

Voce hebr. חֲזִיר designatur sus ferus seu silvaticus, nomine scientifico *Sus scrofa* Linné. Num ea voce nonnullis locis Veteris Testamenti etiam *Sus scrofa domesticus* designetur, certo dici nequit. Hodie sus domesticus in Palaestina rarissime invenitur, sed abundat sus ferus in valle Iordanis, iuxta ripas torrentis Cison, in planitie Saron ac praesertim in vallibus Moab et Galaad; cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 54-56. 145. 146. Neque censentur specie differre *Sus libycus* Gray in Asia minore, Syria, Palaestina et *Sus scrofa* Linné, qui olim totam fere Europam incolebat et nunc in Asia propagatus est a Caucaso usque ad fluvium *Amur* et a gradu 55 latitudinis usque ad radices aquilonares *Himalaya;* ultra hos limites inveniuntur aliae species nondum satis determinatae. Cf. *A. E. Brehm*, Thierleben III. (1883), p. 544 ss.; *H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palestine, 1884, p. 3.

A carne suilla etiam ut plurimum abstinuisse feruntur Aegyptii (*Athen.* VII. 55, 299; *Aelian.* Nat. anim. 10,16; *Herod.* 2,47; *Flav. Ios.* cont. Ap. 2,13), Indi (*Aelian.* Nat. anim. 16,37), Arabes et Saraceni (*Sozom.* H. E. 6,38; *S. Hier.* ad Iovin. 2,7), Syri (*Lucian.* de Syr. dea 54), Libyes africani (*Herod.* 4,186), Comani in Ponto (*Strabo* XII. 8,9), Phoenices (*Porphyr.* de abstin. 1,14; *Herod.* V.

6,9). Plura v. apud *F. C. Movers*, Phoenizier I. p. 218 ss.

SUSA 1 Par. 18,16 v. SARAIA 1.

SUSA, SUSAN (שׁוּשַׁן, Σοῦσα, Σουσάν), urbs principalis Aelam cum arce regia. In S. Scriptura saepius mentio fit et urbis et arcis (Neh. 1,1; Dan. 8,2; Esth. 1,2. 5; 2,3. 5. 8; 3,15; 4,8. 16; 8, 14; 9,6 ss.; 16,18); urbem Iudaei quoque incolebant (Esth. 2,5; 4,16). In inscriptionibus assyriacis nomen urbis legitur *Shu-sha-an*, sed in inscriptionibus aelaniticis *Shu-shu-un*. Quaenam sit nominis significatio ignoratur; neque enim ex voce hebraica שׁוֹשַׁנָּה i. e. lilium etymologia nominis derivanda est (quae erat opinio usitata « propter copiam liliorum ibidem crescentium »), quoniam antiquissimi incolae regionis Aelam-Susianae non lingua semitica utebantur ex testimonio inscriptionum.

In textu hebraico Esth. 1,2. 5; 2,3. 5. 8; 3,15; 8,14; 9,6. 11. 12 sermo est de Susan arce (הַבִּירָה), non urbe. S. Hieronymus in Vulgata vocem בּירה interpretatus est *civitas;* sed textus hebraicus 8,15 opponere videtur Susan urbem (הָעִיר) ipsi arci, siquidem Mardochaeus exivit de conspectu regis i. e. ex arce ornatu regio indutus atque urbs Susan exsultabat ac laetabatur. *Birāh* est vox, quam Iudaei a Persis mutuati sunt et in libris sub dominatione persica conscriptis (Neh. 1,1; Dan. 8,2) adhibent ad designandam Susorum acropolim; Vulgata his duobus locis vertit : in Susis castro, sicuti Esdr. 6,2 : in Ecbatanis, quod est castrum. Simili ratione templum hierosolymitanum 1 Par. 29, 1. 19 vocatur הַבִּירָה, habitaculum Dei, arx et palatium Dei. Erat quidem etiam in lingua assyriaca usitata vox *birtu* (= *birāh*) i. e. castellum, arx, urbs munita (cf. *Frd. Delitzsch*, The Hebrew Language viewed in the Light of Assyrian Research; 1883, p. 22-23); nihilominus auctores librorum Esth. Esdr. Neh. eam vocem non ab Assyriis, sed a Persis videntur mutuati esse.

Erat urbs praecipua Aelamitarum per plura saecula. Circa annum 647 a. Chr. post longum certamen opes Aelamitarum ad nihilum redactae sunt ab Assyriis duce Asurbanipal (v. ASENAPHAR) et Susorum urbs expugnata est. Quodsi Daniel (8,2) anno tertio regni Baltassar in Susis castro visionem habuisse refertur, duplex interpretatio probabilis praesto est. Multi enim interpretantur Danielem in visione tantum in regionem Aelam transferri sibi visum esse vel eam regionem ipsi in visione esse oblatam. Alii vero interpretes nihil obstare censent, quominus Daniel revera Susis fuisse dicatur. « Cum prior sententia (inquit *Knabenbauer* ad Dan. 8,2) sat probabilis sit, responsum est ad id, quod aliqui moverunt, falso adscribere Danielem urbem eam ditioni et imperio Chaldaeorum, cum Aelam tempore Nabonidi (qui erat pater Baltassar; v. BALTASSAR 2) ad regnum pertinuerit Medorum. Ad utram pertinuerit dominationem, certo dici nequit; ceterum quidquid statuendum erit, parum interest. Quis enim contendere poterit fieri non potuisse, ut Daniel se in urbem eam conferret? Bellum intercessit inter Nabonidum et Medos; quid si Daniel tamquam legatus regis ad aliquem ducem Medorum missus sit »? — Tempore Persarum erat urbs regia sicut Babylon et Ecbatana (*Xenoph.* Cyrop. VIII. 6,22. Anab. III. 5, 15; *Strabo* XV. 3,2; cf. *Herodot.* 3,30. 65. 70). Secundum inscriptiones palatium magnificentissimum Susis sibi exstruere coepit Darius Hystaspis (cf. *Plin.* VI. 27, 133), quod Artaxerxes II. Mnemon instauravit (inscriptionem vide apud *Oppert*). De palatio tempore Assueri i. e. Xerxis I. vide Esth. 1,2-7. Alexander Magnus urbem ingressus thesauros ingentes ac regalia Persarum ibidem reperit (*Arrian.* Exped. Alex. 3,16). Aetate Seleucidarum urbs paulatim decrevit, aetate Arabum deserta facta est.

Situm urbis hodie repraesentant ruinae *Shūsh* inter meridiem et orientem a *Dīzfūl* inter fluvios *Kerkha* et *Dīzfūl Rūd*. Apud veteres urbs describitur sita esse ad Choaspen fluvium (*Her.* 5,49; *Strabo* XV. 3,4) vel ad Eulaeum (*Arrian.* Exped. Alex. 7,7; *Ptol.* VI. 3,2. 4; *Plin.* VI. 27,135).

Cf. *M. J. Oppert*, Le peuple et la langue des Mèdes 1879, p. 229-30 (inscriptio trilinguis Artaxerxis II. Mnemonis de palatio Darii, quae Susis reperta est); *M. Dieulafoy*, L'Acropole de Suse; *Mme Jane Dieulafoy*, A Suse, journal des fouilles 1884-1886, Paris 1888; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. p. 623-34.

SUSAGAZI (שַׁעַשְׁגַּז, Γαΐ), eunuchus Assueri (Xerxis I.), custos mulierum regiarum in aedibus secundis (Esth. 2,14).

SUSAN v. SUSA.

SUSANECHAEI (שׁוּשַׁנְכָיֵא, B Σουσυναχαῖοι, A Σουσαναχαῖοι) enumerantur Esdr. 4,9 inter eas gentes, quae ab Asenaphar (vide s. v.) de Babylonia in Samariam translatae erant et reducibus Iudaeis moenia Hierosolymorum aedificantibus per litteras ad Artaxerxem regem datas obstiterunt. Susanechaei sunt incolae Susorum. Cf. Wiener Zeitschr. f. Kunde des Morgenl. VI. 54.

SUSANNA. 1. Susanna (Σώσαννα, hebr. שׁוּשַׁנָּה, שׁוּשַׁן lilium), uxor Ioakim viri opulenti, quae eximia et pietate et pulchritudine erat. In eius concupiscentiam exarserunt duo senes iudices, qui cum eam in crimen pellicere non possent, eam falsi criminis accusarunt. Verum interventu Danielis accusatio falsa concidit. Nam cum separatim interrogarentur, sub qua arbore eam in pomario delinquentem vidissent, aperta inter se contradictione ipsi prodiderunt se falsum confinxisse crimen ad suum ipsorum scelus obtegendum. Vide Daniel 13,1-62. Haec narratio solum graece exsistit et in initio graeci libri Daniel ponitur; et merito quidem, cum Daniel appelletur παιδάριον νεώτερον (v. 45).

2. Susanna (Σουσάννα), una ex mulieribus, comitibus Christi, quae ministrabant ei de facultatibus suis, de qua tamen praeterea nihil notum est (Luc. 8,3).

SUSI (סוּסִי, Σουσεί), pater Gaddi de tribu Manasse, exploratoris (Num. 13, 12[11]).

SUTHALA (שׁוּתֶלַח, in pausa שׁוּתַלַח).

1. Filius Ephraim, progenitor Suthalaitarum (Num. 26,35. 36 Σουτάλα; 1 Par. 7,20 Σωθάλαθ).

2. Filius Suthalae filii Ephraim (1 Par. 7,21 Σωθελέ); cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 181 s.).

SYCOMORUS (שִׁקְמָה, ἡ συκάμινος) describitur ut arbor communissima in campestribus (in Shephela) 3 Reg. 7, 10; 2 Par. 1,15; 9,27, cuius tanta erat copia, ut David praefectum constituerit 1 Par. 27,28 super oliveta et sycomoros (Vulg. ficeta). Domos constructas fuisse trabibus ex lignis sycomororum innuitur Is. 9,10[9] verbis contumacibus, quibus populus Ephraim manum Dei ultricem ridet. Amos propheta, qui fuit pastor de Thecue, profitetur 7,14: armentarius ego sum vellicans sycomoros (בּוֹלֵס שִׁקְמִים, κνίζων συκάμινα) seu « agrestes ficus, quae si non vellicentur, amarissimas cariculas faciunt et a culicibus corrumpuntur » (S. Hieron. ad h. l.). De vellicatione in sycaminorum cultura scribit Theophrastus (Hist. plant. 4,2): « Non e germinibus aut e ramis, sed e caudice pomum profert magnitudine et forma ficus, suco atque sapore caprificis simile, verum longe dulcius, sine granis, multitudine numerosum; quod nisi ferreis unguibus scalptum maturescere nequit; scalpta quarto die maturescunt ». Cf. *Plin.* XIII. 7(14),56. Sycamini in Aegypto frequentes supponuntur Ps. 77[78],47, quo loco Vulgata minus accurate שִׁקְמוֹתָם interpretatur: *moros* eorum, sed LXX recte τὰς συκαμίνους αὐτῶν. In regione ierichuntina sycaminos fuisse notum est ex Luc. 19,4: Zachaeus in arborem sycomorum (ἐπὶ συκομορέαν) ascendit. De eadem arbore agitur Luc. 17,6: τῇ συναμίνῳ ταύτῃ, non de moro, ut Vulgata vertit.

Ficus sycomorus Linné ex ordine Urticacearum est arbor 13-16 m alta ramis horizontalibus in comam latissimam extensis, foliis *Morum albam* Linné referens, fructibus vero ficos imitans. De frequentia sycaminorum in Aegypto, ubi loculi corporum medicatorum ex earum arborum lignis confici solebant, vide Theophrastum l. c., Plinium l. c., Strabonem XVII. 2,4; Diodorum Sic. 1,34; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aegypten, 1886, p. 280-292; *V. Loret*, Flore pha-

raonique, 1892, p. 46. 47; *E. Boissier*, Flora orient. IV. p. 1155; *P. Forskal*, Flora aegypt.-arab. p. 180-182. In Palaestina sycomorus hodie quoque communis est, speciatim prope urbes, et praesertim habitat vallem Iordanis et planities maritimas; cf. *G. E. Post*, Flora of Syria, 1896, p. 730; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 397-400. A sycaminis nomen habet urbs antiqua Sycaminum, *Ḥaifā el-ʿAtīqa*, in promontorio Carmeli.

SYENE (סְוֵנֵה, Συήνη), urbs Aegypti maxime meridiana (Ez. 29,10; 30,6). Vulg. vertit : a turre Syenes; sed textus hebr. vertendus est : a Migdol (v. MAGDALUM 2) usque Syenen; qua locutione designatur totus terrae aegyptiacae tractus a termino septemtrionali usque ad australem, sicuti tota terra palaestinensis locutione : a Dan usque Bersabee. Sita erat Syene in ripa Nili orientali e regione insulae Elephantines, pari spatio 5 000 stadiorum ab Alexandria et a Meroe distans (*Plin.* II. 73,183; *Strabo* II. 5,7). In inscriptionibus hieroglyphicis vocatur *Sun, Sunnu* i. e. introitum praebens et nominatur sicut Elephantine insula initium Aegypti. S. Hieronymus ad Ez. 29,10 notat : « Turris Syene usque hodie permanet, castrum dicioni Romanae subditum, ubi sunt Nili cataractae et usque ad quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est. Totam igitur Aegyptum dicit esse depopulandam usque ad terminos Aethiopiae ». Pauca monumenta urbis antiquae conservata sunt prope *Assuān*, inscriptiones autem plurimae ibidem in rupibus cernuntur.

Cf. *Brugsch*, Geogr. Inschr. I. p.155; Dictionnaire géogr. de l'ancienne Égypte, p. 613. 666. 1323; *Egypt Expl. Fund*, Atlas of Ancient Egypt, London, 1894, p. 19 et Map V. Bc.

SYMBOLUM. Legitur in Vulg. Prov. 23,21 : vacantes potibus et dantes symbola consumentur. Dantes symbola sunt conferentes stipem seu pecuniam ad convivia celebranda. Est enim συμβολή (vel etiam σύμβολον) collatio, vel stips collecta et dicitur de pecunia quam singuli dant ad convivia communia celebranda. Bene latine dicitur symbolam dare. In hebr. eo loco legitur דּוֹלֵל helluo : potator et helluo ad egestatem redigentur.

SYNAGOGA. Notione congregationis, coetus, conventus, seu reipublicae vel populi saepius adhibetur vox in libris veteris foederis. Ibi communiter ponitur pro hebr. עֵדָה; ita Ex. 34,31 principes synagogae i. e. coetus seu populi Israel; item Num. 4,34; 16,2; 27,20 omnis synagoga filiorum Israel; 31,13; Ps. 7,8 synagoga populorum; 81,1; 85,14; 105, 18; Prov. 5,14; Eccli. 1,39; 3,30 synagogae superborum non erit sanitas etc.; 1 Mach. 2,42 congregata est ad eos synagoga Assidaeorum.

Verum in libris Novi Testamenti synagoga dicit persaepe aedificium sacrum ad conventus religiosos celebrandos destinatum. Ea notione iam usurpatur מוֹעֵד Ps. 74,8 hebr. combusserunt omnia conventicula (conveniendi loca) in terra (cf. Ios. 8,14 hebr.; Lament. 2,6).

Christus solebat sabbatis in synagogis docere (Matth. 4,33; 9,35; 13,54; Marc. 1,39; 6,2; Luc. 4,15 etc.); item Paulus Act. 9,20; 13,5; 17,10. 17; 18, 4. 26 etc. Eiusmodi aedificia sacra in parvis etiam oppidis, v. g. in Nazareth, inveniebantur. Eorum ruinae quae hodiedum reperiuntur in variis locis Galilaeae demonstrant illa ornatu minime caruisse; plerumque aedificia erant quadrata, columnarum ordinibus in varia spatia divisa. Etiam extra Palaestinam, ubicumque Iudaei erant, synagogae erigebantur. Ita legimus de iis Damasci Act. 9,20, Salaminae in Cypro insula (13,5), Antiochiae, Pisidiae, Iconii, Ephesi, Thessalonicae, Berocae, Athenis, Corinthi (Act. 13,14; 14,1; 17,1. 10. 17; 18,4. 17. 19. 26; 19,8). Conveniebant in synagogam ad orandum; cf. Matth. 6,5 : hypocritae amant in synagogis stantes orare, ut videantur ab hominibus. Praeter orationem habebatur ibi lectio legis et prophetarum sabbatis; Act. 15,21 Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. Post lectionem ex lege (parasha) legebatur ex

prophetis (haphtara); Luc. 4,18 Iesus intravit die sabbati in synagogam et surrexit legere et traditus est illi liber Isaiae prophetae. Post lectionem habebatur sermo exhortationis, explicationis, uti cernitur Luc. 4,20 ss. et Act. 13,15 : post lectionem legis et prophetarum miserunt principes synagogae ad eos (Paulum et Barnabam) dicentes : viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus et manu silentium indicens ait etc. In istis conventibus scribae et Pharisaei affectabant primas cathedras (Matth. 23,6; Marc. 12,39).

In synagogis etiam fiebat distributio eleemosynarum; cf. Matth. 6,2 cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, ut honorificentur ab hominibus. Ibi quoque sabbatis colligebantur eleemosynae. Iudicia quoque ibi esse habita poenasque reis inflictas discimus Matth. 10,17 in synagogis suis flagellabunt vos; Matth. 23,34; Marc. 13,9 in synagogis vapulabitis; Luc. 12,11 cum inducent vos in synagogas et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse etc. cf. 21,12; et Act. 22,19 : ego eram caedens per synagogas eos qui credebant in te; 26,11 et per omnes synagogas frequenter puniens eos compellebam blasphemare. Poena quaedam excommunicationis indicatur Ioan. 9,22, qua quis e coetu sacro excludebatur ἀποσυνάγωγος, extra synagogam factus; 12,42 : propter Pharisaeos multi non confitebantur fidem in Iesum, ut e synagoga non eiicerentur. Talem eiectionem Christus suis quoque praedixit 16,2 : absque synagogis facient vos i. e. a communione et consuetudine sua vos excludent, tamquam apostatae omnibus eritis abominationi.

Duo nominantur quibus cura synagogae incumbebat : archisynagogus (vel in Vulg. etiam princeps synagogae) et minister (ὑπηρέτης Luc. 4,20). Illius erat preces, lectiones et reliqua quae ad cultum divinum spectabant dirigere et moderari; eius iussu res synagogae decernebantur; ei quoque potestas iudicis adscribebatur (cf. *Ugolini*, Thes. antiq. XXI. p. 219 ss.). Haec appellatio archisynagogi fiebat tum primo qui toti synagogae praerat, tum primoribus totius coetus e quibus consilium praesidis constabat; quare de una quoque synagoga plures reperiuntur principes synagogae (Act. 13,15); aliis in locis v. g. in Capharnaum, ubi forte plures erant synagogae, vox notione priore capi poterit (Marc. 5,22). Archisynagogus ille Luc. 13,14 indignatus quod Iesus sabbato curaret dure invectus est in plebem, qui merito hypocrita a Christo est reprehensus.

Ad res minores curandas praesto erant archisynagogo ministri. Unus commemoratur Luc. 4,20, qui volumen ex quo legendum erat porrexit ei qui legit et post lectionem id iterum convolutum accepit. Apud rabbinos חַזָּן appellatur minister synagogae (cf. *Buxtorf*, Lex. chald. talm. rabb. col. 730).

In Capharnaum centurio, homo alienigena, Iudaeis aedificavit synagogam, id quod seniores Iudaeorum afferunt quo ostendant eum dignum esse beneficio (Luc. 7,5).

Raro in libris Novi Testamenti reperitur synagoga in notione nativa coetus, congregationis, convocationis; ita legitur Act. 13,43 cum dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Paulum et Barnabam; et Apoc. 2,9 non sunt Iudaei, sed sunt synagoga Satanae; item 3,9. In inscriptionibus v. g. ex Asia minore ἡ συναγωγὴ τῶν Ἰουδαίων legitur pro coetu Iudaeorum (cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter I. Ch. III. *ed.* 4, p. 14. 74 s.), item Romae (l. c. p. 81 ss.) etc.

Cf. *Vitringa*, De synagoga vetere, 1696; *Ugolini*, Thes. Ant. XXI. (complures monogr. antiquiores); *Zunz*, Gottesdienstl. Vortraege d. Juden, 1832, p. 1 ss. 329 ss.; *L. Loew*, Der synagogale Ritus [Gesammelte Schriften IV. 1898, p. 1-71]; *Edersheim*, The life and times of Jesus, 1884, I. p. 430 ss.; *B. Haneberg*, Relig. Altert. der Bibel, 1869, p. 349 ss. 582 ss.; *P. Scholz*, Die hl. Altert. des Volkes Israel, 1868, I. p. 258-266; *P. Schegg*, Bibl. Arch. 1887, p. 464-9; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 4 II. p. 497-544.

SYNEDRIUM v. CONCILIUM.

SYNTYCHE (Συντυχή), mulier christiana, quam S. Paulus (Phil. 4,2. 3)

adhortatur ad concordiam cum Evodia (vide s. v.).

SYRA (הָאַרְמִיָּה, ἡ Σύρα) designatur 1 Par. 7,14 concubina Manassis aramaea, quae peperit Machir et opponitur uxori primariae, matri Esrielis.

SYRACUSA Act. 28,12 : « cum venissemus Syracusam (εἰς Συρακούσας) mansimus ibi triduo ». Erant Syracusae urbs maxima et opulentissima Siciliae in meridiana parte litoris orientalis; tempore Strabonis Ortygia insula urbi praeiacens ponte cum continente vicina coniungebatur : « ab utraque Ortygiae parte portus est magnus, quorum maior octoginta stadia amplus » (*Strabo* VI. 2,4); minor « cui Laccio nomen est... sexaginta triremium capax portam, qua singulae tantum naves ingrederentur, clausam habebat » (*Diodor. Sic.* XIV. 7,5). Hodie urbs vocatur *Siragossa*.

SYRIA (אֲרָם, Συρία). In Vetere Test. Syria (Aram) designat regionem et gentem, quam fere cingunt ab aquilone Taurus et Antitaurus, ab oriente Babylonia et Assyria, a meridie desertum Arabiae, ab occidente Palaestina, Libanus, Amanus. Eius regionis partes praecipuae distinguuntur Mesopotamia, Syria Damasci, Maacha, Soba, Rohob (vide s. vv.).

Syria in libris Mach. est terra praecipua regni Seleucidarum, quae a Tauro monte et Chabora fluvio usque ad Aegyptum extendebatur; sed sicut 2 Mach. 10,11 Phoenice a Syria distinguitur, ita apud veteres quoque scriptores profanos Phoenice et Palaestina interdum a Syria distinguuntur. Reges Syriae erant :

312-280 Seleucus I. Nicator.
280-261 Antiochus I. Soter.
261-246 Antiochus II. Theos.
246-226 Seleucus II. Callinicus.
226-223 Seleucus III. Ceraunus.
223-187 Antiochus III. Magnus.
187-175 Seleucus IV. Philopator.
175-164 Antiochus IV. Epiphanes.
164-162 Antiochus V. Eupator.
162-150 Demetrius I. Soter.
150-145 Alexander I. Balas.
145-138 Demetrius II. Nicator.
145-142? Antiochus VI. Dionysus.
142?-138 Diodotus Tryphon.
138-129 Antiochus VII. Sidetes.
129-125 Demetrius II. Nicator.
128-122? Alexander II. Zabinas.
125 Seleucus V.
125-113 Antiochus VIII. Grypus.
113-95 Antiochus IX. Cyzicenus.
111-96 Antiochus VIII. Grypus.
95 Seleucus VI.
95-94 Antiochus X. Eusebes, rex Damasci.
95-94 Antiochus XI. Epiphanes.
94-83 Philippus filius Grypi.
95-87 Demetrius III. Eucaerus, rex Damasci.
87-85 Antiochus XII. Dionysus.
85 Aretas Arabs, rex Damasci.
83-69 Tigranes Armenus Syriae imperat.
69-65 Antiochus XIII. Asiaticus.
65 Pompeius regnum Seleucidarum destruit. Abhinc Syria est provincia romana.

Syria in Novo Test. est provincia romana Syriae, cuius praesides Antiochiae residebant. Subiungimus eorum catalogum usque ad annum 70 p. Chr., quo tempore Palaestina a reliqua Syria separata et provincia romana facta est.

I. Syria tempore Pompeii 65-48.

65. 62 M. Aemilius Scaurus.
61-60 Marcius Philippus.
59-58 Lentulus Marcellinus.
57-55 A. Gabinius.
54-53 M. Licinius Crassus.
53-51 C. Cassius Longinus.
51-50 M. Calpurnius Bibulus.
50/49 Veiento.
49-48 Q. Metellus Scipio.

II. Syria tempore Caesaris 47-44.

47-46 Sextus Caesar.
46 Caecilius Bassus.
45 C. Antistius Vetus.
44 L. Statius Murcus.

III. Syria administrata per C. Cassium Longinum 44-42.

IV. Syria regnante M. Antonio 41-30.

41-40 Decidius Saxa.

39-38 P. Ventidius.
38. 37 C. Sosius.
35 Lucius Munacius Plancus.
32. 31? L. Calpurnius Bibulus.

V. Syria regnante Octaviano Augusto 30 a. Chr. -14 p. Chr.

30 Q. Didius.
29 M. Messalla Corvinus.
28? M. Tullius Cicero (filius oratoris).
?-24 Varro.
23-13 M. Agrippa.
ca. 10 M. Titius.
9-6 C. Sentius Saturninus.
6-4 P. Quintilius Varus.
3-2 P. Sulpicius Quirinius.
1 a.-4 p. Chr. C. Caesar [? M. Lollius, C. Marcius Censorinus].
4-5 L. Volusius Saturninus.
6-? P. Sulpicius Quirinius.
12-17 Caecilius Creticus Silanus.

VI. Syria regnante Tiberio 14-37.

17-19 Cn. Calpurnius Piso.
19-21 Cn. Sentius Saturninus.
-32 L. Aelius Lamia.
32-35 (?) L. Pomponius Flaccus.
35-39 L. Vitellius.

VII. Syria regnante Caligula 37-41.

39-42 P. Petronius.

VIII. Syria regnante Claudio 41-54.

42-44 C. Vibius Marsus.
45-50 C. Cassius Longinus.
50-60 C. Ummidius Quadratus.

IX. — Syria regnante Nerone 54-68.

60-63 Cn. Domitius Corbulo.
63-66 C. Cestius Gallus.
67-69 C. Licinius Mucianus.

SYRIA DAMASCI (אֲרָם דַּמֶּשֶׂק, Συρία Δαμασκοῦ) inter varias partes Syriae (Aram) erat praecipuum regnum aramaicum (2 Reg. 8,5; Is. 7,8; 17,3; Am. 1,5). Eius reges erant Razon auctor dynastiae damascenae et adversarius Salomonis (3 Reg. 11,23), Hezion (15,18), Tabremon (15,18), ab anno circiter 885 Benadad I. (3 Reg. 15,18-20; 2 Par. 16, 1-5); Benadad II. (3 Reg. 20,1-34; 22,1-38; 2 Par. 18; 4 Reg. 6,8-8,15), ab anno circiter 844 Hazael (3 Reg. 19,15. 17; 4 Reg. 8,8 ss.; 10,32; 12,17. 18; 13,3 ss.; 2 Par. 22,5), ab anno circiter 804(?) Benadad III. (4 Reg. 13,22-25), Rasin (4 Reg. 15,37; 16,5. 6. 9; Is. 7,1. 4. 8; 8,6; 9,11), qui anno 732 a Theglathphalasar devictus et interfectus est. Ab eo tempore Syria Damasci Assyriis parebat.

SYROPHOENISSA (Συραφοινίκισσα) i. e. oriunda ex Syrophoenicia, ex Phoenicia, quae erat pars Syriae, appellatur Marc. 7,26 illa mulier gentilis, cuius filiam Iesus a daemonio liberavit, cum abiiset in regiones ad dicionem Tyri et Sidonis pertinentes. Eadem a Matthaeo (15,22) dicitur Chananaea; sed Marcus Romae scribens voce Romanis usitata eam designat Syrophoenissam. Praeterea Romanis etiam noti erant Libyphoenices (Liv. XXI. 22,3; cf. Strabo XVII. 3,19 : Λιβοφοίνικες. *Polyb.* III. 33,15 et *Diod. Sic.* 20,55 : Λιβυφοίνικες), scil. Poeni, qui Libyam incolebant. — De forma graeca eiusque variantibus cf. Comment. *Schegg, Schanz, Knabenbauer.*

SYRTIS (ἡ σύρτις) maior et minor, duo vada arenosa, quibus periclitantur duo magni sinus maris Libyci in litore septemtrionali Africae, maior prope Cyrenaicam, hodie sinus *Sidra,* minor prope Byzacenen, hodie sinus *Cabes.* A Creta venientibus Syrtis maior est propior; ad eam igitur in narratione itineris romani S. Pauli refertur Act. 27,17 : « timentes ne in Syrtim inciderent, submisso vase sic ferebantur ». « Difficultas tum huius tum minoris Syrtis » teste Strabone (XVII. 3,20) ex eo oritur « quod, cum multis in locis fundus sit vadosus ac caenosus, propter aestus maris contingit, ut multi in brevia illapsi haereant et raro navigia evadant; itaque solent procul ab iis navigare caventes, ne incaute a ventis correpti in sinus istos illidantur ». Ad ista igitur vada arenosa cum navis S. Pauli ab Euroaquilone cursu violento pelleretur, submisso vase sic ferebantur (Vulg.) vel ut codex gigas (latinus Stockholm. saec.

13.) habet : « vas quoddam dimiserunt, quod traheret » et similiter *Beda* ad h. l. : « trahebant autem et ancoras timentes, ne occurrerent in syrtes ». Eam interpretationem adoptans explicat *Blass* (Acta apostolorum, ed. philologica, 1895, p. 277) : « Opus erat ut retardaretur is cursus : quod efficere solebant funibus a puppi in mare demissis, ad quos destinatae erant vel ancorae vel glomera magna, quae cum traherentur aquae paullum resistebant. Haec est vera explicatio loci a *Breusingio* inventa, quamquam ille Gigantem Bedaeque explicationem non noverat ». Cf. quae *Blass* l. c. allegat : *Plut.* Moral. 507 A ; *Lucian.* Toxar. 19 ; unde usus ille veterum nautarum indubius redditur (*Knabenbauer* ad h. l.).

T

TABBAOTH (טַבָּעוֹת, Ταβώθ), Nathinaeus cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,43); idem in Vulg. Neh. 7,47 [46] scribitur Tebbaoth (Ταβαώθ).

TABEE vide s. v. BETE.

TABEEL, THABEEL (טַבְאֵל, Is. 7,6 טָבְאַל; Ταβεήλ).

1. Tabeel, cuius filium regem in Ierusalem constituere cupiebant Rasin rex Syriae et Phacee rex Israel bello contra Achaz regem Iuda inito (Is. 7,6). Forma nominis aramaica (cf. Tabrimmon, Vulg. Tabremon 3 Reg. 15,18) suadet eum fuisse Aramaeum in exercitu Rasin regis Syriae. Nomen *Itibiilu,* quod in inscriptionibus cuneiformibus Theglathphalasar II legitur, ab assyriologis (*Schrader*) aliquando ad Tabeel referri posse censebatur, sed errorem illius coniecturae patefecit *Delitzsch* (Paradies, p. 301. 302) et agnovit *Schrader* (*Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. I, p. 135); nomen illud potius ad tribum ismaeliticam Adbeel (vide s. v.) referendum est.

2. Thabeel, unus ex iis, qui ex Samaria epistulam accusationis adversus Iudaeos dederunt ad Artaxerxen regem Persarum (Esdr. 4,7).

TABELIAS (טַבְלִיָּהוּ, Ταβλαί), filius Hosa de stirpe Merari, ianitor domus Domini tempore Davidis (1 Par. 26,11).

TABERNA. Tres tabernae Act. 28, 15 erat nomen deversorii seu cauponae in via Appia inter Appii forum et Romam. Eius loci mentionem Cicero quoque facit ad Atticum I. 13,1 et II. 10; 12; 13. Itinerarium Antonini Augusti (*ed. Parthey et Pinder,* p. 49) ponit Tres Tabernas 33 mil. pass. a Roma et 10 mil. pass. ab Appii foro.

TABERNACULORUM FESTUM, tertium ex illis tribus festis annuis, quibus omne masculinum coram Domino apparere oportebat (Ex. 23,14. 17; Deut. 16,16). Vocatur festum tabernaculorum (Lev. 23,34; Deut. 16,13. 16; 31,10; Zach. 14,16; 2 Par. 8,13; Esdr. 3,4), dies scenopegiae (1 Mach. 10,21; Io. 7,2), festum collectionis (Ex. 23,16; 34,22) vel simpliciter festum, dies sollemnis (3 Reg. 8,2; 12,32; 2 Par. 7,8; Neh. 8,14; Ez. 45,25). Celebrabatur per septem dies, a die 15. usque ad diem 21. mensis Tishri, ex quibus primus tantum dies per modum sabbati observandus erat sc. cessatione ab opere et sacro conventu. Sacrificia huius festi numero plura erant quam aliorum festorum: praeter holocaustum cotidianum hircus pro peccato singulis septem diebus offerendus, in holocaustum vero septuaginta iuvenci ita distribuendi, ut die primo festi tredecim offerrentur, die secundo duodecim et sic semper decrescendo usque ad septem die septimo, praeterea singulis diebus duo arietes et agni anniculi immaculati quattuordecim cum suis libamentis (Num. 29,12-34). Dies primus, quo numerus sacrificiorum maximus erat, Rabbinis audiebat dies multiplicationis (*Mishna*, Menach. 13,5).

Alius ritus praecipuus, quo hoc festum a reliquis distinguitur, est habitatio in tabernaculis. Exstruebantur tabernacula sub divo, super tecta, in hortis, atriis, plateis et habitabant in tabernaculis omnes filii Israel per septem dies (Lev. 23,42; Neh. 8,14 ss.). Ab hac lege

excipiuntur in Mishna (Succa 2,4. 8) infirmi et ministrantes illis, mulieres, servi, parvuli, qui matre indigent. Materiam, ex qua tabernacula construebantur, indicat praeceptum Neh. 8,16 promulgatum : « Egredimini in montem et afferte frondes olivae et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti et ramos palmarum et frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est ».

Denique aliud praeceptum de fasciculo ramorum manibus portando accedit Lev. 23,40 : « Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimae spatulasque palmarum et ramos ligni densarum frondium et salices de torrente et laetabimini coram Domino Deo vestro ». Existimaverant Sadducaei, ut *Aben Esra* in h. l. notat, ramos illos ad tentoria exornanda applicandos esse, Pharisaei vero manibus esse ferendos. Hoc altero sensu Iudaei tempore machabaico illud praeceptum Lev. 23,40 de facto intellexerunt; cum enim festum purificationis templi in modum tabernaculorum agerent, « thyrsos et ramos virides et palmas praeferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum » (2 Mach. 10, 6. 7).

Tempore Christi morem obtinuisse in umbraculorum festo, ut singuli ramos ferrent palmarum et citriorum, testatur Fl. Iosephus (Ant. XIII. 13,5 coll. III. 10,4). Posteriore tempore hic mos ita excultus est, ut dextera manu gestarent fasciculum ex ramis palmarum, salicum et myrtorum funiculis aureis aut argenteis vel aliis vittis colligatum (Lulab, לוּלָב), sinistra vero malum citreum (Ethrog, אֶתְרוֹג). Dum Hallel magnum inter oblationem sacrificiorum caneretur, agitandus et quassandus erat fasciculus (Lulab) ad versum primum et ultimum Psalmi 117(118) : « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius », item ad versum 25 : « O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare ». Agitatio fasciculorum fiebat prorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum eaque triplici ductu in quavis directione. Praeter fasciculum, quem manu gestarent, de ramis salicum perlongis sibi prospexerunt, quos iuxta latera altaris incurvatos locarent, ita ut capita eorum in verticem altaris declinarent. Fasciculos manibus tenentes semel singulis diebus atrium ingressi altare circuibant et inter processionem versum 25. Ps. 117 (118) cantabant, die vero septimo septies circuire solebant. Cf. *Otho*, Lexicon rabbin. p. 230 ss. Septimus dies vocabatur Hosanna magnum (*Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb. col. 992).

His septem diebus festi tabernaculorum accedebat octavus (scil. dies 22. mensis Tishri) velut clausula festi vel potius clausula omnium totius anni festorum. Per modum sabbati celebrandus erat cessatione ab opere et sacro conventu; praeter holocaustum cotidianum offerendi erant hircus pro peccato, in holocaustum vero vitulus, aries, septem agni anniculi cum suis libamentis (Lev. 23,36. 39; Num. 29,35-38). Rabbini diem hunc octavum non intra festum includi aestimarunt, sed ut diem festum per se ipsum considerabant, in quo homo teneretur ad decantandum Hallel, ad offerendum sacrificia eucharistica in laetitiam festi, ad honorandum ipsum sicuti reliquos dies festi; neque tamen die octavo in tabernaculis habitabant nec ramos palmarum nec mala citrina adhibebant (cf. *Otho*, Lexicon rabbin. p. 236).

Duplex festo tabernaculorum assignatur ratio, una in memoriam rei gestae scil. habitationis in tabernaculis tempore migrationis in deserto, altera in gratiarum actionem pro messe collecta (Lev. 23,39. 43). Unde S. Augustinus in Io. 7,2 dicit : « celebrabant hoc (festum scenopegiae) Iudaei velut reminiscentes beneficia Domini ». Flavius Iosephus illud esse dicit festum apud Hebraeos plane sanctissimum et maximum (Ant. VIII. 4,1), quod apud nos maxima cum sollemnitate servatur (Ant. XV. 3,3).

Magno illi studio, quo festum a Iudaeis celebrari consuevit, duae aliae caerimoniae originem debent, quae post exsilium additae sunt : libatio aquae singulis septem diebus cum sacrificio matutino coniuncta et illuminatio cum saltationibus vespere primi diei vel etiam singulis septem diebus, ut posteriores Rabbini tradunt.

Ad libationem aquae sacerdos aliquis, cum sacrificium matutinum offerebatur, in phiala aurea tres log continente aquam ex fonte Siloe petiit et vino mixtam ad cornu altaris inter meridiem et occidentem libavit. Caerimoniam hanc Rabbini tradunt esse traditionem a monte Sinai; in S. Scriptura certe non memoratur, attamen eius vestigia quaedam 1 Reg. 7,6 et 2 Reg. 23,16 cerni possunt et aptissime inter caerimoniam verba Isaiae 12,3 cum clangore buccinarum ac tubarum canebantur : Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (hebr. de fontibus salutis). Ad eandem caerimoniam libationis Christus in novissimo (septimo) die scenopegiae alludit dicens Io. 7,37 : Si quis sitit, veniat ad me et bibat (cf. Io. 4,13; Apoc. 7,17; 21,6) et Io. 7,38 : Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Ex mente multorum Rabbinorum haustio et libatio illa denotabat effusionem Spiritus Sancti, quae frequenter in ipsis vaticiniis messianicis imagine aquae vivae proponitur (cf. Is. 44,3; 55,1; 58,11; Ez. 47,1 ss.; Ioel 2,28; 3,18, hebr. 3,1; 4,18; Zach. 13,1; 14,8). Cf. *Otho*, Lexicon rabb. p. 233; *Lightfoot*, Horae hebraicae ad Io. 7,38; *P. Scholz*, Die heiligen Alterthümer des Volkes Israel, 1868, II. p. 76-78; *P. Schegg*, Bibl. Arch. 1887, p. 591 ss.

Altera caerimonia, quam Rabbini laetitiam effusionis aquae dicebant, vespere illuminatione ac saltationibus absolvebatur tantoque gaudio fiebat, ut dixerint : Quicunque non viderit laetitiam domus haustionis, non vidit laetitiam per totam suam vitam (*Mishna*, Succa 5,1). De qua cf. *Otho*, Lexicon rabbin. p. 233 ss.; *P. Scholz*, l. c. p. 78-79.

TABERNACULORUM URBES Pharaoni a Iudaeis aedificatae sunt Phithom et Ramesses Ex. 1,11, LXX πόλεις ὀχυραί, hebr. עָרֵי מִסְכְּנוֹת, quae dictio alias in Vulgata explicatur de apothecis (frumenti, vini, olei 2 Par. 32, 28), de civitatibus munitissimis (2 Par. 8,4. 6; 17,12 de urbibus muratis). Erant itaque urbes in quibus commeatus, res frumentaria et alia ad bellum gerendum necessaria collecta asservabantur.

TABERNACULUM FOEDERIS. Post institutionem theocratiae locus ad cultum Deo reddendum destinatus erat tabernaculum foederis, constructum ad exemplar Moysi in monte Sinai ostensum (Ex. 25-27; 36-38; 40; Act. 7,44; Hebr. 8,5), velut templum ambulatorium (*S. Aug.* Civ. Dei XV. 24), templum portatile (*Philo*, De vita Moysis l. 3, *ed. Mangey* II. 146 : ἱερὸν φορητόν et *Flav. Ios.* Ant. III. 6,1 : μεταφερόμενος καὶ συμπερινοστῶν ναός).

A tabernaculo mosaico distinguendum esse videtur tabernaculum praemosaicum seu tentorium conventus non ad cultum celebrandum, sed ad consulendum Dominum; cf. Ex. 16,33. 34; 19, 22. 24; 33,7-11; 34, 34. 35 et *F. de Hummelauer*, Das vormosaische Priestertum in Israel, Freiburg 1899.

Brevi descriptione tabernaculi foederis quanam arte id constructum sit apparebit. Prima eius pars erat vestibulum seu area quadrata, centum cubita longa et quinquaginta lata, quam circumdabant columnae sexaginta, altae quinque cubita. Hae ita erant dispositae ut viginti ponerentur in plaga australi, totidem in aquilonari, denae vero in latere occidentali et orientali; singulae inter se quinque cubitis distabant. Columnae erant ligneae, probabilissime ex lignis acaciarum confectae (v. s. v. SETIM); insistebant aeneis basibus, coronabantur argenteis capitulis, vestiebantur argenteis laminis (Ex. 27,9-18). A columnis pendebant ex perticis argenteis quae uncinis argenteis infixae innitebantur columnis siparia vel vela byssina (de bysso retorta). In parte vero orientali haec vela ex utroque angulo solum per cubita quina dena ternis columnis innixa protendebantur, ita ut in medio spatium relinqueretur cubitorum viginti. Hoc spatium erat ostium; ostium hoc claudebatur aulaeo quinque cubita alto et viginti lato et innixo quattuor columnis; aulaeum istud erat confectum opere plumario seu phrygionio ex hyacintho, purpura, coccino, bysso retorta (Ex. 38,9-18).

Intra hoc vestibulum seu atrium versus latus occidentale erat sanctuarium vel tabernaculum testimonii; erat ab

occidente in orientem triginta cubita longum, et ab aquilone in austrum decem cubita latum. Hoc oblongum quadratum cingebatur parietibus, qui quadraginta octo asseribus ex lignis acaciarum compositi erant. Hi asseres singuli longitudine decem cubitorum, latitudine cubiti et dimidii, laminis aureis obducti, basibus argenteis immissi et vectibus deauratis firmiter inter se iuncti, ita erant dispositi, ut in latere australi collocarentur viginti, totidem in aquilonari, reliqui octo in occidentali. Latus igitur orientale eiusmodi pariete ex asseribus composito carebat, sed claudebatur velo quod pendebat ex perticis deauratis, qui annulis deauratis immissi sustinebantur quinque columnis ex lignis acaciarum pariter deauratis. Totum hoc oblongum contectum erat quattuor operimentis. Primum seu infimum vel intimum constabat decem velis de bysso retorta et hyacintho ac purpura coccoque bis tincto variatis opere plumario (Ex. 26,1); quodvis velum 28 cubita erat longum, 4 latum; quina vela ita inter se secundum suam iungebantur latitudinem, ut unum evaderet tapetum longum 20 cubita et latum 28 cubita. Duo haec tapeta inter se iungebantur aureis circulis et ansulis hyacinthinis quinquaginta et supra sanctuarium extendebantur. Secundum operimentum constabat undecim velis ex pilis caprinis contextis, quorum quodvis 30 cubita longum et 4 cubita latum erat. Ex iis duo magna iungebantur tapeta, unum ex 5 velis, ex 6 alterum, quae 50 ansis et totidem fibulis aeneis in unum operimentum componebantur. Tertium operimentum fiebat ex pellibus arietum rubricatis, quartum de pellibus ianthinis (v. IANTHINUS); cf. Ex. 26,1-14.

Ipsum hoc sanctuarium duabus partibus constabat. Prius spatium, quod sanctum vocatur, erat longum 20 cubita, latum 10 et totidem altum; alterum, sanctum sanctorum vel adyton, cubus erat 10 cubitorum. Separabatur a priore velo de hyacintho et purpura coccoque bis tincto et bysso retorta opere plumario et pulchra varietate contexto, quod pendebat ex circulis aureis fixis ad quattuor columnas de lignis acaciarum deauratas et basibus argenteis innixas (Ex. 26,31 ss.; 36,35. 36). Hisce adde arcam testamenti cum propitiatorio et duobus cherubim et altare thymiamatis (v. ALTARE) et candelabrum aureum, quod magna arte confectum erat (v. CANDELABRUM). In sanctuario quoque ponebatur mensa panum propositionis, quae erat de lignis acaciarum, duo cubita longa, lata unum, auro obducta et limbo aureo cincta; et ad usus sacros in sacrificiis et libationibus conficiebantur patinae, phialae, thuribulum, cyathi (Ex. 25,23-30; 37,10-15). Vestibulum vel atrium continebat altare holocaustorum (vide s. v.), ad quod pertinebant lebetes ad suscipiendos cineres et forcipes et fuscinulae et receptacula carbonum et phialae ad sanguinem spargendum. Uti vasa sacra in sanctuario erant ex auro, ita haec in atrio ex aere conficiebantur (Ex. 27,1-8; 38,3). Ponebatur in atrio quoque labrum aeneum ad lavandum, quod factum erat ex speculis mulierum quae excubabant in ostio tabernaculi (Ex. 30,18; 38,8); lavabunt in eo Aaron et filii eius manus et pedes (Ex. 30,19). Quae omnia ut rite fierent, Deus selegit Beseleel et implevit eum « spiritu Dei, sapientia et intellegentia et scientia in omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro et argento et aere, marmore et gemmis et diversitate lignorum, dedique ei socium Ooliab » (Ex. 31,2-6).

Vide delineationem TABERNACULUM MOSAICUM et cf. auctores s. v. TEMPLUM 2 allegatos.

TABITHA (Act. 9,36. 40) v. DORCAS.

TABREMON (טַבְרִמּוֹן, Ταβερεμά, A Ταβενραημά), pater Benadad I, regis Damasci (3 Reg. 15,18). Nomen explicatur: « bonus (est) Rimmon », deus tonans Syrorum. Cf. *P. Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen, 1877, p. 246.

TAHAS (תַּחַשׁ, Τώχος), filius Nachor fratris Abraham ex concubina Roma (Gen. 22,24). Idem apud Flav. Josephum (Ant. I. 6,5) scribitur Τααῦος.

TALENTUM vide s. vv. MENSURAE, PECUNIA.

TALITHA CUMI, aramaica dictio

טליתא קומי puella surge Marc. 5,41; a melioribus testibus praebetur κούμ, unde ostenditur ultimam vocalem, uti apud Syros, iam non esse pronuntiatam. Marcus, qui dilucida expositione rerum utitur, saepius ipsa verba aramaica Christi narrationi inserit eaque interpretatur; cf. 3,17; 7,11; 7,34; 14,36; 15,34.

TALPA. 1. Talpa imprimis in catalogo reptilium immundorum ultimo loco occurrit (Lev. 11,30), ubi textus hebraicus תִּנְשֶׁמֶת exhibet. Sed quamvis LXX (ἀσπάλαξ) et Onkelos (אשׁותא) recentioresque interpretes aliqui (ap. *Bochart.*) S. Hieronymo consentiant, communius tamen et probabilius תנשמת de chamaeleonte exponitur. Nam talpae iuxta multos vel primum catalogi nomen חֹלֶד competit, quod Vulgata *mustelam* interpretatur (v. MUSTELA), vel aliud de quo mox agemus; nomen vero תנשמת a נָשַׁם *spirare* dictum potius chamaeleonti videtur convenire, « cum os diducens hiatu perpetuo, atque spiritu aerem ducens, a multis putetur eo solo vesci » (*Sam. Bochart*, Hieroz. IV. 6 *ed. Rosenmüller* II. p. 505); praeterea reliqua eiusdem versiculi nomina lacertilium species plerisque videntur designare. V. CHAMAELEON.

2. Talpa iterum legitur in prophetia Isaiae 2,20 : « In die illa proiciet homo idola argenti sui et simulacra auri sui, quae fecerat sibi ut adoraret, talpas et vespertiliones ». Quoad sensum textus, quamquam nullibi talpas et vespertiliones pro diis habitos esse reperimus, tamen « istiusmodi animantibus idola comparata sunt, quae caeca et tenebrosa coluntur a caecis »(S.Hieronymus in h.l.). At convenientius ex textu hebraico ultimum incisum cum priore verbo « proiciet » coniungitur : idola ut res vilissimas talpis et vespertilionibus proiciet; quem sensum etiam LXX tuentur, dummodo recte interpungas (cum *Swete* e. a.) : ... ἐκβαλεῖ ἄνθρωπος τὰ βδελύγματα αὐτοῦ τὰ ἀργυρᾶ καὶ τὰ χρυσᾶ, ἃ ἐποίησαν προσκυνεῖν, τοῖς ματαίοις καὶ ταῖς νυκτερίσιν.

Quoad verba textus citati, Massorethae pro « talpis » legunt לַחְפֹּר פְּרוֹת, quod LXX τοῖς ματαίοις « vanis » reddunt, Peshitta סרוקותא « vanitas », Aquila ὄρυγας « fossuras », Symmachus ἄκαρπα « infructuosa »; ex recentioribus *J. D. Michaelis* « sepulcra », *E. F. K. Rosenmüller* post *J. C. Kall* « in effossionem i. e. foramen murium », alii aliter interpretantur. Teste S. Hieronymo Theodotion φαρφαρωθ exhibuit; unde in textu hebraico communius legendum censent חַפַּרְפָּרוֹת, quod « fossores » exponunt, eoque nomine maxime talpas, sed praeterea etiam alia animalcula fodientia intellegunt.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. III. 35, *ed. Rosenmüller* II. p. 448-51; *Chr. Fr. Paullini*, Talpa, Francof. et Lipsiae, 1689; *J. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 875-8 et 2042 s.; *Sam. Oedmann*, Vermischte Sammlungen 3, p. 82 s. (= *Caprimulgus*); *E. F. K. Rosenmüller*, Scholia in Is. 2,20; *id.* nota in Bochart. l. c. p. 450 s.; *id.* Bibl. Alterth. IV. 2 p. 222 s.; *Fr. Hommel*, Namen der Säugethiere, p. 336 s.

3. Talpa proprie talis in Palaestina non invenitur. Eius tamen locum tenet animal nostrae talpae simillimum ex ordine *Rodentia*, quod nomine scientifico *Spalax typhlus* Pallas (arab. *chlant*) audit et praesertim in ruinis degit, ubique terram circumfodiens more talparum. Ex aliis animalculis fossoribus in Palaestina inveniuntur varia genera et species ex familiis *Muridae* (*Acomys*, *Mus*, *Cricetus*, *Gerbillus*, *Psammomys*, *Arvicola*), *Dipodidae* (*Dipus*), *Sciuridae* (*Spermophilus*, *Sciurus*), *Myoxidae* (*Myoxus*, *Eliomys*).

Cf. *Fr. Hasselquist*, Reise nach Pal., *ed. C. Linnaeus*, Rostock, 1762, p. 141; *Oedmann*, o. c. 2, p. 50-3; *Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, p. 225-7; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds, p. 101 s.; *H. O. Lenz*, Zool. d. alten Griech. u. Römer, p. 85; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 215; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, p. 120 s.; *id.* Fauna and Flora of Pal. p. 10-17 (*Spalax*, p. 14, cum imagine picta tab. V); *Ad. Kinzler*, Bibl. Naturgesch., *ed.* 9, p. 43; *J. Leunis*, Synopsis I. 1, *ed.* 3, *H. Ludwig*, p. 225 (cf. 219-24); *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3. *Pechuel-Loesche*, III. p. 370-81; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1 p. 106-11; *H. Ch. Hart*, Animals of the Bible p. 154-6; *J. G. Wood*, Bible Animals, new ed., p. 86-90.

L. FONCK.

TAMARIX hebraico nomine אֶשֶׁל vocatur, quod idem in lingua aramaica (אתלא) et arabica (*'āthl*) tamaricem significat. Variae huius arboris species in Oriente habentur; ex novem palaestinensibus, quas *G. E. Post* enumerat, communior est *Tamarix Pallasii* Desvaux, altitudinem sex fere metrorum attingens; in confiniis deserti australis Aegyptum versus etiam *T. articulata* Vahl invenitur, ad decem fere metra alta, quam Arabes specialiter tamquam *'āthl* a reliquis distinguunt. Ramusculis suis semper virentibus aspectum iucundum praebent, praesertim cum tempore veris flosculis innumeris albidis et rubicundis operti sunt. Quare textibus S. Scripturae bene conveniunt, quae Abraham arborem hanc in Bersabee plantasse narrat (Gen. 21,33), et Saulem sub eadem prope Rama judicium exercuisse (1 Reg. 22,6) et in Iabes sepultum esse (ib. 31, 13; sed cf. 1 Par. 10,12 אֵלָה, *terebinthus*). Quamquam igitur Vulgatus interpres ac plerique veteres nomen *ēshel* generatim *nemus* interpretati sunt, nihilominus ob convenientiam nominis arborisque eo designatae plerique recentiores illud de tamarice intellegunt. Fortasse quis in Bersabee prope desertum potius T. articulatam, in Rama autem et Iabes T. Pallasii eligeret; at speciem cum certitudine determinare ex solo nomine et loco difficile erit.

Cf. de tamarice *E. Boissier*, Flora orient. I. 767 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3. II, 2 p. 413; *G. E. Post*, Flora of Syria 166-8. — Praeterea cf. *Prosp. Alpini*, De plantis Aegypti c. 9; *J. H. Ursinus*, Arb. bibl. 365-7; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 80; *O. Celsius*, Hierobot. I. 535-43; *P. Forskal*, Flora aeg.-arab., Havniae 1775; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1, 244-6; *P. Cultrera*, Flora bibl. 324 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 356-8; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,251-6; *J. Smith*. Bible plants 94-7; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 38; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 257 s. 261. — De Tamarice mannifera v. MANNA. — Apud Aegyptios tamarix in cultu sacro Osiridis celebris erat; cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 135 (fig. 379). 195. 416; III. 349 s. (fig. 588 s.); *Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 341-3; *Ch. E. Moldenke*, Die in altaeg. Texten erwähnten Bäume 128 s.; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2., n. 133.

L. FONCK.

TANIS (צֹעַן, Ταν(ς), valde antiqua urbs in Delta aegyptiaco spectante inter septemtrionem et orientem, sita inter Nili partem sebennyticam et pelusiacam, prope lacum *Menzale* in regione XIV Aegypti inferioris, quae vocatur Khentabt. Antiquitas eius declaratur Num. 13,23 : Hebron septem annis ante Tannim condita est; Hebron iam nominatur in narratione de Abraham (Gen. 13,18; 23,2); immo ex inscriptionibus ibi inventis concluditur urbem Tanim iam tempore sextae dynastiae Manethonis conditam fuisse. Appellatur in inscriptionibus cognomine urbis fortissimae et Ramses II. ei indidit agnomen urbis Ramses (cf. *Brugsch*, Dictionnaire géogr. de l'ancienne Égypte, p. 420. 520. 202. 634. 922. 986 etc.); ibi Horus praesertim colebatur. Uti Ps. 77,12. 43 campus Taneos (in quo Moyses signa patravit) nominatur, ita in hieroglyphicis quoque monumentis legitur sochet Tan i. e. campus Taneos; vide Atlas of ancient Egypt, Publication of the Egypt Exploration Fund, London, 1894, Map III. — Praeterea Taneos mentio fit Is. 19,11. 13; 30,4.

TAPHETH (טַפַּת, cod. B Ταϐληθεί, cod. A Τάφατα), filia Salomonis, uxor Benabinadab praefecti (3 Reg. 4,11).

TAPHNE (תַּחְפַּנֵס, Τάφναι, תַּחְפַּנְחֵס, Τάφνη), urbs aegyptiaca, Daphne, non longe a Pelusio (Ier. 2,16; 43,7. 8. 9; 44,1; 46, 14), hodie *Defenne, Tell Defenne*. Exploratione ruinarum in *Tell Defenne* inventum est arcem eam erectam esse a Psammeticho; in conspectu portae deprehensum est pavimentum magnum ex lateribus factum et arenae superstratum, in qua arena sub pavimento inventi sunt lapides magni, impoliti. Unde quae Ier. l. c. dicuntur egregie confirmantur (cf. *Dublin Review*, 1886, II. p. 460 ss.; *Knabenbauer*, Comm. in Ier. p. 492). Nominatur quoque cum aliis urbibus Aegypti praecipuis Ez. 30,14. 18.

TAPHNES (תַּחְפַּנְיס, Θεκεμίνας) re-

gina aegyptiaca, cuius soror a Pharaone uxor data est Adad Idumaeo eique filium Genubath peperit (3 Reg. 11,19. 20). Vixit ultimo tempore regni Davidis (v. ADAD 3) ac proinde aetate dynastiae aegyptiacae XXI. (1090-960); eius nomen in monumentis nondum repertum est.

TAPHSAR (טַפְסַר, LXX vertunt βελοστάσεις) Ier. 51,27 est vox ex inscriptionibus cuneiformibus nota *dup-sar-ru*, composita ex *dup* = tabula et *sar* = scribere; designat scribam, qui in ordine militari vel civili munere suo fungitur; n monumentis quoque saepius cernitur scriba, qui captivorum nomina et numerum in tabulas refert. Unde illud membrum : numerate contra eam Taphsar (Vulg.) vertendum est : constituite contra eam scil. Babylonem praefectos militum. — Eadem vox legitur Nah. 3,17 in forma plurali cum suffixo pronominis טַפְסְרֶיךָ (Vulg. parvuli tui, LXX ὁ συμμικτός σου explicantes vocem de promiscua turba); ex supra dictis intelleguntur praefecti militum vel duces minoris ordinis, quorum multitudinem propheta nihil profuturam esse praenuntiat ad avertendam ruinam Ninive. Cf. *Knabenbauer* in Ier. 51,27 et Nah. 3,17; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 118. 119.

TAPHUA. 1. Taphua (תַּפּוּחַ, Θαπφούς), unus ex filiis Hebron de genere Caleb filii Hesron (1 Par. 2,43); v. HEBRON 2.

2. Taphua (תַּפּוּחַ, Ταφούτ, Τάφου, Θαφθώθ, Θαφέθ), urbs in campestribus Iuda, in prima provincia Sephelae enumerata (Ios. 15,34). Eadem erat urbs reguli Chananaei a Iosue percussi (12,17), quae ex ordine enumerationis post urbes Chanaan australis Ios. 12,10 ss. et ante urbes Chanaan septemtrionalis 12,19 ss. merito in superiore parte Chanaan australis vel iam in Chanaan media quaerenda est; Sephela autem superior iam in Chanaan mediam protenditur. Situs determinari nequit. *Guérin* (Judée II. 27. 28) suggerit *Khirbet Khreishum* ab Eleutheropoli aquilonem versus non propter nominis similitudinem, quae omnino deficit, sed propter viciniam Engannim Ios. 15,34 (*Beit Djemal* ex opinione *Guérin* vel *Umm Djina* quod praeferendum duximus s. v. ENGANNIM 1).

3. Urbs in confinibus Ephraim et Manasse (Ios. 16,8), quae etiam vocatur Ios. 17,7 fons Taphua (עֵין תַּפּוּחַ *fons pomorum*); ipsa urbs quidem Ephraimitis, terra Taphua autem tribui Manasse concessa est (17,8). Situs determinari nequit. Sed cum iam a 16,6 terminus septemtrionalis Ephraim describatur, primum quidem a Machmethath e regione Sichem orientem et meridiem versus (16,6. 7), deinde ab eadem Machmethath occidentem versus (16,8), merito infertur Taphuam prope Sichem occidentem versus fuisse; a Taphua terminus Ephraim et Manasse per Vallem arundineti versus mare Mediterraneum decurrebat (v. ARUNDINETI VALLIS). — Vide etiam s. v. THOPO.

TARSENSIS v. TARSUS.

TARSUS (Ταρσός), urbs Ciliciae (Act. 22,3; *Plinius* V. 27,91; *Ptol.* V. 8,7 [*ed. Müller-Fischer* 7,7]), populosa atque praepotens (*Strabo* XIV. 5,13), in campo frugifero ad Cydnum fluvium sita, qui mediam urbem permeabat (*Dionysii* Periegesis 868; *Strabo* XIV. 5,12; *Plin.* V. 27,92; *Pomp. Mela* 1,13; *Iustinus*, Hist. 11,8); eadem est celeberrima patria Pauli Apostoli (Act. 9,11. 30; 21,39; 22,3); ibidem Barnabas Saulum quaesivit et inde Antiochiam perduxit circa a. 43 p. Chr. (Act. 11,25).

Tarsus erat una ex antiquissimis orbis civitatibus, quae iam medio saeculo nono a. Chr. in inscriptionibus Salmanasaris II. sub nomine *Tarzi* commemoratur (*Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung, Giessen, 1878, p. 241 ss.). Holofernes eam praedatus est (Iudith 2,13; v. THARSIS 4). Assyriorum potestate collapsa principes indigenae, qui nomine vel titulo Syennesis Ciliciam regebant, Tarsi residebant; tempore Alexandri Magni satrapa Persarum ibidem erat. Seleucidarum aetate Tarsenses (Vulg. Tharsenses) seditionem movebant, eo quod Antiochidi concubinae Antiochi IV. Epiphanis dono essent dati, quam seditionem Antiochus IV.

celeri suo adventu sedavit (2 Mach. 4, 30. 31). A Pompeio a. 64 a. Chr. Cilicia provincia romana constituta est, cuius urbs principalis Tarsus erat. A Marco Antonio urbs libertate donata est. Prima imperatorum romanorum aetate Cilicia pars erat provinciae Syriae, inde ab Hadriani tempore iterum provincia separata, cuius urbs principalis Tarsus. Cf. *Marquardt*, Römische Staatsverwaltung, *ed.* 2, I. p. 383. 388. 389. Romanorum tempore urbs scientiis non minus quam divitiis affluebat; etenim ut refert *Strabo* (XIV. 5,13) S. Pauli aequalis, « tantum studium rerum philosophicarum et disciplinarum, quas encyclias dicunt, Tarsenses incessit, ut superaverint Athenas, Alexandriam et si quis alius nominari potest locus, ubi philosophorum scholae haberentur. Id interest, quod qui Tarsi studia ista colunt, omnes fere sunt indigenae »; deinde multos Tarsenses scientiis illustres, quos ipse norat, *Strabo* l. c. 14-15 enumerat. — Quonam tempore maiores S. Pauli Tarsi sedem fixerint, non constat; de illa traditione quae refert eius parentes, immo ipsum Saulum adulescentem de oppido Gischalis Tarsum migrasse, vide s. v. AHALAB vel etiam apud *Cornely*, Introd. III. num. 97. — De nummis cf. *Barclay V. Head*, Hist. Num. 1887, p. 612 ss.

TATAM (Ταταμ), urbs montis Iuda (Ios. 15,59 LXX); enumeratur in quinta provincia montis Iuda, quae apud LXX l. c. inseritur, sed in textu massor. et in Vulgata deest et urbes prope Bethlehem et Ierusalem complectitur. Fortasse *Khirbet Tuta* in monte, qui meridiem versus ab *ʿAin Kārim* (Carem) assurgit.

TAURUS v. BOS.

TEASHSHUR (תְּאַשּׁוּר) Is. 41,19 in Vulgata buxus, sed 60,13 pinus explicatur, supposito quod idem vocabulorum ordo servatus sit; v. BUXUS.

TEBBAOTH v. TABBAOTH.

TEBBATH (טֵבַת, Ταββάθ), regio vel urbs in depressione Iordanis haud procul ab Abelmehula; Gedeon Madianitas in planitie Iezrael devictos primum Bethsan versus persecutus est, dein Iordanis depressionem secutus austrum versus usque ad crepidinem seu potius confines Abelmehula in i. e. ultra Tebbath (עַל־טַבַּת Iud. 7,22, Vulg. 7,23). Vestigium nominis antiqui nullum exstat.

TEBETH, mensis decimus v. MENSIS.

TEHINNA (תַּחִנָּה Θαιμάν, A Θανά), filius Esthon, pater (possessor) urbis Naas in tribu Iuda (1 Par. 4,12).

TEL ABIB vide s. v. CHOBAR.

TELAIM v. TELEM.

TELEM. 1. Telem (טָלֶם, A Τελέμ), urbs in meridiana plaga tribus Iuda (Ios. 15, 24). Videtur eadem esse quae 1 Reg. 15,4 hebr. vocatur Telaim (בְּטָלָאִים, Vulg. quasi agnos pro ב legens כ; LXX ἐν Γαλγάλοις, Syr. in Telais), ubi Saul ante stragem Amalecitarum exercitum suum recensuit; haec secundum contextum in orientali parte regionis Negeb gesta sunt. Praeterea 1 Reg. 27,8 aliqui codices LXX legunt : *a Telem* pro מִיְּעוֹלָם (antiquitus); cf. *F. de Hummelauer* in 1 Reg. 27,8 et etiam in 2 Reg. 3,12 ubi cod. A urbis Thailam seu Thelam mentionem facere videtur.

2. Telem (טָלֶם, Τελμήν), ianitor templi, qui tempore Esdrae uxorem alienigenam duxerat (Esdr. 12,24).

TELMON (טַלְמוֹן, Τελμών et Neh. 11,19 Τελαμίν), levita ex illis quattuor, quibus omnis numerus ianitorum templi creditus erat (1 Par. 9,17. 26). Eius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,42; Neh. 7,46). Unus ex eius posteris munere custodis portarum ac vestibulorum fungebatur tempore Ioacim pontificis et Nehemiae ducis (Neh. 11,19; 12,25).

TEMPLUM. 1. *Variae vocis significationes.* Uti vox templi apud Latinos latioris est significationis, ita ut generatim locum sacrum denotet inter alia, ita in Vulg. quoque adhibetur pro hebr. בֵּית יְהוָה iis in locis, ubi de templo salomonico nondum mentio esse potest v. g. 1 Reg. 1,7. 9; 2,29; 3,3 (הוֹכֵל). —

Modo quodam superstitioso Iudaei templum Domini tamquam palladium quoddam et certissimum tutamentum ac praesidium considerabant; cf. Ier. 7,4 et Mich. 3,11; quam praesumptionem prophetae evellere student; ita Ier. 7, 12 : ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio et videte quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel; cf. Mich. 3,12. — Cum in iustis singulari prorsus ratione Deus inhabitet, iusti dicuntur templum Dei; cf. 1 Cor. 3,16 : nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? item 6,19.

2. ***Templum Salomonis.*** Secundum normam ac similitudinem tabernaculi foederis (v. TABERNACULUM), schemate tamen maiore et sublimiore templum a Salomone rege exstruebatur in colle Moria, ubi David aedificaverat altare et domum Dei esse collocandam indicaverat (1 Par. 21,18; 22,1). Qui collis cum esset praeceps atque declivis neque sufficiens praeberet spatium, Salomon verticem eius laevigavit planitiemque adhibitis substructionibus ampliavit (*Flav. Ios.* Bell. iud. V. 5,1; Ant. XV. 11,3). Ad ipsam autem templi fabricam, ad quam David iam ingentem copiam rerum praeparaverat (1 Par. 22, 2-4. 14 ss.; 28,11 ss.; 29,2 ss.), Salomon pacto inito cum Hiram rege Tyri accersivit artifices operariosque tyrios ad ligna cedrina et abiegna caedenda, ad lapides dolandos et « virum eruditum, Hiram, filium mulieris ex tribu Dan et patris tyrii qui novit operari in auro et argento, aere et ferro et marmore et lignis, in purpura quoque et hyacintho et bysso et coccino et qui scit caelare omnem sculpturam et adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est » (2 Par. 2,7. 13. 14; 3 Reg. 5,6 ss.). Ex eo itaque quod Salomon ex Phoenicia artifices et operarios vocabat, qui cum Israelitis laborarent, merito concluseris Israelitas artium earum ad templi magnificam structuram necessariarum fere fuisse ignaros. Sanctuario tabernaculi mosaici respondebat domus vel templum proprie dictum, quae domus aedificabatur de lapidibus dolatis longa 60 cubita, lata 20 et alta 30 et tegebatur lignis cedrinis. Parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis erant vestiti, pavimentum tabulis tegebatur abiegnis. Tabulis autem cedrinis quibus parietes erant obducti insculptae erant caelaturae variae, cherubim, palmae, flores quasi prominentes de pariete; omnia autem laminis aureis obducta erant; nihil erat in templo quod non auro tegebatur (3 Reg. 6,2 ss.). Sanctum sanctorum erat 20 cubita longum et totidem latum et altum, pariter totum auro obductum. Pariete cedrino separabatur a sancto, in quo pariete ostium erat de lignis olivarum duabus constans alis, latum 4 cubita, habens picturam cherubim, palmarum et anaglypha eminentia, quae omnia auro tegebantur. Ostium autem apertum erat (3 Reg. 6,31 ss.); introitus enim in sanctum sanctorum claudebatur velo ex hyacintho, purpura, cocco, bysso, cui cherubim intexta erant (2 Par. 3,14). Introitus autem in sanctum patebat per fores valvatas de lignis abiegnis cum postibus de lignis olivarum, quae pariter cherubim, palmis, caelaturis insculptae et laminis aureis tectae erant (3 Reg. 6,34).

Ante hoc templum erat porticus 20 cubita lata iuxta mensuram latitudinis templi et decem cubita longa, intus auro mundissimo deaurata (3 Reg. 6,3; 2 Par. 3,4). Ante porticum erant duae columnae altitudinis 18 cubitorum (3 Reg. 7,15; sed 35 cubitorum 2 Par. 3,15) ex aere factae cum capitellis aereis 5 cubitorum; ambitum habebant 12 cubitorum; at cavae erant et aeris crassitudo erat unius palmae; diversis figuris frondium, florum, malogranatorum exornabantur (3 Reg. 7,15-22; 2 Par. 3,15-17). In sanctuario mosaico nihil eiusmodi reperiebatur. Pariter proprium est templi quod utrique parti laterali et parti posteriori adiungebatur aedificium tribus contignationibus distinctum cum cubiculis in quibus vasa templi etc. asservabantur, quod aedificium templo adiunctum 18 cubita altum fuit (3 Reg. 6,5. 6. 8. 10). In tabernaculo mosaico erat unum atrium; templum autem salomonicum duo atria habebat adiacentia. Atrium interius, quod etiam vocabatur atrium ante domum et atrium sacerdo-

tum (2 Par. 4,9), cingebatur muro ex tribus ordinibus lapidum politorum et uno ordine lignorum cedri (3 Reg. 6, 36), i. e. triplici strui lapidum imposita erat una strues asserum cedrinorum. Atrium exterius, quod magnum vocabatur (basilica magna, Vulg. 2 Par. 4,9), habuit ostia aere tecta et prope ostia exedras seu cubicula (cf. 4 Reg. 23,11; 1 Par. 9,26. 33; 23,28; 28,12; 2 Par. 31,12; Ier. 35,4), in quibus annona, utensilia et vasa templi asservabantur. Ex hoc atrio ascendebatur in atrium interius, quod discimus ex eo quod Ieremias atrium hoc interius vocat vestibulum superius 36,10, ex quo loco colligendum est etiam in atrio interiore ad ostia fuisse eiusmodi exedras. Ceterum de utroque atrio nihil accuratius traditur. Aliqui, uti etiam *Scholz* (Die heiligen Alterth. des Volkes Israel I. p. 213. 214), ea afferunt quae Ezechiel 40,28 etc. de utroque atrio habet. Sed cum Ezechiel eo loco non describat templum salomonicum, ea proferre parum ad rem esse videtur.

In sancto sanctorum collocata erat arca foederis inter duo cherubim de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis; cherubim auro obducta habebant alas quina cubita longas extentas, ita ut extremitates alarum exteriorum pertingerent usque ad utrumque parietem sancti sanctorum; ipsa autem stabant erectis pedibus et facies eorum erant versae ad sanctum (3 Reg. 6, 23 ss.; 2 Par. 3,10-13). In sancto repositum erat altare thymiamatis aureum; porro decem mensae panum propositionum i. e. quinque ad parietem australem, quinque ad septemtrionalem; eodemque modo pro uno candelabro mosaico ponebantur decem candelabra aurea cum lucernis aureis, quae accuratius non describuntur; unde concludendum erit ea eiusdem formae cum mosaico fuisse. Simili ratione fiebant forcipes aurei, hydriae, fuscinulae, phialae ex auro, uti in tabernaculo mosaico (cf. 3 Reg. 7,49. 50; 2 Par. 4,8. 20-22). Atrium autem interius habebat altare holocaustorum aeneum (v. ALTARE), ad quod pariter pertinebant lebetes, scutrae, creagrae, batilla (3 Reg. 7,40. 45; 2 Par. 4,11. 16). Ad utrumque altaris latus erant luteres seu lavacra aenea quina, quae totidem basibus aeneis insidebant.

Basibus suppositae erant rotae quaternae altitudinis cubiti et semis, ut scil. lavacra moveri facile possent quo opus esset. Quae omnia accurate describuntur 3 Reg. 7,27-39. Constituit Salomon quoque in medio atrii basin aeneam longam latamque quinque cubita, tria altam, in qua stans, postea genuflectens orationem fudit in dedicatione templi (2 Par. 6,13) coram altari holocaustorum ex adverso multitudinis Israel; quae basis saepius commemoratur, vocatur tribunal 4 Reg. 11,14 et 2 Par. 34,31 et gradus 4 Reg. 23,3 et 2 Par. 23,13.

Vide delineationem TEMPLUM SALOMONIS et ex quam plurimis operibus praeter commentarios, lexica biblica et archaeologias cf. praesertim *M. de Vogüé*, Le temple de Jérusalem, Paris 1864; *Laurent de Saint-Aignan*, Le temple de Jérusalem, Paris, 1876; *O. Wolff*, Der Tempel von Jerusalem u. seine Maasse, Graz, 1887; *Th. Friedrich*, Tempel u. Palast Salomo's. Reconstruction, Exegese der Bauberichte, mit Grundrissen u. Perspectiven. Innsbruck, 1887; *Perrot* et *Chipiez*, Hist. de l'art dans l'antiquité, IV. Sardaigne-Syrie-Cappadoce, Paris, 1887; *Chipiez* et *Perrot*, Le temple de Jérusalem et la maison du Bois-Liban, Paris, 1889; *T. H. Lewis*, The holy Places of Jerusalem, London, 1888; *F. Vigouroux*, La Bible et les dec. mod. 1896, III. p. 282 ss.; *C. Schick*, Die Stiftshütte, der Tempel in Jerusalem u. der Tempelplatz der Jetztzeit, Berlin, 1896; *J. Prestel*, Die Baugeschichte des jüdischen Heiligtums u. der Tempel Salomons, Strassburg, 1902; *E. Schmidt*, Salomon's Temple in the light of other Oriental Temples, Chicago, 1902; *R. Kittel*, Studien z. hebr. Archaeol. u. Religionsgesch., Leipzig, 1908 (IV. Die Kesselwagen des Salom. Tempels cum interpretatione 1 (3) Reg. 7,27-37 partim perutili partim arbitraria).

3. *Templum Ezechielis* describitur in visione symbolica Ez. 40-43. Quoad singula vide delineationes adiectas: TEMPLUM EZECHIELIS, SANCTUARIUM in templo Ezechielis, PORTA ATRII INTERIORIS et EXTERIORIS in templo Ezechielis. De visionis explanatione vide *Knabenbauer* in Ez. p. 500-526 et *P. Schmalzl*, Das Buch Ezechiel, Wien, 1901.

4. *Templum Zorobabelis et Herodis Magni.* De templo quod post exsilium aedificatum est pauca innotescunt. Legitur Esdr. 6,3 Cyrum permisisse ut fundamenta ponerentur supportantia altitudinem cubitorum sexaginta et latitudinem eandem. Fuitne templum ita exstructum? Facit quidem *Iosephus* loquentem Herodem : « fuit templum hoc Deo maximo aedificatum a parentibus nostris, cum a Babylone revertissent; verum ei ad altitudinem desunt cubita 60, tanto enim altius erat primum illud quod Salomon exstruxerat » (Ant. XV. 11,1). Proinde enuntiat opinionem haustam ex 2 Par. 3,4 (porticum templi Salomonis fuisse altam 120 cubita) templum Salomonis fuisse altitudinis 120 cubitorum adeoque confirmare videtur templum secundum fuisse altum 60 cubita. Id quod ita cogitari posset, ut ab atrio exteriore ascenderetur in atrium interius, inde in templum proprie dictum et totius aedificii altitudo ab initio atrii usque ad fastigium templi esset 60 cubitorum. Istud templum splendore multo fuisse salomonico inferius elucet ex Agg. 2,3. 4 et Esdr. 3,12. 13; deerat arca foederis; in sancto unum solummodo erat candelabrum aureum, una mensa panum propositionis et altare thymiamatis (cf. 1 Mach. 1,23; 4,49); ceterum templum exstructum esse videtur simili modo quo prius; mentio fit de atriis, de atrio interiore, de altari holocaustorum, portis, porticibus, exedris (cf. 1 Mach. 4,38-58; 9,54 gracce; Eccli. 50,3 graece).

Templum istud Herodes per partes paulatim ampliavit et magnificentius exornans commutavit. Quod templum cum Christus sua honoraret praesentia, brevis eius descriptio ex hac quoque ratione et non solum ad adumbrandam artem aedificandi non est praetereunda. Haec templi in formam magnificentiorem instauratio incepta est anno 18 Herodis regis (an. 20. 21 a. Chr.); mensibus octodecim ipsum templi sanctuarium, annis octo atria in formam nobiliorem aedificata sunt; neque tamen opus sistebatur, sed post Herodem quoque varia addita sunt, ita ut anno demum 64 p. Chr. tota instauratio absolveretur. De hac Herodis fabrica refert *Iosephus*, Ant. XV. 11,1 s. et Bell. iud. V. 5,1 s. Templum itaque hoc tria habebat atria quorum alterum altero situm erat altius, et altissimo demum loco, ad quem ex atrio sacerdotum per 12 gradus ascendebatur, ipsum eminebat sanctuarium. Primum atrium, exterius, τὸ πρῶτον ἱερόν vel τὸ ἔξωθεν ἱερόν, etiam atrium gentium quandoque appellatum ex omni parte cingebat alia atria et sanctuarium; erat quadratum longitudine stadii ex omni parte et muro externo a radicibus montis exstructo circumdatum. Portae in hoc muro externo erant quattuor in parte occidentali et etiam aliquae in parte australi, per quas ingressus patebat in porticus, quae erant duplices in tribus atrii lateribus, triplices in latere australi; eas vero sustinuerunt columnae 25 cubita altae, singulis e saxis marmore candidissimo et cedrinis laquearibus tectae (Bell. iud. V. 5,2). Porticus orientalis (στοὰ ἀνατολική), profundae valli imminens subnixa muris 400 cubitorum (Ant. XX. 9,7), existimatur porticus Salomonis (Ioan. 10,23; Act. 3,11; 5,12); in parte australi erat porticus regia, ἡ βασιλικὴ στοά, quae erat triplex, quam Iosephus vocat opus omnium quae unquam sol vidit maxime memorabile (Ant. XV. 11,5). Quattuor ibi erant columnarum series, numero universae 162, capitellis ipsarum more corinthio sculptura obductis; tecta sculpturis ligneis profundis (βαθυξύλοις γλυφαῖς) erant exornata in varias formarum species elaboratis. Reliquum extra porticus spatium erat sub dio et omnigenis lapidibus stratum (Bell. iud. V. 5,2). In hoc atrio exteriore etiam tabernae erant et mensae nummulariorum (cf. Ioan. 2, 14; Matth. 21,12; Marc. 11,15; Luc. 19,45).

Qui ex hoc atrio ad atrium interius progrediebatur, pervenit prius ad saeptum lapideum trium cubitorum altitudine et 10 cubitorum latitudine, quo atrium exterius omni ex parte separabatur ab altero. Ad istud saeptum ascendebatur 14 gradibus. Alienigenis ad hoc saeptum ascendere non licuit; illic paribus intervallis dispositae erant stelae, aliae graecis, aliae latinis litteris nemini licere alienigenae in locum sanctum

intrare poena mortis proposita (Bell. iud. V. 5,2; VI. 2,4. Ant. XV. 11,5). Saeptum istud terminabatur muro quo atrium interius omni ex parte cingebatur, ita ut per gradus et portas novem ad illud ascendendum esset. Porta orientalis viam aperiebat in atrium mulierum, spatium quadratum longum 135 cubita totidemque latum (si Talmudicis est fides adhibenda); vocabatur atrium mulierum quia mulieribus ulterius progredi non licebat. In hoc atrium patebant portae tres (orientalis, australis, aquilonaris), intra quas ad parietes atrii porticus formabantur columnis affabre factis; inter columnas ad parietes posita erant gazophylacia (cf. Marc. 12,41; Luc. 21,1; Bell. iud. V. 5,2). Ex hoc atrio mulierum quod occidentem versus pariete erat clausum, per portam quindecim gradibus ascendebatur in atrium magnum vel interius, quod ipsum sanctuarium omni ex parte cingebat. Erat ab oriente occidentem versus longum 187 cubita et a meridie ad aquilonem latum 135 cubita et distribuebatur in atrium Israelitarum et in atrium sacerdotum. Prius atrium quod proximum erat atrio mulierum habebat latitudinem 135 cubitorum et longitudinem 11 cubitorum; separabatur ab atrio sacerdotum saepto lapideo cubitum alto. In atrio sacerdotum erat altare holocaustorum aliaque quae ad sacrificia requirebantur.

Sanctuarium, ad quod per 12 gradus ex atrio sacerdotum ascendebatur, sublatis veteribus fundamentis et iactis aliis erigebatur in longitudinem 100 cubitorum et totidem in altitudinem; latitudo eius (a meridie ad aquilonem versus) erat 60 cubitorum, sed porticus ex utraque parte eminebat 20 cubitis, ita ut porticus templi lata esset 100 cubita. Aedificatum autem erat templum ex lapidibus candidis et firmis et singulorum magnitudo erat in longum ad cubita 25, in altitudinem octo, in latitudinem circiter duodecim (ita Ant. XV. 11,3). Uti in templo salomonico porticus vel propylaeum sanctuario protendebatur, cuius porta 70 cubita alta et 25 lata fores non habebat, omnisque eius frons (τὰ μέτωπα πάντα) erat inaurata (Bell. iud. V. 5,4), sicut novem quoque portae, quibus aditus ad atrium interius patebat, auro et argento undique tectae erant una cum postibus et superliminari (l. c. 3). Uti porta propylaei inaurata erat, ita quoque totus circa eam paries. Porta autem sanctuarii habebat fores inauratas 55 cubitorum altitudine, latitudine 16; foribus oppansum aulaeum pari longitudine erat peplum babylonium variatum ex hyacintho et bysso et cocco et purpura, opere mirabili contextum (l. c. 4). Porta desuper habebat vites aureas, de quibus botri pendebant ἀνδρομήκεις. Ipsum vero sanctuarium dividebatur, ut antea, in sanctum et sanctum sanctorum. Illud erat latum 20 cubita, longum 40, altum 60; habebat candelabrum aureum, mensam panum propositionis et altare thymiamatis, quae *Iosephus* dicit tria opera maxime mirabilia et omnium hominum sermone celebrata (l. c. 5). Mensa illa teste Iosepho (Bell. iud. VII. 5,5) pondere plura talenta aequabat; candelabrum hunc in modum describit: medius stipes basi impactus surgebat et tenues ab eo rami producebantur ad fuscinae similitudinem positi, in quorum singulorum apice lychnus erat fabricatus; erant isti septem.

Sanctum sanctorum pariete ligneo et velo discernebatur a sancto; latum erat 20 cubita, totidem longum, altum 60; velum hoc vocatur τὸ δεύτερον καταπέτασμα Hebr. 9,3, quod scissum est in duas partes a summo usque deorsum in Christi morte (Matth. 27,51). In hoc adyto nihil prorsus erat positum (Bell. iud. V. 5,5). Cum sanctuarium altum esset 100 cubita, sanctum autem et sanctuarium intus solum cubita 60 attingerent, spatium 40 cubitorum quod restabat simili modo uti in templo salomonico (2 Par. 3,9) inserviebat ad cubicula, prout Talmudistae referunt (cf. *Surenhusius* V. p. 371, de mensuris templi 4,6). Porro uti in templo salomonico, etiam ad tria latera (occid. merid. aquil.) adiecta erat structura trium contignationum (οἶκοι τρίστεγοι πολλοί Bell. iud. V. 5,5), in quae conclavia e templi porta utrimque patebat ingressus. Haec structura alta erat 60 cubita; quare ipsum templi aedificium 40 cubitis eminebat ex illa.

Qualem vero adspectum templum ad urbem accedentibus praebuerit, ita describit *Iosephus* : exterior eius facies nihil habuit quod animus et oculi non mirarentur; laminis enim gravissimis aureis undequaque obtecta erat, ita ut primum ad solis exortum igni simillimum eiacularetur splendorem et oculos eorum qui eam intueri necesse haberent quasi radiis solaribus inde averteret; porro advenientibus e longinquo monti niveo similis videbatur; nam ubi deauratum non erat, candidissimo marmore constabat; atque in fastigio aureis verubus horrebat idque acutissimis, ne ab insidentibus avibus inquinaretur (Bell. iud. V. 5,6; cf. VI. 4,8). Unde facile explicantur verba discipulorum : magister, aspice, quales lapides et quales structurae (Marc. 13,1).

Vide delineationem : TEMPLUM HERODIS et cf. praeter auctores n. 2 allegatos *E. Spiess*, Das Jerusalem des Josephus, Berlin, 1881; *idem*, Der Tempel zu Jerusalem... nach Josephus, Berlin, 1881.

TEMPUS. Frequenter monemur sacris litteris tempus vitae esse breve, fluxum, labile : 1 Cor. 7,29 : tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores tamquam non habentes sint et qui flent tamquam non flentes et qui gaudent tamquam non gaudentes et qui emunt tamquam non possidentes et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur; praeterit enim figura huius mundi. Proinde brevi tempore docemur, ne animus rebus illis fluxis infixus haereat; et ita cf. Iob 8,9; 14,1. 2; Ps. 89,6 ss. 101,4; 102,15; 108,23; 143,4; Eccle. 7,1; Sap. 2,1 ss.; 5,8-13; 9,5; Eccli. 14,18; 18, 8; Is. 40,6-8; Hebr. 13,14; Iac. 1,9-11; 4,13-15; 1 Petr. 1,24. 25 etc.

TENEBRAE. Plaga tenebrarum, qua Aegyptii puniti sunt Ex. 10,21, ex iis quae ibi quandoque fiunt et ex descriptione data l. c. et Sap. 17,2-20, explicatur commodissime de vento urente, cui nomen est *khamsīn*, quo arena quoque subtilissima et copiosissima adducitur, sol obscuratur, tenebrae densae et palpabiles efficiuntur, lux nequit accendi seu illuminare etc.; cf. *F. Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes, *ed.* 6, II. p. 341 ss. — Tenebrae quae factae sunt Christo in cruce pendente nequeunt referri ad quandam solis eclipsin, quia pascha erat i. e. plenilunium. Verum facillime patet Deo non deesse quibus in meridie caliginem regioni offundere possit. Neque opus est tenebras illas asserere extra Iudaeam evenisse; merito enim multi assentiuntur Origeni, qui dicit : « arbitror, sicut cetera signa quae facta sunt in passione Christi, in Ierusalem tantummodo facta sunt, sic et tenebrae tantummodo super omnem terram Iudaeam sunt factae »; et revera ad orbem terrarum significandum videmus usurpari apud Matth. κόσμος 4,8; 5,14; 13,38; 16,26; 24,21; 25,34, 26,13; plura de ea re vide apud *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2 II. p. 538 ss., ubi inter alia ostenditur nihil ex Phlegontis narratione colligi posse iam ex eo quia solis defectio illa non in plenilunio accidit et ex computatione refertur ad diem 24. mensis Novembris an. 29 p. Chr.; multo minus quidquam veri accipi potest ex fabulosis illis epistulis ad Polycarpum et Apollophanem quae olim Dionysio Areopagitae adscribebantur.

Metaphorice dicuntur tenebrae de aerumnis et calamitatibus miseriisque, sicuti ex opposito lux de gaudio, felicitate; ita tenebrae tribulationis Is. 5,30; Thren. 3,2. 6; Ioel 2,2 dies tenebrarum; Soph. 1,15. Cum fides et revelatio divina, lex Dei comparetur luci, lucernae, pronum est ea quae fidei divinae et legi Dei opponuntur tenebras appellare; unde qui rerum divinarum ignari in peccatis tabescunt, sedere dicuntur in tenebris (cf. Matth. 4,16; Luc. 1,79) et : lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt Ioan. 1,5; homines dilexerunt magis tenebras quam lucem Ioan. 3,19 etc. Qui ad regnum Christi vocantur, de tenebris vocantur in admirable lumen 1 Petr. 2,9; qui vera Dei cognitione destituti in peccatis vivunt, tenebrae appellantur : eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino Eph. 5,8. Unde potestas tenebrarum potestas est ea quam daemones et peccatores exercent; cf. Luc. 22,53; Col. 1,13 et daemones vocantur mundi rectores tene-

brarum harum Eph. 6,12 et peccata opera tenebrarum Eph. 5,11 etc.

TENTARE, TENTATIO. Tentare quandoque idem est quod experimentum de aliquo capere, eum probare, experiri velle qua ratione se habeat. Ita tentare de Deo quoque dicitur, non ac si sensus animosque occultos non cognosceret, sed ratione habita hominum, quibus experimenta illa intimos sensus, virtutem et vitia patefaciunt. Sic Deus tentavit Abraham i. e. eum probationi satis severae exposuit et subiecit mandans ut filium in sacrificium offerret (Gen. 22,1 ss.); tentavit populum, ut nota fierent quae in eius animo versabantur, utrum custodiret mandata Dei annon (prout dicitur Deut. 8,2) et venire permittit pseudoprophetas allicientes populum ad peccatum, « quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum annon » (Deut. 13,3).

Homo vero dicitur Deum tentare, si debitam mensuram et rationem spei, quam in Deum eiusque promissiones habere oportet, aut non attingit aut excedit. Tentatur itaque Deus ab homine diffidentia et praesumptione. Tentarunt diffidentia Israelitae in deserto ob aquae penuriam Ex. 17,2. 7 : estne Dominus in nobis annon? Deut. 6,16; 9,22. Tentatur praesumptione; quare Christus diabolo praecipitium suadenti respondet : non tentabis Dominum Deum tuum (Matth. 4,7); similiter Deum tentare dicitur qui Deo quasi praescribit quando et quibus condicionibus debeat opem ferre, unde Iudith dixit civibus : qui estis vos qui tentatis Dominum 8,11; vel qui peccatis impudenter patratis quasi experimentum capere vult puniatne Deus necne; cf. Act. 5,9.

Homo autem tentatur, si de eius scientia, virtute etc. experimentum capitur. Ita venit regina Saba tentare Salomonem in aenigmatis 3 Reg. 10,1 et legis doctor quaestione de mandato magno tentare vult Iesum (Matth. 22,35; Luc. 10,25). Praecipue vero tentare aliquem est eum allicere ad peccandum; eo modo diabolus voluit tentare Christum (Matth. 4,1; Luc. 4,2) et nos tentat 1 Cor. 7,5; 1 Thess. 3,5; eoque sensu S. Iacobus dicit : nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur; ipse neminem tentat; unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus (Iacob 1,13. 14). Etiam is qui alterum de peccato reprehendit, consideret se ne et ipse tentetur (Gal. 6,1); verum in omni tentatione fiduciam habere oportet, quia Deus « non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum (ἔκβασιν), ut possitis sustinere » (1 Cor. 10,13). Ut ab omni noxia tentatione praeservemur Christus nos orare docet : ne nos inducas in tentationem Matth. 6,13; et munimenta contra tentationes assignat : vigilate et orate, ut non intretis in tentationem Matth. 26,41. Cum calamitates, miseriae, afflictiones quam maxime aptae sint ad probationem hominis, etiam quandoque tentationes vocantur; ita Christus laudat discipulos quod permanserint secum in tentationibus suis Luc. 22,28; cf. Tob. 2,11; Eccli. 27,6; 33,1.

TENTATIO (Ex. 17,7). v. RAPHIDIM.

TEPHILLIN v. PHYLACTERIA.

TEREBINTHI VALLIS (עֵמֶק הָאֵלָה; LXX ἡ κοιλὰς τῆς δρυός, ἡ κοιλὰς Ἠλᾶ), in qua Israelitae castra posuerant contra Philisthaeos et David gigantem Goliath interfecit (1 Reg. 17,2. 19; 21,9), erat inter Azeca (vide s. v.) et Socho (*Shuweike* v. SOCHO 1). Agnoscitur in *Wādi el-Sanṭ* inter meridiem et occidentem a Ierusalem (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 298; *Guérin,* Judée III. 333. 334). Ex antiqua traditione Vallis terebinthi putabatur esse *Wādi Beit Ḥanīnā* vel potius eius continuatio australis *Wādi Qulōniye* occidentem versus a Carem (*'Ain Karim*), quam traditionem iam *Guérin* (Judée I. 102. 103) cum *Robinson* et *van de Velde* relinquendam esse censuit.

TEREBINTHUS. 1. Terebinthus in Vulgata imprimis arbor hebr. אֵלָה dicta vocatur, quam S. Hieronymus alibi etiam quercum nominat (v. QUERCUS). Sub umbra huius arboris sedere incolis gratum erat (Iud. 6,11. 19 Vulg. *quercus;* 3 Reg. 13,14), etiam idolis ibi sacrifica-

bant (Ez. 6,13 Vulg. *quercus*; Os. 4,13) et mortuos prope easdem arbores sepeliebant (1 Par. 10,12, Vulg. *quercus*); vallis terebinthi ab hac arbore nomen accepit (1 Reg. 17,2. 19; 21,9; v. TEREBINTHI VALLIS). Antiquitus celebris erat terebinthus Abrahae in Mambre, cuius loco hodie quercus prope Hebron monstratur. De aliis v. QUERCUS. Arbor terebinthi (*Pistacia terebinthus* Linné, Arabibus *buṭm* dicta, ex familia *Anacardiaceearum*) hodie in collibus locisque saxosis Palaestinae frequenter invenitur. Altitudinem 4-8 metrorum attingit, sed cum folia hieme amittat, haud ita accepta est incolis ad umbram prope domos habendam quam variae quercus aliarumque arborum species semper virentes.

Cf. *E. Boissier*, Flora orientalis, II. 5-8; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 349; *G. E. Post*, Flora of Syria 206; *E. Nestle*, Die Terebinthe von Mamre, in Mitteil. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver. I. 1895, 56 s. — Praeterea cf. *J. H. Ursinus*, Arb. bibl. 203-14; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 415-9; *O. Celsius*, Hierobot. I. 34-58; *W. Gesenius*, Thesaurus s. v.; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1, 229-32; *H. O. Lenz*, Botanik d. alt. Griech. u. Römer 662 s.; *J. H. Balfour*, The Plants of the Bible, ed. nova, 89-92; *P. Cultrera*, Flora bibl. 369-71; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 400 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 233 s.; *J. Smith*, Bible Plants 104-7; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 44; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 250-2; *W. H. Groser*, The trees and plants ment. in the Bible 66-74.

2. Terebinthus a S. Hieronymo et LXX praeterea hebr. בָּטְנִים exponitur, quod filii Iacob cum optimis terrae fructibus in Aegyptum tulerunt (Gen. 43,11). Iuxta versionem graecam et latinam proprie vel de nucibus terebinthi, in cibum parum gratis, vel de resina terebinthina intellegendum esset. At cum versione samaritana et arabica Erpenii recentiores communiter fructus arboris terebintho simillimae, scil. pistaciae, nomine hebraico designari censent, qui formam nucis vel amygdalarum habentes gustui gratissimi sunt, atque ab antiquis etiam stomacho utiles praedicantur (*Dioscur.* Mat. med. 1,177). Arbor has nuces proferens, scil. *Pistacia vera* Linné (fam. *Anacardiaceae*), Arabibus *Fistuq* vel *Qarmīdi-beledi* dicta, altitudinem 3-6 metrorum attingens, in Palaestina spontanea non nisi iuxta *ʿAin el-Tīne* prope Damascum crescit; sed per totam regionem in hortis et agris colitur. Pariter antiquitus coli potuit, nisi Iacobum fructus illos ex Syria per mercatores accepisse supponere malis. Licet igitur nomen *buṭm* Arabibus hodie terebinthum designet, in textu Geneseos potius nuces pistaciae videntur intellegendae, cum forma pluralis בָּטְנִים resinae non conveniat, fructus autem terebinthi dono in Aegyptum mittendo vix apti appareant.

Resina vero arboris terebinthi pluribus etiam nomine צְרִי videtur significari, de quo v. RESINA.

Cf. *Sam. Bochart*, Geogr. S., pars II. l. 1, c. 10; *Ursinus* 378-82; *Hiller*, I. 224-7; *Celsius*, I. 24-7; *J. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. 171 s.; *Gesenius*, Thesaurus s. v.; *Rosenmüller*, 246 s.; *Lenz*, 661 s.; *Balfour*, 102; *Cultrera*, 372; *Tristram*, 366 s.; *Kinzler*, 234; *J. Smith*, 169; *Löw*, n. 44 b; *Schegg*, 238 s.; *Groser*, 108 s. — De arbore pistaciae cf. *Boissier*, II. 5; *Leunis*, p. 349; *Post*, 206.

L. FONCK.

TERMINUS ponitur uti hebr. גְּבוּל notione limitis, confinii, lapidis terminalis et notione territorii, regionis; continet igitur in se id quod finis et fines significant; cf. Gen. 10,19; 23,17; 47,11; Ex. 8,2 etc. Quandoque legitur in Vulg., ubi in hebr. solum similis notio habetur v. g. Lev. 13,5 nec transierit lepra in cute priores terminos, hebr. nec latius serpserit plaga in cute; ponitur quoque pro חֹק v. g. Prov. 8,29 circumdabat mari terminum suum etc. et Gen. 49,14 pro מִשְׁפְּתַיִם Vulg. accumbens inter terminos; item Iud. 5,16; explicant hebr. de caulis (— in Vulg. Ps. 67,14 si dormiatis inter medios *cleros*).

TERPHALAEI (טַרְפְּלָיֵא, Ταραφαλλαῖοι, A Ταρφαλλαῖοι) enumerantur Esdr. 4,9 inter eas gentes, quas Asenaphar (vide s. v.) de Babylonia in Samariam transtulit; erant Iudaeis infensi.

TERRA. Uti apud Latinos, ita in

Vulg. quoque terra adhibetur varia significatione. Opponitur enim mari : et vocavit Deus aridam terram Gen. 1,10; designat orbem terrarum; designat regionem quandam particularem : terra Chanaan etc.; significat solum, humum; unde terra fertilis, sterilis, irrigua, terra dedit fructum suum; spinas et tribulos germinabit tibi terra etc. Cum corpus primi hominis de pulvere terrae formatum sit, homo dicitur terra et cinis Eccli. 10,9, terrenus, et terra mater omnium Eccli. 40,1. Terra etiam pro habitatoribus dicitur vel cultoribus : erat autem terra labii unius Gen. 11,1. Totum universum s. litterae designare solent caelum et terram, caelum et terram et mare. Poetice sermo fit de fundamentis terrae, de eius columnis; « super quo bases illius solidatae sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius, cum me laudarent simul astra matutina et iubilarent omnes filii Dei » (Iob 38,4-7; 9,6; Ps. 74,3; 103,5; Is. 24, 18). Terra potentia Dei sustentatur : qui extendit aquilonem super vacuum et appendit terram super nihilum (Iob 26,7); fundata est super maria (Ps. 23, 2), quia in gremio terrae habetur magna abyssus aquae (Gen. 49,25; Deut. 33,13), quare firmavit terram super aquas (Ps. 135,6) et in diluvio rupti sunt omnes fontes abyssi magnae et postea iterum clausi (Gen. 7,11; 8,2). Et S. Petrus alludens ad Gen. 1,2. 7. 9. 10 dicit terram de aqua et per aquam consistentem verbo Dei. Integer orbis terrarum etiam designatur quattuor plagis terrae (Is. 11,12; Ez. 7,2). Regio quaedam longinqua tamquam in extrema terrae parte sita describitur; ita Assyrii, Medi veniunt a finibus terrae (Is. 5, 26; 13,5; Ier. 50,41), item regina Saba (Matth. 12,42) et terra palaestinensis, cum esset ratione singulari terra Domini, hereditas eius, dicitur esse in medio terrae, esse umbilicus terrae (Is. 19,24; Ez. 38,12) vel fastigium terrae (? tamquam regio prae aliis eminens, Deo propria et cara; cf. *Knabenbauer* ad Ez. 38,12).

TERRAE MOTUS. Sat magnus terrae motus rege Ozia factus est, ita ut tempore Zachariae prophetae eius memoria etiam viguerit (Zach. 14,5; cf. Am. 1,1). Terrae motus in morte Christi ad specialem Dei interventum i. e. ad miraculum referri debet neque tamen ultra fines Ierusalem evenisse putandus erit. Inter varias calamitates quibus fideles per saeculorum cursum subiicientur etiam terrae motus recensentur (Matth. 24,7; Marc. 13,8; Luc. 21,11). Ad terrae motum miraculosum, sed ad unum locum eumque exiguum restrictum referendum erit quod narratur Matth. 28,2 factum esse terrae motum magnum descendente angelo de caelo ad sepulcrum et revolvente lapidem; pariter Act. 16, 26 Paulo et Sila media nocte in carcere orantibus factum esse terrae motum, ita ut moverentur fundamenta carceris. Demum ad rem grandem commendandam et terrore quodam vestiendam exhibetur terrae motus in somnio (Esth. 11,5) et in visione (Apoc. 6,12; 8,5; 11, 13. 19; 16,18).

TERTIUS (Τέρτιος), vir christianus qui cum Paulo apostolo Corinthi morabatur et cui apostolus epistulam ad Romanos dictavit; inter salutationes quas apostolus dictat, Tertius suam quoque salutationem Romanis mittit (Rom. 16, 22).

TERTULLUS (Τέρτυλλος), causidicus, orator forensis, quem Ananias princeps sacerdotum Caesaream ad Felicem praesidem secum adduxit et qui coram Felice Paulum accusavit seditionis et violati templi (Act. 24,1-8), quas accusationes Paulus facile diluit.

TESTAMENTUM plerumque habet notionem foederis, hebr. בְּרִית, pro qua voce saepissime ponitur; ita arca testamenti i. e. foederis Num. 14,44; Ier. 3,16 et in Psalmis v. g. 24,14; 43, 18 inique non egimus in testamento tuo; 49,5 qui ordinant testamentum eius super sacrificia; 54,21 contaminaverunt testamentum eius. Ita dicitur de foedere quod Deus cum populo iniit, qua notione testamentum etiam in libris novi foederis adhibetur : sanguis novi testamenti (Matth. 26,28), memorari testamenti sui sancti Luc. 1,72; Act. 3,25

7,8 testamentum circumcisionis; Rom. 9,4; 11,27 etc. Et quia in foedere et promissiones Dei et officia populi continentur, testamentum (foedus) utraque significare potest; ita precatur Iudith 9,18 : memento Domine testamenti tui et Act. 7,8 testamentum circumcisionis, foedus scil. quo illis imponebatur circumcisio. Notione dispositionis mortis causa adhibetur Hebr. 9,16; transitus iste a notione foederis ad notionem testamenti (etiam abstractione facta a voce διαθήκη) eo facilius fieri potuit, quia bona foederis tamquam hereditas considerantur nosque heredes Dei, coheredes Christi nominamur et quia hereditas caelestis nobis morte Christi scripta est, cuius mortis figura quaedam iam relucebat in vetere quoque foedere, quia ne ipsum quidem sine sanguine (morte victimae) dedicatum est; cf. Hebr. 9,15-20. At hoc loco excepto voci testamenti potius notio foederis plerumque est vindicanda v. g. 1 Mach. 1,12 disponamus testamentum cum gentibus; 1,16 recesserunt a testamento sancto; 1,60 libri testamenti Domini etc. etc. Zach. 9,11; Mal. 3,1; Gal. 3,15. 17; 4, 24 etc.

Praeterea Ex. 30,26 ponitur pro hebr. עֵדוּת : arca testamenti i. e. arca legis, alias arca testimonii; Is. 14,13 pro מוֹעֵד : mons testamenti i. e. mons conventus, ubi scil. ex opinione populari Babyloniorum dii congregari solebant. Semel quoque dicitur testamentum pro libro quo foedus Dei consignatum est 2 Cor. 3,14 : in lectione veteris testamenti, ubi itaque vox eo sensu iam occurrit quo nos de Vetere Testamento et de Novo i. e. de libris sacris loqui solemus.

TESTIMONIUM. Notione vocis usitata saepe ponitur : non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium Ex. 20,16; Deut. 5,20; ad unius testimonium nullus condemnabitur Num. 35, 30 etc. Huic cognata est notio, qua dicitur : carmen istud mihi sit pro testimonio inter filios Israel; tollite librum istum et ponite eum in latere arcae foederis Domini, ut sit ibi contra te in testimonium (Deut. 31,19. 21. 26) scil. ut contra te testificetur, te accuset, si deliqueris, et excusationem tibi auferat ignorantiae; similiter Ios. 22,27 : sit in testimonium inter nos et vos; eo quoque sensu Matth. 8,4 : offer munus, quod praecepit Moyses, in testimonium illis; 24,14; Marc. 1,44; 6,14 et ita porro modo loquendi usitato adhibetur modo de testimonio forensi, modo de testimonio eventus facti, modo de testimonio circa modum agendi moresque aliorum; imprimis autem de sollemni testimonio quod Iesus de se et de doctrina sua exhibuit et quod Ioannes Baptista de eo dedit (ita apud Ioan.).

Lex Dei eiusque praecepta testificantur voluntatem Dei; quare nomine *testimonia Dei* saepe insigniuntur. Ita arca, in qua tabulae legis asservabantur, vocatur arca testimonii i. e. arca legis i. e. testificationis voluntatis divinae; cf. Ex. 25,22; 26,33; 30,6; 31,7 etc. et tabulae quibus decem verba inscripta erunt, tabulae testimonii dicuntur (עֵדוּת; cf. Ex. 31,18; 32,15; 34,29). Quare testimonium quoque ponitur in membro parallelo ad legem; cf. Ps. 18, 8; 77,5; immo 4 Reg. 11,12 legitur : produxit filium regis et posuit super eum diadema et testimonium, ubi testimonium ipsam legem scriptam denotare videtur, quam pontifex dabat regi, secundum illud de rege Deut. 17,18. Dein ponitur testimonium i. e. praeceptum Domini Ps. 80,6 praesertim numero plurali frequentissime Deut. 4,45; 6,17. 20; 3 Reg. 2,3; 4 Reg. 23,3; Ps. 77,56; 92,5; 118,2 etc. etc. Porro in Vulg. dicitur quoque sacrum tabernaculum tabernaculum testimonii ubi hebr. מוֹעֵד ponitur i. e. tabernaculum conventus i. e. ubi Deus cum Moyse convenire eique mandata pro populo dare constituit secundum illud Ex. 25,22 : inde praecipiam et loquar ad te... cuncta quae mandabo per te filiis Israel; ita tabernaculum testimonii accipe v. g. Ex. 27, 21; 28,43; 29,4. 10 ss.; 30,16 ss.; Ios. 18, 1; 19,51 etc.

TESTIS. Qui testimonium perhibet testis est. Testimonium autem perhiberi potest de aliquo eventu vel de promissione facta non solum per homines, sed

etiam per monumenta; unde iam Gen. 31,48. 52 : tumulus iste erit testis inter me et te hodie; testis erit tumulus iste et lapis in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu praeterieris malum mihi cogitans. Testis is quoque est qui spectator est alicuius eventus; ita Gen. 44,34 : ne calamitatis testis assistam. Inde Deus quoque testis dicitur, cum omnia inspiciat et noverit et paratus censeatur secundum veritatem rei vel sontem punire vel innocentem servare. Quare Iob : ecce enim in caelo testis meus (16,20) et quia Deus promissionis datae testis est et exsecutor, appellatur Ps. 88,38 testis in caelo fidelis; quia iniquitates novit et punit, dicit : ego sum iudex et testis Ier. 29,23 et : ero testis velox maleficis et adulteris et periuris Mal. 3,5. Quare ad vim orationi, minis addendam Deus invocatur testis vel etiam creatura qua singulari quadam ratione Dei opus, gubernatio, providentia relucet, quae itaque (sicut in iuramento; cf. Matth. 23, 16 ss.) praecipuo modo ad Deum refertur; cf. Deut.4,26 testes invoco hodie caelum et terram; 30,19; Ier. 42,5 sit Dominus inter nos testis; Mich. 1,2 sit Dominus Deus vobis in testem. Testis est cui munus incumbit sua testificatione, praedicatione aliquid annuntiandi; ita Is. 55,4 ipse Messias vocatur testis et Christus apostolis dicit : eritis mihi testes, et vos estis testes horum (Luc. 24,48; Act. 1,8). Praecipue testis dicitur sensu forensi, qui coram iudice testimonium reddit. Talis adiuratione videtur esse monitus, ut veritatem dicat (cf. Lev. 5,1 s.; Prov. 29,24; qui cum fure participat odit animam suam; adiurantem audit et non indicat). Nemo autem testimonio unius erat condemnandus : ad unius testimonium nullus condemnabitur Num. 35,30, sed in ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur Deut. 17,6; non stabit testis unus contra aliquem, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum Deut. 19,15 (cf. Matth. 18,16; 2 Cor. 13,1). In poena lapidationis manus testium prima interficiet noxium (Deut. 17,7; 13,9; cf. Act. 7,57). Contra testem falsum et mendacem (Ex. 23,1) statuitur, ut ei reddatur sicut fratri suo facere cogitavit Deut. 19,16-21 : non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente... exiges; nam testis falsus non erit impunitus Prov. 19,5. 9; testis mendax peribit Prov. 21,28; cuius rei exemplum exhibetur in duobus senibus qui falsum contra Susannam dixerunt testimonium Dan. 13,61. Testes adhibebantur, ut de aliqua re in posterum certo constaret et rei veritas probari posset; ita in emptione et venditione (cf. Gen. 23,11; Ruth 4,1-4; Ier. 32,10) vel quotiescumque intererat; cf. Is. 8,2; Matth. 18,16; 1 Tim. 5,19.

TETRARCHA (τετραάρχης, τετράρχης) proprie is est, qui quartae alicuius regionis parti imperat. Verum hac propria notione omissa is eo nomine vocatur, qui est princeps alicuius regionis seu ditionis minoris. Herodes testamento constituit, ut Antipas Galilaeae Peraeaeque tetrarcha constitueretur et Philippo tetrarchiae nomine concederetur Gaulonitis, Trachonitis, Batanaea et Panias (*Flav. Ios.* Ant. XVII. 8,1; cf. 11,4); vide Luc. 3,1, ubi praeterea Lysanias Abilinae tetrarcha nominatur; cf. Matth. 14,1; Luc. 9,7. Herodes Antipas tetrarcha (Matth. 14,1) vocatur rex (Matth. 14,9; Marc. 6,14) ex modo loquendi populari; pater eius erat rex et ipse parti regni paterni imperabat; unde facile intellegitur eum a plebe quoque regem esse appellatum; ceterum βασιλεύς sensu quoque latiore sumitur; apud Homerum eo nomine filii quoque et cognati regis, omnesque qui partes haben administrationis eo nomine vocantur; apud Athenienses archon secundus βασιλεύς appellabatur (cf. *Pape*, Griech. Handw. s. v.). Simili modo Iosephus dicionem Lysaniae appellat modo βασιλείαν (Bell. iud. II. 11,5), modo τετραρχίαν (Ant. XX. 7,1).

TEXENDI ARS. Artem textrinam priscis Hebraeis notam fuisse, elucet eo quod vestes, vela, aulaea, cortinas, opertoria conficiebant, ad quae illa arte opus est. Verum qua arte et ratione illa instrumenta sibi constituerint nescimus. Mentio quidem fit radii אָרַג (Iob 7,6),

iugi liciatorii texentium (1 Sam. 17,7; 2 Sam. 21,19; 1 Par. 11,23; 20,5); insuper prisco iam tempore ita texebant, ut et textura efficeretur diversicolor et ex filis diversi coloris efficerentur formae Cherubim. Ita v. g. Ex. 26,1 : cortinae erant ex bysso retorta, cui intexebantur fila varii coloris, quibus textura fiebat diversicolor et efformabantur Cherubim (cf. 26,31; 28,6; 35,35; 36,8; 39,8); et Ex. 39,3 opus ita describitur, ut auro primum in laminas tenues extenuato et in fila discisso haec fila cum filis hyacinthi, purpurae, byssi contexta sint; quod opus vocatur חֹשֶׁב opus plumarium vel polymitum, polymitarium (in Vulg. l. c.). Opus textile (אֹרֵג textor) vocatur quod ex panno unius coloris contextum est (cf. Ex. 28,31; 39, 21. 25 [hebr. 22. 27]). Commemoratur quoque saltem ex versionibus veterum stamen et subtegmen (Lev. 13,48; de quorum vocabulorum significatione tamen ex v. 56 dubium movetur). Texendi ars innuitur 1 Sam. 2,9; 4 Reg. 23, 7; 1 Par. 4,21; Eccli. 45,13; Act. 9,39 et singularis eius artis modus indicatur Ioan. 19,23 : erat tunica inconsutilis desuper contexta per totum (cf. *Knabenbauer* in h. l.). In Vulg. etiam רֹקֵם vertitur plumarius Ex. 26,36; 27,16; 35,35.

THAAN (תַּחַן, Θάεν), filius (vel forte nepos) Ephraim (1 Par. 7,25); cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 181-184 de genealogia Ephraim. Idem scribitur Num. 26,35 Thehen (Τάναχ), progenitor Thehenitarum et filiis Ephraim accensetur.

THABEEL v. TABEEL 2.

THABOR. 1. Thabor (תָּבוֹר, Γαιθσώρ) legitur in descriptione termini tribus Issachar (Ios. 19,22). Ex analogia cum urbibus enumeratis concludunt interpretes non montem Thabor designari, sed urbem eiusdem nominis in monte vel iuxta montem Thabor sitam. Certe haec urbs non confundenda erit cum Ceseleththabor tribus Zabulon (cf. Ios. 19,12). Cogitant nonnulli de Thabor urbe levitica a Zabulon filiis Merari concessa (1 Par. 6,77[62]), quae utpote in confinibus Zabulon et Issachar sita utrique tribui adscribi poterat; sed exsistentiam huius Thabor zabuloniticae in quaestionem vocavimus s. v. NAALOL. Unde melius dices Ios. 19,22 vel ipsum montem designari vel urbem quandam ignotam, quae a monte nomen duxerit.

2. Thabor (תָּבוֹר; Θαβώρ, τὸ Ἰταβύριον) mons in confinibus Issachar et Zabulon, tribui Zabulon adscribendus. Eius nomen nonnisi in Vetere Testamento legitur. Barac iudici et Debborae mons Thabor aptissimus visus est, quo copiae Zabulon et Nephthali congregarentur (Iud. 4,6-14; 8,18); impetu nocturno de monte descendens Barac exercitum Sisarae in pugna apud torrentem Cison confecit. In Thabor (monte vel urbe?) Zebee et Salmana, duo reges Madianitarum, fratribus Gedeonis mortem intulerunt, sane non iusto proelio, sed iniqua oppressione, quod crimen ipsi morte luerunt (Iud. 8,18 ss.). Nonnulli interpretes (*Herder, Gaab, Graf*, alii) de monte Thabor explicant, quae Moyses tribubus Zabulon et Issachar benedicens vaticinatur : Populos vocabunt ad montem; ibi immolabunt victimas iustitiae (Deut. 33,19); sed hoc facilius asseritur, quam evincitur. In Ps. 88[89],13 Thabor (in terra cisiordanica) et Hermon (in terra transiordanica) cum aquilone et meridie associantur, ut enarrent gloriam Creatoris. A Ieremia (46,18) Nabuchodonosor Aegypto bellum illaturus venire dicitur sicut Thabor in montibus i. e. inter montes vicinos eminens et longe lateque quasi dominans. Similiter apud Os. 5,1 duo loca altitudine conspicua ex regione trans et cis Iordanem per modum synecdoches eliguntur scil. Maspha (hebr.) et Thabor; cur haec duo commemorentur, explicat *Knabenbauer* ad h. l.

In Novo Testamento Thabor non nominatur, sed traditio valde antiqua et constans fert montem transfigurationis (Matth. 17,1; Marc. 9,1; Luc. 9,28; 2 Petr. 1,18) fuisse Thabor; (ita *Origenes*, in Ps. 88,13 apud *Migne* 12,1547; *S. Cyr. hieros.* Cat. 12,16 apud *Migne* 33,744; *S. Hieron.* Epist. 46,12 et 108,13 apud *M.* 22,491. 889 cf. Peregrin. Paulae

17 apud *Tobler* et *Molinier*, Itinera hieros. I. 1879, p. 38; *Antoninus* [Anonymus] Plac. 6 apud *P. Geyer*, Itinera hieros. 1898, p. 162; *S. Ioan. Damasc.* hom. de transfig. Domini 12. Hanc traditionem impugnant multi recentiorum (iam *Calmet*, nostro tempore *Patrizi*, *Schegg*, *Schanz*, *Fillion*, *Keil*, *Mansel*, *Geikie*, *Mühlau*, alii). Alii vero eam defendunt (*Arnoldi*, *Holzammer*, *Mislin*, *Guérin*, Galilée, I. 155 ss., *Grimm*, *Knabenbauer*). Rationes quae contra illam traditionem afferuntur, vide expositas et solidis explicationibus refutatas apud *Knabenbauer*, Comment. in Matth. *ed.* 2, II. p. 84. 85 et in Marc. *ed.* 2, p. 233. 234. De eadem traditione *Relandus* (Palaestina, p. 334 s.) animadverterat : « haud temere reiicienda esse fateor, quae multorum saeculorum consensu nituntur; nec profecto aliquid occurrit, quod stirpitus evellere atque evertere hanc opinionem queat. Sunt tamen nonnulla, quae me proclivem reddunt ut credam non in monte Tabor, sed alio quodam, id contigisse, quae velim lector expendat » etc. Omnibus rationibus perpensis hodie quoque antiqua traditio in possessione est.

Addamus quaedam ex scriptoribus profanis et ecclesiasticis, quibus Thabor etiam Atabyrion seu Itabyrion audit. Anno 218 a. Chr. Antiochus Magnus, rex Syriae, postquam Philoteriam prope lacum Tiberiadis in deditionem accepit, montibus superatis proxime Atabyrium accessit, oppidum in rotundo colle situm, ad cuius summitatem stadia numerantur amplius quindecim; rex dolo atque insidiis hostes aggressus urbem cepit et praesidio firmavit (*Polyb.* V. 70, 6.12). Ex Flavio Iosepho autem colligimus hanc urbem a. 67 p. Chr. non amplius exstitisse nisi forte in ruinis : « Vespasianus autem praeter obsidionem succisivo opere eos adoritur, qui montem Itabyrium occupaverant, inter Campum magnum et Scythopolin medium : cuius quidem altitudo stadiis triginta adsurgit, septemtrionali latere fere inaccessa; in vertice autem planities viginti sex stadiorum patet, tota muro circumdata. Ceterum hunc circuitum tantum quadraginta diebus muniverat Iosephus, cui et aliarum rerum copiam insuper et aquam suppeditabant loca inferiora : etenim incolis nulla erat praeter pluvialem » (Bell. iud. IV. 1,8); ad quem locum adnotat *Guérin* (Galilée I. 154) numeros altitudinis et latitudinis a Iosepho indicatos usque ad dimidiam fere partem reducendos esse. Onomasticon frequentius montis Thabor meminit ad alia loca determinanda eumque s. v. ita describit : Thabor terminus Zabulon; est autem mons in medio Galilaeae campo mira rotunditate, sublimis, distans a Diocaesarea decem milibus contra orientalem plagam, qui confinium quoque inter tribum Issachar et Neptalim fuit (*ed. Lag.* 156,33; cf. 261,27). Et s. v. Itabyrium (*ed. Lag.* 134, 26; cf. 268,90) : Itabyrium, pro quo Aquila et Symmachus in Osee propheta transtulerunt Thabor; est autem mons Thabor in campo maximo ad orientalem plagam Legionis. Cf. *S. Hier.* Comm. Os. 5,1 : Thabor quam Septuaginta Ἰταβύριον transtulerunt... est autem Thabor mons in Galilaea, situs in campestribus, rotundus atque sublimis et ex omni parte finitur aequaliter.

Thabor hodie *Djebel el-Ṭōr* audit. Ex planitie, qua undique cingitur, 321 m in altum assurgit et 615 m supra mare Mediterraneum eminet. Ruinae, quae in monte cernuntur, variis aetatibus adscribendae sunt; fundamenta autem muri, qui verticem cingit et spatium dimidiae horae quadratae includit, probabilius ad Romanorum aetatem referuntur. Prospectus ex monte Thabor late patet; meridiem versus se extendit planities Esdrelon usque ad montes Samariae; occidentem versus conspiciuntur Carmelus et sinus Ptolemaidis, etsi ipsa Ptolemais oculo subtrahitur; septemtrionem versus aspectus fertur super montana Galilaeae usque ad Hermon maiorem; orientem versus visui sese offerunt ex ordine pars septemtrionalis lacus Tiberiadis, depressio Iordanis et vallis *Yarmūk* (Hieromices), immo ipsa montana *Ḥaurān*, denique montes Gaaad. Cf. *Guérin*, Galilée, I. 143 ss.

THACASIN (עִתָּה קָצִין cum He locali; ἐπὶ πόλιν Κατασέμ, A ... Κασίμ), urbs

in termino tribus Zabulon, inter Gethhepher et Remmon enumerata (Ios. 19, 13). Est ignota. Sed ex opinione *F. de Hummelauer* (Comm. in Iosue, p. 419. 420) eadem est atque Corozain.

THADAL (תִּדְעָל, Θαλγά, Θαλγάλ [Θαλγάδ], Θαργάλ), rex gentium (גּוֹיִם, ἐθνῶν), cum Chodorlahomor, Amraphel, Arioch foedere iunctus et cladis ab Abraham inflictae particeps (Gen. 14, 1. 9). Quid sibi velit rex gentium, non liquet. Varia coniiciuntur v. g. rex Galilaeae Ios. 12,23; Matth. 4,15 (*Clericus, Rosenmüller*), Pamphyliae (*Symmachus*), insularum gentium Gen. 10,5 (*Gesenius, Nöldecke*). Probabilius vero גּוֹיִם est nomen proprium corruptum regionis cuiusdam, fortasse *Gutī* vel *Kutī*, quae in inscriptionibus cuneiformibus frequenter memoratur et in Babylonia inter septemtrionem et orientem spectante iuxta fines Mediae quaerenda est. Nomen תדעל in tabula cuneiformi (*Spartoli* III. 2. 13) repertum esse putatur : « *Tuudghula* filius *Gaz*..... »; attamen non appellatur rex neque ulla ratio suadet eundem esse regem gentium Gen. 14,1. 9 (cf. *King*; *Ball*).

Cf. *Schrader - Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 123; *Dillmann* ad Gen. 14,1; *L. W. King*, Letters and inscriptions of Hammurabi I. 1898, p. LIII.; *Ball*, Light from the East p. 70.

THADDAEUS (Θαδδαῖος) v. IUDAS 7 in vol. II. col. 871.

THAHATH (תַּחַת, Θάαθ). **1.** Levita de stirpe Caath (1 Par. 6,24. 37[9. 22]; B 6,24 Κάαθ).

2. Filius Suthala filii Ephraim (1 Par. 7,20).

3. Eodem loco 1 Par. 7,20 habetur alter Thahath filius Suthala filii Ephraim. Coniicit *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 182 et cf. tabulam genealogicam de Ephraim, p. 184) aut nomen errore librarii repetitum esse aut Thahath priorem sine filiis e vivis sublatum ope leviri nactum esse filium homonymum, qui filiis avi sui Suthalae accenseatur.

4. Thahath (תַּחַת, Κατάαθ), statio Israelitarum in deserto, inter stationes Maceloth et Thare enumerata (Num. 33, 26. 27).

THALASSA (Λασαία), urbs in litore australi Cretae insulae prope Boniportus (Act. 27,8); eius mentio incidens tantum fit ad determinandum situm illius portus (v. BONIPORTUS), in quo navis Alexandrina, qua S. Paulus captivus Romam vehebatur, per aliquod tempus consistebat. Dubitari nequit quin eadem urbs sit ac Ἄλαι in Stadiasmo Maris Magni 322. 323 : « A Lebena ad Halas stadia 50; ab Halis ad Matalam stadia 80 ». Est autem Lebena hodie *Leda* cum veteris urbis ruderibus in litore Cretae orientali, Matala seu Lithinos promontorium in medio fere litore australi prominens. Cf. *C. Müller*, Geographi Graeci Minores I. p. 506. — In libello de nominibus in Act. olim S. Hieronymo adscripto dicitur Lasaea « civitas littoraria Cretae insulae iuxta locum, qui vocatur Boniportus, pro qua quidam corrupte *Thalassa* legunt » (apud *Migne* 23,1301). Cf. *M. Hagen*, Atlas biblicus (1907), Tab. 8 E 4.

THALASSAR v. THELASSAR.

THALCHA (Θαλχά) Ios. 19,7 LXX est eadem urbs ac Thochen et Ether; v. ETHER in vol. II. col. 229.

THALE (תַּלַח, Θάλεες, A Θάλε), filius (vel forte nepos) Ephraim (1 Par. 7,25); cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 181-184 de genealogia Ephraim.

THALLUS (θαλλός) ramus; 2 Mach. 14,4 Alcimus venit ad Demetrium ei offerens coronam auream et palmam, super haec et thallos qui templi esse videbantur, graece τῶν νομιζομένων θαλλῶν τοῦ ἱεροῦ; insignia regni ei obtulit coronam, insigne dignitatis, palmam victoriae, ramos olivarum pacis sub eius protectionis habendae. Eiusmodi rami olivarum templi offerri solebant ad venerationem et salutationem regi exhibendam.

THAMAR (תָּמָר, Θάμαρ i. e. Palma).

1. Uxor Her primogeniti Iudae. Her erat nequam in conspectu Domini et mox ab eo occisus est. Onan frater Her noluit

fratri suo filium suscitare; quare Iudas promisit viduae se ei postea daturum esse Sela filium. At non stetit promissis. Quare Thamar volens marito defuncto posteros dare habitu meretricis ipsum Iudam ad se pellexit et ex eo concepit. Iudas eam iure suo usam esse agnovit : « Iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo ». Peperit Thamar geminos Phares et Zaram (Gen. 38,1-30; 1 Par. 2,4; Ruth 4,12; Matth. 1,3). Thamar itaque ius mariti vindicat, ne scil. nomen eius deleretur; unde certe putavit se recte agere; quare etiam in s. litteris non reprehenditur, sed simul cum Rachel et Lia eius fit mentio celebris in votis quae ab omni populo nuptiis Booz et Ruth perhibentur (Ruth 4, 12). Neque a S. Patribus reprehenditur (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2, I. p. 34-36).

2. Filia David, soror Absalom, proin ex uxore David Maacha filia Tholmai regis Gessur nata (2 Reg. 3,3; 13,1). Eam adamavit Amnon filius David ex Achinoam (2 Reg. 3,2) et aegrotum se fingens dolo et insidiis eam oppressit. Verum incestu patrato eam odisse incepit et cum opprobrio a se expulit advocato servo, « quae aspergens cinerem capiti suo scissa talari tunica impositisque manibus super caput suum ibat ingrediens et clamans ». Eam consolari conabatur Absalom et ipsa manebat contabescens in domo Absalom fratris sui. Absalom autem oderat Amnon et facta opportunitate temulentum Amnon in convivio per servos occidi iubet (2 Reg. 13, 1-33) biennio post scelus praeterito.

3. Filia Absalom, quae pariter, uti soror Absalom eiusdem nominis, erat elegantis formae 2 Reg. 14,27. LXX addunt eam fuisse uxorem Roboam filii Salomonis eique peperisse Abiam; sed ex iis, quae s. v. ABIA 3 et MAACHA 9 diximus, colligendum est Thamar unicam filiam Absalomis matrimonio iunctam fuisse cum Uriel de Gabaa et ex hoc matrimonio natam esse Maacham uxorem Roboam ac matrem Abiae.

4. Thamar (תָּמָר, Θαιμάν) legitur in ideali descriptione finium terrae sanctae Ez. 47,18. 19 et 48,28. Terminus orientalis egreditur medius inter Auran, Damascum, Galaad ex una parte et terram Israel ex altera parte secundum Iordanem et decurrit usque ad mare Mortuum et usque ad Thamar. Terminus autem australis currit de Thamar ad Cadesbarne et torrentem Aegypti sequens usque ad mare Mediterraneum. Thamar itaque a mari Mortuo austrum versus quaeri debet, sed pro certo determinari nequit. Nota in Ez. 47,18 pro *metiemini* (תמדו) probabilius legi oportere Thamar, uti *Syrus* habet; vestigium vocis etiam cernitur apud LXX in Φοινικῶνος, quia תָּמָר *palma* φοῖνιξ vertitur.

Thamar a multis eadem censetur quae in Onom. s. v. Asasonthamar (*ed. Lag.* 85,3; 210,86) appellatur Thamara, « castellum unius diei itinere a Mampsis (Μάψις) oppido separatum, pergentibus Aeliam (Ἀιλάν) de Hebron, ubi nunc Romanum praesidium positum est » (*ed. Klostermann*, Leipzig, 1904, p. 8. 9 : pergentibus Ailam, Ἀιλάμ) et eadem quoque, quae apud *Ptolemaeum* V. 16,8 [*ed. Müller-Fischer*, 15,3] Θαμαρώ. Iuxta Tab. Peuting. (*ed. K. Miller*, Segm. X. 1) Thamara Hierosolymis 53 mil. pass. distat. Cum aliqua probabilitate agnoscitur in ruinis *Kurnub* (31° lat.). Cf. *C. Ritter*, Erdkunde XVI. p. 8; XVII. p. 1486 s.

THAMNA (תִּמְנַע, Θαμνά). **1.** Concubina Eliphaz filii Esau, filia Seir Horraei et soror Lotan, mater Amalec seu tribus cuiusdam Amalecitarum cum Edomitis permixtae (Gen. 36,12. 22; 1 Par. 1,39). Difficultatem parit, quod 1 Par. 1,36 Thamna quoque immediate ante Amalec inter filios Eliphaz recensetur. Respondet *Keil* (ad h. l. et ad Gen. 36,12), post enumeratos quinque filios Eliphaz, qui iidem Gen. 36,11 enumerati erant, per breviloquentiam Chronistam addidisse : et Thamna et Amalec i. e. et ex Thamna concubina filius Amalec; cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Par. 1,36 : « traduntur haec pro compendio Geneseos, in quibusdam nonnisi e comparata Genesi accurate intelligenda ». — Vide etiam s. v. SEIR 1.

2. Primus inter undecim duces Edomitarum, qui Horraeis exstirpatis totam

regionem Edom occupaverant (Gen. 36, 40; 1 Par. 1,51); eadem tribus designari videtur, quae a Thamna concubina Eliphaz descendens ex Amalecitis et Edomitis commixta erat (THAMNA 1).

THAMNA, THAMNATHA, THEMNA (תִּמְנָה, תִּמְנָתָה; Θαμνά, Θαμναθά). **1.** Urbs in tertia provincia montis Iuda (Ios. 15,57). Eadem probabilius est illa Thamna (Gen. 38,12-14), ad quam Iudas patriarcha de Odollam (*Khirbet ʿId el-Mā* prope Eleutheropolim) ascendebat, ut oves tonderet; cf. Tab. Medabae ed. a *Palmer-Guthe*, Mosaikkarte von Madeba I. 1906 Tafel VII : ΘΑΜΝΑ ΕΝΘΑ ΕΚΕΙΡΕΝ ΙΟΥΔΑΣ ΤΑ ΑΥΤΟΥ ΠΡΟΒΑΤΑ. Communiter agnoscitur in ruinis *Tibne* inter Eleutheropolim et Ierusalem fere mediis (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 53); huic opinioni favet vicinitas vici *Djebaʿa* seu Gabaa, quae urbs Ios. 15,57 una cum Thamna in eadem provincia nominatur. Cf. *M. Hagen*, Atlas biblicus (1907), Tab. 13 C 2.

2. Urbs in termino septemtrionali tribus Iuda (Ios. 15,10), sed tribui Dan assignata (19,43 Vulg. Themna). Ex historia Samsonis apparet hanc urbem diutius in dicione Philisthaeorum permansisse; de castris Dan (Maḥane Dan) Samson in Thamnatha descendit, prope vineas oppidi catulum leonis discerpsit, ibidem de filiabus Philisthaeorum uxorem duxit et Thamnathaeis parabolam de melle ac leone proposuit (Iud. 14,1-5; 15,6). Regnante Achaz Philisthaei, qui brevi ante ab Ozia e finibus regni Iuda pulsi fuerant (cf. 2 Par. 26,6), una cum aliis urbibus Thamnam quoque denuo ceperunt ibique habitarunt (1 Par. 28,18). Nomen conservatur in ruinis *Tibne* prope *ʿAin Shems* (Bethsames) occidentem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 417 ubi etiam Thamna Gen. 38, 12-14 cum Thamna danitica componitur; *Guérin*, Judée II. 30). In inscriptionibus cuneiformibus Thamna vocatur *Taamnaa* et inter *Altaquu* et Accaron recensetur, ut diximus s. v. ELTHECE.

THAMNATA (Θαμναθά) urbs, quam Bacchides, dux Syrorum, per duos fere annos in Iudaea commorans (circa 161-159 a. Chr.) muris, portis, seris contra Iudaeos firmavit (1 Mach. 9,50). Difficultatem creat lectio LXX Θαμναθὰ Φαραθωνί vel Φαραθών in nonnullis codicibus *Alex.*, *Vulg.* Thamnata et Phara, *Flav. Iosephus*, Ant. XIII. 1,3 : Θαμναθὰ καὶ Φαραθώ, *Syrus* quoque copulam inserit. Iamvero difficile dictu est, utrum Pharatho sit mera appositio, ut haec Thamnata ab aliis urbibus eiusdem nominis distinguatur an forte urbs distincta. Ex Iud. 12,13. 15 nobis innotescit Pharathon in Ephraim, hodie *Fer*ʿ*ata* vel forte *Fir*ʿ*aun*; sed haec utpote ad Samariam pertinens ab aliis urbibus in contextu 1 Mach. 9,50 ss. nominatis nimium abest; haec igitur neque ut urbs distincta neque per modum appositionis ad textum interpretandum inservit. Alia solutio peti potest ex coniectura *Pharathoni* corruptum esse ex *Ephrathi* primigenii textus hebraici, ita ut aliqua Thamna seu Thamnatha in australi parte Ephraim, quousque Iudaea eo tempore haud dubie patebat, designetur scil. illa *Tibne*, de qua infra s. v. Thamnathsare. Denique si ab addito Pharathoni abstrahimus, alterutra urbium Thamna, de quibus supra egimus (Ios. 15,57 vel 15,10), textui nostro 1 Mach. 9,50 satisfaciet.

THAMNATHSARE, THAMNATH SARAA (תִּמְנַת־סֶרַח quod *Gesenius* interpretatur : *portio abundans*; Θαμνασαράχ), urbs in monte Ephraim, a septemtrionali parte montis Gaas, Iosue filio Nun in peculium tradita, in cuius finibus ipse Iosue sepultus est (Ios. 19, 50; 24,30 et Iud. 2,9 quo loco scribitur תִּמְנַת־חֶרֶס i. e. *portio solis*, LXX Θαμναθαρές). Insuper vero LXX addunt aliqua, quae in textu hebr. et Vulg. desunt scil. Ios. 21,40 cultros lapideos, quibus Israelitae in Galgalis circumcisi erant, a Iosue in Θαμνασαχάρ allatos esse et Ios. 24,30 eosdem cultros ab Israelitis ibidem in sepulcro Iosue reconditos esse. — Eadem sine dubio est Thamna, caput toparchiae Thamniticae, quae toparchiis Gophnae (*Djifnā*), Diospoleos (Lyddae), Nicopoleos (Emmaus, *ʿAmwās*), contigua erat et quam Vespasianus a Caesarea per Antipatridem progressus in

potestatem redegit, antequam Lyddam et Iamniam aggrederetur (*Flav. Iosephus,* Ant. XIV. 11,2; Bell. iud. II. 20,4; III. 3,5; IV. 8,1). In ea autem regione hodie est *Khirbet Tibne*, 16 km a Bethel inter septemtrionem et occidentem (*Riess,* Bibel-Atlas s. v.). Ad meridiem *Tibne* inter multas cameras sepulcrales ex rupibus excavatas sepulcrum Iosue anno 1863 *Guérin* detexisse sibi visus est et hanc opinionem suam plene corroborari putat cultris siliceis anno 1870 ab *Abbé Richard* hydrogeologo in isto sepulcro inventis, quibus Iosue ad circumcidendos Israelitas in Galgalis usus sit (*Guérin,* Samarie II. 89-104 cum delineatione sepulcri ante pag. 89). — Alii Thamnathsare agnoscere malunt in *Kefr Ḥāris* magis aquilonem versus et fere inter *Tibne* et Sichem (*Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. II. 284. 285), quae opinio satis debile fundamentum habet in lectione dubia Iud. 2,9 : Timnath Kheres et in traditione rabbinica sepulcra Iosue et Caleb esse in *Kefr Ḥārit* (*Ḥāris*); sed ex traditione samaritana Thamna cum sepulcro Iosue agnoscitur in *ʿAwarta* prope Sichem a meridie sita, quae etiam cum Gabaath Phinees perperam confunditur (cf. quae de sepulcro Iosue iam dicta sunt s. v. GABAA 10); aliae quoque traditiones de sepulcro Iosue apud Mahommedanos circumferuntur (cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. II. 1879, p. 13 ss. VI. 1883, p. 195 ss.).

Onomasticon a voce Thamnathsare (*ed. Lag.* 261,33; 157,7) remittit ad vocem Thamna, ubi Iuda oves suas totondit (260,3; 156,6) et hoc loco notat : ostenditur hodieque vicus pergrandis in finibus Diospoleos euntibus Aeliam in tribu Dan sive Iudae; — haec utique de sola Thamna Samsonis (v. THAMNA 2) intellegi possunt. Alibi autem Onom. (246,63; 128,28) montem Gaas, in cuius septemtrionali plaga sepultus est Iosue, collocat in tribu Ephraim et iuxta vicum Thamnam sepulcrum eius insigne usque hodie monstrari contendit. S. Paula quoque in Thamnathsare montis Ephraim sepulcrum Iosue venerata est e regione Gabaath Phinees (Epitaph. S. Paulae *M.* 22,288).

THANAC, THANACH, THENAC (תַּעְנַךְ, Ζαχάκ, Ταvάχ, Θανάκ, Θαναάχ, Ἰθαανάχ, recensio Lucian. 3 Reg. 4,12 Αιταμ), urbs reguli chananaei a Iosue percussi (Ios. 12,21), in finibus Issachar sita, sed Manassaeis attributa (Ios. 17,11; Iud. 1,27; 1 Par. 7,29), ex qua Israelitae Chananaeos exstirpare non valebant (cf. Ios. 17,12. 13; Iud. 1,28), levitis de stirpe Caath concessa (Ios. 21,25; sed loco parallelo 1 Par. 6,70[55] legitur Aner pro Thanach), in planitie Cison prope campum, in quo Sisara dux Asoritarum a Debbora et Barac devictus est (Iud. 5,19). Plerumque una cum Mageddo nominatur; Thanach, Mageddo et universa Bethsan praefecturam salomonicam a Bana administratam constituebant (3 Reg. 4, 12). In inscriptionibus cuneiformibus vocatur *Tanakuun* (*Schrader,* Keilinschr. u. Geschichtsforschung 239), in aegyptiacis *Taʿnkā, Taʿanak, Taʿanaka* (*W. M. Müller,* Asien u. Europa nach altaeg. Denkm. 1893, p. 158. 170. 195). Tempore Eusebii et S. Hieronymi erat vicus pergrandis 3 vel 4 mil. pass. a Legione (Onom. *ed. Lag.* 261,13 et 39; 156,21; 157,11). Hodie *Taʿannūk* in planitie Esdrelon a Legione (*Ledjdjūn*, Mageddo) inter meridiem et orientem.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 46. 68; *Guérin,* Samarie II. 226-228; *Sellin,* Kurzer Bericht über die Ausgrabung von Taʿanak in Mitt. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver. 1902, p. 13 ss.; 17 ss.; 83 ss.; 1903, p. 1 ss.; *id.* Teli Taʿannek, Wien, 1904 et 1905; *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien zu III. IV. Koen. 1904, p. 54 s.; *E. Nagl,* Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 104 s.

THANATHSELO (תִּמְנַת שֵׁלַח, Θηνασὰ καὶ Σέλλης, A Τηνὰθ Σηλώ), urbs in termino septemtrionali tribus Ephraim orientem versus (Ios. 16,6), tempore Eusebii et S. Hieronymi vicus Thena 10 mil. pass. a Neapoli Iordanem versus (Onom. *ed. Lag.* 261,16; 156,24), apud *Ptolem.* V. 16,5 [*ed. Müller-Fischer* 15,4] Θῆνα in Samaria, hodie ruinae *Taʿnā* inter meridiem et orientem a Sichem (*Nābulus*) cum magnis cisternis (*Ritter,* Erdkunde XV. p. 471; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 232; *M. Hagen,* Atlas biblicus, 1907, Tab. 12 E 3).

THANEHUMETH (תַּנְחֻמֹת, Θανέμαθ, Θαναέμαιθ), pater Saraiae (4 Reg. 25,23; Ier. 40,8); v. SARAIA 8.

THAPHSA (תִּפְסַח i. e. *transitus, traiectus;* cf. *Furt* in *Frankfurt, ford* in *Oxford*; A Θάψα, B mutilus), urbs in extremis finibus regni salomonici, quod a Thaphsa usque ad Gazam extendebabatur (3 Reg. 4,24; hebr. 5,4); eadem apud Graecos et Romanos est Thapsacus, urbs opulenta ad occidentalem ripam Euphratis superioris, emporium commercii inter orientem et occidentem, ubi exercitus quoque fluvium traiicere solebant (*Xenophon,* Anab. I. 4, 11; *Arrian.* Exped. Alex. 2,13; 3,7; *Curtius* X. 1,19; Strabo XVI. 1,23; 3,4). Cf. *Riess*, Bibel-Atlas IV et V Cc. Attamen notandum est illud : « a Thaphsa usque ad Gazam » deesse in recensione Lucian. et a recentioribus glossam existimari; cf. *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. IV. Koen. 1904, p. 98; *Er. Nagl,* Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 15

THAPSA (תִּפְסַח idem nomen ac praecedens; Θερσά, A Θαιρά), urbs quam Manahem de Thersa Samariam progressus et regnum Israel sibi arripiens percussit; in eadem praegnantes crudeliter interfecit, quod eius incolae portas ipsi non aperuissent (4 Reg. 15,16 et cf. s. v. THERSA 2). Rationes quibus *Keil* ad h. l. urbem Thapsacum (v. THAPHSA) designari defendit, vix quidquam efficiunt contra obvium contextum, quo urbs quaedam regni Israel postulatur. Neque tamen necessario inter Thersam et Samariam (*Sebastye*) quaerenda est. A recentioribus censetur esse *Khirbet Tafsa* 10 km a Sichem inter meridiem et occidentem (*Riess,* Bibel-Atlas X Dc; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 169; *Legendre,* Carte de la Palestine).

Sed alii alios situs coniiciunt vel etiam suspicantur emendandum esse תַּפּוּחַ, Taphua. Cf. *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. IV. Koen. 1904, p. 272 s.

THARA (Θαρρά, Θαρά, Θαρράς), eunuchus ianitor in primo limine palatii Assueri, qui cum altero eunucho Bagathan (vide s. v.) in caedem regis conspiravit, sed a Mardochaeo denuntiatus et iubente rege in patibulo suspensus est (Esth. 12,1). Idem Esth. 2,21; 6,2 scribitur Thares (תָּרֶשׁ, cod. B et A nomen utrobique omittunt; cod. א 2,21 Θαράς).

THARAA (1 Par. 8,35 תַּאְרַע, Θερέε; 9,41 תַּחְרַע, Θαράχ), unus ex quattuor filiis Micha filii Meribbaal ex posteris Saul (1 Par. 8,35; 9,41).

THARACA (תִּרְהָקָה, Θαρά, Θαράκα, etiam Θαράθα), rex Aethiopiae, adversarius Sennacherib (4 Reg. 19,9; Is. 37,9) in illa expeditione, qua rex Assyriorum expugnatis urbibus Iuda Ierusalem obsedit, Aegyptios debellavit, sed clade per angelum inflicta coactus est, ut viribus fractis in Assyriam rediret. In inscriptionibus suis Sennacherib nomen Tharaca non effert, sed mentionem facit regis terrae *Miluḫḫi* (i. e. Meroe), quem apud *Altaquu* (v. ELTHECE) devicerit (Inscr. cylindri hexagonalis *Taylor,* col. II., lin. 74 ss.). Narrationes S. Scripturae et inscriptionum cuneiformium in eo conveniunt, quod partes praecipuas in exercitu Aegyptiorum tribuunt regi Aethiopiae seu regi terrae *Miluḫḫi.* Erat eo tempore rex Aegypti *Shabataka,* rex secundus dynastiae (aethiopicae) vigesimae quintae, apud Manethonem *Sebichos* appellatus; cum eo foedere iunctus erat Tharaca, tunc temporis rex Aethiopiae. Sed postquam *Shabataka* 12 annos Aegypto imperavit, Tharaca eum aggressus throno ac vita privavit eique successit tertius eiusdem dynastiae rex, apud Manethonem *Tarkos* (*Tarakos*) appellatus, in monumentis aegyptiacis *Taharka,* in inscriptionibus assyriacis (Asurbanipal) *Tar-qu-u,* apud Strabonem (XV. 1,6) *Tearkon.*

Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. II. 10. 11 ad 2[4] Reg. 19,9, cf. I. 282. 285; *Brugsch,* Geschichte Aegyptens, 1877, p. 715 ss.; *Albrecht Alt,* Israel u. Aegypten, Leipzig, 1909, p. 79 s.

THARANA (תִּרְחָנָה, Θαράμ, A Θαρχνά), filius Caleb filii Hesron ex Maacha concubina (1 Par. 2,48).

THARE. 1. Thare (תֶּרַח, Θάρρα, Θάρα),

pater Aran, Abraham et Nachor, dux stirpis electae, qui cum Abram, Lot et Sarai de Ur Chaldaeorum profectus est et in Haran diem supremum obiit (Gen. 11,24-32; 1 Par. 1,26; Luc. 3,34). Cum verbis Iosue 24,2 : « Trans fluvium (Euphraten) habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor, servieruntque diis alienis » conferenda sunt verba Achior in libro Iudith 5, 6 ss. : « Populus iste ex progenie Chaldaeorum est. Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldaeorum. Deserentes igitur caeremonias patrum suorum, quae in multitudine deorum erant, unum Deum caeli coluerunt, qui et praecepit eis, ut exirent inde et habitarent in Charan ». Notat *F. de Hummelauer* ad Ios. 24,2 : « e verbis *servierunt diis alienis* non est perspicere, quorsum patriarchae illi revera idololatriam admiserint; utique defecerunt a cultu numinis amorpho, quem stirps electa videtur a primis esse professa ».

2. Thare (תֶּרַח, propter pausam תָּרַח; Ταρά0), statio Israelitarum in deserto (Num. 33,27), inter Thahath et Methca. Situs determinari nequit.

THARELA (תִּרְאֵלָה, Θαρεηλά), urbs tribus Beniamin (Ios. 18,27); recensetur inter quattuordecim urbes occidentales Beniamin. Situs determinari nequit. *Schwarz* (Das hl. Land, p. 98) proposuerat *Daniyal* prope Lyddam; verum iste locus potius ad Dan quam ad Beniamin pertinet neque ex ratione etymologica (Thariel = Thaniel, *Daniyal*) ullo modo commendatur.

THARES v. THARA.

THARSAEAS, pater Apollonii praefecti Coeles Syriae et Phoenicis (2 Mach. 3,5 : Ἀπολλώνιος Θρασαίου vel Θαρσίου vel Θαρσέου).

THARSIS (תַּרְשִׁישׁ; Θαρσίς, Θαρσείς; Is. 2,16 Θάλασσα; Is. 23,1. 6. 10. 14 Καρχηδών; Ez. 27,12; 38,13 Καρχηδόνιοι; Ez. 27,25 B ἔμποροί σου).

1. Populus, qui cum Elisa, Cethim, Dodanim inter filios Iavan parentis Ioniorum recensetur (Gen. 10,4; 1 Par. 1,7). Reges Tharsis munera offerent in regno messianico (Ps. 71 [72],10). Naves Tharsis sunt naves grandes alto mari aptae, quae hominum potentiam ac superbiam quoque repraesentant (Ps. 47 [48], 8; Is. 2,16). Tharsis est colonia Tyriorum (Is. 23,1. 6. 10. 14 hebr.), regio remotissima, unde naves velis albis et expansis advenientes ad splendorem Sion feruntur (Is. 60,9 hebr.), natio in extremis partibus occidentis primo loco enumerata inter gentes, quibus gloria Dei annuntiabitur (Is. 66,19 hebr.), terra divitiis, argento, ferro, stanno, plumbo abundans et nundinis Tyriorum inserviens (Ier. 10,9; Ez. 27,12. 25 hebr.). Negotiatores Tharsis cum Saba et Dedan accurrunt, ut consilia Gog Dei inimici approbent et ex spoliis, quae Gog capturus sit, ipsi quoque quaestum faciant (Ez. 38,13). Ionas propheta a facie Domini fugiens Ioppen descendit, ut in regionem Tharsis navigaret (Ion. 1,3; 4,2).

Flav. Iosephus nomen Tharsis filii Iavan refert ad Tarsum Ciliciae (Ant. I. 6,1) eoque Ionam prophetam navigasse opinatur (Ant. IX. 10, 2). S. Hieronymus in Ier. 10,9 (*Migne* 24,748) notat : « Tharsis vel regio Indiae est, ut Iosephus tradit, vel certe omne pelagus Tharsis appellatur »; unde etiam in sua versione Vulgata saepius vocem Tharsis vertit *mare* (Is. 23,1. 6. 10. 14; 60,9; 66,19; Ez. 27,25); semel substituit Carthaginienses (Ez. 27,12; LXX Καρχηδόνιοι). Inter Onomastica graeca minora recensentur Θαρσεῖς ἡ Βαιτική (Onom. *ed. Lag.* 183, 17. 18). Unde *Bochartus* (Phaleg 3,7) merito censet « Tharsis vel esse Hispaniam vel Hispaniae partem, quam Tyrii maxime frequentabant, Gades nimirum et Tartessum ». Cum *Bocharto* recentiores plerique Tharsis dicunt Tartessum in Hispania austro-occidentali (Turdetania), quam Baetis (*Guadalquivir*) permeat.

2. A regione et populo Tharsis ex posteris Iavan distinguenda esse videtur regio Tharsis in litore Africae orientali, quae una cum Ophir (in Arabia australi) nominatur velut terminus navigationum, quae de sinu Aelanitico in mare Arabicum et oceanum Indicum fiebant. Dicuntur enim naves Salomonis 2 Par.

8,21 in Tharsis euntes (הַלֹּכוֹת), locis parallelis 3 Reg. 9,28; 10,11. 22 in Ophir; adverte 3 Reg. 10,22 hebr. solum dici *naves Tharsis*, non autem, uti Vulgata vertit : in Tharsis euntes. Item narrantur 2 Par. 20,36 Iosaphat rex Iuda et Ochozias rex Israel construxisse naves in Tharsis ituras (לָלֶכֶת), sed 3 Reg. 22,49 naves Tharsis (hebr.) in Ophir navigaturas.

3. Unus de filiis Balan ex tribu Beniamin (1 Par. 7,10; B Ῥαμεσσαί, A Θαρσείς).

4. Unus ex septem principibus in aula Assueri regis (Esth. 1,14; LXX omitt.).

5. Tharsis (Ῥασσίς, א Ῥαασσείς) urbs, quam Holofernes in prima sua expeditione praedatus est (Iudith 2,13 gr. 23), ex contextu intellegitur esse Tarsus in Cilicia (v. TARSUS). Cf. *De Moor*, Le livre de Iudith, 1895, p. 41.

THARTHAC (תַּרְתָּק, Θαρθάκ), idolum, quod Hevaei, incolae urbis Avah (v. s. v.) secum transtulerunt in regionem Samariae (4 Reg. 17,31; cf. s. v. ASARHADDON et NEBAHAZ). Rabbini Tharthac idolum formam habuisse asini dicunt (cf. *Selden*, De dis syris, Amsterdam, 1680, p. 253 et additamenta *Andreae Beyer* ib., p. 151. 322). Deum akkadicum Turtak, Tigridi praepositum, interpretantur *Fr. Lenormant* (La magie chez les Chaldéens, Paris, 1874, p. 10. 110) et *P. Scholz* (Goetzendienst u. Zauberwesen bei d. alten Hebräern, 1877, p. 400). Vocem Tharthac ex Thargat = Atargatis (v. s. v.) explicat *E. Nagl* (Ztschr. f. kath. Theol. XXVIII, 1904, p. 421). Lexica (*Hastings*, Dict. of the Bible; *Cheyne and Black*, Encycl. bibl.; Jewish Encycl.; Real-Encycl. f. prot. Theol.) in diversas abeunt coniecturas.

THARTHAN (תַּרְתָּן, Θανθάν, Θαρθάν 4 Reg. 18,17; Ταναθάν, Ναθάν, Θαρθά Is. 20,1), legatus a Sennacherib in Ierusalem ad Ezechiam regem missus, sicuti etiam Rabsaces et Rabsaris (4 Reg. 18, 17). Nomen assyriacum *tur-ta-nu* est officii, significans ducem supremum militarem. Eodem igitur sensu Is. 20,1 interpretandum est nomen Tharthan i. e. dux quidam militaris, qui a Sargon, patre Sennacherib, contra Azotum missus eam obsedit et expugnavit. Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. ad locos citatos, II. p. 2 ss. 82 ss.

THASI (1 Mach. 2,3) cognomen Simon Mach. (v. SIMON3).

THATHANAI (תַּתְּנַי, Θαναναί, Θαθθαναί, Θανθανᾶς, Θαθθαναίς, Τανθαναί; cf. *ed. Swete*), dux regionis trans flumen (Esdr. 5,3. 6; 6, 6. 13) i. e. satrapa regionum ad occidentem Euphratis, imprimis Syriae et Phoeniciae, tempore Darii Hystaspis et Zorobabelis.

THAU (תָּו, σημεῖον) in visione prophetica (Ez. 9,4. 6) frontibus piorum imprimere iubetur sacerdos ille lineis indutus, qui velut veniae minister pios e medio iniquorum separat, priusquam iudicium Dei in templum et urbem Ierusalem exsecutioni mandetur. Generatim quidem vox תָּו *signum* dicit eamque notionem etiam versiones (LXX, Syrus) exprimunt, dum Aquila et Theodotio θαῦ retinent; similem vocis notionem habes Iob 31,35 (hebr.). Insuper vero interpretes fere omnes ea littera ת peculiare aliquid notari advertunt et plerique mysterium crucis tamquam signi salutis innui censent. Exhibet enim antiqua litterae forma crucem vel etiam crucem decussatam apud Phoenices, priscos Hebraeos, Aethiopes, Graecos, Romanos et aliquo modo etiam apud Aramaeos et Samaritanos. Quare merito inferunt interpretes, cum crux sit signum salvatoris nostri, Deum hoc signum consulto elegisse, quo *salvandi* signentur, sicuti Ex. 12,13 sanguine agni paschalis sanguinem Christi redemptoris praefigurari voluit. Cf. *Knabenbauer* ad Ez. 9,4.

THEATRUM. In theatris conventus haberi solebant; ita refert Tacitus in Antiochiensium theatro illis consultare morem esse (Hist. 2,80). De theatro ephesio, cuius mentio fit Act. 19,29. 31, habetur testimonium inscriptionis huiusmodi φερέτωσαν κατὰ πᾶσαν ἐκκλησίαν εἰς τὸ θέατρον (cf. *Fr. Blass*, Acta Apost., 1895, p. 210); illud sua quoque magnitudine celebre erat, qua millia hominum 25 capere dicebatur. Cf. *Woods*, Discoveries

at Ephesus p. 63 ss.; *Hicks*, Greek Inscriptions in the British Museum. — Iuxta Flav. Iosephum (Ant. XIX. 8,2) ea, quae Act. 12,20 de Herode Agrippa I. narrantur, facta sunt in theatro Caesareae. — Eadem vox graeca legitur 1 Cor. 4,9 : spectaculum (θέατρον) facti sumus mundo et angelis et hominibus, quem locum *R. Cornely* interpretatur : « Amphitheatrum, in quo velut bestiarii spectaculo expositi erant Apostoli, integer erat mundus ».

THEBATH urbs v. BETE.

THEBES (תֵּבֵץ, Θήβης, Θαμασί), urbs in cuius expugnatione Abimelech filius Gedeonis (v. ABIMELECH 2) mortem oppetiit (Iud. 9,50; 2 Reg. 11,21). Tempore Eusebii vicus eiusdem nominis erat 13 mil. pass. a Neapoli (Sichem) Scythopolim (Bethsan) versus (Onom. *ed Lag.* 262,44; 157,15). His omnino satisfacit vicus *Ṭūbās* iuxta viam frequentem, quae a *Nābulus* (Sichem) in *Beisān* ducit et vestigia constructionis romanae adhuc prae se fert (*Guérin*, Samarie I. 357-359; *Survey of West. Pal.*, Mem. II. 229. 247). Erat igitur Thebes in sorte Manasse cisiordanica.

THEBNI (תִּבְנִי, Θαμνί), filius Gineth (3 Reg. 16,21. 22); defuncto Zambri dimidia pars populi sequebatur Thebni, ut eum regem constituerent contra Amri; sed praevaluit factio Amri et mortuus est Thebni. Textus sacer igitur innuit Thebni in aliqua pugna cum sectatoribus Amri commissa occubuisse.

THECEL v. MANE.

THECUA, THECUE, nomen duorum virorum et urbis cum deserto.

1. Thecua (תְּקוֹעַ, Θεκουαύ), pater Sellum mariti Holdae prophetissae (4 Reg. 22,14). Loco parallelo 2 Par. 34,22 idem scribitur Thecuath (תּוֹקְהַת, *Qeri* תִּקְוַת, Καθουάλ).

2. Thecue, pater Iaasia cuiusdam tempore Esdrae (Esdr. 10,15 : תִּקְוָה, Β Ἐλκειά, Α Θεκουέ).

3. Thecua, Thecue (תְּקוֹעַ et 2 Sam. 14,2 תְּקוֹעָה; LXX Θεκώ, Θεκωέ, Θεκουέ), urbs montis Iuda; recensetur in quinta provincia montis, quae apud LXX Ios. 15,59 inseritur, sed in textu massor. et in Vulg. deest et urbes prope Bethlehem et Ierusalem complectitur. Pater seu possessor Thecuae erat Assur (Ashur) filius postumus Hesron filii Phares (1 Par. 2,24; 4,5). Haec erat patria illius mulieris sapientis, cuius sollertia Ioab usus est ad Absalom exsilio liberandum (2 Reg. 14,2. 4. 9), et herois davidici Ira (Hira) filii Acces (2 Reg. 23, 26; 1 Par. 11,28; 27,9). Roboam filius Salomonis eam munitionibus firmavit (2 Par. 11,6). Iosaphat rex contra Ammonitas, Moabitas, Edomitas progressus est usque ad speculam in extremo deserto Thecuae sitam, ex qua conspectus in desertum Ieruel patebat (2 Par. 20, 20. 24 et v. IERUEL). Post captivitatem denuo incolebatur et Thecueni Nehemiam in exstruendis muris Ierusalem adiuverunt (Neh. 3,5. 27). Ieremias obsidionem Ierusalem annuntians monet, ut in Thecua clangore buccinae signum detur ad fugam a Ierusalem meridiem versus capessendam (Ier. 6,1). Amos, qui erat pastor de Thecue (Am. 1,1), patriae suae regionem paucis describit dicens de seipso : armentarius ego sum, vellicans sycomoros (7,14). Aetate machabaica Ionathas et Simon cum suis in deserto Thecuae iuxta cisternam Asphar (vide s. v.) per aliquod tempus latebant, ut insidias Bacchidis Syrorum ducis effugerent (1 Mach. 9,33).

Eusebius Thecuam collocat 12 mil. pass. a Ierusalem orientem versus, S. Hieronymus autem 9 mil. pass. a Ierusalem meridiem versus (Onom. *ed. Lag.* 254,63; 119,9); sed uterque locus corrigendus est, cum aliunde constet eam 12 mil. pass. a Ierusalem meridiem versus abfuisse. Etenim ipse S. Hieronymus in Ier. 6,1 Thecuam dicit viculum in monte situm et 12 mil. pass. a Ierusalem separatum et in Prologo ad Amos oppidum, quod sex millibus ad meridianam plagam abest a sancta Bethlehem, quae mundi genuit Salvatorem. In eodem Prologo descriptionem deserti Thecuae addit : « et ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem casae (vel : nisi agrestes quaedam casae) et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia... et quia

humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terrae compensent pecorum multitudine »; et ad Am. 1,2 notat « prophetam qui pastor de pastoribus fuit et pastor non in locis cultis et arboribus ac vineis consitis aut certe inter silvas et prata virentia, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas et interfectio pecorum, artis suae usum esse sermonibus, ut vocem Domini terribilem atque metuendam rugitum leonum ac fremitum nominaret, eversionem israeliticarum urbium pastorum solitudini et ariditati montium comparans ». Nomen antiquum conservant ruinae in colle positae, quae duabus fere horis a Bethlehem meridiem versus distant, *Khirbet Teqū'a* (850 m). Ex summitate collis aspectus orientem versus fertur in desertum Thecuae et per fauces montium in ipsum mare Mortuum. — Traditio fert Thecuae sepultum esse Amos prophetam, cuius sepulcrum ibidem aetate Eusebii et S. Hieronymi ostendebatur (Onom. l. c.); alia quaedam traditio iudaica illud affirmabat esse Isaiae sepulcrum.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 406 s.; *Guérin*, Judée III. p. 141-148; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 314. 368 s.; *Neubauer*, Géogr. du Talmud, p. 128 ss.

THEGLATHPHALASAR (4 Reg. 15,29; 16,7. 10 תִּגְלַת־פִּלְאֶסֶר, תִּגְלַתְ־פִּלְנְסֶר; B Ἀλγαθφελλάσαρ, Θαλγαθφελλάσαρ, Θαλγαλφελλάσαρ, A Ἀγλαθφαλλάσαρ, rec. Lucian. Θεγλαφαλάσαρ) seu Thelgathphalnasar (1 Par. 5,6. 26; 2 Par. 28,20 תִּלְגַת פִּלְנֶסֶר, תִּלְגַת פִּלְנֶאסֶר: B Θαλγαδανάσαρ, Θαγναφαμάσαρ, Θαλγαφελλάδαρ, A Θαγλαθφαλνάσαρ, rec. Lucian. Θεγλαθφαλάσαρ), assyr. *Tukulti-apil-esarra* III., rex Assyriae 745-727 a. Chr. et Babyloniae 728-727 a. Chr. Eius mentio fit 4 Reg. 15,29; in diebus Phacee regis Israel Theglathphalasar cepit urbes varias in Galaad, Galilaea et partem populi transtulit in Assyriam; id quod etiam commemoratur 1 Par. 5,6. 29 (transtulit Ruben et Gad et dimidiam tribum Manasse). Opem eius imploravit Achaz rex Iuda contra Rasin, regem Syriae et Phacee regem Israel : « servus tuus et filius tuus ego sum; ascende et salvum me fac de manu regis Syriae et de manu regis Israel » etc.; simul ex templo et ex regio thesauro ei misit aurum et argentum. Rex utique expeditionem suscepit in Damascum et vastavit eam, interfecit Rasin, transtulit partem populi in Qir (4 Reg. 16,7 ss. et v. CYRENE in vol. I. col. 1033 s.); verum ipse rex Assyriae afflixit Achaz regem quoque et nullo resistente vastavit (2 Par. 28,20). Et haec quidem ex s. litteris colliguntur.

Hisce congruunt illa quae ex monumentis cuneiformibus habentur. Anno primo regni sui aquilonarem partem Babyloniae occupavit assumpto titulo regis Sumir et Accad; anno sequenti expeditionem suscepit in Mediam; annis 743-740 in regionem occidentalem oppugnata et expugnata urbe Arpad; anno 738 tributa principum, Rasin, Menahem, Hiram aliorumque accepit; per duos annos sequentes in Armenia et regione orientali versabatur: 734-732 pugnavit contra Samariam, regem Pakaha a se occisum esse affirmat; dein aggressus est regem Syriae (Rasin) et anno 732 Damascum subegit; in inscriptione ex anno regni eius 17/18. inter reges tributarios etiam enumeratur Iahuhazi Iahudai (Achaz Iudaeus). Anno 731 Babyloniam ingressus complures principes Chaldaeos subiecit, a principe terrae maritimae *Mardukapaliddin* (Merodach Baladan) tributum accepit et anno denique 728 rex Babyloniae coronatus est. Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 216 ss. II. 195; *Zimmern-Winckler*, Keiliuschr. u. A. Test. Berlin, 1903, p. 49 ss. 264 ss.

THEHEN v. THAAN.

THELASSAR (תַּלַּאשַׂר, Θαεσθέν) 4 Reg. 19,12 seu Thalassar (תַּלַּשַׂר, Θεσμάθ) Is. 37,12 est regio, quam filii Eden incoluerant et Assyrii iam ante Sennacherib in dicionem suam redegerant. Regio illa in Mesopotamiae parte quam maxime occidentali quaeritur, ut s. v. EDEN 2 ostensum est. Voci hebraicae correspondet assyriacum *Til Assuri* i. e. collis Assur, quo nomine in inscriptioni-

bus cuneiformibus commemorantur urbs quaedam babylonica cuius mentionem facit Theglathphalasar III. (Ann. 176 *ed. Rost*) et altera, quam Asarhaddon a se captam esse dicit prope regionem *Mitanni* (*Schrader,* Keilinschr. Bibl. II. 129). Sed coniiciunt recentiores loco תל־אשר 4 Reg. 19,12; Is. 37,12 legendum esse תל־בשר (*Zimmern-Winckler*, Keilinschr. u. d. A. Test. Berlin, 1903, p. 39 s. 351).

THELHARSA (תֵּל חַרְשָׁא, Θελαρησά), urbs chaldaica, de qua aliqui Israelitae duce Zorobabel in Iudaeam redierunt, qui originem suam israeliticam ex genealogiis demonstrare non poterant (Esdr. 2,59; Neh. 7,61). Etymon explicatur *collis silvae.*

THELMALA seu **THELMELA** (תֵּל מֶלַח, Θελμελέχ, Θελμελέθ), urbs chaldaica in eodem contextu cum Thelharsa (Esdr. 2,59; Neh. 7,61). Etymon explicatur *collis salis.*

THEMA. 1. Thema (תֵּימָא, Θαιμάν) recensetur nonus inter 12 filios Ismael (Gen. 25,15; 1 Par. 1,30); nomen igitur designat tribum ismaeliticam et regionem in Arabia septemtrionali. Viatores et mercatores Thema per desertum itinera facientes celebres erant (Iob 6,19). Vicini erant Dedanitis (ceturaeis); enumerantur inter Dedan et Buz Ier. 25,23; Dedanitis e territorio suo pulsis et meridiem versus fugientibus incolae Thema panes et aquam offerunt (Is. 21,14; Vulg. terra austri, hebr. LXX terra Thema). In inscriptionibus cuneiformibus appellantur *Timai* et una cum *Masai* (cf. s. v. MASSA) recensentur (*Schrader-Whitehouse,* Cun. Inscr. and Old Test. ad Gen. 25,15). Respondet apud geographos arabicos (cf. *Gesenius,* Thesaurus, p. 600) *Taima*, ubi est castellum in confiniis Nagdi et deserti Syriaci, hodie *Teimā* aquilonem versus a Medina, meridiem versus a *Dumat el-Djandal* (v. DUMA). Excultiorem hominum vitam ibidem olim floruisse ostendunt inscriptiones a *Huber* et *Euting* detectae (Sitzungsberichte der Berliner Akademie, 1884, p. 813 ss.). Cf. Journ. of the Roy. Geogr. Soc. XXI. 330 s.; Revue des Études Juives XII. 111 ss. A populo ismaelitico Thema, ut ex dictis colligitur, omnino distinguendi sunt Θαιμοί aquilonem versus a Gerrhaeis ad sinum Persicum incolentes (*Ptolem.* VI. 7,17).

2. Thema (תֶּמַח, Θεμά, Θημά), princeps Nathinaeorum, cuius filii cum Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,53; Neh. 7,55).

THEMAN (תֵּימָן. Θαιμάν) recensetur primus inter filios Eliphaz primogeniti Esau (Gen. 36,11. 15; 1 Par. 1,36), Inter duces filiorum Esau Theman locum primum obtinet in elencho priore (Gen. 36,15), sed octavum in elencho altero (Gen. 36,42; 1 Par. 1,53); eius igitur stirps praecipuis et antiquissimis Edomitarum gentibus accensenda est. Terrae Themanorum mentio fit Gen. 36,34 (cf. 1 Par. 1,45). Ob suam eminentiam inter tribus edomiticas Theman saepius pro Edom ponitur vel si mavis, saltem speciali mentione prae aliis Edomitis effertur (Ier. 49, 20; Am. 1,12; Abd. 9: fortes tui Theman hebr.; Hab. 3,3 : Deus a Theman veniet hebr.). Celebratur imprimis sapientia Theman (Ier. 49, 7; Bar. 3,22. 23), uti alias Edomitarum generatim (cf. Abd. 8), quae quasi in proverbium abiit; eius sapientiae specimen cernitur Eliphaz Themanites amicus Iob (Iob 2,1; 4,1; 15,1; 22,1; 42,7. 9). — De situ geographico Theman aliquod indicium latet in vaticinio Ez. 25, 13 contra Edom, cuius vastatio a Theman initium sumens usque ad Dedan extendetur; unde recentiores inferunt Theman in Idumaea septemtrionali quaerendam esse (Dillmann ad Gen. 36, 11; *Kautzsch* apud *Riehm-Baethgen* s. v. Teman). Verum obstat, quod S. Hieronymus ad Am. 1,12 notat : « Theman quae Idumaeorum regio est et vergit ad australem partem, quod interpretatur Theman; quae provincia non solum Theman, sed et Daron et Nageb dicitur, eo quod Eurum et Austrum Africumque respiciat ». Praeterea Onomasticon regionem Theman in terra gebalitica (cf. s. v. GEBAL) collocat et urbem Theman commemorat a Petra 15 mil. pass. (Eusebius) vel 5 mil. pass. (S. Hieronymus) distantem ubi praesidium Romanorum

erat simulque monet omnem australem regionem hebraice Theman dici (*ed. Lagarde* 260,96; 155,32). Accedit denique quod Dedan metropolis populi Dedan ceturaei a Petra et etiam a Phunon aquilonem versus ponitur (v. DADAN 2). Quare putamus ex Ez. 25,13 : *a Theman... usque ad Dedan* audacius concludi Theman in Idumaea septemtrionali quaerendam esse.

THEMNA (תִּמְנָתָה, Θαμναθά) Ios. 19, 43 eadem urbs quae THAMNA, THAMNATHA 2.

THENAC v. THANAC.

THEODAS (Θευδᾶς nomen decurtatum ex nomine cum θεός composito : Θεοδόσιος, Θεόδοτος, Θεόδωρος vel simili aliquo) memoratur in contione Gamalielis coram synedrio : « Ante hos dies exstitit Theodas dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum; qui occisus est et omnes, qui credebant ei, dissipati sunt et redacti ad nihilum » (Act. 5,36). Verum difficultas movetur contra narrationem S. Lucae, quia Flav. Iosephus (Ant. XX. 5,1) de Theuda pseudopropheta partim similia partim omnino diversa narrat : Fado Iudaeam procurante praestigiatorem quendam nomine Theudam ingenti hominum multitudini persuasisse, ut se sequerentur ad Iordanem et diremptis imperio suo aquis flumen transirent; sed equitum turma a Fado missa alios esse occisos, captos alios, ipsum Theudam esse capite obtruncatum. — Iam ex ipsa narratione elucet de Theuda diversa narrari a Gamaliele et a Iosepho. Insuper vero evidens est non de eodem Theuda loqui Gamalielem et Iosephum; erat enim Cuspius Fadus procurator Claudio imperatore ab anno 44 p. Chr., Gamaliel autem loquitur de Theuda quodam, qui ante Iudam Galilaeum (a. 6 vel 7 p. Chr.) surrexerit. Plerique acatholici quidem auctorem Actuum Apostolorum erroris chronologici arguunt, quibus etiam *Schürer* favet; sed ex consideratione mere historica satis elucet, quam inepte hoc faciant. Etenim teste Iosepho praeter rebelles, quos nominat, multi eo tempore exsistebant rebelles, quos non nominat, agitabantur ἕτερα μύρια θορύβων (Ant. XVII. 10,4), Iudaea plena erat latrociniis et ut quisque seditiosorum coetus coiverat, reges creabantur, qui omnia agèbant in perniciem rei publicae (10,8). Neque nomen Theudas est adeo rarum, ut improbabile sit duos rebelles eiusdem nominis fuisse intervallo quadraginta fere annorum disiunctos; reperitur nomen Θευδᾶς tum apud auctores profanos (Corp. Inscr. Graec. n. 2684. 3563. 3920. 5698; *Wetstein*, Nov. Test. ad Act. 5,36; *Pape-Benseler*, Wörterbuch der griech. Eigennamen s. v.), tum apud Rabbinos (*Buxtorf*, Lex. chald. 2565 s.; *Lightfoot* Horae hebr. ad Act. 5,36; *Schoettgen*, Horae hebr. I. 423). Neque praetermittendum est, quod *Blass* (Acta Apostolorum, editio philologica, Göttingen, 1895, p. 89) suspicatur in textum Iosephi ex Act. 5,36 nomen perperam illatum esse, praesertim cum Eusebius (Hist. eccl. 2,11) nihil dubitet locum hunc Actorum ex Iosepho illustrare. Accedit denique, quod idem *Blass* advertit de Luca : « Temporum bene memorem se scriptor monstrat : quo minus est probabile eum de Theuda tam graviter errasse, quam plerique putant ».

Cf. *Knabenbauer* ad Act. 5,36; *Felten*, Die Apostelgeschichte, 1892, p. 134-135; *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 4, I. p. 566-7.

THEODOTIUS (Θεόδοτος), unus ex tribus illis viris, quos Nicanor cognita fortitudine Iudaeorum misit, ut darent dextras atque acciperent (2 Mach. 14, 19).

THEOPHILUS (Θεόφιλος) vir nobilis, amicus vel discipulus isque eruditus, cui S. Lucas et Evangelium suum et Actus Apostolorum inscripsit (Luc 1,3; Act. 1,1). Ita quidem interpretes moderni vix non omnes iudicandum censent. Antiquitus enim non defuerunt, qui Lucam nomine Theophili fortasse non certum quendam virum sed omnem hominem vel catechumenum qui « a Deo diligitur » vel « Deum diligit » appellasse opinarentur. Et ratio non spernenda talis coniecturae fuit, quod completa de homine

iam, ut videtur, conspicuo, quippe cui duo N. T. libri inspirati publice dedicati essent, inscientia vix ullo modo explicari posse videbatur. Neque idea nominis ficticii libris inscribendi tantopere a veterum ingenio abhorruit iisve tam ignota fuit, ut non ipsi iam Origenes, Ambrosius, Epiphanius — certe consuetudine scriptorum nostrorum neque cognita neque praesagita — Lucam ita agere potuisse aut egisse existimarent. At si quidem revera Theophilus homo certus quidam fuit, ex Luc. 1,1-3 aliud certum de eo non comperimus nisi eum esse non diu antequam Lucas evangelium scribere institueret orali instructione fide christiana imbutum et etiamtum certioris accuratiorisque institutionis vel indiguisse vel fuisse cupidum. Cetera plane incerta. Etenim nomen Theophili tam Graecis quam Iudaeis sat familiare fuit (v. *Pape*, Wörterbuch der griech. Eigennamen; Flavii Ios. opera, *ed. Niese*, vol. VI. Index). Titulus κράτιστος in specie viris in dignitate positis sed etiam aequalibus amicis vel familiaribus appellandis conveniebat (*Wetstein* ad Luc. 1,3). Ne ex ipsa quidem ratione scribendi utriusque libri aliquid deduci certi potest. Etenim quod quaedam Iudaeorum propria tamquam ignota explicantur — in confesso apud omnes est, a Luca suos libros dicatos esse uni, scriptos multis ac maxime gentilibus, quorum maxime in scribendo ratio habenda erat; ipsum Theophilum gentilem fuisse inde non constat. Quod quaedam Italiae loca ut nota non accuratius describuntur, eo non efficitur, Theophilum fuisse italum, nam ne aliarum quidem quarundam civitatum graecarum vel asianarum situs definitur. Ac similiter in ceteris. Cf. *R. Cornely*, Introductio III. *ed.* 2, p. 134 ss.; *Knabenbauer, Schanz,* al. in commentariis.

F. ZORELL.

THERAPHIM (תְּרָפִים). Rachel furata est Th. patris sui (Gen. 31,19) et Laban ait ad Iacob : cur furatus es deos meos? Rachel autem, cum Laban tabernacula ad deos suos inveniendos perquireret, abscondit Theraphim sub sella cameli (LXX εἰς τὰ σάγματα τῆς καμήλου, Vulg. super stramenta cameli; Gen. 31,34). Unde elucet illos penates haud magnae figurae fuisse. Humanam figuram vel saltem caput (et pectus?) Theraphim exhibuisse, colliges ex eo quod Michol, cum David a Saule ad necem quaesitus aufugisset, tulit Theraphim et posuit super lectum et pellem pilosam caprarum posuit ad caput et operuit veste et dixit apparitoribus Davidem aegrotare (1 Sam. 19,13 ss.). Etiam ad oracula capienda interrogabantur Theraphim (Ez. 21,26 hebr.) et « Theraphim loquebantur inutile » (Zach. 10,2). Ceterum vox hebraea varie explicatur versionibus; retinetur vox hebr. LXX 17,5; 18,14. 17. 20 et 4 Reg. 23,24; in Vulg. Iud. 17,5; 18,14. 17; Os. 3,4; alias εἴδωλα (Gen. 31,19. 34), κενοτάφια 1 Sam. 19,13. 16; γλυπτά Ez. 21, 26; οἱ ἀποθεγγόμενοι Zach. 10,2, δῆλοι Os. 3,4; Vulg. idola (Gen. 31,19. 34; Iud. 18,20; Ez. 21,26), statua 1 Sam. 19,13; simulacrum 1 Sam. 19,16; Zach. 10,2; figurae idolorum 4 Reg. 23,24; idololatria 1 Sam. 15,23. — De explicatione vocis nihil certi constat. Varia quidem tentata sunt, aliis ad seraphim recurrentibus, aliis ad arabicum *tarifa* (fortunatum esse), immo ad θέραπες. Fabulosa multa excogitarunt Iudaei, quae leguntur apud *Calmet* (Dictionarium biblicum s. v.).

THERISTRUM. Voce hac (ex graeco θέριστρον, vestis aestiva, velamen tenue, subtile) vertitur in Vulg. semel hebr. צָעִיף velamen Gen. 38,14; eandem vocem legimus translatam pallium (Gen. 24,65) et habitum Gen. 38,19. Legitur theristrum quoque Is. 3,23 pro hebr. רְדִיד (quae vox Cant. 5,7 vertitur pallium) et explicatur amiculum summum tenue.

THERSA (תִּרְצָה, Θερσά). **1.** Una ex quinque filiis Salphaad de tribu Manasse (Num. 26,33; 27,1; 36,11; Ios. 17,3).

2. Urbs reguli chananaei, quem Iosue percussit (Ios. 12,24), sedes regum Israel a Ieroboam I. usque ad Amri (3 Reg. 14, 17; 15,21. 33; 16,6 s.). Posteriore tempore Manahem de Thersa progressus est Samariam, ut Sellum interficeret et regnum Israel sibi arriperet (4 Reg. 15,

14); de Thersa quoque contra Thapsam profectus esse legitur in eodem contextu (15,16), unde dicendum erit aut eum cum toto exercitu a Thersa Samariam, deinde Thapsam profectum esse aut maiorem partem exercitus Thersae constitisse, dum ipse cum minore aliqua parte Samariam pergeret. In Cantico (6, 4) Sponsus sponsam alloquitur : Pulchra es, amica mea, sicut Thirza (hebr.), decora sicut Ierusalem; comparat igitur cum sponsa pulcherrimas urbes, quae etiam capita regni munitissima fuerant (cf. *Gietmann,* Comment. in Eccle. et Cant. p. 342 et 514). — De situ urbis adnotat *Burchardus de Monte Sion* (Descriptio Terrae sanctae, p. 54, *ed. Laurent*), qui Palaestinam anno 1283 visitavit : « De Samaria quattuor leucis contra orientem sita est Thersa civitas in monte alto ». His satisfacit, etsi non exacte quoad distantiam, magnus vicus *Tallūza* tribus horis a *Sebaṣṭye* (Samaria) orientem versus et 7 km a *Nābulus* (Sichem); ita *Guérin,* Samarie I. 365 ss., *Robinson* et *Van de Velde,* quorum opinio refertur in *Survey of West. Pal.* Mem. II. 216. Alii assignant vicum *Tayāṣīr* 22 km a Sichem Bethsan versus; ita *Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. II. 228; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. V.; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui, 1899, II. 576; sed vide s. v. ASER 4. Aliis praeplacet *Khirbet Yarze* prope *Tayāṣīr*; ita *Riess,* Bibel-Atlas.

THESBITES (הַתִּשְׁבִי, ὁ Θεσβίτης) cognominatur Elias propheta (3 Reg. 17, 1; 21,17. 28; 4 Reg. 1,3. 8; 9,36). Additur 3 Reg. 17,1 : de habitatoribus (מִתִּשְׁבֵי, LXX ἐκ Θεσβῶν) Galaad. Sed vox hebraica aliis punctis instructa מֻתָּשְׁבִי significat : de Thishbi, atque haec punctatio eo magis suadetur, quod alias in significatione advenae, coloni, habitatoris vox תּוֹשָׁב cum waw scribitur (cf. Lev. 22,10; 25,47; Ps. 39 [Vulg. 38],13). Eandem punctationem commendant LXX, Targum Ionathan : דְּמִתּוֹשָׁב i. e. ex Thoshab, Flav. Iosephus (Ant. VIII. 13,2) : ἐκ πόλεως Θεσβώνης (*ed. Dindorf*) seu Θεσσεβώνης (*ed. Niese*), denique etiam pauca quaedam testimonia traditionis tum orientalis tum occidentalis, quae *I. P. van Kasteren* profert in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. (1890), p. 207 s. — Respondet *Khirbet el-Istib* in regione montana *ʿAdjlūn*, prope ripam dexteram *Wādi ʿAdjlūn* et a fluvio Iaboc 16 km aquilonem versus; nomen Eliae prophetae ipsi loco adhaeret, adiacet enim ruina *Mār Elyās,* immo hodie quoque pro universis ruinis *Istib* nomen *Mār Elyās* usurpatur (cf. *van Kasteren* l. c. ubi etiam etymologica discussio nominis invenitur).

Ab hac urbe patria Eliae in Galaad distinguenda est Thisbe patria Tobiae in Galilaea; v. THISBE.

THESSALONICA (Θεσσαλονίκη), urbs Macedoniae, hodie *Saloniki.* Antiquum Thermarum oppidum Cassander Antipatris filius amplificasse novaeque urbi nomen Thessalonicae imposuisse dicitur in honorem uxoris suae Thessalonicae, Philippi Magni filiae (*Strabo* VII. Fragm. 21, *ed. Müller-Dübner*, p. 277); praeter hanc opinionem alia quoque iam apud veteres ferebatur Philippum ipsum antiquis Thermis nomen Thessalonicae indidisse ob victoriam de Thessalis reportatam (*Stephan. Byz.* s. v.). Inde ab Alexandri M. tempore urbs multum crevit; etenim ad sinum Thermaicum sita optimoque portu instructa erat et per viam Egnatianam cum Dyrrhachio iungebatur (*Strabo* l. c. Fragm. 10. 20, p. 275. 277). Ab eo autem tempore quo Macedonia a Romanis subacta in provinciae formam redacta est, Thessalonica erat urbs praecipua Macedoniae secundae, sedes praetoris romani et quaestoris (*Liv.* 45,29; *Cicero,* Planc. 41). In hac igitur urbe florentissima S. Paulus Apostolus Philippis profectus secundam in Europa ecclesiam paucis hebdomadibus fundavit (Act. 17,1 ss.). Inter incolas, quorum maior pars erant Graeci et Romani, etiam permulti Iudaei versabantur, ex quibus pauci tantum crediderunt, dum maior neophytorum thessalonicensium numerus ex ethnicis coalescebat (Act. 17,4; 1 Thess. 1,9). Iudaeos Thessalonicae fuisse etiam inscriptiones testantur (cf. Revue des Études Juives, X.

1885, p. 78). Integro fere anno post fundatam ibidem ecclesiam i. e. anno 53 p. Chr. S. Paulus Corintho priorem ad Thessalonicences epistulam scripsit, in qua laudatis neophytorum virtutibus calumnias contra se sparsas refutat, a vitiis absterret et de secundo Christi adventu edocet neophytos. Haud diu post i. e. anno 53 exeunte vel ineunte anno 54 S. Paulus Corintho alteram dedit ad Thessalonicenses epistulam, in qua perniciosum errorem de immediato Christi adventu eradicare et vitia ex illo errore manantia reprimere studet. — Thessalonicenses memorantur Aristarchus, Iason et fortasse Demas (v. s. vv.).

Ad Act. 17,6 : trahebant Iasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας, monet *Knabenbauer :* « hanc vocem bene notent quicumque Lucae fidem detrectare audent! vox enim haec olim lexicographis incognita tandem reperta est et ea quidem qua titulus magistratus Thessalonicae constituitur; πολιτάρχας enim Thessalonicae rebus praefuisse inscriptiones docent, in quibus vel sex vel quinque vel duo nominantur (Corpus Inscr. Gr. 1967; *Duchesne*, Archives des missions, s. III. t. III. p. 204 ss.); cf *F. Blass*, Acta apost. 1895, p. 186; *F. Vigouroux*, Le Nouveau Test. et les déc. archéol. Paris, 1896, p. 236 ss. — De nummis cf. *B. V. Head*, Hist. Num. Oxford, 1887, p. 212 s.

THETER Ios. 15,59 LXX vide s. v. BETHER.

THILON (תִּלוֹן, *Qeri* תִּילוֹן; Ἰνών), filius Simon de tribu Iuda (1 Par. 4,20).

THIRAS (תִּירָס, Θειρας, Θίρας) recensetur ultimus inter septem filios Iaphet (Gen. 10,2; 1 Par. 1,5); apud Ps. Ionathan et Targum Hieros. תַּרְקִי. Post Flav. Iosephum (Ant. I. 6,1) plerique interpretati sunt Thracas; sed quamvis Iosephus dicat Graecos nominis mutatione Thracas fecisse, tamen voces Thiras et Θρᾷκες vel Θρῇκες vix inter se cohaerent (cf. *Lenormant*, Les origines de l'Histoire, II. 2, p. 251 s.). Alii interpretati sunt Tyritas, accolas fluvii, cui nomen Tyras, hodie *Dniestr;* sed cum ex Herodoto 4,51 isti accolae sint « Graeci, qui Tyritae vocantur », concludendum est eos nonnisi a fluvio, cui accolebant, Tyritas vocatos esse. Ab aliis Thiras intelleguntur Tyrrheni (Tyrseni) de genere Pelasgorum, non illi quidem italici, qui Etrusci vocantur sed accolae maris Aegaei, piratae famosi, qui teste Thucydide 4,109 iuxta promontorium Athos inveniuntur et Lemnum quoque et Athenas quondam incoluerunt; cf. *Herod.* 1,57. 94. Hanc tertiam opinionem tuentur Liber Iubilaeorum et ex recentioribus : *Tuch*, *Noeldeke*, *Dillmann*, *Kautzsch*, etc. Alii alia coniiciunt. Adverte tamen non opus esse, ut de singulis quibusque nominibus istarum generationum rationem reddere valeamus ethnographicam et geographicam; aliqua forte nec unica fuerunt gentium nomina nec ab omnibus adhibita, alia forte cum suis gentibus perierunt vel in diversa mutata sunt, ut monent cautiores interpretes (*Dillmann*, *F. de Hummelauer*).

THIRIA (תִּירְיָא, Ζαιρά), unus de filiis Ialeleel ex posteris Iuda (1 Par. 4, 16).

THISBE (Θίσβη), patria Tobiae (LXX Tob. 1,2), ad dexteram i. e. ex mente orientalium, qui orientem prospiciunt, ad meridiem oppidi Cedes Nephthali, in Galilaea, ὑπεράνω Ἀσήρ (et addit cod. ℵ : ἐν τῇ ἄνω Γαλιλαίᾳ ὑπεράνω Ἀσσὴρ ὀπίσω δυσμῶν ἡλίου). In Vulg. deest nomen Thisbe, sed describitur civitas Nephthali 1,1 : quae est in superioribus Galilaeae supra Naasson, post viam quae ducit ad occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet. — Supponamus Naasson (Ἀσήρ) esse urbem Asor (*Tell Harra*; v. ASOR 1) prope lacum *Hūle*. Ex Vulg. et codice ℵ colligitur eum qui ab urbe Asor facie ad occidentem versa prospiciat, habere ante oculos suos urbem Tobiae et in sinistro i. e. meridiem versus urbem Sephet (hodie *Ṣafed*). Quaerenda igitur est Thisbe a lacu *Hūle* occidentem versus, a *Ṣafed* aquilonem versus, a *Qades* (Cedes) austrum versus. Situs accuratior determinari nequit. *Sepp* (Jerusalem und das hl. Land, *ed.* 2, II. p. 310) coniectat vicum *Taiteba* haud procul a *Ṣafed*.

Thisbe in Galilaea distinguenda est a Thisbe in Galaad, patria Eliae, de qua vide s. v. THESBITES.

THOBADONIAS (טוֹב אֲדֹנִיָּה, Τωβαδωβειά), levita tempore Iosaphat regis ad populum in lege Domini erudiendum missus (2 Par. 17,8).

THOBES (Θωβής, cod. A Σωρής), urbs montis Iuda (Ios. 15,59 LXX); enumeratur in quinta provincia montis, quae apud LXX l. c. inseritur, sed in textu massorethico et in Vulgata deest et urbes prope Bethlehem et Ierusalem complectitur. Putatur vicus *Sūrīs* 4 horis a Ierusalem occidentem versus (*Riess*, Bibel-Atlas s. v. Sores; *Guérin*, Judée, I. 281-283; sed locus ex *Flav. Ios.* Ant. VI. 12,4 a *Riess* et *Guérin* allegatus illuc non pertinet; vide potius s. v. HARET). Praeterea cf. SEIR 3.

THOBIAS (2 Par. 17,8) v. TOBIAS 1.

THOCHEN urbs (1 Par. 4,32) v. ETHER.

THOGORMA (תּוֹגַרְמָה, תּוֹגָרְמָה; Θοργαμά, Θογαρμά) recensetur tertius inter filios Gomer filii Iaphet post Ascenez et Riphath (Gen. 10,3; 1 Par. 1,6). Domus Thogorma Tyriis mercatoribus equos tum militares tum curriles et mulos suppeditabat (Ez. 27,14) et in exercitu Gog ex posteris Iaphet et Cham conflato eadem domus Thogorma enumeratur post Gomer et universa agmina eius (Ez. 38,6). Secundum Flav. Iosephum (Ant. I. 6,1) Thorgamaei, ut visum est Graecis, Phryges vocantur. Sed hoc Iosephi dictum ad solos Armenios videtur restringendum esse, qui sunt Phrygum coloni (*Her.* 7,73) et ad Phrygum loquelam in multis accedunt (*Eustathii* Comment. ad Dionysii Periegesin 694) seu loquela multum phrygizant (Eudoxus apud Stephan. Byz. s. v. Ἀρμενία). Etenim Armenii ipsi genus suum a Haico filio Thogorma derivant (Samuelis Aniensis Chron. I. 4,3; 7,1 apud *Migne*, PP. Gr. 19,615 et 635; Moses Chorenensis I. 4. 9-11) et ab aliis quoque scriptoribus ad Thogorma referuntur (Syncellus, *ed. Dindorf*, I. p. 91; Scholion ad Ez. 38,6 in cod. Vatic. LXX). Copiam equorum, de qua Ez. 27,14 sermo est, etiam equorum Nesacorum, quibus Persarum reges uti solebant, testatur Strabo (XI. 14,9), copiam asinorum Herodotus (1,194) pro Armenia; Phrygas equorum agitatores laudat Homerus (Il. 3,185). — Addit *F. de Hummmelauer* (Comment. in Gen. p. 313): Hi vero Armenii non semper Armeniam Maiorem obtinuerunt, sed tempore regum Assyriorum censendi sunt partem Armeniae Minoris obtinuisse. — Putarunt aliqui nomen idem esse ac urbis *Tilgarimmu* in inscriptionibus cuneiformibus (*Delitzsch*, Paradies, p. 246), quae arx regioni *Kummukh* (Commagene) adscribitur. Ceterum cf. Ztschr. d. D. Morg. Ges. XXIV. 1870, p. 82. 237. XXXIII. 1879, p. 324; *P. de Lagarde*, Gesammelte Abhandlungen, p. 255 s.

THOHU (תֹּחוּ, Θόκε, Θόου), unus ex maioribus Samuelis prophetae (1 Reg. 1,1); idem 1 Par. 6,34[19] scribitur תּוּחַ, Θεΐε, Θοουέ. Praeterea v. NAHATH 2.

THOLA (תּוֹלָע, Θωλά). **1.** Filius primogenitus Issachar et progenitor Tholaitarum, de cuius stirpe in diebus David 22.600 viri fortissimi numerati sunt (Gen. 46,13; Num. 26,23; 1 Par. 7,1, 2).

2. Iudex Israel post Abimelech, Issacharita, filius Phua filii Dodo, 23 annos munere iudicis functus in Samir montis Ephraim ibidemque mortuus ac sepultus (Iud. 10,1. 2). Surrexit ad salvandum (hebr.; Vulg. dux in) Israel; a quibus periculis externis vel forte solum internis salvaverit, non innuitur neque aliunde innotescit. Eius pater Thua in Vulgata dicitur patruus Abimelech i. e. frater patris Abimelech seu frater Gedeonis; unde difficultas interpretes vexavit, quomodo Thola Issacharita cognatus Gedeonis Manassitae fuerit. Iam respondit S. Augustinus, potuisse fratres fuisse uterinos ex una matre, sed diversis patribus natos. Melius dices דּוֹדוֹ non esse nomen appellativum (*patruus eius*), sed nomen proprium Dodo, quod alias quoque legitur (cf. 2 Sam. 23,9 [*Qeri*]. 24; 1 Chron. 11,12. 26); cognationis indicium nullum remanet.

THOLAD (תּוֹלָד, Θωλάδ) 1 Par. 4,29 vide s. v. ELTHOLAD.

THOLMAI (תַּלְמַי; Θελαμί, Θολαμί, Θολμί, Θολμαΐ). **1.** Gigas ex stirpe Enac (Num. 13,23[22]; Ios. 15,14; Iud. 1,10); v. AHIMAN 1.

2. Rex Gessur, filius Ammiud, pater Maachae, quae erat una ex Davidis uxoribus et mater Absalomis (2 Reg. 3,3; 1 Par. 3,2); Absalom postquam Amnon fratrem suum occidit, in terram Gessur ad avum suum aufugit (2 Reg. 13,37; Vulg. Tholomai).

THOLOMAI v. THOLMAI 2.

THOMAS qui dicitur Didymus (Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος, cf. in lexicis hebr. תאם i. e. gemellus), unus ex duodecim apostolis, qui in enumeratione apostolorum cum Matthaeo coniungi solet (Matth. 10,3; Marc. 3,18; Luc. 6,15; at Act. 1,13 cum Philippo), quae enumeratio sequi et exhibere videtur seriem vocationis ad Christi sequelam. Cum reliqui timerent in Iudaeam ire (Ioan. 11, 8), Thomas dixit ad condiscipulos : eamus et nos, ut moriamur cum eo (Ioan. 11,16). Christo autem reposuit : Domine nescimus, quo vadis et quomodo possumus viam scire (14,5). Ipse die resurrectionis non adfuit cum reliquis neque ipsis affirmantibus Iesum e mortuis resurrexisse fidem adhibuit; post dies octo Iesus denuo apparuit et Thomam de infidelitate corripuit, qui praeclara confessione : Dominus meus et Deus meus, maculam eluit (20,24-28). Interfuit quoque manifestationi Iesu ad mare Tiberiadis (21,2).

Eum evangelium annuntiasse in Parthia narrant Eusebius (Hist. eccl. 3,1), Rufinus (Hist. eccl. 1,9; *M.* 21,478); eum in India praedicasse referunt Gregorius Naz. (or. 33; *M.* 36,228), Ambrosius (in Ps. 45; *M.* 14,1143), Gaudentius (*M.* 20,963), Hieronymus (ep. 59; *M.* 22,589), Paulinus (Carm. 30; *M.* 61,672).

THOPHEL (תֹּפֶל, Τοφόλ) legitur in in exordio Deuteronomii (1,1), ubi Moyses totam peregrinationis regionem (trans Iordanem, in deserto, in Araba, e regione maris Rubri) delineat eamque accuratius ab occidente, septemtrione, oriente, meridie definit per illa quinque nomina : Pharan, Thophel, Laban, Haseroth, Dizahab; cf. *Cornely,* Introd. II. 1, p. 46. 47. Thophel cum *E. Robinson,* Palaestina III. p. 125. 160 communiter agnoscebatur vicus *Ṭafile* in regione *Djebāl* (Gebalene), ab inferiore mari Mortuo inter meridiem et orientem situs; permulti rivuli circa *Ṭafile* scaturiunt et in unum collecti per *Wādi Ṭafile* usque ad *Ghōr el-Sebkha* decurrunt. Verum recentiores interpretes illam opinionem a *Robinson* (et *Hengstenberg*) commendatam addubitant; cf. *Dillmann, Driver, F. de Hummelauer* ad Deut. 1,1.

THOPO (ἡ Τεφών, Τεφώ), recensetur 1 Mach. 9,50 inter urbes, quas Bacchides, dux Syrorum, per duos fere annos (circa 161-159 a. Chr.) in Iudaea commorans muris, portis, seris firmavit. Communiter censent correspondere hebraicum nomen תַּפּוּחַ. Hoc utique certum non est; si vero assumitur, quaestio erit quaenam ex tribus urbibus eius nominis pro Thopo habeatur. Vide s. v. BETHTHAPHUA et TAPHUA.

THOSAITES (הַתּוֹעִי, B ὁ Ἰεασεί, A Θωσαεί) cognominatur Ioha, filius Samri, heros davidicus (1 Par. 11,45); de urbe vel cognatione eius nominis nihil notum est.

THOU (תֹּעִי, Θούου, Θόου), rex Emath, adversarius Adarezer regis Soba (2 Reg. 8,9. 10); idem 1 Par. 18,9. 10 scribitur תֹּעוּ, Θῶα. Per filium suum Adoram (Ioram) Davidi ob cladem regi Adarezer inflictam congratulatus est et dona pretiosa obtulit.

THRACES equites commemorantur 2 Mach. 12,35 : cum Dositheus eques Gorgiam Syrorum ducem fere caperet vivum, eques quidam de Thracibus (τινὸς Θρακῶν) brachium Dosithei amputavit et Gorgiam ex periculo eripuit. Praeterea ex multorum interpretatione Thraces referendi sunt ad Thiras filium Iaphet; sed v. THIRAS.

Thraciam, quam *Scylax* n. 67 apud *Müller,* Geogr. Gr. Min. I. p. 54, *Strabo* VII. 6 ss., *Ptolem.* III. 11, *Pomponius*

Mela II. 2; *Plinius* IV. 11 (18) describunt, ab occidente attingit Macedonia, a septemtrione Moesia, ab oriente Pontus Euxinus et Bosporus Thracius, ab austro Propontis, Hellespontus, mare Aegaeum. Incolae regionis montanae pedites pugnare solebant, incolae autem planitiei equites (*Thucyd.* II. 98); sed iam antiquissimis temporibus in utroque genere pugnandi erant exercitati (*Hom.* Odyss. IX. 49 ss.).

THRONUS dicitur magnifica quaedam cathedra seu sella augustissima, in qua rex sedere, subditos excipere, regiam maiestatem exhibere solet. Describitur thronus Salomonis (3 Reg. 10, 18 ss.): fecit thronum de ebore grandem et vestivit eum auro optimo; sex gradibus ascendebatur; singulos gradus ornabant duo aurei leunculi ad ambas extremitates positi; superior throni pars in posteriore rotundo opere desinebat; ad utrumque throni latus quasi duo solii brachia adiecta erant duo reclinatoria cum totidem leonibus. — Cum thronus sit insigne quoddam maiestatis regiae, facili metaphora et obvia ponitur pro potestate et dominatione regia : et elevetur thronus David super Israel et Iudam (2 Sam. 3,10), thronus tuus erit firmus iugiter (2 Sam. 7,16; 3 Reg. 2,45; Ps. 88, 30, etc.); dabit illi Dominus Deus sedem David (Luc. 1,32); deposuit potentes de sede (Luc. 1,52; cf. Act. 2,30). Unde ad Dei supremum dominium declarandum Deo quoque attribuitur thronus : caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum (Is. 66,1; Act. 7,49; cf. Matth. 5,34; 23,22; Hebr. 4,16; 8,1; 12,2; Apoc. 1,4; 3,21, etc.); item Christo : filius hominis sedebit in sede maiestatis suae (Matth. 19,28; 25, 31; Hebr. 1,8). Atque in signum potestatis thronus quoque assignatur iudicibus apostolis (Matth. 19,28; Luc. 22,30) et ubi impietas grassatur, sedes esse satanae dicitur (Apoc. 2,13).

Angeli qui potestate praediti sunt vel throno Dei assistunt appellantur throni (Col. 1,16).

THUBAL (תּוּבַל; Θοβέλ) et **MOSOCH** (מֶשֶׁךְ, Μοσόχ, Μεσόχ), duo filii Iapheth (Gen. 10,2; 1 Par. 1,5) et progenitores populorum, qui alias quoque in S. Scriptura intime copulantur. Iavan, Thubal et Mosoch Ez. 27,13 recensenter inter institores, a quibus Tyrii mancipia et vasa aerea acquirebant. Thubal et Mosoch iterum coniuncti cernuntur in exercitu Gog et Magog et in ultimis illis contra regnum Dei incursibus (Ez. 38,2. 3; 39,1); eorundem futura clades iam Ez. 32,26 praenuntiatur. Praeterea Is. 66,19 Thubal (Vulg. Italia) et Iavan copulantur. Thubal et Mosoch sunt Tibareni et Moschi ad septemtrionem Palaestinae incolentes. Iidem apud Herodotum 3,94; 7,78 in praefectura decima nona Darii commemorantur (Τιβαρηνοί et Μόσχοι), ad Ponti Euxini litus australe orientem versus habitantes et Colchis finitimi. In inscriptionibus autem cuneiformibus commemorantur *Tabal* et *Muski* tamquam finitimi et cum *Muski* rursum confines *Kaski*. Tibarenis igitur correspondent Thubal et *Tabal*, Moschis Mosoch et *Muski*, Colchis *Kaski*. Attamen tempore imperii Assyriorum eae gentes multo magis meridiem versus incolebant, *Tabal* in ea fere regione, quae postea Cappadocia erat, *Muski* orientem versus a *Tabal* ad septemtrionem Melitenae et Commagenae, ergo fere in Armenia minore, *Kaski* denique inter septemtrionem et orientem a *Muski*. Immo etiam tempore Ciceronis reliquiae saltem Tibarenorum Ciliciam attingebant, ut ex epist. ad famil. 15,4 colligitur : « his (Eleutherocilicibus) erant finitimi pari scelere et audacia Tibarani ». Unde cum *F. de Hummelauer* (Comment. in Gen. p. 312. 313) concludimus Tibarenos et Moschos aut primitus ab Amano ad Pontum totam obtinuisse regionem aut postmodum e pristinis sedibus septemtrionem versus commigrasse, iis tamen, quos Cicero commemorat, Tibaranis in antiquis sedibus relictis. Cf. *Delitzsch*, Paradies, p. 250 s.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. ad Gen. 10,2; *Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung, p. 155 ss.

THUS. 1. *Nomen.* Thus in textu hebraico לְבוֹנָה seu לְבֹנָה et voce inde

derivata in graeco λίβανος appellatur. Nomen, quod pariter in linguis phoenicia, aramaica, arabica invenitur, communiter a radice לבן *albus fuit* deducitur, cum ceteris speciebus thus *album* praeferatur (cf. *Plin.* XII. 14,60); latina autem appellatio a sacrificando (θύειν) videtur derivari. Significatio nominis nullatenus dubia est.

Cf. *P. de Lagarde*, Mittheilungen 2,357; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen, n. 174; *P. Schegg*, Bibl. Arch. 223.

Propter similitudinem vocis semel dicitur in Vulgata *thus*, ubi *Libanon* in hebraeo commemoratur (Cant. 4,11), ac vice versa, semel *Libani* loco *thuris* (Cant. 4,14); bis vero Vulgata graecam vocem *libanus* pro thure retinet (Eccli. 24,21; 39,18).

2. *Usus.* Incensi species, quae nomine thuris designatur, imprimis in suffitu sacro cum storace, ungula et galbano locum habuit (Ex. 30,34); praeterea ad varias oblationes et sacrificia thus addendum erat, quod totum a sacerdote comburebatur (Lev. 2,1. 15 s.; 6,15; 24, 7; cf. 5,11; Num. 5,15), ideoque thuris copia in templo servabatur (1 Par. 9,29; Neh. 13,5. 9) et saepe tamquam ad cultum divinum pertinens commemoratur (Is. 43,23; 66,3; Ier. 6,20; 17,26; 41,5; Bar. 1,10). Tamquam donum pretiosum a viatoribus de Saba ad civitatem Domini affertur (Is. 60,6) ac pariter a regibus magis divino Infanti cum auro et myrrha donatur (Matth. 2,11). Propter odorem suavissimum etiam in usu profano adhibebatur (Cant. 3,6; Eccli. 24,21. Cf. Apoc. 18,13), atque in comparationibus biblicis saepius commemoratur (Eccli. 24,21; 39,18; 50,8. 9). Similiter apud alios populos orientales et occidentales in tota fere antiquitate thus in cultu divino et in usu profano locum praecipuum habuit. Ad populos Asiae anterioris et Graecos ante tempora belli troiani nondum pervenisse narratur ac Romae etiam multis saeculis postea nondum innotuit, cum veteres Romani diis suis tantum farrem ac salem offerrent (*Plin.* XII. 17,81; 18,82 s. XIII. 1,4 ss.; cf. XII. 13,51; 14,52; *Herod.* 1,183; 2,8; 3,97. 107; 6,97, etc.; *Theophr.* Hist. pl. IX. 4,1 ss.; *Strabo* XVI. 4,25 *ed. Cas.* p. 782; *Vergil.* Georg. 2,117; Aen. 1,416; *Colum.* III. 8,4; *Diosc.* Mat. med. 1,81-84.; *Arriani* Periplus maris erythr., p. 15 ss. ed. oxon., etc.). Apud Aegyptios vero longe antea in usu erat, cum non modo inde a dynastia duodecima expeditiones in regionem thuriferam (*Punt*) fierent sed iam aetate dynastiae quartae incensum inter oblationes sacrificiorum memoretur.

Cf. praeter auctores in art. INCENSUM citatos *J. Duemichen*, Flotte einer aeg. Königin, p. 19 et tab. II. XV. XVII; *W. M. Fl. Petrie*, Medum, London, 1892, tab. XIII et pag. 38; *V. Loret*, La flore pharaon., *ed.* 2, p. 96, etc.

3. *Origo et patria.* In S. Scriptura thus ex districtu Sabaeorum in Arabia australi afferri dicitur (Is. 60,6; Ier. 6, 20); praeterea in hortis regiis planta thurifera etiam in Iudaea ac probabiliter in regione calidissima prope Iericho et Engaddi, culta fuisse multis ex verbis Cantici videtur (Cant. 4,6. 14). A scriptoribus antiquis pariter Arabia australis ac speciatim regio Sabaeorum, sed praeterea India orientalis et partes Africae, Arabiae australi vicinae tamquam patria thuris describitur (cf. ll. cc.), ac similiter ex illis Aegyptiorum expeditionibus praesertim Arabiam australem et oram Africae hodie *Somali* dictam regionem thuriferam antiquorum fuisse patet. De ipsa autem arbore thuris ferace usque ad nostram fere aetatem nihil fere certi innotuit. Ex recentiorum vero explorationibus satis videtur constare, regionem ab antiquis indicatam re vera patriam veri thuris esse; etiam Indiae, quam alii praecipuam terram thuriferam praedicant (*Schegg*), alii honore thuris prorsus privandam censent (*Leunis*), multi aliquam saltem arboris thuriferae speciem tribuunt. Potissimum vero regio veterum Sabaeorum in Arabia australi et opposita ora Somali nomen regionis thuriferae merentur.

Arbor autem pretiosissimi huius incensi ferax a recentioribus *Boswellia* appellatur atque ad familiam *Burseracearum* censetur pertinere. Ex variis huius generis speciebus praesertim *Boswellia Carterii* Birdwood, in Arabia fe-

lice et in regione Somali, *B. neglecta* S. Moore ac *B. frereana* Birdwood in regione Somali diversas thuris species praebent. Indiae propria est *Boswellia thurifera* Colebrooke (= *B. sacra* Flückiger), quae particularem quamdam incensi speciem, thuri simillimam praebet.

De regione et arbore thurifera cf. *Colebrooke*, On olibanum, in Asiatic Researches IX., 1807, 377 ss.; *L. Birdwood*, On the genus Boswellia, in Transactions of the Linnaean Society XXVII. 1877, 67 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis, *ed.* 3, II. 2, p. 353 s.; *G. Schweinfurth* in Berichte der pharmaceut. Gesellsch. III. 1893, 218-20; *F. A. Flückiger*, Pharmakognosie des Pflanzenreichs, *ed.* 3, p. 45-52; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. III. 4, p. 248; *J. Th. Bent*, The land of frankincense and myrrh, in The Nineteenth Century XXXVIII. 1895, 595-613; *id.* The exploration of the frankincense country, Southern Arabia, in Geogr. Journ. VI. 1895, 109-34. Vilior thuris species, cui etiam *thuris arabici* nomen dederunt, colligitur ex arbore *Juniperus thurifera* L. ex familia *Coniferarum*. *V. Leunis*, op. c., p. 920.

Praeterea cf. *Garcia ab Horto*, Aromatum Historia, *ed. C. Clusius*, l. 1, c. 6, Antverpiae, 1593, p. 27-9; *J. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 258-65; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 404-14; *O. Celsius*, Hierobot. I. 231-46; *G. H. Martini*, De thuris in veterum Christ. sacris usu, Lipsiae, 1752; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,153-6; *H. O. Lenz*, Botanik d. alt. Griechen u. Römer 214-6. 663-7; *J. H. Balfour*, The Plants of the Bible, ed. nova, 154 s.; *P. Cultrera*, Flora bibl. 367-9; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 354-6; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 201 s.; *J. Smith*, Bible Plants 171-6; *L. Haynald*, A szentírási mézgák es Gyantak termönövényei (de plantis gummiferis S. Script.) 16-20 (cum tab. picta *Boswelliae papyriferae* Hochstetter); *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels im Mittelalter II. Stuttgart, 1879, 656-8; *R. Sigismund*, Die Aromata 6-12, etc.; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 220-3. — De aliis v. AROMATA, INCENSUM.

L. FONCK.

THYATIRA (Θυάτειρα), urbs Lydiae (*Ptol.* V. 2,16; *ed. Müller-Fischer* 2,14), ad Lycum fluvium sita, Pelopia aliquando et Euhippia cognominata (*Plin.* V. 29,115), Macedonum colonia, quam ultimam Mysorum esse sunt qui dicant (*Strabo* XIII. 4,4), 33 mil. pass. a Sardibus distans (Itin. Antonini Augusti, *ed. Pinder et Parthey*, p. 160), cuius incolae textilia purpureo colore tincta vendebant (Act. 16,14). Tempore S. Ioannis Evang. ibidem florebat ecclesia (Apoc. 1,11; 2,18 ss.), in qua Iezabel mulier perversa, haereseos Nicolaitarum fautrix, servos Dei seducebat. Situm Thyatirae fere occupat urbs hodierna *Ak-Hissar*. — Recentius *Schuchhardt* (Athen. Mitt. 1888, p. 1 ss.) restitutionem urbis non ad Seleucum I. Nicatorem intra annos 312-280 (cf. Steph. Byz. s. v.) refert, sed Thyatiram paulo posterius a Seleucidis munitam esse censet contra Pergamenorum potentiam praevalentem. Praeterea cf. *Clerc*, De rebus Thyatirenorum, Paris 1893; *W. M. Ramsay*, Hist. Geogr. of Asia Minor, London 1890, p. 121 et saepius; de nummis cf. *B. V. Head*, Hist. num. Oxford, 1887, p. 554.

THYINUM LIGNUM. 1. Thyinum lignum dicitur imprimis species illa ligni pretiosi hebraice עֲצֵי אַלְמֻגִּים (3 Reg. 10,11) vel ע״ הָא״ (ib. v. 12) vel ע״ אַלְגֻּמִּים (2 Par. 9,10; cf. 2,8 Vulg. *pinea*) vel ע״ אַלְגּוּמִּים (ib. 9,11) vocata, quae a navibus Hiram ex Ophir Salomoni allata et ad ornandum templum atque ad instrumenta musica adhibita, sed etiam cum aliis lignis Libani a rege Tyri missa narratur. Sunt qui Chronistam erroris arguant eo quod Libano ligna illa attribuat (2 Par. 2,8); alii ibidem ligna algummim immerito ex narratione capitis noni in textum irrepsisse supponunt. At cum de specie arboris parum constet, neque de interpolatione neque (multo minus) de errore textus iudicare licet; ac praeterea vel cum *Tristram* dicere quis poterit, ligna illa, si revera indica fuerint, Tyri a navigatoribus regis deposita simul cum lignis Libani Hierosolymam missa esse, vel cum *Groser* supponere, regem Tyri arbores pretiosas aliunde allatas prope urbem suam plantasse.

At de ipsa arbore nequaquam constat. Quodsi cum *Glaser* supponas, ligna *styracina* designari, absque ulla difficultate

ea Libano attribues. Plerique vero de ligno indico sermonem esse censent, antiquiores lignum *Caesalpiniae sappan* Linné intellegentes, recentiores autem rectius post *C. Sprengel* lignum *Pterocarpi santalini* Linné fil. vel *Santali albi* L., quae omnes arbores Indiae orientalis indigenae sunt. Lignum Pterocarpi *santalinum rubrum* vocatur, cui aliud album seu flavum atque odoriferum Santali albi praecedere censetur. At potius rubrum intellegendum esse, *F. Hommel* collato assyriaco *argamannu* אַרְגָּמָן i. e. *purpura* conatur suadere.

Cf. *J. H. Ursinus*, Arb. bibl. 565-72; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 103-6; *I. Chr. Biel*, Exercitatio de lignis ex Libano ad templum hierosolymit. aedificandum petitis, Brunsvigae, 1740; *O. Celsius*, Hierobot. I. 171-85; *W. Gesenius*, Thesaurus 93; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,234-8; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible, ed. nova, 115 s.; *P. Cultrera*, Flora bibl. 325-8; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 331 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,257; *J. Smith*, Bible Plants 140-2; *W. Heyd*, Gesch. d. Levantehandels im Mittelalter II. Stuttgart 1879, 646-8; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2, p. 135 s. 200; *Ed. Glaser*, Skizze d. Gesch. u. Geogr. Arab., München 1890, II. 358-64; *W. H. Groser*, Trees and plants ment. in the Bible 37 s.; *T. K. Cheyne* in Exp. Times IX. 1897/98. 470-3; *id.* ib. X. 1898/99, 239 s.; *Fr. Hommel*, ib. IX. 525 s.

2. Thyinum lignum etiam dicitur ξύλον θύινον, quod Babyloni apocalypticae cum aliis mercibus pretiosis afferebatur (Apoc. 18,12). Iuxta sensum proprium vocis, cui hic nihil obstat, intellegendum est lignum penes antiquos celeberrimum, quod etiam nomine ligni *citri* a variis scriptoribus multis laudibus effertur (cf. *Theophr.* Hist. pl. IV. 1,3; V. 3, 7; *Plin.* XIII. 15,91 ss.; XVI. 43,231; *Athen.* 5,207, etc.). Divitibus praesertim materiem mensis pretiosis aliique suppellectili praebebat, atque etiam aroma et oleum myrrhino simile suppeditabat (cf. *Homer.* Od. 5,60; *Plin.* XV. 7,28; XXIII. 4,88). *Thuja* autem (θυία et θύον) ac *citrus* antiquorum probabiliter erat arbor quam recentiores *Callitris quadrivalvis* Vent. (= *Thuja articulata* Vahl, fam. *Coniferae*) appellarunt. Ea vero quam aliqui proponunt *Cupressus thyoïdes* Linné, sicut etiam thuja in hortis nostris frequenter culta (*Thuja occidentalis* L.) ex patria America ultimis saeculis in Europam allatae sunt. Callitris illa, usque ad altitudinem novem fere metrorum excrescens, cupresso similem formam habet atque in Africa septemtrionali indigena est, unde etiam antiquitus ad Romanos et Graecos afferebatur. Quare lignum hoc ab *almug* Veteris Testamenti certe diversum est.

Cf. *Ursin.* Arb. 569-71; *G. W. Wedel*, De lignis thyinis Apocalypseos in genere, Jenae, 1707; *id.* De mensis citreis, ib. 1707; *id.* De Thyo Homeri (Sabinam esse), ib. 1707; *Celsius* II. 22-9; *Rosenmüller*, IV. 1,251 s.; *H. O. Lenz*, Botanik d. alt. Griechen u. Römer 14. 362-6; *Balfour* 124-6; *Cultrera* 416 s.; *Tristram*, 401 s.; *Kinzler*, 249; *J. Smith*, 132 s.; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 246 s.; *Groser*, 78 s. — *Leunis-Frank*, l. c. p. 921 s.; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 1, p. 93-5.

L. FONCK.

THYMIAMA, retento nomine graeco θυμίαμα, vocatur in Vulgata incensum (קְטֹרֶת), quod in suffitu sacro et in usu profano frequentissime adhibebatur. V. INCENSUM.

THYRSUS ramus est frondosus, apud veteres scriptores proprie baculus redimitus hedera et pampino, in honorem Bacchi gestatus, in s. litteris autem baculus frondibus, ramis salicum, sertis murteis redimitus seu ornatus. Cf. s. v. TABERNACULORUM FESTUM. Tales ramos gestabant ovantes victoria a Iudith de Holoferne reportata (Iudith 15,12 graece) et postquam Iudas Machabaeus purgatis templo et urbe sollemnitatem indixit (2 Mach. 10,7).

TIARA. Eo nomine designatur tegumentum capitis, quo pontifex utebatur in ministerio sacro, hebr מִצְנֶפֶת; erat fascia vel taenia, diadema saepius capiti circumvolutum, ex bysso (Ex. 28,4. 37. 39); ei affigebatur lamina sancta (Ex. 29,6). Eandem vocem hebraeam in Vulg. etiam invenimus expressam per cidarim (Ex. 28,4; Lev. 8,9; 16,4 et Ez. 21,26, hic diadema nominatur regium).

Ceterum in Vulg. dicitur tiara quoque

de tegumento capitis Assyriorum Ez. 23, 15 hebr. טבולים (assyr. *tublu*, fascia, taenia); dein Dan. 3,21 etiam פטיש vertitur tiara: verum hanc vocem aramaicam explicant ex notione expandendi de veste seu tunica ampliore; sermo est de iuvenibus, qui cum braccis suis et tiaris et calceamentis et vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.

TIBERIAS (Τιβεριάς). De mari Tiberiadis vide s. v. GENESARETH 1 (Vulg. stagnum Genesareth). Urbis Tiberiadis semel tantum in S. Scriptura fit mentio incidens (Io. 6,23) neque unquam innuitur Christum Dominum eam ingressum esse. Traditionem aliquam valde tenuem de Tiberiadis antiquo nomine Chennereth iam reiecimus s. v. GENESARETH 2. Condita est ab Herode Antipa in parte optima Galilaeae ad lacum Genesareth non procul a thermis vici Ammathus (cf. s. v. HAMMOTH DOR) et a Tiberio imperatore, Herodis amico, nomen sortita est (*Flav. Ios.* Ant. XVIII. 2,3; Bell. iud. II. 9,1). Annus quo condita est, ab Eusebio (Chronic. II. apud *Migne* 19,534) assignatur decimus quartus Tiberii (i. e. 28 p. Chr.); quidquid est de valore critico huius asserti chronologici, saltem ex Flav. Iosepho (Ant. XVIII. 2,1-3) cum probabilitate colligitur eam conditam esse satis diu post Sepphorim et Liviadem neque ante Pontii Pilati adventum in Iudaeam (a. 26 p. Chr.). Modum quo Antipas eam condidit, Iosephus l. c. describit: « Eamque convenae habitarunt et multi quoque ex Galilaea coactique nonnulli e regione sub illius imperio et per vim eo ad habitandum deducti, quidam etiam ex optimatibus. Quin et pauperes undique collectos ad incolendum admisit et nonnullos, qui an liberi essent, non constabat illisque numero multis magnas facultates et immunitates dedit, utque tenerentur adstricti ad degendum in illo oppido, eorum domos exstruxit eisque agros e suis assignavit, quod sciret habitationem esse iudaicis legibus moribusque repugnantem, propterea quod ad Tiberiadem collocandam sublata fuerant multa quae illic erant sepulcra, cum lex nostra huiusmodi incolas pollutos pronunciet in septem dies ».

Administratio urbis erat omni ex parte hellenistica : commemorantur a Flav. Iosepho senatus 600 virorum nobilium, inter quos unus archon et decem primores efferuntur, praefecti civitatis (ὕπαρχοι), aedilis (ἀγορανόμος); cf. Bell. iud. II. 21, 3. 6. 9; Vita 12. 13. 27. 34. 53-58. 61. 68; Ant. XVIII. 6,2. Antipas eam prae Sepphori urbem principem Galilaeae fecit (Vita 9). Atque haec erat urbis condicio tempore Christi. Antiquum situm hodierna urbs *Ṭabarīye* indicat.

Cf. *Reland*, Palaestina, p. 1036-1042; *Raumer*, Palaestina, *ed.* 4, p. 141 s.; *Robinson*, Palaestina III. 500-525; *Ritter*, Erdkunde XV. 315-322; *Neubauer*, Géographie du Talmud, p. 208 ss.; *Sepp*, Ierusalem II. 188-209; *Guérin*, Galilée I. 250-264; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. IX. 1886, p. 81-103; *Kaminka*, Studien zur Geschichte Galilaea's, 1889, p. 9-29; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 361 ss., 379; 418-420 et *Conder and Kitchener*, Large Map of Palestine, sheet VI.; *Guy le Strange*, Palestine under the Moslems, p. 334-341; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina u. Syrien, *ed.* 5, p. 278 ss.; *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes, *ed.* 4, II. p. 216 ss.; *Buhl*, Alt. Pal., p. 226. 227; *G. Schumacher*, Tiberias and its vicinity in *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1887, p. 85-90; P. Thomsen, Loca sancta I. (1907), p. 111.

TIBERIUS (Τιβέριος). Tiberius Claudius Nero, natus 16. Novembris 42 a. Chr. (712 ab urbe condita), impellente matre Livia anno 11 a. Chr. (743 U. C.) in matrimonium duxit Iuliam, filiam Augusti Imperatoris, a quo anno 4 p. Chr. adoptatus est. Bellis feliciter gestis a Germania in Urbem regressus triumphum egit; eo tempore (vel ante triumphum actum, quae est sententia *Velleii*, Hist. rom. 2, 121; vel non multo post, ut *Suetonius* ait, Tib. n. 20. 21) ipso Augusto rogante de ea re senatum par cum Augusto provinciarum atque exercituum imperium adeptus est. Unde habuerunt provinciae, ut ab eo tempore in computandis annis Tiberii initium sumerent diversum ab eo, quod ab Augusti obitu sumitur. Par autem cum Augusto provinciarum imperium nactus est anno U. C. 764 (cf. *Patritius*, De Evangeliis diss. 39,4), vel ita, ut annus 12 p. Chr. sit primus eius ἡγεμονίας annus (cf. *Wieseler*, Beiträge zur richtigen Würdigung der Evang., Gotha,

1869, p. 181). Cum S. Lucas ea quae narrat ab apostolis et Christi discipulis accepisset, merito assumitur eum annum 15 Tiberii (3,1) eo modo accepisse, quo in Iudaea et in provinciis computabatur. Quae ratio computandi eo quoque suadetur, quia tum demum duo alia, de quibus dubitari nequit, facile explicantur, scil. Christum natum esse ante mortem Herodis et accedentem ad baptisma fuisse natum annos quasi triginta (cf. *Knabenbauer* in Luc. 3,1). Est itaque annus 15. ἡγεμονίας Tiberii annus 26 p. Chr. — Sub eius imperio duo procuratores Iudaeam administrabant Valerius Gratus (15-26, p. Chr.) et Pontius Pilatus (26-36 p. Chr.). In eius Imperatoris honorem Herodes Antipas urbem ad lacum Genesareth aedificatam appellavit Tiberiadem (cf. Ioan. 6,1. 23; 21). Tiberius diem obiit die 16. Martii 37 p. Chr. (790 U. C.) natus annos 78.

TIBIA. Legitur de crure Prov. 26, 7 : pulchras frustra habet claudus tibias; et Ps. 146,10 : nec in tibiis viri (i. e. in velocitate pedum eius ac fortitudine) beneplacitum erit ei; et in statua illa quam vidit Nabuchodonosor, tibiae erant ferreae (Dan. 2,33 ; hebr. שׁוֹק). Dein vocabulum ponitur, uti apud Latinos, pro instrumento musico (v. s. v. MUSICA). Qui tibiis canebant, tibicines vocabantur (Matth. 9,23).

TICHON (חָצַר הַתִּיכוֹן i. e. *pagus medius,* LXX αὐλὴ τοῦ Σαυράν, Vulg. domus Tichon) legitur in descriptione termini septemtrionalis terrae sanctae Ez. 47,16 eiusque situs ibidem describitur : quae est iuxta terminum Auran i. e. in confinio Hauran, regionis Auranitidis. Recentiores explicant *Khazar medium*, ut ab aliis locis eiusdem nominis, imprimis a *Khazar Enon*, atrio Enon seu villa Enan distinguatur. Ex contextu domus Tichon non procul aberat a villa Enan (vide ENAN 3), apud quam terminus septemtrionalis et orientalis terrae sanctae convergebant. — Ab iis, qui terminum septemtrionalem terrae sanctae a Libano septemtrionem versus quaerebant, *Khazar medium* in confinio Hauran putabatur esse hodiernum *Ḥawārīn* inter *Baʿalbek* et Palmyram (cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver., VIII. 1885, p. 28). Sed *I. P. van Kasteren*, qui terminum septemtrionalem terrae sanctae infra Libanum et Hermonem maiorem fuisse defendit (Revue biblique, 1895, IV. p. 23-36), domum seu pagum Tichon ad orientem *Bāniyās* (Caesareae Philippi) quaerit et mentionem facit vici *Djubbata*, quia Targumim pagum Tichon reddiderunt *piscinam Agbai* (l. c. p. 31).

TIGRIS (חִדֶּקֶל, Τίγρις), fluvius tertius paradisi (Gen. 2,14; v. PARADISUS). Iuxta eundem fluvium Daniel orans apparitione angeli recreatus est (Dan. 10,4; LXX Τίγρης, Theodotio Τίγρις Ἐδδέκελ). Accedunt Tob. 6,1; Iudith 1,6; Eccli. 24,35[25]. Nominatur aram. דִּגְלַת, assyr. *Diglat, Idiglat*, pers. *Tigrā*, hodie *Digle*.

Tigris ad austrum urbis *Kharput* prope Euphraten superiorem scaturiens meridiem versus fertur usque ad *Diarbekr* (Amid), a *Diarbekr* orientem versus, usquedum confluat cum Tigride orientali (*Bohtan Tshai*) ex montanis infra lacum Thospitin (*Wan*) profluente. Deinde amnis via austro-orientali decurrit, prope *Baghdād* Euphrati maxime appropinquat et prope vicum *Qorna* hodie cum Euphrate coniunctus et *Shatt el-ʿArab* (flumen Arabum) dictus in sinum Persicum delabitur. Antiquitus autem ostia Euphratis ac Tigridis inter se distabant, ut dictum est s. v. EUPHRATES in vol. II. col. 239. Ab oriente Tigridi affluunt Zabas maior, Zabas minor, Physcus (*Adhem*, assyr. *Radanu*), Dialas (*Diyāla*). Ab occidente desunt affluentes maiores; sed regione Tigridis decurrit *Wādi Tharthar* (assyr. *Tartara*) a *Djebel Sindjar* usque ad deserta palustria inter urbem *Hit* (Is, assyr. *It*) et regionem *Khamate* (34° lat.); recentissime in inscriptione celeberrima, quam publici iuris fecit *V. Scheil*, Annales de Tukulti-Ninip II. roi d'Assyrie (889-884), Paris, 1909, reperta sunt nomina assyriaca *Tartara*, *It* (iuxta Euphraten), *Khamate, Margani* (planities inter *Khamate* et Tigrin), *Utuʿate* (regio ad utramque ripam Tigridis circa 34° lat. cum *Aṣuṣi* urbe iuxta ripam occidentalem).

TIGRIS in Vulgata Iob 4,11 ponitur

pro voce hebr. לַיִשׁ, quod est nomen poeticum leonis (v. s. v. LEO); LXX μυρμηκολέων, quam vocem versio vetus latina retinuit. Alias in S. Scriptura tigris animal non occurrit.

TIMAEUS (Τίμαιος), pater Bartimaei caeci, qui prope Iericho a Iesu sanatus est (Marc. 10,46); v. BARTIMAEUS.

TIMON (Τίμων), unus ex septem diaconis, qui in ecclesia hierosolymitana eligebantur (Act. 6,5); erant origine Iudaei praeter Nicolaum (vide s. v.), probabilius etiam Hellenistae.

TIMOTHEUS (Τιμόθεος). **1.** Dux Ammonitarum trans Iordanem, quem Iudas Mach. iteratis vicibus devicit (1 Mach. 5,6. 11. 34. 37. 40). Idem est unus ex illis praefectis regionum, qui in Iudaeos saevire pergebant (2 Mach. 12,2), postquam Lysias tutor Antiochi V. Eupatoris pace cum Iuda Mach. composita in Syriam rediit (12,1; cf. 11,1-15); post complures pugnas incidit in manus Dosithei et Sosipatris, sed multis precibus vel potius simulationibus impetravit, ut vivus dimitteretur, promittens se multorum Iudaeorum parentes ac fratres in sua potestate detentos dimissurum (2 Mach. 12,10-24).

2. Dux in exercitu Syrorum cis Iordanem, qui una cum fratre suo Chaerea interemptus est, cum Iudas Mach. Gazaram expugnaret (2 Mach. 8,30. 32; 9, 3; 10,24. 32. 37). Hunc Timotheum a priore omnino distinguendum esse ex ipsa narratione facile colligitur. Unde patet, quam inepte *Grimm*, Handbuch zu den Apocryphen IV. 1857, p. 8 contra indolem historicam 2 Mach. urgeat Timotheum 2 Mach. 10,37 occisum mox redivivum 12,10 ss. dimicare. Censet *Grimm* Iasonem sine arte critica ex diversis fontibus contradictoria retulisse; attamen, reponit *Knabenbauer* (Comm. in 1.2 Mach., 1907, p. 387), absurdum videtur rerum scriptorem adeo hebetem et neglegentem esse, ut quem modo dixerat occisum, mox vivum et agentem faciat. Cf. *Welte*, Einleitung in d. deuterokan. Bücher, p. 58 s.; *Patrizi*, De consensu utriusque libri Mach., p. 259 ss. *Cornely*, Introductio II. num. 157; *H. Weiss*, Iudas Makkabaeus, 1897, qui p. 87 defendit non duos Timotheos esse distinguendos, sed narrationem de morte Timothei 2 Mach. 10,37 relicto ordine chronologico inseri.

3. Discipulus et socius S. Pauli, qui in omnibus fere epistulis suis Timotheum nominat eiusque nomen suo adiungit in sex epistularum inscriptionibus. Ex Act. 16,1 apparet eum Lystrae in Lycaonia oriundum fuisse, non vero Derbensem, ut nonnullis ob Act. 20,4 visum est. Patre gentili puer, ut videtur, orbatus ab Eunice matre et Loide avia sacras litteras ab infantia edoctus et a S. Paulo in primo itinere apostolico ad fidem conversus est (Act. 16,1-3; 2 Tim. 1,5; 3,14. 15; 1 Cor. 4,17; 1 Tim. 1,2, etc.). Ab Apostolo in secundo itinere adulescens (cf. 1 Tim. 4,12) velut discipulus assumptus et circumcisus est propter Iudaeos (Act. 16,3), non propter Iudaeos, qui crediderant, sed ut aptus evaderet ad evangelium Iudaeis praedicandum, qui praedicatorem incircumcisum non audivissent et filium matris iudaeae incircumcisum abominati essent. Cum S. Paulo et Sila Asiam minorem peragravit et in Europam advectus Philippis, ut videtur, remansit, cum Paulus et Silas Philippis abire iuberentur, deinde Beroeae iterum Apostolo se adiunxit eumque Athenas profectum brevi secutus est (Act. 16,40; 17,14 ss.). Athenis a Paulo Thessalonicam missus est ad fratres confirmandos in fide (1 Thess. 3,1. 2), quo ex itinere redux Corinthi Paulum invenit et nuntiis suis permovit, ut epistulas ad Thessalonicenses scriberet (Act. 18,5; 1 Thess. 3,6), quae inscribuntur : Paulus et Silvanus et Timotheus etc. Corintho Apostolum Hierosolyma secutus eiusdem socius erat in tertio itinere apostolico; triennium cum eo Ephesi commoratus in Macedoniam et Corinthum usque praeire iussus est; num revera Corinthum pervenerit, non constat; sed in Macedonia Paulus eum iterum convenit et eius quoque nomine alteram ad Corinthios epistulam inscripsit (Act. 19,22; 1 Cor. 4,17; 16,10; 2 Cor. 1,1). Aliquibus mensibus postea cum Apostolo Corinthi fuit, ut ex salutatione Rom. 16,21 adiecta elucet; ex

Graecia Apostolum Hierosolyma proficiscentem comitatus est (Act. 20,4). Eum fuisse Pauli socium in captivitate caesariensi et in itinere romano valde probabile est, quia erat cum Paulo Romae vincto; additur enim nomen Timothei Phil. 1,1; Col. 1,1; Philem. 1,1 et Hebr. 13, 23 Paulus spem exprimit, se cum Timotheo, qui interea in vincula coniectus et dimissus erat, ad eos rediturum esse. Unde etiam coniicere licet Timotheum fuisse socium Pauli in itineribus post priorem captivitatem romanam susceptis, donec Ephesi episcopus relictus est ab Apostolo, qui inde Macedoniae et Achaiae ecclesias visitavit et ex hoc itinere macedonico epistulam primam ad Timotheum dedit. Ex altera captivitate romana S. Paulus eum ad se Romam vocavit (2 Tim. 4,8).

Haec sunt, quae S. Scriptura de Timotheo tradit. Eusebius (Hist. eccl. 3,4) eum episcopum ephesium fuisse testatur. Ecclesia graeca festum S. Timothei d. 22. Ian., latina d. 24. Ian. celebrat. De Actis Timothei cf. *Lipsius,* Die apocryphen Apostelgeschichten I. 2, p. 372-400 [Braunschweig, 1884] et Ergänzungsheft [1890], p. 86-87. Praeterea v. *Constit. apost.* 7,46; *S. Chrysost.* hom. 15 ad 1 Tim.; *Photius,* Biblioth. 254.

TINEA (עָשׁ, σής) in comparationibus usurpari solet ad designandam destructionis et corruptionis causam, perniciem, ambitum Iob 4,19; 13,28 (ἱμάτιον σητόβρωτον); 27,18; Ps. 38[39],12 (Vulg. aranea, LXX ἀράχνη); Prov. 25,20 (hebr. deest); Is. 50,9; 51,8 (Vulg. vermis); Bar. 6,11 (βρῶμα); Os. 5,12; Matth. 6,19,20 (σής, aerugo; βρῶσις, tinea); Luc. 12,33; Iac. 5,2 (ἱμάτια σητόβρωτα). De vestimentis procedit tinea Eccli. 42,13. In Vulgata Is. 14,11 legitur : subter te sternetur tinea, in textu hebr. רִמָּה i. e. vermis, putredo, LXX σῆψις. Sunt interpretes qui Iob 27,18 pro עָשׁ (tinea) rescribendum esse censeant עַכָּבִישׁ (aranea), cum tineae domus non aedificent; sed ad h. l. notat *Knabenbauer* : tineae in rebus putridis et ruinosis habitant, et facile excutiuntur, id quod ad similitudinem abunde sufficit.

Alia quoque voce סָס designatur tinea Is. 51,8, quo loco עָשׁ (Vulg. vermis) et סָס (Vulg. tinea) parallele ponuntur.

Ex ordine *Lepidoptera* sola tinea in S. Scriptura memoratur. Tapetibus maxime noxia est *Tinea tapetiella* Linné, pellibus ac vestimentis *Tinea pellionella* Linné. Tineidarum multae species in Palaestina inveniuntur. Cf. *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 326; *I. G. Wood,* Bible Animals, 1892, p. 624-626; *P. Cultrera,* Fauna biblica, 1880, p. 416. Bene adnotant hi auctores in Oriente magnam partem divitiarum constare pretiosis vestimentis et stragulis, unde facile explicantur frequentiores comparationes biblicae a tineis desumptae.

TIRZA (תִּרְצָה) Is. 44,14 v. ILEX.

TITAN legitur in cantico Iudith 16,8 (graece 6) : « Nec filii Titan (υἱοὶ Τιτάνων) percusserunt eum (Assur) nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed Iudith » etc. Titanes sunt ii, qui hebr. dicuntur גִּבֹּרִים et gigantes ii, qui Raphaim (רְפָאִים).

TITULUS. In notione propria inscriptionis legitur titulus Marc. 15,26 : erat titulus (ἐπιγραφή) causae eius inscriptus, et Ioan. 19,19 : scripsit autem et titulum (τίτλον) Pilatus, v. 20 hunc ergo titulum multi Iudaeorum legerunt. Aliis in locis vox adhibetur notione cippi, monumenti seu signi ad memoriam alicuius eventus positi; ita Gen. 28,18 surgens Iacob mane tulit lapidem et erexit in titulum (מַצֵּבָה, στήλη); item 28,22; 31,45; 35,14. 20 erexit titulum (cippum) super sepulcrum Rachel; Lev. 26,1 nec titulos erigetis (scil. in cultu idololatrico); Ex. 24,4 Moyses aedificavit altare et duodecim titulos (LXX λίθους) per duodecim tribus Israel; similiter Is. 19,19 erit altare Domini in medio terrae et titulus Domini (i. e. monumentum seu columna ut memoriale cultus Domini); cf. 2 Reg. 18,18 Absalom erexerat sibi titulum in valle regis; dixerat enim : non habeo filium et hoc erit monimentum nominis mei; vocavitque titulum

(בִּיצָבֶת, cippum) nomine suo et appellatur Manus Absalom; etiam 1 Mach. 14,26 στήλη declaratur titulus. Pro alia voce legitur titulus Num. 33,52 : confringite titulos מַשְׂכִּיּת (τὰς σκοπιὰς αὐτῶν LXX), figuras seu lapides figuris idolorum insculptos. Ponitur pro hebr. צִיּוּן 4 Reg. 23,17 quis est titulus ille quem video (σκόπελος)? responderunt : sepulcrum est hominis Dei; et Ez. 39,15 : cum viderint os hominis, statuent iuxta illud titulum (LXX σημεῖον), cippum seu lapidem. Demum in inscriptionibus Psalmorum 15 et 55-59 legitur tituli inscriptio pro (hebr. מִכְתָּם) LXX εἰς στηλογραφίαν. Vox hebraea est obscura; neohebr. significat epigramma.

TITUS (Τίτος). **1**. Titus Iustus, proselytus iudaicus Corinthi, cuius domus erat coniuncta i. e. contermina, contigua synagogae (Act. 18,7). S. Paulus in secundo itinere apostolico Corinthi commorans minis in Iudaeos pronuntiatis ex synagoga discessit et in domo Titi Iusti synogogam iuxta synagogam sibi constituit, ubi praedicando Iudaeos continuo invitaret ad nuntium messianum audiendum. Ceterum non constat utrum legendum sit Τίτου Ἰούστου an Τιτίου Ἰούστου an Ἰούστου sine addito.

2. Titus, quem S. Paulus in epistulis suis appellat dilectum filium (Tit. 1,4), fratrem suum (2 Cor. 2,13), socium suum et adiutorem (2 Cor. 8,23), eodem spiritu iisdemque vestigiis secum ambulantem (2 Cor. 12,18). Ante conversionem erat ethnicus, quem S. Paulus, ut ex denominatione « filius » colligitur, ad fidem adduxit, circumcidi autem non permisit, quamvis iudaizantes hierosolymitani id postulassent (Gal. 2,3 s.). Eum Antiochenum fuisse probabile est, quia comites Pauli et Barnabae in itinere ad Concilium Apostolicum erant : quidam alii ex aliis vel potius ex illis (gigas cod. lat. saec. 13.; Act. 15,2) scilicet ex Antiochenis, inter quos comites erat Titus (Gal. 2,1). In tertia expeditione apostolica S. Paulus Ephesi residens Titum cum alio fratre Corinthum misit, ut, quos fructus prior epistula ad Corinthios tulisset, inquireret et collectam pro fidelibus hierosolymitanis faceret; Epheso profectus in Macedonia Titum redeuntem invenit et faustis nuntiis auditis Corinthum reverti iussit, ut alteram ad Corinthios epistulam deferret et collectarum negotium cum duobus aliis fratribus ad finem perduceret (2 Cor. 2, 13; 7,6 ss. 13 ss.; 8,6. 16; 12,18). Post biennium captivitatis romanae S. Paulus in Hispaniam primum, deinde aestate vel autumno anni 64 in Orientem profectus ad Cretam insulam appulit ibique Titum reliquit (Tit. 1,5), quem postea visitatis ecclesiis Asiae et Macedoniae Nicopolim (Epiri) ad se invitat, ut socius esset ultimi itineris romani (Tit. 3,12). Postea Titus in Dalmatiam ablegatus est (2 Tim. 4,10). Eum fuisse episcopum in Creta insula ibique senem esse mortuum tradunt Eusebius (Hist. eccl. 3,4 apud *Migne* 20,220), Theodoretus (in 1 Tim. 3,1 apud *Migne* 82,804), S. Isidorus Hispal. (De vita et obitu PP. 87 apud *Migne* 87,356), Ps. Hieronymus (De vitis apost. 9 apud *Migne* 23,763). Eum usque ad finem vitae virginem mansisse referunt S. Hieronymus (in Tit. 2,7 apud *Migne* 26,583) et Ps. Ignatius (ad Philad. 4 apud *Funk*, Patres apost. II. p. 130).

TOB (טוֹב, Τώβ), regio transiordanica, in qua Iephte e domo paterna eiectus degebat (Iud. 11,3. 5). Vix dubium est quin eadem sit cum locis Tubin (1 Mach. 5,13; LXX ἐν τοῖς Τωβίου) seu cum regione Iudaeorum, quos Tubianaeos (Τουβιήνους) vocant (2 Mach. 12,17), in qua Timotheus Iudaeos opprimebat, donec a Iuda Mach. et Ionatha fratre eius liberati sunt. Praeterea permulti interpretes regnum aramaicum Istob 2 Reg. 10,6. 8 terram Tob esse existimant (vide s. v. ISTOB). Hoc supposito manifestum est eam inter Ammonitidem et Syriam quaeri oportere. — Indicium quoddam non spernendum de situ accuratius determinando Talmud Hieros. nobis offert. Rabbinis terra Tob, in qua Iephte habitavit, est Susitha; Susithae autem in Talmude saepius mentio fit; repleta gentilibus erat haec civitas, mixtis tamen non paucis Iudaeis; Tiberiadi e regione erat opposita, ita ut Tiberiensibus sol super Susitham oriretur

(*Lightfoot*, Centuria Chorographica Matthaeo praemissa, cap. 77). Iamvero Susitha ex etymo est *urbs equorum* nec immerito existimatur esse Hippos (i. e. equus) urbs Decapoleos. Hippos a Tiberiade triginta tantum stadiis distabat (? ut asserit *Fl. Iosephus*, Vita 65), iuxta Aphec seu hodiernum *Fīq* sita erat (Onom. *ed. Lagarde* 219,72; 91,23) et sub eodem gradu longitudinis cum Gadara (*Ptolem.* V. 15,22 [*ed. Müller-Fischer* 14,18]); Hippenorum fines a Flavio Iosepho in vicinia Gadarae (Vita 9) et e regione Tarichaeae (Vita 31) collocantur. Respondet ruina *Sūsiye* (quae vox est forma arabica pro hebr. Susitha) inter *Fīq* et *Qal'at el-Ḥöṣn*, in montanis circiter 340 m supra litus orientale lacus Tiberiadis et fere e regione urbis Tiberiadis. Cf. Zeitschrift d. D. Palästina-Vereins IX. (1886), p. 349 ss. XI. (1888), p. 235 ss.; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 4, II. 155-157.

Haec igitur regio existimatur terra Tob, Tubin, Tubianaeorum et fortasse etiam Istob.

TOBIAS (טוֹבִיָּה, טוֹבִיָּהוּ, Τωβίας, Τωβιά, Τωβειά). **1.** Levita tempore Iosaphat regis ad populum in lege Domini erudiendum missus (2 Par. 17,8; LXX omitt., Vulg. in aliquibus editionibus Thobias).

2. Tobias senior, e tribu Nephthali ortus, Israelita eximie pius, qui a pueritia legem observabat eandemque legem filium suum Tobiam edocebat (Tob. 1,1-10). Vulgata (1,9) dicit patrem filio nomen suum imposuisse; in versione quoque hebraica, quae Hebraeus Fagii vocatur, idem nomen patris et filii exhibetur טוֹבִיָּה (bonus est Dominus). In reliquis textibus filius appellatur Tobias, pater autem טוֹבִי i. e. bonum meum scil. est Dominus (Chald. et Hebr. Münsteri), Τωβεὶθ (א), Τωβεῖτ (B), Τωβίτ (codd. plerique), Thobis, Tobis, Tobi (Vetus lat.) quae nomina formam טוֹבִית i. e. bonitas scil. Domini praesupponere videntur; etsi igitur nominum formae diversae sunt, significatio est eadem.

Cum Anna uxore et Tobia filio in captivitatem Niniven abductus a Lege non defecit, et regis emptor factus (cod. א, Vetus lat.) eundi quocunque vellet facultate usus est ad concaptivos consolandos iuvandosque. A Sennacherib, qui Israelitas captivos opprimere coepit et post cladem in Palaestina acceptam multos occidit, ad mortem quaesitus cum uxore et filio fugitivus latere coactus est, sed initio regni Asarhaddon Niniven rediit et consueta opera misericordiae denuo exercere coepit. Novam vero subiit probationem, cum iuxta domus parietem obdormiens hirundinis stercore oculis privaretur. In miseriis ad Deum confugiens exemplar erat patientiae, iustitiae, pietatis. Mortem vicinam esse existimans filium misit ad Gabelum in Rages civitate Medorum exsulantem, a quo magnam pecuniae summam, quam ipse sub chirographo illi dederat, recuperaret. Ab angelo Raphael, qui Tobiam iuniorem comes itineris in Mediam duxit et ad parentes suos reduxit, caecitate liberatus per 42 annos vitam non minus fortunatam, quam piam egit usque ad aetatem 120 annorum et moriturus filio nepotibusque convocatis instantem ruinam Ninives et gloriam Israel praedixit. Cf. Tob. 1,1 ss.

3. Tobias iunior, filius Tobia seniore dignissimus. Angelo Raphaele comite iter in Mediam aggressus est; angeli hortatu piscem, a quo vitae periculum imminebat, apprehendit eiusque cor et fel et iecur ad medicamenta reservavit; Ecbatanis Saram filiam Raguelis uxorem duxit et iecore piscis incenso Asmodaeum daemonium fugavit; in Rages civitatem Medorum cum angelo profectus pecunias a Gabelo recuperavit; domum redux oculos patris felle piscis illito sanavit et angelo Raphael sese manifestante Deum cum suis benedixit; post mortem denique matris suae Ecbatana transmigravit cum familia sua, hereditatem domus Raguelis percepit et completis 99 annis in timore Domini ibidem sepultus est.

Nostra aetate librum Tobiae velut narrationem allegorico-propheticam interpretari conatus est *Ant. Scholz* (Würzburg, 1889), historice vero exposuerunt *Const. Gutberlet* (Münster, 1854), *H. Reusch* (Freiburg, 1857 et Theol.

Quartalschr. Tübingen XXXVIII. 1856, p. 422 ss.), *Gillet* (Paris, 1879), *C. M. Curci* (Lezioni s. sopra il libro di Tobia, Napoli, 1890), *A. Piffard* (Lille, 1901). Praeterea cf. *Fl. de Moor,* Le livre de Tobie et les premiers monarques sargonides d'Assyrie, Paris, 1895; *idem,* Tobie et Akhiakar, Louvain, 1902, qui defendit librum Tobiae utpote priorem et stricte historicum non dependere ab orientali fabula « sapientis Ahikar » et refellit ea, quae innuerat *E. Cosquin* in Revue bibl. 1899, p. 50 ss. Le livre de Tobie et l'histoire du sage Ahikar; p. 510 ss. Encore l'histoire du sage Ahikar.

4. Unus ex tribus legatis, qui Babylone a Iudaeis etiamnum exsulibus donaria in urbem attulerunt pro templi aedificatione vel generatim pro re divina (Zach. 6,10. 14; LXX appellative explicant οἱ χρήσιμοι).

5. Tobiae cuiusdam filii, qui cum Zorobabel ex Chaldaea redierunt; originem suam israeliticam ex genealogiis demonstrare non poterant (Esdr. 2,60; Neh. 7,62).

6. Tobias Ammanites (Ammonites), unus ex praecipuis regiis magistratibus in Samaria tempore Nehemiae, inimicus Iudaeorum (Neh. 2,10. 19; 4,3. 7; 6,1 ss.). Appellatur *servus*, vel quia revera servus fuerat, antequam ad magistratum eveheretur, vel probabilius quia erat regius magistratus (= servus; cf. 4 Reg. 22,12). Eius inimicitiae Nehemiae eo magis obstabant, quod cognatione cum nobilioribus quibusdam Iudaeis coniunctus multos in suas partes trahebat; erat enim Tobias gener Secheniae filii Area et Tobiae filius Iohanan uxorem duxerat filiam Mosollam filii Barachiae (Neh. 6, 17-19). Immo absente Nehemia, qui ad regem Persarum redierat, Tobias ab Eliasib pontifice, cognato suo, impetravit, ut sibi magnum in templo gazophylacium concederetur; Nehemias autem redux statim vasa domus Tobiae de gazophylacio proiicienda curavit (13,4-8). Cf. *J. Nikel*, Wiederherstellung des jüd. Gemeinwesens nach d. babyl. Exil, 1900, p. 188 ss. [Biblische Studien B. V. Heft 2 et 3].

7. Pater (avus) Hircani cuiusdam (2 Mach. 3,11); v. HIRCANUS.

TOBIEL (B Τοβιήλ, א A Τωβιήλ), pater Tobiae senioris (Vetus lat. Tob. 1,1; Vulg. omitt.). Correspondet hebr. טוֹבִיאֵל i. e. bonitas Dei, quoad sensum idem nomen ac Tobias, Tobi, Tobis.

TOPARCHIAE (τοπαρχίαι) nominantur 1 Mach. 11,28 tres civitates Samariae, quae Ionathae Machabaeo a regibus Syriae Demetrio I. et Demetrio II. traditae ac proinde Iudaeae attributae sunt et nomine νομοί designantur (1 Mach. 10,30. 38; 11,34. 57). Erant illae civitates Aphairema (quam Vulg. omittit), Lydda, Ramatha (1 Mach. 11,34). Eaedem tres comprehenduntur etiam 11,57 illis quattuor civitatibus, quarum possessionem Antiochus VI. Dionysos Ionathae confirmavit; quaenam illa quarta civitas fuerit, interpretes non conveniunt. — Locis citatis voces τοπαρχίαι et νομοί eandem habent significationem, dum e contra in Aegypto praefecturae (νομοί) in toparchias divisae erant (*Strabo* XVII. 1,3).

De undecim toparchiis, in quas Iudaea aetate romana erat distributa, vide s. v. IUDAEA.

TOPAZIUS in Vulgata, alias plerumque topazus (פִּטְדָה, τοπάζιον), lapis pretiosus, qui occupat locum secundum primi ordinis in pectorali pontificis (Ex. 28,17; 39,10) et secundum quoque locum in ornatu principis Tyri (Ez. 28,13). Topazius de Aethiopia Iob 28,19 enumeratur inter res pretiosissimas, quae non adaequabuntur verae sapientiae. In muro Ierusalem caelestis nonum fundamentum est topazius (Apoc. 21,20). Praeterea topazion (τοπάζιον) legitur in Vulgata Ps. 118[119],127 pro פָּז = aurum; v. AURUM.

Secundum Strabonem (XVI. 4,6) in sinu Arabico prope Berenicen et sinum immundum erat Ophiodes insula celebris « propter topazia; is autem est lapis pellucidus, aureo quodam splendore refulgens, quem interdiu quidem videre facile non est, cum solis luce superetur, noctu autem cernunt, qui colligunt lapidem ». De eadem insula refert Diodorus Siculus (3,39) : « Reperitur in ea topazium, qui lapis est pellucidus et ad-

spectu iucundus, vitro similis, miro modo auri adspectum colore suo et nitore praebens... Lapis ille in petris nascens per diem splendore solis veluti suffocatus non videtur; sed noctu per tenebras effulget suique locum situs, quicunque sit, a longinquo prodit ». Apud Plinium iuxta litus Troglodytarum memorantur duae insulae : Topazos quae gemmae nomen dedit et Cytis topazum ferens et ipsa (Nat. hist. VI. 29,169. 171); de quibus alibi (XXXVII. 8,107. 108) refert Plinius : « Egregia etiamnum topazo gloria est suo virenti genere et cum reperta est, praelata omnibus. Accidit in Arabiae insula, quae Cytis vocatur, in quam devenerant Trog[l]odytae praedones fame et tempestate fessi, qui cum herbas radicesque foderent, eruerunt topazon. Haec *Archelai* sententia est. *Iuba* Topazum insulam in Rubro mari a continenti stadiis 300 abesse dicit ». Multi quidem arguunt topazum Plinii correspondere chrysolitho viridi recentiorum et chrysolithum aureo fulgore tralucentem Plinii (XXXVII. 9,126. 127) correspondere topazo recentiorum. Sed hanc opinionem nullo solido argumento probari iam dictum est s. v. CHRYSOLITHUS. Fatendum utique est, quod Plinius dicit de virenti genere topazi, rarius inveniri in topazo recentiorum, quam aureum splendorem, quem efferunt Strabo, Diodorus Siculus et etiam Dionysii Periegesis 1121 : « flavescentia puri topazi frusta ». Topazus recentiorum pertinet ad gemmas, quae numerantur inter Sklerita ex ordine Silicatorum et classe Siliciolithorum. Cf. *Leunis-Senft*, Mineralogie (1875), § 574.

TOPHETH dicitur in S. Scriptura locus in valle Ennom, ubi impii reges Achaz et Manasses aliique excelsa seu aras in honorem idoli Moloch erexerunt ad comburendos filios suos et filias suas (תֹּפֶת, Ταφέθ : Ier. 7,31 s.; 19,6. 11-14; Is. 30,33. Cf. 2 Par. 28,3; 4 Reg. 16,3; 21,6). Quare a rege Iosia contaminatus atque foedatus est (4 Reg. 23,10) et vallis cadaverum et cineris evasit (Ier. 31, 39), ubi incolae ab hostibus interfecti sepeliendi praedicuntur (Ier. 7,32; 19,11). Ex verbis prophetae Topheth iuxta introitum portae fictilis (שַׁעַר הַחַרְסִית, πύλη ἡ Χαρσεί0 AQ, Θαρσείς B, Ier. 19,2, cf. v. 14) erat, quam eamdem esse cum porta stercoris plerique censent (v. IERUSALEM V.). Ab *Eusebio* « locus in suburbanis Ierusalem » dicitur, et alio loco accuratius : « est autem in suburbanis Aeliae usque hodie locus qui sic vocatur, iuxta piscinam fullonis et agrum Acheldema »; pariter S. Hieronymus : Topheth « illum locum significat, qui Siloe fontibus irrigatur ». Itaque inferiorem vallis Ennom partem, hodie *Wādi el-Rabābi* dictam, designare neque cum quibusdam recentioribus intra moenia antiquae urbis videtur collocandum esse. V. ENNOM.

Eusebius-S. Hieronymus, Onomastica Sacra, *ed. P. de Lagarde*, 263,72; 298, 46; 155,16; 158,14; *S. Hieronymus*, in Ier. 7,31 et 32,35, *Migne* 24,735 A. 897 D.

L. FONCK.

TORCULAR. Constabat torcular partibus duabus, superiore et inferiore. Et in illa quidem uvae excipiebantur et calcando exprimebantur (in calcatorio), liquor autem expressus per foramen defluebat in inferiorem quandam cupam, ὑπολήνιον, lacum, יֶקֶב, ex quo dein liquor in vasa seu lagenas colligebatur. Torcularia saepe in rupibus excidebantur et simul cum vinea instruebantur; cf. Is. 5,2 vinea facta est et torcular exstruxit in ea. Qui in calcatorio uvas calcabant, celeusmate, laeta acclamatione inter se hortabantur (cf. Ier. 25, 30; 48,33).

In inscriptione Ps. 8. 80. 83 legitur pro torcularibus; hebr. habetur עַל הַגִּתִּית, cuius notio obscura vel de instrumento musico vel de modo cantandi (ex urbe Gath?) explicari solet. Interpretatio Vulgatae derivatur ex גַּת torcular.

Uti messis saepius ponitur tamquam symbolum iudicii divini in hostes exercendi (cf. Is. 17,5; 18,5; 27,11; Os. 6,11; Ier. 51,33), ita torcular quoque. Utrumque coniunctum cernitur Ioel 3,13 : mittite falces, quoniam maturavit messis; venite et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum. Insignis est locus

Is. 63,3 : torcular calcavi solus; calcavi eos in furore meo... dies ultionis in corde meo; declarat Messias suum in rebelles hostes iudicium; conculcavit hostes morte sua, cuius mortis ac victoriae insignia secum fert.

TORRENS AEGYPTI (נַחַל מִצְרַיִם, χειμάρρους, φάραγξ, ποταμὸς Αἰγύπτου, Is. 27, 12 ἕως Ῥινοκορούρων) designatur velut terminus australis terrae Chanaan (Num. 34,5), territorii tribus Iuda (Ios. 15, 4), regni Salomonis (3 Reg. 8,65; 2 Par. 7,8; cf. 2 Par. 9,26), regionum, quas Nabuchodonosor regi Aegypti eripuit (4 Reg. 24,7), terrae Israel ante depopulationem (Is. 27,12). Ex opinione communi idem cum torrente Aegypti est Sihor Aegypti (1 Par. 13,5), qui est ante facies Aegypti (Ios. 13,3 hebr.); v. SIHOR AEGYPTI. Praeterea in descriptione finium terrae sanctae Ez. 47,19; 48,28 torrens ille, qui ab aquis contradictionis Cades ad mare magnum decurrere dicitur, est torrens Aegypti. Intellegendus est locis citatis inferior cursus illius vallis, quae hodie *Wādi el-ʿArīsh* audit, ad radices septemtrionales *Djebel el-Tīh* initium sumit, desertum *el-Tīh* rivulis undique collectis percurrit et in mare Mediterraneum desinit iuxta vicum *el-ʿArīsh*, ubi antiquitus erat *Rhinocolura* seu *Rhinocorura*.

TORRENS DESERTI (נַחַל הָעֲרָבָה, τοῦ χειμάρρου τῶν δυσμῶν) legitur in vaticinio contra Israel Am. 6,15 : (gens) conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti. Cum 4 Reg. 14,25 regnum Israel a Ieroboam restitutum auctumque describatur ab introitu Emath usque ad mare solitudinis (mare Mortuum), probabile est eosdem terminos etiam Am. 6,15 designari. S. Hieronymus interpretatur ab Emath usque ad Rhinocoruram et adnotat : « Symmachus interpretatus est vallem campestrem, Theodotio torrentem Arabiae, Aquila torrentem, qui est in planitie ». Alii intellegi volunt torrentem salicum (Is. 15,7), qui censetur esse *Wādi el-Ḥaṣā* inter Moab et Edom, alii denique rem in medio relinquentes unum ex torrentibus ab oriente in mare Mortuum influentibus.

TORTA panis, panis coctus in forma rotunda, hebr. כִּכַּר לֶחֶם ita Ex. 29,23; 1 Reg. 2,36; 10,3; 1 Par. 16,3; Ier. 37, 21. Alias, uti Prov. 6,26 legitur in Vulgata solum panis, Iud. 8,5 panes. Semel etiam חַלָּה vertitur torta panis (Num. 6,19), quae vox hebr. alias redditur crustula (Ex. 29,2. 23), panis (Lev. 2,4), laganum (Num. 6,15), collyrida (2 Sam. 6,19) i. e. collyris.

TRACHONITIS (Τραχωνῖτις) Luc. 3, 1 vel etiam ὁ Τράχων (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 16,5; XV. 10,1) est regio aspera a Damasco meridiem versus fere usque ad Bostram protensa. *Strabo* supra Damascum dicit esse duos colles, qui Trachones appellantur (XVI. 2,20; cf. 2,16). Onom. Eusebii et S. Hieronymi Trachonitidem prope Bostram collocat : Trachonitis... est trans Bostram Arabiae civitatem in deserto contra australem plagam quasi ad Damascum respiciens (*ed. Lag.* 298, 53; 155,24), terra iuxta desertum Arabiae, quod Bostrae iungitur (268,93; 135, 6), regio iuxta Bostram (269,17; 109,3). Plinius (V. 18,74) memorat Trachonitidem prope Paniadem, Ptolemaeus (V. 15, 26; *ed. Müller-Fischer* 14,20) Trachonitas Arabes ad orientem Batanaeae infra Alsadamum montem. Rabbini quoque Trachonitidem Bostrae vicinam esse consentiunt (cf. *Neubauer*, *Hildesheimer*, *Krauss*). Quoad Luc. 3,1 : « Philippo... tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis » notandum est in epistula Agrippae apud Philonem (Legat. ad Caium § 41; *ed. Mangey* II. 593 fin.) integram Philippi tetrarchiam designari τὴν Τραχωνῖτιν λεγομένην. Integra tetrarchia Philippi, quae Batanaeam, Trachonitidem, Auranitidem, Gaulanitidem, Paniadem comprehendebat, designari solebat una alterave dicione nominata velut a parte potiore. Eodem sensu ipse Flavius Iosephus Philippum dicit tetrarcham Trachonitidis, Herodem Antipam tetrarcham Galilaeae (Ant. XVIII. 5,4).

Cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 4, 1. p. 426. De testimoniis rabbinicis cf. *Neubauer*, Géogr. du Talmud,

p. 10-21; *Hildesheimer*, Beiträge zur Geogr. Palästinas, 1886, p. 55-57; *Krauss*, Griechische und lateinische Lehnwörter im Talmud etc. II. 275.

TRADITIO seniorum dicitur de complexu quodam praeceptorum et observationum quae a legis doctoribus excogitata sunt et praescripta ad accuratam legis mosaicae custodiam in tuto collocandam eamque variis vitae condicionibus accommodandam. Quae traditiones dicuntur *hominum*, ut distinguantur a lege divinitus lata eique opponantur (Marc. 7,8). Exempla habes Matth. 15,2 : quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant; et : quicumque dixerit patri vel matri : munus est, quo possis a me iuvari (i. e. quod tibi debeo, Deo consecravi), is iam non debet honorare, debitum victum patri vel matri praebere (cf. graecum Matth. 15,5. 6); quare Christus merito infert : et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Alia exempla habentur Marc. 7,3-13. Et quia eiusmodi vana praecepta Christus non observavit, Pharisaei ei irascebantur; cf. Matth. 12,2. 10; Luc. 6,7; 11,38; Ioan. 5,12; 9,16 etc.; haec quippe sunt onera gravia et importabilia quae legis doctores hominibus imponunt (Matth. 23,4; Luc. 11,46). Stephanus quoque accusatus est eo quod doceret traditiones a Iesu iri mutatum Act. 6,14. Quantopere Paulus, utpote Pharisaeus, ante conversionem fuerit aemulator paternarum traditionum, ipse narrat Gal. 1,14. Has autem traditiones esse inutiles declarat S. Petrus asserens fideles redemptos esse sanguine Christi de vana conversatione paternae traditionis (ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου). Iosephus quoque refert Pharisaeos multa instituta populo tradidisse a patribus accepta, quae in Moysis leges non sint relata; et Sadducaeos affirmare solum quae scripta sint (in lege) esse pro institutis habenda (νόμιμα τὰ γεγραμμένα), quae tradita sint a patribus non esse servanda (Ant. XIII. 10,6).

Ea quoque dicuntur traditiones, quae apostolus institutione fideles observare ac retinere docuit; quare monet : tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistulam nostram (2 Thess. 2,14); atque eiusmodi instituta orali traditione coetibus fidelium esse data, per se patet; et ipse apostolus Corinthiis scribit : cetera autem cum venero disponam (1 Cor. 11,34). Ipsa quoque doctrina Christi praedicatione est tradita; nam ad praedicandum apostoli missi sunt; scripta institutione usi sunt et pauci et solis condicionibus necessitatibusque particularibus coacti et ita quidem, ut quae scripserint iam supponant institutionem doctrinamque antea traditam.

TRAGELAPHUS (אַקּוֹ, LXX cod. A et cod. Ambrosianus = VII *Holmes* τραγέλαφος) enumeratur Deut. 14,5 inter animalia ex cervorum et dorcadum genere, quibus vesci licet; Targum, Syrus, Arabs : יַעֵל i. e. ibex; Graecus Venetus : τράγος. *Bochartus* (Hieroz. I. 1. 3, c. 19) interpretatur hirci silvestris speciem et in comparationem adducit ex lingua arabica *anāq* i. e. capella (assyr. *unīqu*). Probabilissime voce אקו idem animal designatur, quod voce יעל scil. ibex (v. s. v.).

TRANSFIGURATIO. In monte Christus secum adductis Petro et fratribus Iacobo et Ioanne transfiguratus est i. e. corporis permanente figura lineamenta eius gloriosius luciformi quodam colore imbuta sunt (ut S. Cyrillus ait), et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, graece : lucis instar (Matth. 17, 2; Marc. 9,1. 2; Luc. 9,29). Passione sua praedicta (Luc. 9,22) discipulos ostensa sua gloria confortare et erudire voluit. Humana autem Christi anima cum Verbo hypostatice unita fruebatur visione Deitatis; huius autem visionis effectus connaturalis est ipsius corporis glorificatio, quem effectum propter finem Incarnationis Christus cohibuit; at in transfiguratione eius aliquod specimen exhibuit; splêndor itaque hic ex anima eius beata in corpus emanavit et redundavit nobisque simul exemplum praebetur corporis gloriosi quod beati

resurrectione facta induent. De hac Christi gloria cum magna animi laetitia post multos annos loquuntur Petrus (2 Petr. 1,16-18) et Ioannes (Ioan. 1,14; 1 Ioan. 1,1 ss.). Cum eo apparent Moyses et Elias, qui legem et prophetiam repraesentant et sua praesentia indicant eum adesse qui sit legis et prophetiae finis et adimpletio. Loquuntur autem de excessu eius quem completurus erat in Ierusalem (Luc. 9,31); unde quod Christus apostolis de sua passione dixerat, ii iam audiunt enuntiari a duobus illis testibus; erudiuntur quippe, quod oportet Christum pati et ita intrare in gloriam suam (cf. Luc. 24,44).

De monte transfigurationis vide s. v. THABOR 2.

TRANSITUS. Ea voce explicatur Ex. 12,11 פֶּסַח : est enim Phase id est transitus Domini. Cur autem ita explicetur, declaratur v. 13 : erit autem sanguis vobis in signum in aedibus in quibus eritis et videbo sanguinem et *transibo vos* (וּפָסַחְתִּי עֲלֵכֶם i. e. praeteribo supra vos, parcam vobis) nec erit in vobis plaga disperdens. Quare ritus ille immolandi et comedendi agnum paschalem dicitur Ex. 12,27 : victima transitus Domini, quando transivit (פָּסַח) super domos filiorum Israel in Aegypto percutiens Aegyptios et domos nostras liberans. Erat enim pascha institutum ad commemorationem illius beneficii, cui liberatio a servitute aegyptiaca erat annexa. Unde voce ipsa pascha פֶּסַח beneficium illius *transitus* quo *pepercit* Israelitis percutiens Aegyptios declaratur. — In Vulg. Deut. 32,49 mons Abarim (הָעֲבָרִים) explicatur etymologice mons transituum (quae vox Ier. 22,20 redditur *transeuntes*, Abarim Num. 27,12 et 33, 47. 48; v. ABARIM).

TRANSMIGRATIO (גָּלוּת, גּוֹלָה, μετοικεσία, ἀποικεσία, ἀποικία). Designatur iis vocibus abductio populi Israel et Iuda in exsilium, atque ipse quoque populus abductus.

Et prius quidem regnum Israel, regnum septemtrionale decem tribuum, gradatim concidit. Iam diu internis discordiis discissum erat regnum; ipsa dominatio occupabatur et amittebatur caedibus. Contra Zachariam regem, filium Ieroboam, post sex menses dominationis coniuravit Sellum eumque interfecit; Sellum post unum mensem regni occupati occisus est a Manahem, qui dominationem suam firmare conatus est tributo soluto regi Assur; contra filium eius Phaceiam coniuravit Phacee eumque occidit. Omnes isti reges fecerunt malum coram Domino, non recesserunt a peccatis Ieroboam filii Nabat (4 Reg. 15,9-25). Phacee foedere inito cum Razin rege Syriae bellum movit contra Achaz, regem Iuda; qui spreto consilio prophetae Isaiae et mandato divino posthabito in auxilium advocavit Theglathphalasar, regem Assur (cf. Is. 7, 1 ss.; 4 Reg. 16,6 ss.). Hic rex ascendit in Damascum, vastavit eam et transtulit habitatores eius in Qir; bellum quoque intulit regno Israel, « et cepit Aion, Abel-Bethmaacha, Ianoe, Cedes, Asor, Galaad, Galilaeam, omnem terram Nephthali et transtulit eos in Assyrios » (4 Reg. 15,29; 1 Par. 5,26). Id quod c. annum 734 factum est (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cun. Inscr. and Old Test. I. p. 248. 251; de qua transportatione etiam mentio fit in inscriptionibus Theglathphalasar, sicut etiam de clade Razin regis c. an. 732).

Contra Phacee coniuravit et insidias tetendit Osee eumque percussit. Contra Osee ascendit Salmanasar, rex Assur, et factus est ei Osee servus et reddebat illi tributa. Verum Osee ope regis Aegypti Sua, ad quem miserat nuntios, se voluit liberare a dominatione assyriaca; rebellionem hanc repressit Salmanasar; rex victus est et in carcerem missus; ipsa urbs Samaria obsessa est tribus annis et demum a Sargon, successore Salmanasar regis, capta est et Israel traductus est in Assyrios (4 Reg. 17,2 ss.; cf. *Schrader* l. c. p. 263 ss.). Ita ruina regni adducta est idololatria et peccatis, contra quae frustra prophetae levaverunt vocem suam (4 Reg. 17,6-23). Spreto Domino modo ad Aegyptios modo ad Assyrios confugerunt auxilium sperantes, quam confidentiam iis fore in ruinam frustra docuerunt prophetae

(Os. 5,13; 7,9. 11. 16; 11,5; Is. 28,1). Capta est Samaria anno 722. Israelitae transportati sunt « in Hala et in Habor iuxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum » (4 Reg. 17,6). Regionem in Mesopotamia designari, dictum est s. vv. HALA et GOZAN. Media vero etiam in libro Tobiae ut regio exsulum regni Israel describitur (Tob. 3,7; 4,21; 5,7 etc.). Ex libro Tobiae simul elucet non defuisse inter exsules pios Israelitas; verum hos et numero paucos fuisse et plerosque, vel fere omnes paulatim ad mores vitamque gentium transisse et mox cum iis permixtos esse, inde satis apparet quod ex decem tribubus nulli numerantur inter reduces ex exsilio et decem illae tribus plane disparuerunt. Aliquos ex hisce tribubus, uti patet, in regione nativa relictos esse, etiam ex 2 Par. 30,1. 10 ss.; 31,1; Ier. 41,5 colligitur; etiam Luc. 2,36 mentio fit tribus Aser.

« Etiam Iudam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel » (4 Reg. 23,27). Nam in regno quoque Iuda eaedem causae ruinae repericbantur : idololatria (regibus Achaz, Manasse, Amon) et scelera ei adiuncta (cf. Is. 1,2 ss. principes Sodomorum, populus Gomorrhae — meretrix facta est civitas fidelis, etc. 3, 16 ss. Ierem. fere singulis capp. Ez. 16. 22 etc. Am. 2,4; Mich. 1,5; 2,1 ss.); spreto Domino ab Assyriis et Aegyptiis opem flagitabant (4 Reg. 16, 7; Is. 7,2 ss.; 20, 6; 30,2 ss.; 31,1; Ier. 2, 18; 37,4 ss.).

Tribus praecipue calamitatibus regnum Iuda concidit atque triplex incolarum transmigratio ac transportatio occurrit. Pugna ad Charcamis facta, qua Nechao rex Aegypti devictus est (c. an. 606), Nabuchodonosor mox Iudaeam quoque aggressus est et « tradidit Dominus in manu eius Ioakim et partem vasorum Dei et asportavit ea in terram Sennaar »; regem ipsum urbe capta cum ignominia esse habitum discimus 2 Par. 31,6 : et vinxit eum catenis, ut duceret eum in Babel (hebr.); id quod exsecutus non est. Ioakim enim submissione iram regis sedavit neque alterius regis instituti mentio fit; e contra pugna ad Charcamis facta est anno quarto Ioakim et undecim annos Ioakim regnavit (Ier. 46,2; 4 Reg. 23,36; 2 Par. 36,5). Etsi non ipse rex est abductus, tamen nobiles et ex ipsa familia regis pueri sunt in Babel transportati, uti Dan. 1,3. 4 indubie asseritur.

Maior quaedam transportatio contigit sub Ioachin rege, filio Ioakim. Post regnum trium mensium ei bellum movit Nabuchodonosor; Ioachin ei protulit thesauros templi et domus regiae; nihilominus abductus est ipse et mater eius uxoresque et eunuchi et universi principes et septem millia militum et mille artifices et ex reliquo populo tria millia viginti tres (4 Reg. 24,8-16; Ier. 52,28). Tertia transportatio effecta est sub rege Sedecia, qui spretis admonitionibus Ieremiae prophetae et Dei mandatis noluit subesse Chaldaeis, sed rebellione instituta ab Aegyptiis opem exspectabat (4 Reg. 24,20; 2 Par. 36,13; Ier. 37,6; Lament. 4,17; Ez. 17,15); quare Ierusalem urbs a Nabuchodonosor obsessa et anno undecimo Sedeciae, anno decimo nono regis Babylonis (an. 587) expugnata est et Nabuzardan, princeps exercitus, templum et urbem incendio vastavit. Iam ante hoc incendium Sedecias vidit in Reblatha filios suos occidi; ipse oculis effossis et catenis vinctus ductus est in Babylonem; Nabuzardan quoque transtulit in eam regionem animas octingentas triginta duas (Ier. 52,29) et post aliquot annos (anno 23. Nabuchodonosor) iterum septingentas quadraginta quinque (Ier. 52,30). Vasa quoque et ornamenta templi pretiosa in Babylonem translata sunt (4 Reg. 25,13 ss.; Ier. 27, 21; 52,17 ss.). Relicti tantum sunt ex populo paupere vinitores et agricolae (4 Reg. 25,12; Ier. 52,16). Ita impletum est quod Ieremias praedixerat (25,10); item quod iam ante eum Is. 39,6; Mich. 4,10.

Qui prima et altera transportatione abducti erant, spem fovebant reditus in patriam mox futuri, qua in falsa confidentia per pseudoprophetas confirmabantur (Ier. 29,15. 21. 31; Ez. 13,2 ss.). Frustra missis epistulis Ieremias eos dedocere conatus est vaticinatus reliquum quoque populum iri abductum. Quod cum eventu completum esset, utique falsa illa exspectatio concidit et exsules

sibi in Babylonia domicilia esse figenda intellexerunt.

De condicione exsulum varia referuntur. Dum ex una parte vexationes et afflictiones non defuisse traditur (cf. Is. 42,24; 43,28; 47,6; 52,5), ex altera parte admonentur : aedificate domos et habitate, et plantate hortos et comedite fructum eorum (Ier. 29,5); Ioakim, maritus Susannae, erat dives valde eique erat pomarium vicinum domui suae (Dan. 13,4); Daniel et tres eius socii in dignitatibus erant constituti (Dan. 1,18; 2,48. 49); ipse Ioachin rex ab Evilmerodach, successore Nabuchodonosor, e carcere eductus et regio honore ornatus est (4 Reg. 25,27; Ier. 52,31). Multi exsulum habebant servos (Esdr. 2,65). Ex cuneiformibus inscriptionibus et tabulis contractuum elucet, multos Iudaeos argentariam fecisse et commercia aliaque negotia sedulo esse prosecutos.

Quae de Nehemia (1,2), de Mardochaeo (Esth. 2,21; 6,4 ss.) et in libro Tobiae memoriae prodita sunt, pariter ostendunt condicionem exsulum minime caruisse vitae honoribus et commodis.

Exsules suos habebant magistratus et iudices; Ieremias misit epistulam suam ad seniores transmigrationis et sacerdotes (29,1); ad Ezechiel conveniunt seniores (14,1; 20,1); iudices constituti sunt senes (Dan. 13,5); principes familiarum recensentur Esdr. 8,1 ss. Inter exsules Ezechiel munere prophetico functus est atque cum Daniel in aula regia tanta valeret auctoritate, multum exinde commodi ad contribules redundasse probabile erit. De corruptione morum qua pars quaedam exsulum infecta erat, testimonium praebet Ez. 14, 3; 20,32; 33,31 ss.; verum pios maximo desiderio urbis sanctae et cultus divini inflammatos esse, satis docemur Ps. 136 : super flumina Babylonis etc. Sed multos ad idololatriam quoque pronos fuisse, colligitur ex studio quo Ieremias eos munire conatur contra illecebras et superstitiones (Ier. 10,2 ss.; Bar. 6,3 ss.).

Anno quarto Ioakim regis annuntiaverat Ieremias : et servient omnes gentes regi Babylonis septuaginta annis (25,11) et abducto Iechonia rege idem repetitur nomine Domini : cum coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos (29,10; cf. 2 Par. 36, 21; Dan. 9,2). Annus quartus Ioakim annus est 607-606 a. Chr.; regnum babylonicum concidit Babylone urbe a Cyro expugnata anno 538; et mox Iudaeis reditus in patriam permissus est. Habes ergo a prima transportatione usque ad tempus reditus fere annos septuaginta. Iterum mentio fit eius numeri Zach. 1, 12 : Domine, usquequo tu non miserebeberis Ierusalem et urbium Iuda; iste iam 70. annus est (cf. 7,5). Alia hic instituitur computatio scil. ab urbe destructa usque ad tempus prophetae (an. 2 Darii), ergo ab anno 588 usque ad annum 519 a. Chr.

TRIBULUS, τρίβολος proprie est herba mala in agris communis, quae a similitudine fructus cum telo bellico veterum nomen tribuli accepit. *Tribulus terrestris* Linné in Palaestina ubique crescit, ac praeterea in deserto sinaitico *Tr. bimucronatus* Viv. et *Tr. alatus* Delile (fam. *Zygophylleae*) inveniuntur. In S. Scriptura imprimis legitur pro graeco τρίβολος Matth. 7,16 et Hebr. 6,8. Quamquam in verbis Domini apud S. Lucam 6,44 loco tribuli potius rubus nominatur, atque in prima parte ipsius versiculi tribulis expressio generalis ἄκανθαι respondet, sensus tamen generalis vocis, qui his videtur indicari, bene plantae, quam nunc tribulum vocamus, aptatur. Pariter in verbis S. Pauli tribulus proprie dictus commode intellegitur. In Vetere autem Testamento tribulus versionis latinae respondet vocibus hebraicis דַּרְדַּר (Gen. 3,18; Os. 10,8), בַּרְקָנִים (Iud. 8,7. 16), חוֹחַ (Iob. 31,40), et graece σκόλοψ (Eccli. 43,21), de quibus v. art. SPINAE.

De tribulo cf. *E. Boissier*, Flora orient. I. 901-3; *Leunis-Frank*, Synopsis ed. 3., II. 2, p. 355; *G. E. Post*, Flora of Syria, 185 s. — *Theophr.* Hist. pl. VI. 5,3; *Vergil.* Georg. 1,153; *Dioscur.* Mat. med. 4,15; *Plin.* XXI. 16,58.

L. FONCK.

TRIBUNAL. Ponitur in Vulg. notione eadem qua vocem Latini usurpant de suggestu, de loco ad quem per gradus

ascenditur, de sede altiore; ita pro hebr. עָמוּד 4 Reg. 11,14; 2 Par. 34,31. Quod legitur 4 Reg. 9,13 : unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, explica ex hebr. posuerunt subter eum ad ipsos gradus (super ipsos gradus) et 3 Reg. 7,7 porticum solii, in qua tribunal est, fecit, hebr. ubi iudicat (LXX οὗ κρινεῖ ἐκεῖ). Pariter explica βῆμα 2 Mach. 13,26 : tunc ascendit Lysias tribunal i. e. locum editiorem, quo scil. commodius ad populum loqueretur. Eodem nomine etiam designatur locus, sedes iudicis; ita sedere pro tribunali ἐπὶ τοῦ βήματος iudicium agere, iudicare; cf. Matth. 27,19; Ioan. 19,13; Act. 12,21 etc.; similiter Act. 25,10 ad tribunal Caesaris sto, Paulus merito dixit, cum apud Festum iudicaretur; nam quae acta gestaque sunt a procuratore Caesaris, sic ab eo comprobantur, atque si a Caesare ipso gesta sint (teste *Ulpiano*, De officiis procuratoris). Cum iudicio divino post mortem sistendi simus, de tribunali Dei (Christi) Rom. 14,10 et Christi 2 Cor. 5, 10 quoque apte infertur sermo.

TRIBUNUS. Ubique in Vulg. designatur voce tribuni : princeps super mille, χιλίαρχος. Ea enim voce redditur hebr. שַׂר הָאֶלֶף, cf. Ex. 18,21. 25; Num. 31,14. 48. 52; Deut. 1,5; 1 Reg. 8,12; 17, 18; 22,7; 1 Par. 13,1; 15,25 etc. LXX χιλίαρχος; item χιλίαρχος 1 Mach. 3,55; 16,19; Iudith 14,11 et Marc. 6,21; Ioan. 18,12; Act. 21,31 etc.

TRIBUS. Haec vox ponitur in Vulg. pro hebr. לְאֹם gens, natio; item pro אֻמָּה eiusdem notionis; ita Gen. 25,16 (LXX ἔθνη); 27,29 : serviant tibi populi et adorent te tribus; Prov. 24,24 : maledicent eis populi et detestabuntur eos tribus; Is. 43,9; 51,4; Dan. 3,4. 7. Etiam ponitur pro מִשְׁפָּחוֹת Gen. 28,14 benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae.

Sed communiter adhibetur pro שֵׁבֶט, מַטֶּה (sceptrum, ramus?) ad designandas duodecim tribus illas, in quas ex filiis Iacob populus Israel dividebatur. Ubique enumerantur duodecim partes vel tribus, quamvis proprie essent tredecim; verum cum tribui Levi certa quaedam terrae portio non sit assignata, eius tribus in enumeratione non habetur ratio (cf. Num. 1,5-15; 13,5-16). Tribus nominantur secundum filiorum Iacob nomina; sex filios ei peperit Lia : Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Issachar, Zabulon; duos Rachel : Ioseph, Beniamin; duos Bala, famula Rachel : Dan, Nephthali; duos famula Liae, Zelpha : Gad, Aser. Iacob filios Ioseph, Ephraim et Manasse, inter suos filios reputavit : mei erunt, Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi (Gen. 48,5. 16); quare Ephraim et Manasse tamquam duae tribus recensentur; nominantur quoque filii Ioseph (Num. 1,10. 32 etc.), domus Ioseph (Ios. 17,17; 18,5; Iud. 1,22. 35), Ioseph (Ez. 47,13).

Tribus ipsae dividebantur in cognationes (מִשְׁפָּחוֹת), cognationes in domos (בֵּית אָבוֹת, בָּתִּים), domus in viros (גְּבָרִים, in singulas familias); cf. Ios. 7, 14 : accedetis mane singuli per tribus vestras et quamcumque tribum sors invenerit accedet per cognationes suas et cognatio per domos, domusque per viros; et ita sorte inventa est tribus Iuda, cognatio Zare, domus Zabdi, cuius domus cum in singulos viros divideretur, inventus sorte est Achan reus furti (Ios. 7,17); cf. 1 Reg. 10,19-21. Cognationes (Vulg. familiae) tribus Ruben recensentur Num. 26,5-7 quattuor, secundum filios eius quattuor (Gen. 46,9; Ex. 6,14; 1 Par. 5,3), tribus Simeon quinque, tribus Gad septem, tribus Iuda quinque, tribus Issachar quattuor, tribus Zabulon tres; tribus Manasse octo; tribus Ephraim quattuor, tribus Beniamin septem, tribus Dan una, tribus Aser quinque, tribus Nephthali quattuor (Num. 26,12-50). Qui tamen numerus cognationum minime constans mansit. Nam ex Num. 26,19 ss. iam patet cognationes esse ortas non solum ex filiis, sed etiam ex nepotibus, immo ex pronepotibus eorum a quibus tribus nominantur; quare in posterum quoque fieri potuit, ut novae cognationes exsisterent, aliae forte desinerent, prout per saeculorum cursum in ipsa propagatione vel exstinctione familiarum eve-

nire solet. Atque revera reperiuntur in libris historicis cognationes novae : cognatio Metri in tribu Beniamin (2 Reg. 10,21), cognatio Saul (2 Reg. 9,21); cf. Ruth 2,1 (hebr.); 1 Reg. 18,18; 20,6 (hebr.).

Tribubus praefecti erant « principes Israel » (Num. 1,44; 7,2; נְשִׂיא), « principes synagogae » (Vulg. נְשִׂיאֵי הָעֵדָה). Etiam David rege duces tribuum nominibus suis efferuntur 1 Par. 27,16 ss. Lege quoque hereditatis distinctio tribuum custodiebatur (cf. Num. 36,2) sicut iis quoque quae de anno iubilaei statuta sunt. Etiam regno israelitico destructo aliqui ex iis qui remanserant distincti tribubus vivebant (cf. 2 Par. 30,11); in exsilio quoque aliquatenus noscebatur, cuius quis esset tribus (cf. Tob. 1,9. 17; 2,2; 6,11; 7,3; Esth. 2,5) et quantopere stirps revertentium ex tribubus Iuda, Beniamin et Levi nota fuerit, satis patet Esdr. 8,1 ss. : hi sunt principes familiarum et genealogia eorum etc. et ex 1 Par. 9,3 ss.; Neh. 11,4 ss. 25-36; attamen de aliquibus effertur : non potuerunt indicare domum patrum suorum et semen suum utrum ex Israel essent (Esdr. 2,59; Neh. 7,61). Tempore Christi noscebatur fuisse Annam de tribu Aser, Paulum ex tribu Beniamin, (Luc. 2,36; Rom. 11,1; Phil. 3,5). Christum in electione duodecim apostolorum respexisse duodecim principes duodecim tribuum iam praeter alia concluseris ex verbis eius ad apostolos : sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel (Matth. 19,28); atque in duodecim tribubus populi Dei praefigurari populum Messiae et populum electorum in caelo colliges ex Apoc. 7,5 ss.; 21,12 ss.; id quod suo modo iam indicavit Ezechiel 47,13-48,35.

TRIBUTUM. Ea voce saepe exprimitur hebr. מַס quo vocabulo angaria, opera serva potissimum intelleguntur; in Vulg. etiam saepius exprimitur voce *tributarius*, *vectigalis*. Unde tributum in Vulg. saepe non intellegitur de pecunia soluta, de vectigali; cf. Gen. 49,15; Deut. 20,11 cunctus populus (urbis) serviet tibi sub tributo i. e. opera serva tibi praestabit; item 2 Reg. 20,24; 3 Reg. 4,6; 12,18; 2 Par. 10,18; Prov. 12,24. Item Ios. 17,13 fecerunt sibi Chananaeos tributarios; Iud. 1,28. 30 ss.; similiter Is. 31,8 iuvenes eius vectigales erunt. Ponitur quoque pro hebr. סֵבֶל 3 Reg. 11,28 i. e. onus (uti vox vertitur in Vulg. Ps. 80,7 et Neh. 4,11); item pro מִנְחָה donum 4 Reg. 17,3, ubi habetur : factus est Osee ei (regi Assyriorum) servus reddebatque illi tributa, hebr. donum; verum eiusmodi donum fuisse veri nominis tributum, facile intellegitur; item eo sensu ponitur tributum pro hebr. מִדָּה, מִנְדָּה Esdr. 4,13. 20; 6,8; 7, 24; Neh. 5,4; Is. 14,4 ponitur pro hebr. מַדְהֵבָה quae vox est et obscura et dubia et Reg. 8,1 pro אַמָּה : et tulit David frenum tributi de manu Philisthiim (alii explicant : capistrum metropoleos). Quod 1 Reg. 17,25 legitur : et domum patris eius faciet absque tributo, in hebr. est : faciet liberam, utique ab oneribus ceteroquin praestandis. Ponitur pro graeco φόρος 1 Mach. 1,5 etc. (princeps tributorum 1 Mach. 1,30 ἄρχων φορολογίας qui exactionis tributorum praefectus est); etiam pro τέλος i. e. vectigal 1 Mach. 10, 31; Matth. 17,24 : reges terrae a quibus accipiunt tributum?

Israelitis incumbebat sacra quaedam tributa solvere, scil. primogenita, primitias, decimas, de quibus vide sub iisdem vocibus. Dein Moyses iussus est summam tollere filiorum Israel, et unusquisque debebat Domino solvere tamquam תְּרוּמָה dimidium sicli (Ex. 30,12. 13; cf. 38,25). Tempore vero Nehemiae spoponderunt : statuemus super nos praecepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri (Neh. 10,32); unde patet, sicut tempore Moysis ad sacram supellectilem et tempore Ioas regis ad templi instaurationem populus pecuniam debuit conferre (2 Par. 24,6. 9), ita idem constitutum esse tamquam tributum ordinarium annuum tempore Nehemiae. Et hoc annuum tributum etiam reperitur Matth. 17,23, ubi simul discimus tempore Christi iam non fuisse tertiam sicli partem, verum di-

drachma i. e. siclum dimidium, uti erat tempore Moysis et Ioas. — Praeterea Israelitae debebant censum seu tributum solvere Caesari; id quod Christus quoque agnovit iis dicens : reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo (Matth. 22,21); et apostolus pariter docet : reddite ergo omnibus debita : cui tributum tributum, cui vectigal vectigal (Rom. 13,7). De Novi Test. pecunia in sacro et in civili tributo solvenda cf. *F. W. Madden*, Coins of the Jews, London, 1903, p. 289-293.

TRICLINIUM. Conclave in quo convivium habebatur voce hac in Vulg. solum designatur 1 Reg. 9,22; hebr. ponitur לִשְׁכָּה, quae vox alias in Vulg. redditur exedra, gazophylacium (cf. 1 Par. 9,26; Neh. 10,38; Ier. 36,10; Ez. 40, 17 etc.). Nullo modo de conclavi ad cenandum sermo est 4 Reg. 11,2, hebr. חֶדֶר הַמִּטּוֹת et quidem חֶדֶר הַמִּטּוֹת; scil. parvulus filius Ochoziae, Ioas cum sua nutrice absconsus est in cubili lectorum, ut servaretur a nece. Et Esth. 2,13 triclinium feminarum hebr. est domus בֵּית, habitatio, cubicula feminarum, uti in eodem versu בֵּית regis exprimitur cubiculum regis.

TRIERIS. Ea voce redditur hebr. צִי Num. 24,24; Is. 33,21; Ez. 30,9; Dan. 11,30. LXX solum Is. 33,21 habent πλοῖον; ceteris locis notionem navis non habent. Et si צִי significat navem, certe non explicite dicit navem triremem. Sed 2 Mach. 4,20 triremes (τριήρεις) commemorantur.

TRINITAS. Mysterium SS. Trinitatis, seu in Deo esse plures personas iam aliqua ratione indicatur in antiquissimis s. libris. Ad tale enim indicium haud immerito refertur modus quo Deus loquens inducitur : faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1,26); neque enim ullum est vestigium Deum quasi cum angelis consilium inire, vel adhiberi pluralem maiestaticum, alias ignotum; item habes Gen. 3, 22 : Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum; Gen. 11,7 : venite, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, et Is. 6,8 : quem mittam et quis ibit nobis? Porro proluditur revelationi eiusdem mysterii, dum Sapientia Dei iis designetur nominibus iisque describatur notis quibus ratio personae vel hypostaseos declarari solet. Talia leguntur Prov. 8,22 ss. Sap. 7,22 ss. Eccli. 24,5 ss. De quibus locis prudenter monet Card. *Franzelin* : « quamvis enim nondum supposita clara revelatione Novi Testamenti fortasse in ll. cc. non satis constaret de distinctione inter personam eius cuius dicitur Sapientia et personam quae ipsa appellatur Sapientia, hoc tamen mysterio iam cognito, quod Verbum et Sapientia hypostatica tamquam persona distincta gignitur a Patre, eandem veritatem etiam illic enuntiari nemo diffiteatur, qui perpenderit non homines, sed Spiritum sanctum « qui scrutatur profunda Dei » esse auctorem librorum sacrorum » (Tract. de Deo trino, *ed.* 3, p. 112). Immerito autem cerneretur vestigium seu indicium Trinitatis v. g. Ps. 32,6 : verbo Domini caeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum; neque bene allegari possunt alia v. g. Gen. 1,2 : et spiritus Dei ferebatur super aquas, Ps. 103,30 : emittes spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae, quamvis haec facilem habeant accommodationem.

Doctrina de Verbo Dei aliquo modo praeformata est in Targumim, in quibus actiones Dei ad extra fere Verbo Dei (Memra) adscribuntur, et Memra prorsus tamquam persona exhibetur.

Tali facta praeparatione mysterium demum per Christum patefactum et per apostolos promulgatum est. Et Christus quidem illud docuit omnibus illis quibus se verum Filium Patris probavit (cf. Matth. 11,27) verumque Deum esse ostendit (cf. Ioan. 5,17 ss.; 10,28 ss.; 14, 23 etc.) et quibus de Spiritu Sancto locutus est (Matth. 10,20; 12,32; Marc. 3,29; Ioan. 14,17. 26), quod mysterium clare exprimitur in formula baptismi Matth. 28,19; cf. Ioan. 3,5. Declaratur quoque omnibus illis in doctrina apostolorum quibus de divinitate Christi ac Spiritus Sancti constat simulque unus Deus affirmatur (1 Cor. 12,4 ss.; 2 Cor. 13,13 : gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiri-

tus sit cum omnibus vobis; 2 Petr. 1,2. 21; 3,18).

TRIPOLIS (Τρίπολις), urbs Phoeniciae, ad quam Demetrius filius Seleuci IV. Philopatoris Roma, ubi obses degerat, aufugiens appulit, ut Antiocho V. Eupatori regnum eriperet (2 Mach. 14, 1); v. DEMETRIUS 1. « Celebris in Phoenice urbs est Tripolis, consentaneam naturae suae appellationem habens. Tres enim in ipsa urbes continentur, stadii intervallo inter se diremptae. Una Aradiorum, altera Sidoniorum, tertia Tyriorum cognomentum habet » (*Diod. Sic.* 16,41; cf. *Strabo* XVI. 2,15). *Abulfeda* (Tabula Syriae, *ed. Köhler,* p. 102) eam distare dicit 90 milliariis Damasco, 54 mill. Heliopoli (*Baʿalbek*), duabus mansionibus Emesa. Hodie vocatur *Tarābulus,* ab incolis Damascus minor.

Cf. *Pococke*, Morgenland II. 254; *Burckhardt,* Reisen *ed. Gesenius*, I. p. 273 ss.; *Baedeker-Benzinger,* Pal. u. Syrien *ed.* 5, p. 370 ss. De nummis v. *B. V. Head*, Hist. Num., Oxford, 1887, p. 673 s.

TRITICUM (חִטָּה; πυρός, etiam σῖτος; Vulg. etiam frumentum; arab. *ḥinṭah*) abundabat in Aegypto, Assyria, Babylonia (v. s. vv.) et in Palaestina (Deut. 8,8; 32, 14; 33, 28; 4 Reg. 18,32; Neh. 5,2 ss.; Eccli. 39,31[32]; Ps. 80 [81],17; 147,14 etc.). Laudatur Ez. 27,17 triticum de Minnith, sed v. s. v. MENNITH. In sacrificiis offerebatur simila seu farina tritici subtilissima (Lev. 2,2; Num. 15,3 ss.; 28,7 ss.). Primitiae messis triticeae Deo offerendae erant (Ex. 23,16; 34,22; Lev. 23,10). Ex farina tritici conficiebantur panes azymi (Ex. 29, 2) et panes ad vitae usum cotidianum (v. PANIS et TORTA). Pro aula Salomonis cibus per singulos dies erant 30 cori similae et 60 cori farinae 3 Reg. 4,22 [5,2]. Tritici grana tosta comedebantur (v. POLENTA), sicut hodie quoque apud incolas moris est. In sepulcris aegyptiacis reperta sunt grana tritici, ex quibus recognosci posse videbantur species in tota antiquitate notissimae : *Triticum sativum* seu *vulgare* Vill., *Tr. turgidum* Linné, *Tr. durum* Desf. in Syria, Aegypto, Africa aquilonari hodie quoque frequentissimum, praeterea *Tr. dicoccum* Schrank et *Tr. Spelta* Linné. Cf. *V. Loret*, Flore pharaon., Paris, 1892, p. 21-23; *F. Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. 1896, II. p. 166-172. Varias species in planitiis cis ac trans Iordanem et in Syria abundanter crescentes enumerat *L. Anderlind* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. IX. 1886, p. 1 ss. Praeterea v. FRUMENTUM in vol. II. col. 314 ss.

TROAS (Τρωάς), urbs maritima ac praecipua Troadis regionis, paulo infra Hellespontum contra Tenedum insulam sita, proprio nomine Alexandria appellata vel ut ab aliis urbibus eiusdem nominis distingueretur Alexandria Troas (Ἀλεξάνδρεια ἡ Τρωάς). Prima vice S. Paulus Troadem venit in secundo itinere apostolico et inde visione viri Macedonis vocatus Samothraciam et sequenti die Neapolim navigavit (Act. 16,8-11). Ibidem Lucas Paulo se socium adiunxit (16,10), unde colligi potest eo tempore iam Christianos ibi fuisse. Secunda vice Apostolus Troadem venit in tertio itinere apostolico ibique Titum Corintho reversurum per aliquot dies frustra expectavit et quamquam opportunitas magna propagandi Evangelii se obtulit, tamen de Corinthiorum condicione anxius statim in Macedoniam perrexit, quo citius Titum inveniret (2 Cor. 2,12. 13); hic igitur secundus adventus Act. 20,1 inserendus est, ubi Troadis mentio non fit. Ex tertio hoc itinere rediens S. Paulus tertio Troadem venit, ubi Eutychum adulescentem a mortuis suscitavit (Act. 20,5. 6 ss.). Quarto denique Troade commorans apud Carpum penulam, libros, membranas reliquit (2 Tim. 4,13; v. CARPUS), probabilius in illo itinere, quod ex priore captivitate romana liberatus in Orientem suscepit. — Ruinae urbis hodie vocantur *Eski-Stambul*. De nummis cf. *B. V. Head,* Hist. Num., Oxford, 1887, p. 469. 470.

TROGILIUM (Act. 20,15 ἐν Τρωγιλίῳ, al. Τρωγυλίῳ, Τρωγυ[λ]λίῳ), promontorium Mycales montis exadversus Samum insulam. Illud μειναντες εν τρωγ... non habent ℵ ABC, sed plures solito alii codices, imprimis D (cod. cantabrig. seu Bezae). Cf. *Strabo* XIV. 1,12 (τῆς Τρωγι-

λίου καλουμένης ἄκρας); *Steph. Byz.* (Τρωγίλιον s. v. Τρώγιλος); *Ptol.* V. 2, 8 (*ed. Müller-Fischer* 2,6 Τρωγίλιον ἄκρον).

TROGLODYTAE (סַכִּיִּים, Τρωγλοδύται) enumerantur inter Libyes et Aethiopes in exercitu Sesac, regis Aegypti, contra Roboam, regem Iuda, proficiscentis (2 Par. 12,3). Vox hebr. designat : in tuguriis habitantes (cf. סֻכָּה, casa, tugurium, lustrum ferarum). Versionibus LXX et Vulg. designari videntur Troglodytae in Aethiopia iuxta litus occidentale sinus Arabici incolentes, quos commemorant *Strabo* (XVII. 1,2. 53) et *Plinius* (VI. 29,169 ss.).

TROPHIMUS (Τρόφιμος) Ephesius, comes S. Pauli ex tertio itinere apostolico Troade Hierosolyma revertentis (Act. 20,4 : *Asiani* vero Tychicus et Trophimus, sed cod. cantabrig. seu Bezae εφεσιοι). In illo tumultu, in quo Paulus Hierosolymis captus est, Iudaei asiani cum Trophimum Ephesium ex gentilibus esse scirent et in urbe cum Paulo vidissent, malitiose accusationem effinxerunt gentiles a Paulo in templum induci (21,29) i. e. in atrium Israelitarum; quae accusatio erat gravissima, cum sub poena capitis gentibus inscriptione publica interdictum esset, ne ultra atrium gentilium procederent (*Flav. Ios.* Bell. iud. V. 5,2; Ant. XV. 11,5; inscriptionem illam a *Clermont-Ganneau* repertam v. in Revue archéologique XXIII. 1871, p. 220 ss. 290 ss.). Eundem Trophimum S. Paulus infirmum reliquit Mileti in illo itinere, quod inter priorem et alteram captivitatem romanam inserendum est (2 Tim. 4,20).

TRYPHAENA (Τρύφαινα) mulier, quam salutat S. Paulus Rom. 16,12 sicut et Tryphosam, « quae laborant in Domino ». In Martyrologio Romano Tryphaena et Tryphosa dicuntur sorores Iconii oriundae, una cum S. Thecla a Paulo ad fidem adductae. Ex verbis Apostoli colligi potest eas fuisse diaconissas operibus caritatis ac forte etiam propagando Evangelio addictas.

TRYPHON (Τρύφων), tutor Antiochi VI. Dionysi, adversarius Demetrii II. Nicatoris et Antiochi VII. Sidetis regum Syriae. Tryphon erat ei cognomen; Flav. Iosephus (Ant. XIII. 5,1) et Strabo (XVI. 2,10) dicunt eum Diodotum Apameae in Syria natum. Tryphon dux fuerat in exercitu Alexandri Balae; postquam Demetrius II. regnum obtinuit (145 a. Chr.), Tryphon Antiochum VI. filiolum Alexandri ex Arabia reduxit et Demetrium II. Antiochia expulit (1 Mach. 11,39. 40. 54-56); foedus etiam iniit cum Ionatha Machabaeo (11,57-59). Sed cum ipse regnum Antiochi VI. ambiret, timens ne Ionathas huic consilio obsisteret, primum hunc fraude captum interfecit (12,39-54; 13,23), deinde in Syriam reversus ipsum Antiochum VI. interfecit et sibi diadema imposuit (13, 31. 32). Demetrius II. cum Tryphonem regno pellere non valeret, ad novas vires colligendas in Mediam profectus, sed ab Arsace VI. Parthorum rege captus est (14,1-3). Decem annis quibus in captivitate retentus est, Antiochus VII. Sidetes regnavit (138-129 a. Chr.). Is Tryphonem Dorae loco munito Phoeniciae circumclusit (15,10-14. 25). Ex hoc quidem periculo Tryphon feliciter evasit et primum Ptolemaida, dein Orthosiada aufugit (15,37); denique Apameae in Syria iterum ab Antiocho VII. obsessus mortem occubuit (*Fl. Ios.* Ant. XIII. 7,2; cf. *Appian.* Syr. 68; *Strabo* XIV. 5,2). De Antiocho VII. Sidete v. ANTIOCHUS 6.

TRYPHOSA (Τρυφῶσα), mulier quam S. Paulus salutat Rom. 16,12; v. TRYPHAENA.

TUBALCAIN (תּוּבַל קַיִן, Θόβελ καὶ Ἤν, quae duae voces abundant et ortae videntur ex καὶν), filius Lamech Cainitae ex Sella genitus (Gen. 4,22), malleator omnis operis (חֹרֵשׁ, ita cum Vulg., Chald. emendandum pro חֹרֵשׁ textus massorethici) aeris et ferri. Cf. *F. de Hummelauer* ad h. l. et supra (col. 211).

TUBIANAEI v. TOB et ISTOB.

TUBIN v. ISTOB.

TURTUR (תּוֹר, τρυγών) frequenter nominatur ut animal sacrificale (Gen. 15,9; Lev. 1,14; 5,7. 11), praesertim in variis purificationibus (Lev. 12,6. 8; 14,

22. 30; 15,14. 29; Luc. 2,24) et in renovanda consecratione nasiraeorum (Num. 6,10); recensetur inter aves migratorias (Ier. 8,7). Psalmista Deo commendat « animam turturis tui » (Ps. 73[74],19 hebr.). In Vulgata Ps. 83[84],4 scribitur turtur (LXX τρυγών) pro דרור, qua voce potius hirundo designari videtur. Vox turturis tempore verno ex Aegypto in Palaestinam redeuntis effertur Cant. 2,12; « turtur autem ex avibus advenis (non hirundo aut ciconia, cf. Ier. 8,7) idcirco nominari videtur, quod huius minurritio (« vox ») vernam voluptatem suo modo exprimit » (*G. Gietmann* in h. l.). Vulgata et LXX etiam Cant. 1,9 [10] turturem exprimunt, sed hebr. habentur funiculi seu catenulae, ornamenta sponsae. Reliqua vide s. v. COLUMBA, ubi etiam species turturis palaestinenses enumeratae sunt.

TYCHICUS (Τύχικος), comes S. Pauli (Act. 20,4; Eph. 6,21; Col. 4,7; 2 Tim. 4,12; Tit. 3,12), Ephesius (Act. 20,4 cod. Bezae et v. TROPHIMUS).

TYMPANUM (תֹּף, τύμπανον), instrumentum musicum vocale, figura rotundum vel quadratum, corio extento tectum, quod digitis palmave pulsatum sonum edit. Plerumque a mulieribus in choris ad laetitiae significationem pulsatur; cf. Gen. 31,27; Ex. 15,20 : sumpsit ergo Maria prophetissa tympanum in manu sua, egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris; Iud. 11,34 : revertente Iephte... occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris; 1 Reg. 10,5; 18,6; 2 Reg. 6,5; Iob 21,12; Ps. 149,3; 150,4; Is. 5, 12 etc. etc.

Tympanum fuisse quoque videtur instrumentum supplicii, in quo corpora reorum pellium instar distenta flagris caedebantur; ita Hebr. 11,35 ἐτυμπανίσθησαν, Vulg. distenti sunt. Et 2 Mach. 6, 19 αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῄγε, Vulg. voluntarie praeibat ad supplicium; cf. v. 30 : cum plagis perimeretur. In apocrypho quarto libro Mach. simile supplicium describitur τροχισθέντας ἀναιρεθῆναι (cap. 5), ἀνέβαλον αὐτὸν ἐπὶ τὸν τροχὸν, περὶ ὃν κατατεινόμενος ἔξαρθρος ἐγένετο, καὶ κατὰ πᾶν μέλος κλώμενος — cum in rotam iniiciunt, in qua extensus luxabatur totoque corpore diffracto cap. 9); similiter cap. 10. 11.

TYRANNUS. Nomen alicuius viri refertur 2 Mach. 4,40, qui inter milites Lysimachi recensetur et aetate pariter et dementia provectus describitur.

Alius eiusdem nominis vir nominatur Act. 19,9, qui Ephesi habuit scholam, in qua Paulus apostolus docebat (ab hora 5-10 [i. e. ab hora 11-4] uti codex D addit). Erat itaque Tyrannus rhetor, vel philosophus qui publice docebat.

Tamquam nomen appellativum adhibetur in Vulg. pro nobilibus, principibus; ita pro שׁוֹעַ Iob 34,19; Ez. 23,23; רַבִּים Iob 35,9; פרתמים (πρῶτοι, primores) Esth. 6,9; Dan. 1,3; רוזנים Hab. 1,10; גַּדְבְּרַיָּא Dan. 3,2. 3; sensu eodem domini nobilis, principis etiam Sap. 12,14; 14,16; Eccli. 11,4. Notio saevitiae et crudelitatis voci nequaquam inhaeret; additur vero explicite 2 Mach. 4,25; 7,27 (ὠμὸς τύραννος — crudelis tyrannus).

TYRUS (צֹר, צוֹר i. e. rupes, Τύρος, aram. טורא, assyr. *Ṣurru*), urbs Phoenicum maritima, antiquitate, mercatura, imperio in regiones transmarinas celebris, quae Osee 9,13 laudatur fundata in pulchritudine. Prima Tyri mentio habetur in descriptione termini Aser boreo-occidentalis : usque ad civitatem munitissimam Tyrum vel secundum LXX usque ad fontem (עיר pro עיר) Tyriorum, qua lectione admissa terminus Aser producitur usque ad *Rās el-'Ain* unius horae spatio infra Tyrum, ubi hodie quoque supersunt magna receptacula aquarum, ex quibus antiquitus aqua Tyrum deducebatur. Altera mentio Tyri habetur Ios. 19,35 post descriptos fines Nephthali : civitates munitissimae Assedim, Ser etc., si cum *F. de Hummelauer* interpretandum est : civitates munitissimae Tyriorum Tyrus etc.; v. ASSEDIM et SER. In censu populi iussu Davidis facto Ioab et principes militum transierunt prope moenia (arcem) Tyri 2 Sam. 24,7. Cum Davide et Salomone Tyrii foedere iuncti erant; v. HIRAM 2 et 3. Achab rex Israel uxorem duxit Iezabel, filiam Ethbaal regis Sidoniorum

3 Reg. 16,31 vel potius Phoenicum, qui Tyriis eo tempore parebant; v. ETHBAAL. Tyri mentio fit Ps. 44,13; 82,8; 86,4; sed Eccli. 46,21 [18] textus hebr. non vertendus est principes Tyriorum (Vulg. LXX), sed stationes hostis (צר).

Inter prophetas imprimis Isaias 23,1-18 oraculum in Tyrum profert, ruinam gloriae Tyri lamentatur, annuntiat humiliationem. « Perperam aliqui oraculum hoc Isaiae ad oppugnationes Tyriorum per Assyrios factas referunt. Verum obstat, quod v. 14 Chaldaei explicite nominantur; etiam quod oraculum ponitur post cladem illam, quae urbi Ierusalem a Chaldaeis demum erit infligenda, de Chaldaeis esse sermonem suadetur. Praeterea Salmanasar et Sargon parum videntur contra Tyrios effecisse. Nam uti Iosephus (Ant. IX. 14,2) ex Menandro refert, qui annales Tyriorum in graecum vertit, Tyrii classem sexaginta navium, quam Salmanasar rex Assyriorum ab ipsis Phoenicibus contra eos instruendam curaverat, vicerunt ac disperserunt; rex vero domum reversus est relictis excubiis, qui Tyrios ne haurirent aquam impedirent, ita ut Tyrii per quinque annos aquam ex puteis fossis haurire congerentur » (*Knabenbauer*, Comm. in Is. I. p. 445-6). Obsidio haec a Salmanasar IV. incepta erat simul cum obsidione Samariae et finem habuit anno 720 i. e. anno 2. Sargonis II. Ex inscriptionibus Sargonis autem non liquet, utrum Tyrum vi expugnaverit an pace composita obtinuerit : *pacificavit* (Cylindri Inscriptio 21). Sennacherib autem circa a. 702 Phoeniciam subegit; sed in enumeratione urbium captarum (Prisma hexagonum Sennacherib col. II. l. 34 ss.) ipsa Tyrus non nominatur. Cf. *C. P. Tiele*, Babyl.-assyr. Gesch., 1886-8, p. 223. 238. 240. 260.

Sicut prophetae Ioel 3,4 et Amos 1,9. 10 Tyriis hostibus Sion iudicium divinum denuntiant, ita Ieremias 27,3; 47,4 iugum babylonicum. Ab Ezechiele denique copiosissime describuntur 26,1-14 ruina Tyri, 26,15-21 terror ex clade ortus, 27,1-11 opulentia Tyri, 27,12-25 commercium et opes, 27,26-36 naufragium Tyri, 28,1-10 humiliatio regis Tyri, quibus accedit 28,11-19 carmen lugubre; eius autem castigationis exsecutor est Nabuchodonosor rex Babylonis Ez. 29,19. Nabuchodonosor Tyrum per 13 annos obsedisse refert Flav. Iosephus ex Philostrato (Ant. X. 11,1) et ex aliquo (Menandri) fragmento (cont. Ap. 1,21). De eventu obsidionis scriptores profani tacent, quo silentio confirmantur ea, quae ex modo loquendi Ez. 29,18 indubie constant : Tyrios fuisse multum afflictos, Nabuchodonosor non habuisse plenam laborum mercedem; pace demum composita videtur neutri parti plene satisfactum esse. Cf. *Tiele* l. c., p. 433 et praesertim *Movers*, Phoenizier II. 1, p. 427-450.

Ab eo tempore dominatio politica Tyri contrita erat. Sed commercia cum Tyriis etiam commemorantur Esdr. 3,7 et Neh. 13,16. Accedit oraculum Zach. 9,2. 3 contra Tyrum, quo confirmatur antiquum Dei decretum omnem potentiam inimicam esse deiiciendam et regno Christi subiiciendam; unde quae ab Alexandro Magno et Machabaeis contra gentes Iudaeis vicinas gesta sunt, nondum sunt plena vaticinii illius impletio, sed praeludia tantum. Tyrum ab Alexandro M. post obsidionem septem mensium captam esse referunt *Flav. Ios.* Ant. XI. 8,3. 4; *Diod. Sic.* 17,40-46; *Curt. Ruf.* Hist. Alex. IV. c. 2-4; *Arrian.* Exped. Alex. 2,16-24 etc. Ab eo tempore (332 a. Chr.) Tyrii Ptolemaeis, deinde Seleucidis parebant. Aeram Tyriorum ab anno 274-3 memorat Corp. Inscr. Sem. I. n. 7. A regibus Seleucidis circa a. 126 liberi suique iuris esse permissi sunt et a Romanis etiam libertate donati (*Strabo* XVI. 2,23; *Flav. Ios.* Ant. XV. 4,1), quam libertatem Augustus anno 20 a. Chr. propter seditiones restrinxit (*Dio Cass.* 54,7).

Vide praeterea 1 Mach. 5,15; 11,59; 2 Mach. 4,18. 32. 44. 49; Matth. 11,21. 22; 15,21; Marc. 3,8; 7,24. 31; Luc. 6, 17; 10,13. 14; Act. 12,20; 21,3. 7.

Iuxta Papyrum Anastasi I. Tyrus est urbs in mari sita, cui aqua navibus affertur (cf. *W. M. Müller*, Asien u. Eu-

ropa, 1893, p. 185). « Tyrus, inquit *Strabo* XVI. 2,23, tota fere insula est ac simili modo habitata, quo Aradus; ad continentem aggere annectitur, quem Alexander, cum obsideret, exstruxit. Portus duos habet, alterum clausum, alterum apertum, quem Aegyptium vocant »; 30 stadiis a Tyro austrum versus Strabo collocat Palaetyrum (l. c. 24), unde coniicere licet ibidem (*Rās el-ʿAin*) Strabonis aetate rudera praecipua urbis Palaetyri fuisse, dum pars e regione insulae opposita funditus fere deleta fuerit. Apud *Plinium* V. 19 (17), 76 circuitus Tyri, intra Palaetyro inclusa, est 19 mil. pass. Auctores igitur graeci et latini a Tyro insula distinguunt Palaetyrum, Tyrum veterem, antiquam in terra continente; cf. *Flav. Ios.* Ant. IX. 14,2 (Menander Ephes.); *Diod. Sic.* 17,40; *Curt. Ruf.* Hist. Alex. IV. 2,4. 18; *Iustin.* 11, 10. Recentiores coniiciunt urbi Palaetyro antiquitus nomen fuisse *Ushu*, quod legitur in documentis *Tell el-ʿAmarna* et in inscriptionibus cuneiformibus; cf. Ztschr. f. alttest. Wiss., 1897, p. 189; *Herzog-Hauck*, Real-Enc. f. prot. Theol. *ed.* 3, XVIII. p. 285.

Tyrus hodierna, urbs circa 6 000 incolarum, vocatur *Ṣūr;* sita est in angulo aquilonari urbis olim insulae; agger vero Alexandri Magni arenis obductis multum auctus, ubi a litore in mare prosilit, 2 km latus, ubi antiqua valla insulae attingit, 600 m latus est.

Cf. *F. C. Movers*, Phoenizier II. 1 (1849), p. 96-98. 118-243; *V. Guérin*, Galilée II. p. 180 ss.; *H. Prutz*, Aus Phoenizien. Geogr. Skizzen u. hist. Stud. 1876; *R. Pietschmann*, Gesch. d. Phoenizier, 1889, p. 61 ss.; *Fr. Ieremias*, Tyrus bis z. Zeit Nebucadnezars, 1891; *H. Winckler*, Altor. Forsch. II. 65 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte, 1897, III. p. 300-317.

U

UBIL (אֻבִיל, Ἀβίας, A Οὐβίας, recensio Luc. Ὠβήλ), Ismahelites, a Davide super camelos praepositus (1 Par. 27,30).

ULAI (אוּלַי, in pausa אוּלָי), flumen prope Susa in Persia (Dan. 8,2. 16). LXX 8,16 nomen habent Οὐλαί, sed 8,2. 3 Οὐβάλ i. e. אוּבַל, הָאוּבַל, flumen. Ulai fluvius censetur esse Eulaeus, Εὐλαῖος auctorum classicorum (*Arrian.* Alex. VII. 7,2; *Diodor.* 19,19; Ptolem. VI. 3,2) in Susiana, de quo *Plinius* VI. 27, 135 : « amnis Eulaeus ortus in Medis..... circumit arcem Susorum »; in inscriptionibus cuneiformibus idem vocatur *nar Ulaai* et prope Susa (*Shushan*) in Elam-Susiana fluere legitur. Multi coniiciunt hoc nomine designari fluvium *Kerkha* a Susis occidentem versus seu Choaspen veterum et huic coniecturae favet *Schrader-Whitehouse* (Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 135. 136); e contra *Delitzsch* pro certo affirmat eo nomine designari fluvium *Karūn* a Susis orientem versus (Paradies, p. 329). Magna profecto probabilitate gaudet opinio Ulai-Eulaeum esse fluvium *Karūn* (cf. *M. Hagen,* Atlas biblicus, 1907, Tab. 5 E 3); sed alii insuper advertunt fluvios in Susiana inde ab aetate classica suos alveos mutasse et coniiciunt *Karūn* inferiorem et *Kerkha* superiorem antiquitus unum eundemque fluvium fuisse (*A. H. Sayce* apud *Hastings,* Dict. of the Bible IV. p. 825).

ULAM (אוּלָם, Οὐλάμ). **1.** Unus ex posteris Machir et Maachae, pater Badan (1 Par. 7,16. 17).

2. Beniaminita ex posteris Saul, filius Esec primogenitus, cuius filii erant viri robustissimi et cum filiis ac nepotibus numerabantur usque ad centum quinquaginta (1 Par. 8,39. 40).

ULMUS (תִּדְהָר) memoratur in imagine prophetica Is. 41,19 (LXX λεύκη i. e. populus alba). Eadem vox hebraica Is. 60,13 redditur in Vulgata buxus, apud LXX πεύκη i. e. picea seu pinus silvestris. « Vocem esse obscurissimam vel eo fatentur interpretes, quod eam transferentes dissentiant fere omnes » (*O. Celsius,* Hierobot. II. p. 271). Coniicitur esse ulmus (Vulg. Is. 41,19). Secundum *E. Post,* Flora of Syria, Palestine and Sinai, 1896, p. 729 *Ulmus campestris* Linné invenitur in Syria aquilonari (*Aleppo, ʿAintāb* et aquilonem versus); sed arbor similis ex eadem familia Ulmacearum, *Celtis australis* Linné, in Syria communiter colitur et spontanea etiam crescit in montanis inferioribus iuxta litus maritimum et in valle Iordanis.

ULULAE dicuntur in Vulgata Is. 13,22 animalia quaedam in desertis ululantia, hebr. אִיִּים (LXX ὀνοκένταυροι), cui voci respondent in Vulgata Is. 34,14 onocentauri et Ier. 50,39 fauni ficarii. Probabiliter אִי est canis aureus (v. s. v.).

UNCIA legitur in Vulgata 2 Sam. 21,16 pro siclo et 3 Reg. 7,26 ponuntur tres unciae pro palmo minore seu latitudine quattuor digitorum.

UNCTIO, UNGUENTUM. 1. *Unctiones profanae.* Morem sese ungendi apud orientales esse pervulgatum, immo cotidianum constat eumque ob calores necessario exigi ad sanitatem tuendam, ad foetorem quendam a cute arcendum facile intellegitur. Praeterea adhibetur

unctio ad ornatum quoque et suaveolentiam; cf. Ruth 3,3 lavare et ungere; Iudith 10,3; Esth. 2,12; Susanna dixit puellis Dan. 13, 17 : afferte mihi oleum et smigmata; Sap. 2,7 : vino pretioso et unguentis nos impleamus; immo mulier illa pauper fatetur : non habeo quidquam in domo mea nisi parum olei quo ungar (4 Reg. 4,2) et Eccle. 9,8 legitur : omni tempore sint vestimenta tua candida et oleum de capite tuo non deficiat; cf. Ps. 22,5 : impinguasti in oleo caput meum. Quam copiosa et larga fuerit haud raro unctio, collige Ps. 132,2 : sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius et Ps. 44,9 : myrrha et gutta et casia a vestimentis eius; insuper ad honorandos convivas adhibebatur unctio, quam omittere erat reprehensione dignum; cf. Luc. 7,46 : oleo caput meum non unxisti. Maximo honori et reverentiae esse reputabatur ungere pedes : haec unguento unxit pedes meos (Luc. 7,46; Ioan. 12,2), id quod simul ut indicium magnae prosperitatis et opulentiae effertur (cf. Iob 29,6). Ad suaves odores habendos ipsa quoque supellex unguentis pretiosis aspergebatur : aspersi cubile meum myrrha et aloe et cinnamomo (Prov. 7,17); cf. Cant. 5,5 : manus meae stillaverunt myrrham. Tempore luctus unctio omittebatur; David luctu deposito lotus unctusque est 2 Reg. 12,20; Ioab mulieri Thecuitae dicit 2 Reg. 14,2 : lugere te simula, et induere veste lugubri et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens; et Christus monet : tu cum ieiunas, unge caput tuum, ne videaris hominibus ieiunans (Matth. 6,17). Insuper poena annuntiatur delinquentibus non iri relictum oleum Deut. 28,40 : olivas habebis in omnibus terminis tuis et non ungeris oleo, quia defluent et peribunt; cf. 28,51 et Mich. 6,15 : tu calcabis olivam et non ungeris oleo.

Unctio illa communis ac profana fiebat oleo olivarum; oleum recens exoptatur Ps. 92,11 (hebr.); tale oleum olivae indicatur, cum dicatur : olivas habebis et non ungeris oleo (Deut. 28,40), calcabis olivam et non ungeris oleo (Mich. 6,15). Sed oleo etiam admiscebantur aromata, boni odores (cf. Ps. 44, 9; Prov. 7,17); aromata enim recensentur inter res pretiosas (3 Reg. 10,10), Ezechias rex habebat cellam aromatum (Is. 39,2) et apothecas olei (2 Par. 32,28); aromata asportabantur a venditoribus Saba (Ez. 27,22). Oleum condiebatur nardo, quo condimento efficiebatur oleum pretiosum. Unguento nardi spicati (Marc. 14,3) vel nardi pistici (Ioan. 12,3) caput Christi unctum est (v. NARDUS). Plinius quoque unguentum tale esse pretiosum asserit scribens : ad regale unguentum inter alia adhiberi nardi spicam (XIII. 2,18). Ceterum v. OLEUM.

2. *Unctiones sacrae.* Praeter unctionem profanam sacra quaedam unctio habebatur, qua quaedam ad Deum consecratio exprimebatur. Quae consecratio iam innuitur, cum Deus dicat de populo quem ex misera condicione assumpserat sub figura puellae abiectae : et unxi te oleo (Ez. 16,9). Unctione consecrabatur ad ministerium sacrum supellex sacra; ita altare : unges illud in sanctificationem (Ex. 29,36) et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis ut sanctificentur, altare holocausti et omnia vasa eius, labrum cum basi sua; omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum (Ex. 40,9-11).

Unctione sacra instituitur Aaron sacerdos; Moyses oleum unctionis fundens super caput Aaron unxit eum et consecravit (Lev. 8,12); unde appellatur sacerdos qui unctus est (Lev. 4,3. 16; 16, 32; Num. 6,7 : consecratio Dei super caput eius est). Cum Aaron filii quoque eius uncti sunt (cf. Num. 3,3). — Unctione rex quoque sacra quadam dignitate insignitur; est quippe munus regium a munere theocratico minime alienum, et sedulo mentio fit unctionis factae in institutione regum (cf. Iud. 9, 8; 1 Reg. 9,16; 10,1; 15,1; 2 Reg. 2, 4 etc. etc.). Quare rex singulari ratione unctus, unctus (christus) Domini vocatur (1 Reg. 2,10; 12,3; 2 Reg. 1,14. 16; 19,21 etc.); quia christus Domini erat Saul, David non ausus est extendere manum in eum (1 Reg. 24,7. 11; 26,9. 11. 16. 23). Ceterum vide sub voce REX. — Semel etiam unctio ad munus propheticum commemoratur; 3 Reg, 19,16 ait

Dominus ad Eliam : Iehu filium Namsi unges regem super Israel, Eliseum autem unges prophetam pro te.

Cum itaque unctio fiat ad impertiendum munus sacrum sacerdotii et munus theocraticum regium et insuper unctio sit consecratio quaedam, facilis habetur transitus ad significationem unctionis quae fiat per Spiritum Sanctum; ita iam Is. 61,1 : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; et Ps. 44,8 exhibetur Messias unctus oleo laetitiae i. e. summa donatus beatitudine, eo quod dilexit iustitiam et odio habuit iniquitatem (cf. Hebr. 1,9); a Deo nos esse unctos docet apostolus (2 Cor. 1,21), de qua unctione per gratiam et Spiritum Sanctum loquitur quoque S. Ioannes (1 Ioan. 2,20. 27).

Peculiaris unctio cernitur Marc. 6,13. Discipuli a Domino ad praedicandum missi « daemonia multa eiiciebant et ungebant oleo multos aegros et sanabant ». Oleum enim ad sananda vulnera adhibebatur (Is. 1,6); etiam Samaritanus ille « alligavit vulnera infundens oleum et vinum » (Luc. 10,34) et Flav. Iosephus narrat Herodem graviter aegrotum a medicis εἰς πύελον ἐλαίου πλέον, in solium olei plenum demissum esse (Ant. XVII. 6,5). At actio discipulorum Domini habebat adiunctam sanationem immediate sequentem. Etsi igitur oleum apud Iudaeos tamquam medicamentum adhibebatur, evidens est unctionem olei ad morbos multos ac varios sanandos nihil conferre. « Erat igitur haec unctio symbolum quoddam virtutis illius a Christo, qui unctus vocatur, communicatae et aegris applicatae » (*Knabenbauer* ad Marc. 6,13).

Prorsus alia unctio aegrotorum a presbyteris cum oratione facienda nobis exhibetur Iac. 5,14 : « ungentes eum (infirmum) oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus et si in peccatis est, remittentur ei ». Huic unctioni cum oratione attribuitur remissio peccatorum; indicatur ergo eius dignitas vere sacramentalis; est unctio vere sacramentalis, minime vero solum medicinalis. Quod sacramentum docente Concilio Tridentino apud Marcum 6,13 est insinuatum, per Iacobum autem apostolum fidelibus commendatum ac promulgatum (sess. 14, de sacramento extr. Unct. cap. 1; can. 1).

UNGULA inter aromata semel in Vulgata commemoratur Eccli. 24,21, ubi textus graecus (v. 15) ὄνυξ habet. Hanc vocem graecam, quae hebraicam שְׁחֵלֶת explicat, S. Hieronymus altero loco, qui huius aromatis mentionem facit, retinuit (Ex. 30,34). V. ONYX 2.

UNICORNIS (μονόκερως) legitur in Ps. 21,22; 28,6; 77,69; 91,11 pro hebr. רְאֵם, רְאֵמִים, רֵים, quam vocem hebr. S. Hieronymus semel Is. 34,7 expressit eodem modo (« et descendent unicornes », LXX οἱ ἁδροί), dum alias eam reddidit vocabulo rhinoceros (Num. 23,22; 24,8; Deut. 33,17; Iob 39,9-10; LXX μονόκερως). Etiam Ps. 77,69 legitur unicornium (LXX μονοκερώτων); sed ex hebr. רְמִים et ex membro parallelo elucet hic sensus : aedificavit sicut *excelsa* (caelorum) sanctuarium suum (*Knabenbauer* ad h. l.).

Vox hebr. merito explicatur ex assyriaco *rīmu;* eius enim animalis imagines sculptas Assyrii reliquerunt, ex quibus commendatur explicatio de tauro fero, bubalo fero (cf. *Delitzsch*, Prolegomena e. hebr. aram. Woerterb. p. 15; Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, p. 33. 323).

Alii malunt explicare ex voce arabica *ri'm*, qua designatur antilope leucoryx; de oryge quoque accipit vocem *Schegg*, Bibl. Archaeologie, p. 79. Plinius scribit : unicorne asinus tantum indicus; unicorne et bisulcum oryx (XI. 46,255); quae eadem iam apud Aristotelem leguntur (Hist. animalium 2,1; Partes an. 3,2). Oryx autem unicornis censebatur, quia apud Aegyptios saepe tenero animali alterum cornu frangebatur et alterum retorquebatur, quo facilius domaretur neve cornu damnum inferret. Qui mos cum in Aegypto valeret, facile patet cur LXX Num. 23,22; 24,8; Deut. 33,17 μονόκερως habeatur.

Verum locis biblicis citatis efferuntur animalis magnitudo, robur, velocitas, indomita ferocia, quibus potius indicari videtur vel *Bos urus*, qui eiusdem generis ac *Bos primigenius* esse coniicitur

(cf. *A. E. Brehm,* Thierleben, 1883, III. p. 389. 424) vel *Bos Bison* (*Bonassus*) hodie quoque in Lithuania et Caucaso degens (cf. *Brehm,* l. c. p. 389 ss.). Bos Bison breviora cornua gerit, quapropter *H. B. Tristram* (Nat. Hist. of the Bible 1889, p. 146-150) potius *urum* historicum cum hebr. *reēm* componit. Uros in Germania degentes descripsit C. I. Caesar (Bell. gall. 6,28) : « Hi sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. Magna vis eorum est et magna velocitas; neque homini neque ferae, quam conspexerunt, parcunt..... Amplitudo cornuum et figura et species multum ab nostrorum boum cornibus differt ».

Antiquiorum opiniones refert *Sam. Bochartus* (Hieroz. P. II. l. 3, cp. 26 et 27; *ed. Rosenmüller* II. p. 313-366), qui *reēm* nec rhinocerotem nec urum, sed orygem esse defendit. *I. D. Michaelis* (Suppl. ad Lex. hebr. p. 2212-8) optionem inter bovem bubalum ferum et bovem aethiopicum i. e. rhinocerotem lectoribus relinquit, sed verisimillimam dicit sententiam, ראם esse bubalum in statu naturae et feritatis.

UPUPA (דּוּכִיפַת, ἔποψ) recensetur inter aves immundas Lev. 11,19 et Deut. 14,18 quo loco LXX pro upupa reddunt πορφυρίωνα, dum Deut. 14,17 pro porphyrione ἔποπα scribunt; sed notum est apud LXX ordinem vocabulorum turbatum esse. De significatione vocis hebraicae v. Ztschr. d. D. Morg. Ges. XXXI. 1877, p. 206 ss. L. 1896, p. 292-3. Upupa (gall. *huppe,* angl. *hoepoe,* germ. *Wiedehopf*) communissima est in Aegypto et valde communis in Palaestina, quam hieme ineunte relinquit et mense Martio revisit. Cf. *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 208-210.

UR. 1. Ur Chaldaeorum (אוּר כַּשְׂדִּים, *Uru* in cuneiformibus; LXX ἡ χώρα τῶν Χαλδαίων), urbs nativitatis Aran, ex qua emigravit Thare cum Abram et Lot Deo ita disponente (Gen. 11,28. 31; 15,7; Neh. 9,7). *Uru* eo loco fuisse censent quo hodie ruinae cernuntur *Mughair,* in ripa dextra Euphratis fere ad 31. gradum latitudinis (cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 114). *Uru* erat civitas cultui dei Sin i. e. Luni sacra; hic itaque deus Sin seu Lunus pertinet ad deos alienos, quibus Thare et Nachor teste Iosue olim servierunt (Ios. 24,2). Quoad verba S. Stephani Act. 7,2 : « Deus apparuit Abrahae, dum esset in Mesopotamia » advertit *Knabenbauer :* « Dicitur Mesopotamia sensu latiore omnis illa regio ad Euphraten et Tigrim ».

In Vulg. legitur Neh. 9,7 : « eduxisti eum (Abraham) de igne Chaldaeorum » ; etymologica scil. interpretatione אוּר (flamma, ignis) excogitata est fabula rabbinica, Abram ob idola despecta supplicio ignis esse demandatum et a Deo miro modo ereptum. Quam traditionem eo loco S. Hieronymus sua versione approbasse videtur. LXX ἐκ τῆς χώρας τῶν Χαλδαίων eo loco rite habent.

2. Ur (אוּר, Σθούρ, A Σούρ, A Ὠρά), pater Eliphal (1 Par. 11,35) seu Elipheleth herois davidici, qui 2 Reg. 23,34 dicitur filius Aasbai (vide s. v.).

URAI (עוּרִי, Οὐρεί), quintus ex filiis (seu posteris) Bela filii primogeniti Beniamin (1 Par. 7,7).

URBANUS (Οὐρβανός), operarius evangelicus, quem S. Paulus Rom. 16, 9 salutat « adiutorem nostrum in Christo ». Ipsum nomen eum Romanum fuisse prodere videtur.

URBS (עִיר, poetice קִרְיָה et rarius קִרֶת; πόλις).

I. Urbes orientis. Iam tempore patriarcharum, sicut nomades tentoria, ita agricolae firma domicilia habebant, quae crescentibus familiis in oppida et civitates excrescebant; primi urbicolae erant Cainitae eorumque urbs ab Henoch filio Cain nomen adepta est Gen. 4,17. Post diluvium Gen. 10,10 ss. memorantur urbes regni Nemrod. — Urbes antiquae generatim erant muratae Lev. 25, 29; Num. 32,17; singulae urbes Chanaan ab Israelitis Iosue duce erant expugnandae Ios. 6,1 ss. Sed etiam distinguuntur urbes muratae et non muratae seu apertae Deut. 3,5; Esth. 9,19. Exstruebantur urbes cum in vallibus frugiferis et iuxta vias mercatorum tum in

collibus et montibus Ios. 11,13; Matth. 5,14. Muri urbium habebant portas, fores cum postibus, seras, vectes Ios. 2, 5. 7; Iud. 16,3; 1 Sam. 23,7; 3 Reg. 4, 13; Ps. 147,13. Portis urbium superaedificabantur coenacula 2 Sam. 18,33 et speculae 18,24. Plura v. s. v. PORTA. Muri turribus firmabantur 4 Reg. 9,17; 2 Par. 14,7; 26,9. 15. Apud portas erant plateae maiores (רחבות) seu fora civitatis 2 Sam. 21,12; 2 Par. 32,6; Esdr. 10, 9; Neh. 8,1. 3. 16; Iob 29,7; Cant. 3,2; in foris etiam nundinae et mercaturae habebantur 4 Reg. 7,1. Plateae minores seu viae nominantur חוצות, חצות : 2 Sam. 1,20 compita Ascalonis; Iob 18, 17; Ier. 5,1; 14,16; 37,20[21 חוץ האפים platea pistorum]; Ps. 17[18],43; Is. 5,25 stercus in medio platearum); 10,6; Mich. 7,10; Zach. 9,3 (lutus platearum); item שוקים : Prov. 7,8; Eccle. 12,4. 5; Cant. 3,2; in Novo Test. πλατεῖαι Matth. 6,5; 12,19; Act. 5,15 etc. Cum platea seu parte urbis ab alienigenis habitata 3 Reg. 20,34 cf. Τυρίων στρατόπεδον in Memphis apud Herod. 2,112. Plateae lapidibus stratae nonnisi recentiore tempore memorantur apud *Flav. Ios.* Ant. XVI. 5,3; XX. 3,7.

Administratio urbium fiebat per seniores civitatis, qui apud portas congregari solebant; cf. Deut. 19,12; 21, 2 ss.; 22,15 ss.; 25,7 ss.; Ios. 20,4; Iud. 8,14; Ruth 4,2 ss.; 1 Sam. 11,3; 16,4; 30,26 ss.; 3 Reg. 21,8. 11. Eorum numerus raro indicatur, sed satis magnus videtur fuisse, ut ex numero 77 seniorum urbis Soccoth Iud. 8,14 concludere licet. Aetate quoque posteriore saepius mentio fit superiorum civitatis; cf. Esdr. 10,4; Iudith gr. 6,16. 21; 7,23; 8,10; 10,6; 13,12 et *Flav. Ios.* Bell. iud. II. 14,1 (βουλή). Praeter seniores etiam nominantur Deut. 16,18 שֹׁפְטִים iudices et שֹׁטְרִים magistri, Deut. 21,2 et Esdr. 10, 4 iudices; cf. 2 Par. 19,5 ss.

Distinguuntur urbs et vicus (חָצֵר, rarius כְּפָר) seu pagus (vicus maior). Distinctio inter urbes (plerumque muratas) et vicos seu pagos apertos in Vetere Test. passim supponitur; cf. Lev. 25,29-31; Neh. 11,25; Ez. 38,11. In Novo Test. aperte distinguuntur πόλις et κώμη Matth. 10,11; Marc. 6,56; 8,27; Luc. 8,1; 13, 22; Act. 8, 25. Appellatione κώμη designantur Matth. 21,2 Bethphage, Luc. 24, 13 Emmaus, Io. 7,42 Bethlehem. Ceterum modus loquendi variat; Bethlehem Luc. 2,4 πόλις, Io. 7,42 κώμη designatur; Bethsaida Marc. 8,23. 26 dicitur κώμη, sed Luc. 9,10 Bethsaida Iulias et Io. 1,44 Bethsaida Galilaeae πόλις appellatur. Memorantur etiam Marc. 1,38 κωμοπόλεις seu vici maiores, oppida rusticana; cf. *Wetstein* ad Marc. 1,38 : vicus magnus muris carens.

Urbibus subordinantur vici. In catalogis urbium Iosue cap. 15 et 19 et saepius recensentur urbes et villae earum (חַצְרֵיהֶן). Identidem mentio fit urbis et filiarum eius Num. 21,25. 32; 32,42; Ios. 15,45-47; 17,11; Iud. 11,26; 1 Par. 2,23; 5,16; 7,28 s.; 8,12; 18,1; 2 Par. 13,19; 28,18; Neh. 11,25 ss.; Ez. 16,46 ss.; 26,6; 30,18; 1 Mach. 5,8. 65. Supposita notione filiorum vocatur Abela seu Abel Beth Maacha 2 Sam. 20, 19 mater in Israel. Ex quibus efficitur vicos ab urbibus dependentes fuisse. Probabile autem est etiam urbes quasdam minores subordinatas fuisse maioribus; cf. Num. 21,25; Ios. 15,45-47; 1 Par. 2,23. Eiusmodi subordinationem ex aetate romana testantur 11 toparchiae, de quibus dictum est s. v. IUDAEA.

II. Urbes leviticae. Ex mandato Dei Num. 35,1 ss. filiis Levi assignandae erant 48 urbes, quae ipsis praeberent domos ad habitandum et pascua animalium. Neque tamen singulae 12 tribus concedere debebant filiis Levi urbes quaternas, sed vel plures vel pauciores iuxta mensuram territorii tribuum. Ex numero 48 urbium leviticarum designandae erant sex urbes refugii, trinae cis et trans Iordanem, in quas confugerent tam Israelitae quam advenae et peregrini, qui hominem innocentes interfecissent. Narratur Deut. 4,41-43 Moyses in regione transiordanica designasse urbes refugii tres et Deut. 19,1-13 explicatur lex de urbibus refugii inserto monito post dilatatos Israelitarum fines addendas esse tres alias urbes refugii; de quibus textibus Deut. v. commenta-

rios. Distributione finium peracta Iosue a Deo monitus urbes refugii constituit cis Iordanem Cedes in Nephthali, Sichem in Ephraim, Hebron in Iuda, trans Iordanem easdem, quas Moyses iam designaverat, Bosor in Ruben, Ramoth in Gad, Gaulon in Manasse Ios. 20, 1-9. Catalogus completus urbium leviticarum traditur Ios. 21,1-40; 1 Par. 6, 54-81[39-66].

Aaronitis assignantur urbes sacerdotales 13, in finibus Iuda et Simeon 9 (urbs refugii una), in finibus Beniamin 4.

In Iuda et Simeon : Hebron urbs refugii, Lobna (v. LEBNA), Iether, Esthemo, Holon, Dabir, Ain vel potius Asan, Ieta (deest 1 Par. 6,59[44]; v. IOTA), Bethsames seu Bethsemes.

In Beniamin : Gabaon, Gabae seu Gabee (v. GABAA 2), Anathoth, Almon seu Almath.

Caathitis levitis assignantur urbes leviticae 10, in finibus Ephraim 4 (urbs refugii una), in finibus Dan 4, in finibus Manasse occidentalis 2.

In Ephraim : Sichem urbs refugii, Gazer (v. GAZARA), Cibsaim (Ios. 21,22; sed 1 Par. 6,68[53] Iecmaam), Bethoron.

In Dan : Eltheco (deest 1 Par. 6), Gabathon, Aialon (Ios. 21,24; sed 1 Par. 6,69[54] Helon), Gethremmon.

In Manasse occidentali : Thanach (Ios. 21,25; sed 1 Par. 6,70[55] mendose Aner), Baalam (1 Par. 6,70[55]; sed Ios. 21,25 mendose Gethremmon; v. IEBLAAM).

Gersonitis assignantur urbes leviticae 13, in finibus Manasse orientalis 2 (urbs refugii una), in finibus Issachar 4, in finibus Aser 4, in finibus Nephthali 3 (urbs refugii una).

In Manasse orientali : Gaulon urbs refugii, Astharoth (1 Par. 6,71[56]; sed Ios. 21,27 Bosra; v. ASTAROTH).

In Issachar : Cedes (1 Par. 6,72[57]; sed Ios. 21,28 Cesion; v. CEDES 3 et CESION), Dabereth, Iaramoth seu Ramoth, Engannim (Ios. 21,29; sed 1 Par. 6,73[58] Anem; v. ENGANNIM 2 et ANEM).

In Aser : Masal Abdon, Helcath seu Hucac (v. HALCATH), Rohob.

In Nephthali : Cedes urbs refugii, Hammoth Dor (Ios. 21,32; sed 1 Par. 6, 76[61] Hamon), Carthan (Ios. 21,32; sed 1 Par. 6,76[61] Cariathaim).

Meraritis assignantur urbes leviticae 12, in finibus Zabulon 4, in finibus Ruben 4 (urbs refugii una), in finibus Gad 4 (urbs refugii una).

In Zabulon : Iecnam, Cartha, Damna (Ios. 21,35; sed 1 Par. 6,77[62] Remmono; v. REMMON 2), Naalol Ios. 21, 35; sed 1 Par. 6,77[62] Thabor).

In Ruben : Bosor urbs refugii, Iassa (Ios. 21,36; sed 1 Par. 6,78[63] Iaser; v. IASA), Cademoth (1 Par. 6,79[64]; sed Ios. 21,36 mendose Iethson), Mephaath.

In Gad : Ramoth urbs refugii, Manaim (v. MAHANAIM), Hesebon, Iazer seu Iezer.

UREDO. Percussae uredine dicuntur spicae quas Ioseph in somnio vidit (Gen. 41,6. 23); expressio hebraica שְׁדוּפַת קָדִים in LXX bene ἀνεμόφθοροι explicatur, ac pariter Vulgata v. 27 « *vento urente percussas* » exponit. V. FRUMENTUM n. 6.

URI (אוּרִי, Οὐρείας, Οὐρεί). **1**. Pater Beseleel artificis, filius Hur primogeniti Ephrata, quae erat secunda uxor Caleb filii Hesron de tribu Iuda (Ex. 31,2; 35, 30; 38,22; 1 Par. 2,20; 2 Par. 1,5). Uri et Beseleel ex alia gente ad Hebraeorum sacra transiisse et familiae Hur adscriptos esse coniicit *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 190).

2. Pater Gaber praefecti salomonici in Galaad (3 Reg. 4,19; LXX Ἀδαί).

3. Ianitor, qui uxorem alienigenam dimittere ab Esdra iussus est (Esdr. 10, 24; LXX Ὠδοὺθ).

URIA (Neh. 8,4) v. URIAS 5.

URIAS (אוּרִיָּה et Ier. 26,20-23 אוּרִיָּהוּ; LXX Οὐρείας, 1 Par. 11,41 Οὐρεί; Matth. 1,6 Οὐρίας).

1. Homo Hethaeus, centurio virorum fortissimorum Davidis (2 Reg. 23,39; 1 Par. 11,41). Bethsabee coniugem eius cum ad bellum Ammonitarum ipse profectus esset, David adulterio pellexit. Conceptam esse prolem audito rex quaesivit, qua via supplicium legibus statutum a muliere averteret et bonae homi-

num existimationi consuleret. Itaque per simulationem status rei bellicae cognoscendi Uriam ad se arcessivit arcessitumque adducere, ut cum uxore concumberet, bis callide studuit. Sed frustra; nam ille sive militem voluptatibus frui, cum arca Dei in castris esset, dedecere ratus sive fidem coniugis violatam variis rumoribus suspicatus, ut adulteri consilia eluderet, domo vitata noctes inter custodes regios transegit. Rex igitur spe rei tranquille componendae orbatus, ut hominem e medio tolleret, ad illam Uriae epistulam conficiendam descendit, qua Ioab duci imperavit, ut iniquo illum pugnae loco obiectum hostibus interficiendum curaret. Et summo discrimini oblatus periit (2 Reg. 11,1-25; Matth. 1,6).

2. Sacerdos quidam, qui ab Achaz rege iussus novam aram secundum exemplar altaris damasceni exstruxit (4 Reg. 16, 10 ss. cf. Is. 8,2).

3. Filius Semei, propheta aetate Ieremiae florens. Is cum a Ioakim rege ob vaticinia peteretur, in Aegyptum fugit, sed vi reductus gladioque percussus est (Ier. 26,20-23).

4. Filius Haccus (Neh. 3,21) sacerdos aetate exsilii babylonici, pater Merimuth (Esdr. 8,33; Neh. 3,3[4]).

5. Unus ex iis (probabiliter sacerdotibus), qui Esdrae verba legis recitanti ad dexteram adstiterunt (Neh. 8,4; Vulg. Uria).

H. WIESMANN.

URIEL (אוּרִיאֵל, Οὐριήλ). **1**. Levita de stirpe Caath, filius Thahath (1 Par. 6,24[9]).

2. Princeps levitarum de stirpe Caath tempore Davidis (1 Par. 15,5. 11).

3. Uriel de Gabaa, pater Michaiae seu Maachae, quae erat uxor Roboam et mater Abiae regis Iuda (2 Par. 13,2). Uriel matrimonio iunctus fuisse putatur cum Thamar unica filia Absalom (v. MAACHA 9).

URIM et THUMMIM (אוּרִים, תֻּמִּים). Primo videndum erit quibus in locis eorum mentio fiat et qua ratione veteres versiones voces illas expresserint. Et primo quidem legitur Ex. 28, 30 : pones in rationali iudicii Doctrinam et Veritatem i. e. pones in ornamento pectorali U. et T. quae erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino; Lev. 8,8 hebr. et posuit super eum (Aaron) ornamentum pectorale (khoshen) et dedit in ornamento pectorali U. et T. (Vulg. in quo erat Doctrina et Veritas); Num. 27,21 : et stabit Iosue coram Eleazar sacerdote et interrogabit pro eo in iudicio U. coram Iahwe (Vulg. et Eleazar sacerdos consulet Dominum); Deut. 33,8 U. et T. pertinere dicuntur ad Levi. Notanda est narratio 1 Sam. 14, 41, ubi textus hebr. mancus est, at integrum textum legimus in LXX et Vulg.; rogatur Dominus, ut indicet, per quem acciderit peccatum hoc (v. 38), et dixit Saul ad Dominum : si in me aut in Ionatha filio meo est iniquitas haec, da ostensionem, δὸς δήλους i. e. da U.; aut si haec iniquitas est in populo, da sanctitatem, δὸς δὴ ὁσιότητα, i. e. da T., et deprehensus est Ionathas et Saul; populus autem exivit; et dixit Saul : mittite sortem inter me et Ionathan; et captus est Ionathas. Postmodum 1 Sam. 28,6 Dominus non respondit Saul neque per somnia, neque per U. (hebr., ἐν τοῖς δήλοις, Vulg. neque per sacerdotes), neque per prophetas. Tempore Esdrae et Nehemiae aliqui non reperta scriptura genealogiae electi sunt de sacerdotio; de iis statutum est, ne comederent de sancto sanctorum donec surgeret sacerdos (aptus) ad (לְ) U. et T. Esdr. 2,63; Neh. 7,65. Bis etiam eorum mentio deprehenditur Eccli. 33,3(36,3) et 45,10 et ibi quidem legitur ὡς ἐρώτημα δήλων, uti responsum U., et altero loco δήλοις ἀληθείας, Vulg. iudicio et veritate.

U. et T. redduntur apud LXX Ex. 28,30(26) et Lev. 8,8 ἡ δήλωσις καὶ ἡ ἀλήθεια, Deut. 33,8 δῆλοι καὶ ἀλήθεια, Num. 27,21 τῶν δήλων; 1 Sam. 14,41 δὸς δήλους U. δὸς ὁσιότητα T.; 1 Sam. 28,6 ἐν τοῖς δήλοις. At Esdr. 2,63 ἱερεὺς τοῖς φωτίζουσι καὶ τοῖς τελείοις (τελειώσεσι), sed Neh. 7,65 ὁ ἱερεὺς φωτίσων.

Interpres syrus varie vertit : Ex. 28, 30 lucem et perfectionem (similiter Deut. 33,8); Lev. 8,8 dedit scientiam et veritatem; Num. 27,21 legem; 1 Sam. 14,41

da perfectionem; 1 Sam. 28, 6 Deus non respondit nec per ignem nec per aquam; Esdr. 2,63 sacerdos magnus et rogabit et videbit; item Neh. 7,65.

De aliis interpretibus graecis haec servata sunt: Ex. 28,30 οἱ λοιποί· τοὺς φωτισμοὺς καὶ τὰς τελειότητας, sed ex syr. hexapl. numerum singularem praebent Aquila, Symmachus, Theodotio; Lev. 8, 8 Aq. Theod. φωτισμοὺς καὶ τὰς τελειώσεις; Num. 27,21 οἱ λοιποί· τῶν φωτισμῶν; Deut. 33,8 Sym. τελειότης σου καὶ διδαχή σου; 1 Sam. 14,41 ἄλλος· δήλωσιν, ἄλλος· φέρε τελειότητα; 1 Sam. 28,6 Aq. ἐν φωτισμοῖς, Sym. διὰ τῶν δήλων; Neh. 7,65 ἄλλος· τῶν δήλων.

Vulg. Ex. 28,30 pones in rationali iudicii Doctrinam et Veritatem; item Lev. 8,8; Deut. 33,8 perfectio tua et doctrina tua; Num. 27,21 consulet Dominum; 1 Sam. 14,41 da ostensionem, da sanctitatem (ex LXX); 1 Sam. 28,6 neque per sacerdotes (hebr. U.), Esdr. 2,63 donec surgat sacerdos doctus atque perfectus; Neh. 7,65 donec staret sacerdos doctus et eruditus; Eccli. 33,3 interrogationem manifestat, Eccli. 45,10 iudicio et veritate.

Generatim dicitur U. et T.; semel Deut. 33,8 T. et U.; solum mentio fit U. Num. 27,21 et 1 Sam. 28,6. — Haec itaque ex textu hebr. et versionibus colliguntur. 1 Sam. 14,41 apparet oraculum sortium potuisse dari per U. et T., ita ut prodeunte U. Saul vel Ionathas rei declararentur, prodeunte T. autem populus; ita enim sortis decisionem Saul ibi definisse legitur. U. et T. solum pertinere ad sacerdotem magnum, videtur sequi ex Ex. 28,30; Lev. 8,8; Num. 27,21. Neminem ex veteribus interpretibus iam veram U. et T. significationm scivisse, patet ex variis versionibus quibus solum aliqua verbalis seu etymologica explicatio ex notione אוֹר et perfectionis תמם, תמים nobis proponitur, vel uti in Vulg.: consulet Dominum — i. e. per sacerdotes — per U. et T. oracula esse expetita a sacerdotibus. Potuisse per U. accipi responsum seu oraculum, uti alias per somnia vel prophetas, patet ex Num. 27, 21 et 1 Sam. 28,6. Ex loco illo Ex. 28, 30 discimus U. et T. fuisse duas res positas in ornamento pectorali i. e. quod erat quasi pera quaedam, et ex 1 Sam. 14,41 fuisse duas sortes. Porro Esdr. 2,63 et Neh. 7,65 apparet eo tempore etiam sperari fore ut surgeret sacerdos qui posset oracula dare per U. et T.; tempore autem Machabaeorum (1 Mach. 4,46 et 14,41) simili in condicione solum speratur fore ut legitimus surgat propheta. In tractatu mishnico (Sota 9,12) affirmatur a morte prophetarum priorum (i. e. ante exsilium) cessasse usum U. et T.; pertinent U. et T. ad quinque illas res quae teste synagoga deerant templo secundo.

Ex locis illis certo sequitur U. et T. non posse quaeri in duodecim illis lapidibus (quos pontifex in ornamento pectorali gerebat et) quorum vario splendore oracula data essent. Hanc sententiam videtur innuere Iosephus (Ant. III. 8,9), quamvis U. et T. non nominet; secuti sunt alii explicantes U. et T. lapides lucentes et immaculatos, quorum splendore vel non splendore oracula data sint (ita *Hamburger*, Realenc. für Bibel u. Talmud I. s. v. Urim; *Keil*, Archaeologie, *ed.* 2, p. 179; *Volck* ad Deut. 33,8).

Secundum Talmudistas responsum dabatur ex litteris quae in duodecim illis lapidibus inscriptae erant, ita ut certae litterae splendorem emitterent. Aliis placuit quaerere aliqua indicia ex consuetudine aegyptiaca. Referunt enim Diodorus Siculus (1,48. 75) et Aelianus (Var. hist. 14,34) iudicem aegyptiacum sacerdotem imaginem veritatis ζῴδιον (Diod.), ἄγαλμα (Ael.) gessisse ex collo pendentem; talem imaginem existimarunt alii repraesentasse *Ma* sive *Thmei*, deam veritatis et iustitiae; cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs of the ancient Egyptians, 1878, I. 296. III. 183). Unde pauci quidam putarunt nomina ipsa U. et T. vel saltem eorum coniunctionem peti oportere ex Aegypto (*Knobel* ad Ex. 28,30; *Steiner* apud *Schenkel* Bibellexicon V. 581). Sed merito haec ab aliis reiecta sunt. Ex 1 Sam. 14,41 nata est opinio U. et T. fuisse lapillos seu gemmas ad sortilegium, quae sententia varie est proposita. Similem sententiam proposuit *Haupt* (The Polychrome Bible, Proverbs, p. 33) U. derivari ab ארר maledicere (*to curse*) et

significare oraculi responsum inimicum, condemnatorium, T. responsum favorabile, absolutionem a crimine, liberationem. Eodem modo de U. opinati sunt *Wellhausen* (Prolegomena, *ed.* 3, p. 412), *Schwally* (Zeitschrift für alttest. Wiss. XI. 172) et alii. Demum etiam varia ratione recursum est ad Babylonios quoque : U. explicandum esse ex *urtu*, decisio, mandatum (ita *Zimmern*, Beiträge zur bab. Religion 2,91), quam opinionem *Haupt* l. c. falsam esse affirmat. In narratione de creatione Tiamat « tabulas fati » ponit super pectus Kingu, at Marduk victor illas sibi sumit — en, Ex. 28,30 etiam U. et T. sunt עַל לֵב in pectore Aaron. Verum quid ex hac adeo tenui similitudine colligi potest?

Quoties oracula data sunt per U. et T.? Res videtur incerta. Sunt quidem qui censeant de U. et T. usu et applicatione agi, quotiescumque legatur : consuluerunt Dominum, vel dicatur ad pontificem : applica ephod (Iud. 1,1; 20,18. 23. 28; 1 Sam. 10,22; 22,10; 23,11; 30, 7; 2 Sam. 2,1; 21,1). At licet dubitare; nam ex 1 Sam. 28,6 aperte patet, Deum consultum respondisse triplici modo vel per somnium vel per U. et T. vel per prophetas. Quando autem Deus consulitur per pontificem, tunc per U. et T. responsum esse datum, satis suadetur Num. 27,21 (hebr.), ubi iubetur Eleazar, si quid agendum sit, rogare pro Iosue in iudicio U. coram Domino.

Cf. *P. Scholz*, Die h. Altertümer des Volkes Israel I. p. 108 ss.; *F. X. Kortleitner*, Archaeologiae biblicae Summarium, 1906, p. 74 ss.; *W. Muss. Arnolt*, The Urim and Thummim, in Amer. Journ. of Sem. Languages and Lit. XVI. 1900, p. 193 ss.; *F. de Hummelauer*, Beitraege zum Gebrauch des Looses bei den Hebraeern, in Bibl. Ztschr. 1904, p. 254 ss.; *G. Wildeboer*, U. en T. in de Priesterwet, in Theol. Studien 1905, 3, p. 195 ss.; *E. Kautzsch*, U. und T. in *Herzog-Hauck*, Realencycl. f. prot. Theol. *ed.* 3, XX. p. 328 ss. et 334-336 (conspectus variarum interpretationum de U. et T.).

I. KNABENBAUER.

URSUS (דֹּב, דּוֹב, ἄρκος), animal ferum et rapax 1 Sam. 17,34 s.; 4 Reg. 2, 24; Prov. 28,15; Sap. 11,18; Eccli. 25, 24[16]; 47,3; Is. 11,7; 59,11; Lam. 3,10; Am. 5,19; ursa catulis orbata describitur ferocissima 2 Sam. 17,8; Prov. 17, 12; Os. 13,8. Regnum Medorum et Persarum emblemate ursi voracis Danieli (7,5) offertur; bestia de mari ascendens Apoc. 13,2 pedes habet sicut pedes ursi. In Libano et Antilibano hodie invenitur *Ursus syriacus* Ehrenberg qui colore minus fusco ab urso europaeo (*Ursus arctos* Linné) distinguitur; cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 48; *Leunis-Ludwig*, Zoologie, 1883, I. § 123, n. 6. Ursum syriacum esse speciem ab urso europaeo diversam nondum liquet; cf. *A. E. Brehm*, Thierleben II. 1883, p. 155. De frequentia ursorum in regionibus circa mare Mediterraneum aetate graeco-romana v. *O. Keller*, Thiere des klass. Altert., 1887, p. 106-128.

URTICA legitur in Vulgata pro hebr. קִמּוֹשׁ, vel forte melius שָׁקִמּוֹשׁ (Is. 34, 13; קִימוֹשׁ, LXX θλεθρος Os. 9,6; form. plur. קִמְשֹׁנִים Prov. 24,31) et סִרְפַּד (Is. 55,13, de quo loco v. SPINAE). Urticae, herbae malae etiam in Europa communissimae in Palaestina tres potissimum species habentur : *Urtica urens* Linné, *U. pilulifera* L., *U. membranacea* Poiret, praeterea in Libano et Antilibano *U. dioica* L. Cf. *E. Boissier*, Flora orient. IV. p. 1145-7; *G. E. Post*, Flora of Syria, 1896, p. 731 s.

US Gen. 10,23 v. HUS 1.

USURA. Lege mosaica cautum erat, ne Israelita pauper ab alio ditiore Israelita exactione usurae premeretur; ita Ex. 22,23 : si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor nec usuris opprimes; et Lev. 25,35 ss. pariter prohibetur, ne a fratre paupere usura exigatur, neve si quid cibi seu frumenti datum fuerit, plus poscatur quam quod datum fuerit. Duo quasi modi usuram exigendi distinguuntur : usura נֶשֶׁךְ quae est proprie usura pro pecunia commodata solvenda, et מַרְבִּית seu תּ (Vulg. superabundantia Lev. 25, 37), si pro cibo, frumento commodato

maior quaedam copia reddenda est. Pauperi igitur fratri Israelitae gratis erat succurrendum. Attamen securitati creditoris alia ratione erat provisum, scil. lege de pignore; verum ea quoque lege cautum erat, ne pauper rebus privaretur necessariis (cf. Ex. 22,26 s.; Deut. 24,6. 10-13. 17). Et si debitor solvere non poterat, licuit filios et filias vendere, vel seipsum vendere in servitutem (cf. Ex. 21,7; Lev. 25,39; Deut. 15,12), et creditor id poterat postulare (cf. 4 Reg. 4,2; Matth. 18,25).

Ab extraneis usuram accipere licuit; Deut. 15,6 : fenerabis gentibus multis; Deut. 23,19 : non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam nec fruges nec quamlibet aliam rem, sed alieno; 28,12 : fenerabis gentibus multis. Quare inter laudes iusti viri recensetur : pecuniam suam non dedit ad usuram (Ps. 14,5; cf. Ez. 18,8. 17) et inter scelera impii enumeratur quod usuram et superabundantiam exegerit Ez. 18,13; 22,12; idque Nehemias vehementer reprehendit (Neh. 5,7) et iussit eos reddere centesimam pecuniae, frumenti, olei, vini, quam exigere solebant (singulis mensibus? ita 12 per centum?). Divitiis quae per usuras acerventur pauperes adiutum iri Prov. 28,8 edicitur. In Vulg. etiam legitur usura Ps. 54,12; 71,14; iis locis graece quidem habetur τόκος; at τόκος ibi ponitur per quandam aequalitatem soni pro hebr. תּוֹךְ, qua voce non τόκος usura, sed oppressio significatur.

Nummularii seu argentarii pecuniam fenore elocabant; pecunia itaque iis commissa fenore augebatur; unde in parabola (Matth. 25,27; Luc. 19,23) servus ille piger reprehenditur : quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usura utique exegissem illam? — Ceterum vide s. v. FOENUS et cf. *J. Hejcl,* Das alttest. Zinsverbot im Lichte der ethnol. Jurisprudenz sowie des altorient. Zinswesens, Freiburg, 1907, [Bibl. Studien XII. 4. Heft].

UTER. In regionibus orientalibus utres adhibentur ad asservandum et transportandum vinum, lac, aquam. Conficiuntur utres minores ex pellibus ovium, caprarum; maiores ex pellibus boum, asinorum etc. Eiusmodi utres, cum sint ponderis levis, flexibiles neque concussione frangantur, ad itinera facienda multum commodi afferunt. Eorum mentio in s. litteris est satis frequens. Ita Abraham tradidit Agar ancillae panem et utrem aquae (Gen. 21, 14); Gabaonitae loquuntur de utribus vini (Ios. 9,13); Iahel aperuit utrem lactis (Iud. 4,19), Abigail praeter alia dona duos utres vini Davidi offert (1 Reg. 25, 18); Siba inter alia utrem vini comitibus David affert. Etiam 1 Reg. 16,20 hebr. Isai mittit utrem vini (Vulg. lagenam); item Ps. 56,9 hebr. lacrimae hominis afflicti repositae sunt in utre Dei (Vulg. in conspectu tuo). Condicio hominis miseri designatur Ps. 119,83 hebr. factus sum sicut uter in fumo (Vulg. in pruina). Consuetudinis mittendi vinum novum in utres novos Christus quoque meminit declarans suam doctrinam et regnum messianum minime concludi posse arctis illis veteris foederis limitibus, sicuti neque vinum novum includatur utribus veteribus (Matth. 9,17; Marc. 2,22; Luc. 5,37).

UTHAI (עוּתַי, Οὐθί, A Οὐθαί), unus de filiis Begui, qui duce Esdra ex captivitate redierunt (Esdr. 8,14).

UZAL (אוּזָל, Samar. אוזל, Gen. 10, 27 Αἰσήλ, A Αἰζήλ, 1 Par. 1,21 Αἰζήν, Vulg. Huzal) recensetur sextus inter tredecim filios Iectan (Gen. 10,27; 1 Par. 1,21); Iectanidae autem Arabiam meridianam incolebant (v. IECTAN). Ex antiqua traditione Arabum Uzal posthac *Szanaa* dicta est, hodie *Ṣanā*, urbs antiquissima Arabiae meridianae, metropolis regni Yemenitici inter *Aden* et *Nedjran*. Sexto post Christum saeculo nomen antiquum prae se ferunt Uzalii, qui in Arabiae felicis populis memorantur (*Assemani*, Bibl. Orient. I. p. 360). Etiamnum Arabes urbis *Szanaa* antiquum nomen fuisse Uzal contendunt. Cf. *Gesenius*, Thesaurus, p. 59 et Appendix, p. 67. 68; *Knobel*, Voelkertafel, p. 188. Utrum vero ad Uzal referri possint Autaridae (*Plin.* VI. 28,153) et Ausaritis, quae regno Gebbanitarum adnumeratur (*Plin.* XII. 16,69)

necne, inter doctos non convenit; *Knobel* affirmat, *Gesenius* negat. Multo magis dubitandum est, num Αὐσαρα Ptolemaei (VI. 7,11) urbs Arabiae meridianae ad orientem vergentis aliquem nexum cum Uzal habeat. — Probabilius etiam Ez. 27,19 de Uzal agitur; v. MOSEL.

V

VACCA. Ad aquam lustrationis conficiendam vacca rufa debuit immolari extra castra; dein debuit comburi tota simul cum ligno cedrino, hyssopo, cocco; cineres hi autem inserviebant ad aquam aspersionis (Num. 19,1-9); vide s. v. LUSTRATIONIS AQUA. Metaphorice et cum contemptu Amos mulieres superbas et luxuriosas compellat : audite verbum hoc vaccae pingues (4,1); similiter Os. 4,16 sicut vacca lasciviens declinavit Israel, et si principes tauris comparantur, dicuntur versari inter vaccas populorum (Ps. 67,31). Habitatores Samariae incusat Osee, quod vaccas Bethaven colunt i. e. simulacrum vituli in Bethel constitutum; cf. 3 Reg. 12,28 : Ieroboam fecit duos vitulos aureos et dixit eis : nolite ultra ascendere in Ierusalem : ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti; posuitque unum in Bethel et alterum in Dan. Ceterum v. BOS.

VAGAO (Βαγώας), eunuchus Holofernis; in textu graeco : ὃς ἦν ἐφεστηκὼς ἐπὶ πάντων τῶν αὐτοῦ (Iudith 12,11. 12; 13,1; 14,13).

VALLIS tribus vocibus נַחַל, גַּיְא, עֵמֶק expressa triplici sensu accipienda est.

Voce נַחַל designatur vallis cum rivo vel torrente sive perenniter scaturiente sive per aestatem evanescente v. g. vallis Arnon, Besor, Carith, Cedron, Cison, Escol (v. ESCOL 2), Gerara, Iaboc, Qana (v. ARUNDINETI VALLIS), Settim (v. ABELSATIM), Sorec, imprimis vallis Miṣraim (v. TORRENS AEGYPTI). Vallis cum rivo vel torrente dicitur arab. *Wādi*.

Voce גַּיְא designatur vallis, ubi aqua confluit, regio depressa, ut vallis frugifera circa Samariam (Is. 28,1), vallis tenebrarum (Ps. 22[23],4), vallis viatorum seu transeuntium, quae vocabitur vallis multitudinis Gog (Ez. 39,11. 15), praeterea appellatione propria vallis artificum (v. s. v. ONO), vallis Hinnom (Vulg. Ennom, Geennom), Iephtahel, vallis Salinarum, vallis hyenarum seu Seboim, Sephata; insuper v. VISIONIS VALLIS.

Voce עֵמֶק describitur regio depressa et longe lateque patens v. g. vallis Hebron (Gen. 37,14), vallis prope Hai (Ios. 8,13), vallis Aialon (Ios. 10,12), vallis prope Bethsames (1 Reg. 6,13), vallis prope Gabaon (Is. 28,21; cf. 1 Par. 14, 13), vallis cadaverum (Hinnom) prope Ierusalem (Ier. 31,40), vallis Iezrael (Ios. 17,16; Iud. 5,15 hebr.; 6,33; 1 Reg. 31, 7; 1 Par. 10,7; Os. 1,5), variae partes Sephelae (Iud. 1,19. 34), variae valles in Moab (Ios. 13,19; Ier. 48,8), in Ammon (Ier. 49,4). Accedunt denique appellatione propria vallis Achor, Baca, Benedictionis (v. s. v. IERUEL), Casis, Iosaphat, Raphaim, vallis Regis seu Save (v. SAVE), vallis Silvestris (v. SIDDIM), vallis Terebinthi (v. TEREBINTHI VALLIS).

VALLIS (הַגַּיְא cum articulo; LXX νάπη, φάραγξ, sed Num. 21,20 *ed. Sixt.* cum B εἰς Ἰανήν, A νάπην), ultima castrametatio Israelitarum in montanis Moab, iuxta caput Phasga (Num. 21,20), con-

tra fanum Phogor seu Bethphogor (Deut. 3,29; 4,46). Ibidem sepultus est Moyses (Deut. 34,6; בְּגַי, ἐν Γαί), etsi non in ea vallis parte, ubi castra fuerant, sed in loco abditiore.

VANITAS, VANUS. Vox haec in Vulg. non uni, sed pluribus exprimendis inservit. Saepe explicat הֶבֶל; ita continuo in Eccle. vanitas vanitatum et omnia vanitas etc.; est autem הבל aspiratio, aura, vapor inducitque in cogitationem vacuitatis, inanitatis, mobilitatis. Latine retenta metaphora dicere possis fumum fucumque, quae vocabula de iis usurpantur quae levia ac futilia, fugacia ac fallacia sunt. Formula haec : vanitas vanitatum, quodammodo pro superlativo quo carent Hebraei adhibetur; proin intellege vanitatem qua maior fingi vix possit, quae omnem sui generis notionem exhauriat, quae prorsus nihil sit nec ullo numero habenda omnino (*Gietmann*, Comment. in Eccle. p. 69). Atque ea notione legitur Ps. 30,7; 38,6; 61,10; 77,33; 143,4. — Ceterum alias quoque notiones הבל induit; ita idola dicuntur inanitates et ponitur vox pro ipsis diis Deut. 32,21; 3 Reg. 16,13. 26; 4 Reg. 17, 15; Ier. 2,5 (cf. 8,19; 10,8; 16,19). Porro ponitur pro hebr. שָׁוְא i. e. malum, falsum, mendacium; ita Ex. 20,7 assumere nomen Dei in vanum i. e. ad malum, mendacium, proin peierare; item Deut. 5,11; ita Iob 31,5 : si ambulavi in vanitate i. e. si male, fraudulenter egi; Ps. 25,4 non sedi cum concilio vanitatis; 118,37 averte oculos meos ne videant vanitatem i. e. malum 138,20; 143,8; Prov. 30,8; Is. 5,18; 59,4. Legitur quoque pro רִיק, רֵק vacuum, inane Ps. 4,3 ut quid diligitis vanitatem? 2 Par. 13,7 viri vanissimi, filii Belial; item pro הַוָּה scelus, pernicies Ps. 37,13 locuti sunt vanitates i. e. scelesta, 51,9; etiam pro תֹּהוּ desolatio, inane Is. 24,10; 1 Reg. 12,21; etiam pro רְהָבִים non respexit in vanitates i. e. in superbos; etiam pro חֶבֶל Neh. 1,7 vanitate seducti sumus i. e. male et perverse egimus contra te. Alias exprimit notionem μάταιος Eccli. 34,5; Sap. 13,1; Rom. 8,20; Eph. 4,17. Quandoque legitur in Eccli., ubi graece non habetur, v. g. 17,29; 23,8.

VAPSI (וַפְסִי, Ἰαβεί), pater Nahabi exploratoris de tribu Nephthali (Num. 13,15[14]).

VASSENI nominatur 1 Par. 6,28 [13] filius Samuel primogenitus; sed vide s. v. IOEL 1.

VASTHI (וַשְׁתִּי, Ἀστίν) Esth. 1,9 ss.; 2,1. 4-17; uxor Assueri (Xerxis) quae ab eo repudiata est, quia ad eius imperium renuit venire et sese ostendere principibus. Uxores quoque conviviis virorum interesse non erat alienum a moribus Persarum (cf. *Herodotus* 9,110). Nomen reginae apud *Iosephum*, Ant. XI. 6,1 scribitur Οὐάστη (*ed. Dindorf*), Ἄστη (*ed. Niese*).

VATICINATIO, VATICINARI; vide s. v. PROPHETA.

VEL (אוֹאֵל, Οὐήλ), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,34).

VELUM. In tabernaculo foederis tria vela distinguenda sunt. Primum velum ac praecipuum separabat sanctum sanctorum a sancto. De hoc velo agitur Ex. 26,31 ss. et 36,35. 36; 40,21. Conficiebatur de hyacintho (purpura violacea) et purpura (rubra) coccoque (bis tincto) i. e. panno cocco tincto et bysso retorta, opere plumario (vide s. v.) et cherubim intexebantur; appendebatur ante quattuor columnas de lignis setim. Alterum velum erat in introitu ex atrio ad sanctuarium; in Vulg. appellatur tentorium Ex. 26,36 et 36, 37; confectum erat pannis iisdem ac prius illud; at non habebat cherubim intexta et dum prius erat opus חֹשֵׁב, hoc alterum erat opus רֹקֵם (vide s. v. POLYMITARIUS). Hoc alterum appendebatur quinque columnis deauratis. Tertium velum erat ad introitum in atrium sanctuarii (Ex. 27, 16); confectum erat eodem modo ac velum sanctuarii et quattuor columnis appensum, altum cubita quinque, latum viginti cubita; cf. Ex. 38,18; in Vulg. iis locis vocatur tentorium. Sanguis sacrificalis aspergi debuit contra velum pri-

mum (hebr. פָּרֹכֶת) septies in sacrificio pro peccato sacerdotis Lev. 4,6, pro peccato totius populi Lev. 4,17. Quando castra movenda erant, hoc velo a sacerdotibus involvebatur arca testimonii (Num. 4,5); alia duo portabantur a levitis filiis Gerson (Num. 4,25. 26). In templo Salomonis velum ante sanctum sanctorum commemoratur 2 Par. 3,14 : fecit velum ex hyacintho, purpura, cocco et bysso et intexuit ei cherubim; erat proin eiusdem generis ac velum primum tabernaculi foederis. In templo quoque quod exstructum est post exsilium vela commemorantur ante sanctum sanctorum et ante sanctuarium; cf. 1 Mach. 1,23 et 4,51. Et de templo quod Herodes magnificentius exstruendum et ornandum curavit pariter refertur velum ante sanctuarium et ante sanctum sanctorum. Utrumque commemorat *Iosephus*, Bell. iud. V. 5,4. 5 et prius quidem ita describit : peplum erat babylonium, variatum ex hyacintho, bysso, cocco, purpura, opere mirabili contextum. Alterum ille quidem non describit; at certe eodem modo vel etiam magnificentius erat confectum. Si tractatibus mishnicis et gemarae babylonicae fides est adhibenda, hoc velum ante sanctum sanctorum duobus constabat, quae cubito inter se distabant (Ioma 5,1; *Surenhusius* II p. 231. 232). Et in tract. Sheqalim 8,5 (*Surenh.* l. c. p. 204) ita velum describitur : « veli crassitudo est palmus, et contextum est ex 72 filis, quorum unumquodque habet 24 filamenta; in longitudine habet 40 cubita, in latitudine decem et ex 82 myriadibus confectum est », quem numerum explicant de filis, e quibus velum fiebat; alii autem de summa denariorum aureorum quae impensa erat, quam Maimonides assignat octingenta millia denariorum et viginti millia. Sed bene addit : quidquid de hoc velo dicitur, per modum excellentiae dicitur; sic enim in Gemara exponunt (l. c.).

Hoc velum interius scissum est in morte Christi a summo usque deorsum; eo autem scisso declarabatur efficacia mortis Christi, qua aditus ad caeleste sanctuarium iam sit apertus (cf. Hebr. 9; 10,19 ss.), qua ratione ab apostolo indicata excluditur quod alii quandoque proponunt in morte Christi velum sanctuarii, non sancti sanctorum esse scissum.

VENATIO. Hebraeos venationi operam dedisse iam proditur proverbio illo : quasi Nemrod robustus venator coram Domino (Gen. 10,9). Venationi studuit Esau, quem Isaac pater prae Iacob amabat eo quod de venatione illius vesceretur (Gen. 25,28) et cum ante mortem ei vellet benedicere, dixit : sume arma tua, pharetram et arcum et egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum (Gen. 27,3). Inter animalia quae comedere licet etiam ea recensentur quae sola venatione capi possunt; cf. Deut. 14,5. 6 et Lev. 17,13 statuitur : si venatione atque aucupio ceperit quis feram vel avem quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius et operiat illum terra. Ad convivia Salomonis praeter alia etiam illa inserviebant quae venatione cervorum, caprearum atque bubalorum et avium altilium capta erant (3 Reg. 4,23). In venatione praeter arma etiam adhibebantur laquei, retia, fodiebantur foveae ad capienda animalia; cf. Iob 18,8-10; Ps. 90,3; 123,7; 7,16; Eccli. 27,22; 11,32 perdix inducitur in caveam et caprea (dorcas) in laqueum; Is. 51,20 oryx illaqueatus; Ier. 5,27 decipula plena avibus; Ez. 19,4 hebr. leo in fovea captus; item v. 8. Venatio eo quoque necessaria erat, ne hominibus et gregibus ferae insidiarentur. Ita David pastor contra leones et ursos dimicare debuit (1 Reg. 17,34) et vir propheta in via a leone est occisus (3 Reg. 13,24); qui in terram Samariae immigraverant, permultum a leonibus infestabantur (4 Reg. 17,25. 26). Quam nota fuerit venatio, etiam comparationibus adhibitis satis demonstratur; cf. Ier. 16,16; Lament. 3,52; Hab. 1,15; Eccle. 7,27; 9,12; Is. 31,4 etc.

VENDITIO. Qua condicione quis agrum vel possessionem suam vendere potuerit, vide s. v. POSSESSIO. Ex lege Ex. 21,7 apparet licuisse, ut quis necessitate coactus filiam suam venderet in

famulam; at populo alieno eam vendere nunquam licebat neque patri neque hero. Creditor quandoque ita debitum suum repetiit, ut filios debitores venderet in servos (cf. 4 Reg. 4,1); sed qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum, convictus noxae morte moriatur Ex. 21,16; Deut. 24,7; si quis bovem aut ovem furatus sit et vendiderit, quinque boves pro uno restituet et quattuor oves pro una ove Ex. 22,1. Morticinum, quo Israelitis vesci erat prohibitum, poterat tamen peregrino, alienigenae, advenae vendi Deut. 14,21. Si quis propter viam longiorem decimam aliaque non poterat ad sanctuarium perferre, poterat ea vendere et cum pretio ad sanctuarium peregrinari Deut. 14,24 ss. Si quis mulierem bello captam in uxorem assumpserit, iam non poterat eam vendere alteri in servam Deut. 21,14. Nehemias Tyrios qui pisces et alia venalia in Ierusalem inferebant, prohibuit ea vendere in sabbatis; id quod antea facere consueverant Neh. 13,16-21. Christus similiter atrium templi esse emporium et locum quo venderentur res ad cultum necessariae, vehementer increpabat (Ioan. 2,14 et Matth. 21,12; Marc. 11,15; Luc. 19,45).

VENTILARE, VENTILABRUM. Ventilatione frumentorum grana ex aristis excussa separabantur a palea. Ventilabatur versus vesperam quia tum ventus congruus communiter flabat (cf. Ruth 3,2); verum apte monet Siracides : μὴ λίκμα ἐν παντὶ ἀνέμῳ (Eccli. 5,11); nam vento vehementiore etiam grana abripiuntur (cf. Ier. 4,11); proin talis ventus erat exspectandus, quo paleae commode auferrentur (cf. Ps. 1,4 hebr.; 35,5 hebr.; Os. 13,3). Ad cumulum frumenti ita purgatum etiam noctem transigere non erat inusitatum, quo magis custodiretur a furibus; ita Booz in area dormivit (Ruth 3,4). — Frequenter verbum adhibetur sensu translato de hoste qui funditur fugaturque, de dispersione inter alienigenas, de eiectione ex regione (cf. Deut. 33,17; 3 Reg. 22,11; Ps. 43,6; Is. 29,5; 41,16 etc.). Celebre est illud Ioannis Baptistae de Messia : cuius ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam (Matth. 3,12; Luc. 3,17), quo indicatur iudicium in infideles et contumaces exercendum et eos esse eiiciendos e populo Dei qui ei fidem adhibere detrectaverint.

VENTUS. Uti reliqua omnia, ita ventus quoque ad Deum auctorem et creatorem refertur; Am. 4,13 dicitur Deus creare ventum, Iob 28,25 ventis pondus facere, Ps. 134, 7 et Ier. 10,13 ventos producere de thesauris suis, Ps. 103,4 iis uti tamquam nuntiis suis, Ps. 148,8 qui faciunt verbum eius. Et quia sunt nuntii eius, facientes verbum eius, ipse Deus super pennas ventorum volare, ambulare dicitur Ps. 17,11; 103,3, praesertim eo quoque quia iis utitur ad iudicia sua exsequenda; ita ventus egrediens a Domino coturnices attulit Num. 11,31; Ps. 77,26; cf. Sap. 5,24; Is. 41,16; 57, 13; Am. 4,9 percussi vos in vento urente; Ion. 1,4; 4,8; Agg. 2,18; Eccli. 39,33 ss.

Frequens est mentio quattuor ventorum ex quattuor terrae plagis flantium; cf. 1 Par. 9,24; Ier. 49,35; Ez. 37,9; Dan. 7,2; 8,8; 11,4; Zach. 2,6; 6,5; Matth. 24,31. Magna emphasi dicitur de dispersione vel eiectione populi : dispergam eos in omnem ventum i. e. quoquoversus, in omnes partes; cf. Ier. 49, 32. 35; Ez. 5,12; 12,14; 17,21. Ventus urens קָדִים, ventus ab oriente flans, in Palaestina ventus est vehemens Iob 27, 21; Ier. 18,17; Hab. 1,9; eo contritae sunt naves Tharsis Ps. 48,8 hebr. cf. Ez. 27,26 hebr.; aestu et ardore suo segetes plantasque comburit; cf. Gen. 41,21 spicae vento urente percussae (hebr. 6,23; Vulg. uredine); Ex. 10,13; Ez. 17, 10; 19,12; Ion. 4,8 etc., unde apud LXX καύσων appellatur. Ventus ab austro flans calorem et aestum affert Iob 37, 17 : nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro? Luc. 12,55; affert quoque tempestatem, turbines Is. 21,1; Zach. 9,5. Ventus ab occidente, a mari flans affert pluviam; ab ea regione Elias nubes colligi pluviamque exspectat dicens ad puerum : ascende et prospice contra mare 3 Reg. 18,42 ss. et Luc. 12,54 : cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : nimbus fit, et ita fit. Ventus ab

aquilone flans Prov. 25,23 dicitur etiam pluviam afferre, LXX ἐξεγείρει νέφη; in Vulg. vero : ventus aquilo dissipat pluvias; eo frigus effici saepius enuntiatur : Iob 37,9 ab arcturo frigus, Eccli. 43, 22 frigidus ventus aquilo flavit etc., quo frigore exstinguit viride sicut igne. Quandoque modo loquendi duo venti ex diversis regionibus flantes iunguntur; ita Ps. 78,26 hebr. קָדִים et תֵּימָן flare fecit ventum ab oriente et a meridie; qua ratione exprimi videtur euronotus, ventus scil. flans inter ortum et meridiem. Similiter Is. 41,25 : suscitavi ab aquilone et veniet ab ortu solis i. e. a regione inter septemtrionem et orientem solem spectante. — Vehementioribus ventis mare Galilaeum quandoque agitabatur; ita Luc. 8,23 κατέβη λαῖλαψ εἰς τὴν λίμνην ἀνέμου descendit procella venti in stagnum, i. e. turbo, ventus procellosus irruit; cf. Marc. 4,37. Mentio fit Act. 27,14 venti typhonici qui vocatur euroaquilo i. e. ventus turbinis, procellosus; et euroaquilo ventus est flans a regione inter septemtrionem et orientem solem spectante (graece εὐρακύλων, sed alia quoque fertur lectio : εὐροκλύδων eurus fluctus excitans; immo εὐρυκλύδων ventus late fluctuans). Etiam commemorantur Act. 27,12 λιψ καὶ χῶρος, africus et corus i. e. ventus inter meridiem et occidentem spirans et ventus inter occidentem et septemtrionem spirans.

Locutione translata dicitur in ventum verba proferre, in ventum laborare, ventum persequi (Iob 6,26; Eccle. 5,15; Eccli. 34,2) i. e. frustra et inaniter. Locutio proverbialis est Os. 8,7 quia ventum seminabunt et turbinem metent; Os. 12,1 pascere ventum i. e. rem inanem et non profuturam agere, ac si quis ventum regere et in morem ovis ducere vellet. Comparationis gratia dicitur : ventus est vita mea Iob 7,7, transit celeriter et fuga est irrevocabilis; Is. 41, 29 ventus et inane simulacra eorum (idola). In hebr. רוּחַ, item πνεῦμα, spiritus dicuntur de vento et de animo; animus enim vel vis qua homo vivit spiraculum vitae ei a creatore dicitur inspiratum Gen. 2,7; unde iam ex ea narratione Hebraeis prope adiacebat una voce et ventum et spiritum designare. Ad quam designationem ipsum illud subtile, invisible, potens motumque quod in vento habetur sufficit ut vox πνεῦμα, spiritus ea notione duplici induatur; cf. Ioan. 3,8 spiritus ubi vult spirat et vocem eius audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat; sic est omnis qui natus est ex spiritu. Ita adventus Spiritus Sancti annuntiatur : et factus est de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis Act. 2,2 et Ez. 37,9 a quattuor ventis advocatur spiritus qui insufflare debet super interfectos ut reviviscant.

VEPRES dicuntur in Vulgata imprimis rami densi hebraice סְבַךְ vocati (Gen. 22,13), quos S. Hieronymus alibi melius *condensa* saltus (Is. 10,34) et *densitatem* saltus (ib. 9,18) appellavit. Praeterea *vepres et spinae* seu *spinae et vepres* legitur pro hebr. שָׁמִיר וְשַׁיִת (Is. 5,6; 7,23. 24; 9,18; 10,17; 27,4; cf. קוֹץ שָׁמִיר *spinae et vepres* Is. 32,13), de quibus v. SPINAE.

VERBA FOEDERIS DECEM. Nomen Decalogus bene exprimit verba decem (Deut. 4,13; 10,4) vel verba foederis decem (Ex. 34,28), quae locutus est Dominus ad populum in monte de medio ignis et nubis et caliginis voce magna (Deut. 5,19; 10,4). Haec verba scripsit Deus in duabus tabulis lapideis (Ex. 24, 12; 34,1; Deut. 4,13; 5,19); has tabulas scriptas digito Dei (Ex. 31,8; Deut. 9, 10), scriptas ex utraque parte (Ex. 32, 15. 16) dedit Dominus Moysi, qui descendit de monte portans duas tabulas in manu sua (Ex. 32,15; 34,29). Dicuntur tabulae testimonii (Ex. 31,18; 32, 15; 34,29), quia clare testificantur quae sint normae, leges, mandata Dei pro hominibus; dicuntur quoque tabulae pacti, foederis (Deut. 9,9. 11. 15), quia hae normae et mandata fundamenta sunt foederis in Sinai conclusi inter Deum et populum; « in die quo eduxi eos de terra Aegypti, hoc verbum praecepi eis dicens : audite vocem meam et ero vobis Deus et vos eritis mihi populus et ambulate in omni via quam man-

davi vobis, ut bene sit vobis » (Ier. 7, 23). Hae tabulae foederis seu testificationis (Ex. 25,16. 21) reponebantur in arca, unde ipsa arca appellabatur arca foederis (in qua tabulae foederis erant) cf. Num. 10,33; 14,44; Deut. 10,8; 31, 9. 25. 26; Ios. 3,3. 6. 8. 11. 14. 17; 4, 7 etc.; Iud. 20,27; 1 Sam. 4,3 etc.; appellabatur quoque arca testimonii (quia in ea erant eaedem tabulae testimonii) cf. Ex. 25,22; 30,26; 40,5. 20; Num. 4,5; 7,89; עדות, ברית.

Haec Verba leguntur Ex. 20,2-17 et Deut. 5,6-18. In textu mass. haec deprehenduntur discrimina, quibus forma deuteronomica a priore illa Ex. distinguitur : in mandato de sabbato שָׁמוֹר pro זָכוֹר (observa, memento) et additur : sicut mandavit Iahwe Deus tuus; additur post *ancilla* « et bos et asinus et omne » (iumentum tuum), additur post *portas tuas* « ut requiescat servus tuus et ancilla tua sicut tu ».

Praeterea ratio mandati non petitur, uti Ex., ex narratione de creatione, sed « memento quod servus fuisti in terra Aegypti et eduxit te Iahwe Deus tuus inde in manu forti et in brachio extento; ideo praecepit tibi Iahwe Deus tuus agere diem sabbati (requiei) ». In quarto mandato duo adduntur : sicut praecepit tibi Iahwe Deus tuus, et ut bene tibi sit. In octavo mandato Deut. praebet עד שוא (Ex. עד שקר); in nono mandato legitur primo loco : non concupisces uxorem proximi tui neque desideres (תתאוה) domum proximi tui, agrum eius, servum eius etc.

Tertia quaedam forma decalogi nuper reperta est in papyro, cui nomen inditur *Nash*, a viro qui scil. primus anno 1902 haec fragmenta acquisivit et anglicae societati archaeologiae biblicae proposuit (cf. Proc. Soc. Bibl. Arch. XXIV. 1902, p. 272. XXV. 1903, p. 34-56; Expository Times XIV. 1902-1903, p. 200 ss.; Revue biblique, 1904, p. 242 ss.; Zeitschrift für alttest. Wissenschaft, 1903, p. 347; omnium autem plenissime de papyro egit *N. Peters*, Die älteste Abschrift der zehn Gebote, der Papyrus Nash, 1905). Folium hoc a viris criticis ad primum saeculum aerae christianae refertur. In plerisque textus eius sequitur textum Ex.; at in mandato de sabbato habet glossam illam « bos tuus et asinus tuus »; in quarto mandato habet priore loco « ut bene sit tibi ». Ordinem mandatorum effert alium, scil. eundem quem legimus etiam Luc. 18,20 (graece) et Rom. 13,9 : non adulterabis, non occides, non furaberis (cf. Iac. 2,11); in octavo mandato praebet, uti Deut., עד שוא; ponit, uti Deut. priore loco : non concupisces uxorem proximi tui et in sequentibus quoque habet ut Deut.

Generatim textus Ex. habetur prae Deut. textus melior et antiquior. Potest quaeri, num cuncta quae nunc legimus fuerint duabus illis tabulis inscripta. Decem Verba, uti dicuntur, potius suggerere videntur formas similes, uti habentur : non occides, non moechaberis, non furtum facies etc.; ita ut reliqua quoque simili brevitate fuisse enuntiata multis probabile visum sit. Certe illa discrimina et additamenta in Deut. demonstrant ipsum decalogi textum non intactum esse traditum.

Decem esse Verba, uti ipso textu asseritur (Ex. 34,28; Deut. 4,13; 10,4), omnes consentiunt; verum quomodo numeranda sint, varie definiunt. Et Philo quidem dividit decalogum in duas πεντάδες; prior pentalogus : non habebis deos alienos, non facies sculptile, non assumes nomen Dei in vanum, memento sabbati, honora parentes; quem vocat ἀμείνων πεντάς, quia agitur de Deo; in parentibus relucet Dei auctoritas; altero pentalogo continentur officia erga homines : non moechaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium loqueris, non concupisces (cf. De decalogo § 12). Eodem fere modo Iosephus quoque rem considerat (Ant. III. 5,5). Alii tamen Iudaei, uti ex Talmude patet, primum statueruut mandatum Ex. 20,2 : ego sum Dominus Deus tuus; alterum : non habebis deos alienos nec facies sculptile. Quem modum iam novit Origenes; at de Ex. 20,2 dicit : nondum sermo mandati est; ipse statuit alterum mandatum : non facies tibi sculptile, ut habeatur numerus denarius (in Exod. hom. 8, n. 2; *M.* 12,351). Clemens Alexandrinus assumit ut mandatum secundum :

non assumes nomen Dei in vanum, ut tertium : de divino nomine rebus creatis non tribuendo, ut quintum : honora parentes (Strom. 6,16; *M.* 9,364. 377). Sulpitius Severus quoque ut secundum mandatum ponit : non facies idolum, et tamquam ultimum : non concupisces quidquam proximi tui (Sacra Historia 1, 17; *M.* 20,105). Plane singularis est Hesychius, presbyter hierosolymitanus; legem sabbati removet ex decalogo; ideoque ut primum mandatum statuit : ego sum Dominus Deus tuus etc. Ex. 20, 2 (in Leviticum lib. 7,26; *M.* 93,1150). Etiam S. Hieronymus cernit duo mandata in verbis : ego sum Dominus Deus tuus, et non habebis deos alienos (Comment. in Os. 10,10; *M.* 25,908). Discutit S. Augustinus : « utrum quattuor sint praecepta usque ad praeceptum de sabbato, quae ad ipsum Deum pertinent; sex autem reliqua, quorum primum est: honora patrem et matrem, quae ad hominem pertinent » et respondet sibi videri congruentius accipi tria illa et ista septem « quia et Trinitatem videntur illa quae ad Deum pertinent insinuare diligentius intuentibus. Et revera quod dictum est : non erunt tibi dii alieni praeter me, hoc ipsum perfectius explicatur cum prohibentur colenda figmenta...; discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienae a concupiscentia cuiuslibet rei alienae, quando utrumque sic coepit : non concupisces uxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui » (Quaestiones in Heptateuchum 2,71; *M.* 34,620 ss.). Qui modus numerandi in Ecclesia usu invaluit eumque S. Thomas ita commendat : quia facere sculptile vel similitudinem non est prohibitum nisi secundum hoc, ut non colantur pro diis, convenientius Augustinus ponit sub uno praecepto; similiter concupiscentia uxoris alienae pertinet ad concupiscentiam carnis, concupiscentiae autem aliarum rerum pertinent ad concupiscentiam oculorum (Summa theol. I. II^{ae} qu. 100, art. 4). In hac dispositione pro praecepto 9 et 10 relinquendus est textus Ex. et assumendus textus Deut. quem papyrus *Nash* quoque exhibet. Ceterum in textu graeco iam Ex. 20,17 legitur ordo ille quem habet textus hebr. in Deut.; in Vulg. autem exprimitur textus hebr. Ex. 20,17 (priore loco de domo, dein de uxore); item in interpretatione syra.

Decalogus summa est et fundamentum totius legislationis. Apposite notat S. Augustinus : cum tam multa locutus sit Deus, duae tantum tabulae dantur Moysi lapideae, quae dicuntur tabulae testimonii futurae in arca. Nimirum omnia cetera quae mandavit Deus ex illis decem praeceptis pendere intelleguntur, si diligenter quaerantur et bene intellegantur; quomodo haec ipsa rursus decem praecepta ex duobus illis, dilectione scil. Dei et proximi, in quibus tota lex pendet et prophetae (l. c. *M.* 34,644). Decalogum Christus quoque explicite statuit : si vis ad vitam ingredi serva mandata..., non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum et matrem tuam etc. (Matth. 19,17. 18; Marc. 10,13; Luc. 18,18).

I. KNABENBAUER.

VERBUM vide s. v. LOGOS. Verbum Dei dicitur id quod Deus revelat, mandat, praedicit, promittit, minatur. Saepius verbum in Vulg. ponitur ut hebr. דָּבָר pro re; cf. 2 Reg. 1,4 : quod est verbum quod factum est? indica mihi! qui ait : fugit populus ex praelio; Luc. 1,37 etc.; eodem modo in Vulg. *sermo* quoque adhibetur; v. g. 2 Reg. 12,21; 3 Reg. 15,5. 23, at frequentius usurpatur ea notione verbum; v. g. 1 Reg. 3, 11; Ier. 44,4.

VERITAS. Dicitur sensu proprio, quatenus mendacio, errori, deceptioni, simulationi opponitur. Ponitur in Vulg. pro hebr. אֱמֶת eiusque vocis notiones induit, quae tamen ab ipsa prima notione non adeo distant; ita saepe significat constantiam, fidelitatem; praesertim in locutione : facere (exhibere) alicui misericordiam et veritatem (Gen. 24,27. 29; 47,29; Ios. 2,14; 2 Reg. 2,6; 15,20 etc.); item pax et veritas i. e. pax vera, constans, 4 Reg. 20,19; Is. 39,8; Ier. 14,13 (in Vulg. pax vera). Nam qui veritatem loquitur in promissis, is fide-

liter, constanter stabit promissis; unde qui veritatem amat, erit verax, fidelis. Ponitur veritas quoque pro hebr. הַתֻּמִּים, Ex. 28,30 doctrina et veritas (vide s. v. URIM). Doctrina a Deo revelata insigni modo dicitur veritas, verbum veritatis, veritas evangelii. Ipse Christus, plenus gratiae et veritatis, in quo Deus Pater nobis locutus est (Hebr. 1,1), in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt, de se profitetur : ego sum via, veritas et vita (Ioan. 14,6).

VESPERTILIO (עֲטַלֵּף, νυκτερίς) recenseatur inter animalia immunda Lev. 11,19; Deut. 14,18 et inter idola contemptibilia Is. 14,18; sed h. l. textus hebraicus etiam verti potest : idola ut res vilissimas vespertilionibus proiiciet (v. s. v. TALPA 2). Pertinet quidem vespertilio ad Chiroptera, qui recensetur ordo quartus inter mammalia (*Leunis-Ludwig*, Zoologie, 1883, I. §105-115); sed per se patet vespertilionem in legibus mosaicis accenseri avibus secundum popularem aestimationem. Complures species vespertilionum in Palaestina abundant, praesertim in cavernis prope mare Mortuum et lacum Genesareth, in valle Iordanis et in regionibus silvestribus. In Palaestina centrali, sicut generatim in regionibus climatis moderati, vespertilionibus somnus in hieme pro cibo provisus est; sed prope mare Mortuum ob calidiorem temperaturam somno hiemali carent. Cf. *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 45-46; *idem*, Fauna and Flora of Palestine, p. 25-26.

VESTIBULUM. Legitur in Vulg. saepius, ubi in textu hebr. ponitur : ad portam tabernaculi (Vulg. in vestibulo t.) Ex. 29,32; ante tabernaculum Lev. 3,8; ante templum 2 Par. 3,17 etc. Ceterum ponitur pro hebr. חָצֵר atrium tabernaculi Ex. 35,17; pro אוּלָם Ez. 40,7; Ioel 2,17; pro חָצֵר atrium templi 2 Par. 29, 16; Neh. 13,7 et generatim atrium domus, carceris (2 Reg. 17,18; Ier. 32,8; 37,20; 38,6. 13. 28); legitur quoque pro סַף limen Ier. 35,4.

VESTIMENTUM, VESTIS. Primum indumentum et maxime necessarium Hebraeorum erat כְּתֹנֶת, χιτών, tunica; erat imum corporis indumentum, lineum vel laneum, undique clausum, usque ad genua vel talos protensum, saepe manicatum, interulae vel subuculae (camisiae, *chemise*, *Hemd*) perquam simile; adstringebatur et continebatur cingulo linteo vel etiam facto e coreo (cf. 4 Reg. 1,8; Ier. 13,1; Matth. 3,4). Qui sola tunica hac ima indutus erat, nudus vocabatur, uti apud Graecos γυμνός erat, cui χιτών totum vestimentum erat; inde explica 1 Reg. 19,21; Is. 20, 2; Ioan. 21,7. Super hanc tunicam imam nobiliores induebant מְעִיל, tunicam alteram, non manicatam, quandoque byssinam (1 Par. 15,27), de qua mentio est v. g. 1 Reg. 18,4 (quam Ionathas dedit David), 24,5 (David praecidit oram chlamydis Saul; v. 12); ea Samuel utebatur 1 Reg. 2,9; 15,27; 28,14. Praeterea nominatur סָדִין sindon, vestis quaedam pretiosa, subtilis (Iud. 14,12. 13; Is. 3,23; Prov. 31,24), ut videtur linea (cf. Matth. 27,59; Marc. 15,46; Luc. 23, 53 cum Ioan. 19,40); ceterum v. SINDON. — Praeter tunicam interiorem pauperes quoque amiculum summum induebant, quod quandoque maiore quodam panno quadrato constabat et pauperi etiam inserviebat tamquam operimentum ad dormiendum (Ex. 22,26. 27; Deut. 24,13). Hoc amiculum summum variis designatur nominibus : שִׂמְלָה Ex. 12,34. 35 : tulit populus conspersam farinam et ligans in palliis posuit super humeros; ita vocatur pallium Gen. 9,23 et 1 Reg. 21,9 (quo involutus erat gladius Goliath); בֶּגֶד, ita Gen. 39,12 designatur pallium quod Ioseph aufugiens reliquit in manu uxoris Putiphar et Num. 15,38 fimbrias sibi facere iubentur per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini; כְּסוּת Deut. 22,12 funiculos in fimbriis facies per quattuor angulos pallii tui quo operieris. Praeterea mentio fit אַדֶּרֶת; est pallium magnum; eo nomine vocatur Ios. 7,21 pal-

lium babylonicum quod Achan concupiscens abscondit; ita quoque pallium Eliae 3 Reg. 19,13; 4 Reg. 2,13.14, et vestimentum quod rex Ninives abiiciens indutus est sacco (Ion. 3,6). Eiusmodi amicula summa, pallia, deponebantur ab iis qui lapidabant (Act. 7,57; 22,23), sternebantur in via ad aliquem honorandum (4 Reg. 9,13; Matth. 21,7), excutiebantur contra eos a quorum societate et consortio discedebatur (Act. 18,6), et in signum luctus modice scindebantur (cf. Esdr. 9,3 scidi pallium meum et tunicam בִּגְדִי וּמְעִילִי).

Ad opulentiam divitum et nobilium requirebantur vestes multae, pretiosae, vestes mutatoriae, quae etiam dono dabantur; ita Ioseph fratribus dedit mutatoria Gen. 45,22 hebr. et rex Syriae inter alia mittit ad regem Israel decem mutatoria 4 Reg. 5,5; cf. 4 Reg. 5,22; Iud. 14,12; vestes pretiosae, splendidae מַחֲלָצוֹת Zach. 3,4 dantur Iosue sacerdoti et Is. 3,22 inter ornamenta mulierum enumerantur.

Vestimenta erant confecta ex lana, linteo, bysso; praeceptum erat ne quis veste uteretur ex duobus texta, scil. ex lana et lino (Lev. 19,19; Deut. 22,11); de veste purpurea vide s. v. PURPURA; non desunt qui putent sericas quoque vestes quandoque notas fuisse, ita explicantes מֶשִׁי Ez. 16,10. 13. In luctu utebantur veste aspera שַׂק sacco, ex capillis caprarum, camelorum, ex panno rudiore, colore atro (cf. 3 Reg. 21,27; 4 Reg. 6,30; Is. 3,24; 37,1; Ez. 7,18; Matth. 3,4 ipse Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum etc.). Hisce accense melotas, pallia pellicea, pilosa, saccina (cf. 3 Reg. 19,13. 19; 4 Reg. 2,8. 13; Zach. 13,4; Hebr. 11,37).

Vestes mulierum distinctas fuisse a vestimentis virorum re ipsa patet et clare enuntiatur Deut. 22,5 : non induetur mulier veste virili nec vir utetur veste feminea; at qua ratione vestes sint distinctae non traditur, sicuti generatim in s. litteris descriptio vestium (exceptis sacerdotalibus) non habetur. Sed vestes mulierum fuisse longiores, magis totum corpus obvolventes et maiore ornatu confectas, ex indole mulierum iam sequitur. Thamar, soror Absalom, induta erat כְּתֹנֶת פַּסִּים, tunica talari Vulg.; LXX χιτὼν ἀστραγαλωτός, usque ad talos pertingens? al. καρπωτός tunica longis manicis instructa, qua notione etiam hebr. explicant : tunicam longam manicatam; ea tunica totum corpus obvolutum esse etiam patet, quia 2 Reg. 13,18 pergitur : ita vestitae erant filiae regis virgines מְעִילִים; et simul indicatur discrimen illarum scil. מְעִיל fuisse manicatum. Porro mulieres nobiles variis praeterea usas esse vestibus subtilibus, palliolis, velaminibus, ex Is. 3, 22. 23 elucet, sicuti quoque ex Ez. 16, 10; 27,24; Iudith 10,3.

Ceterum variae quoque condiciones ipsis vestimentis cognosci poterant. Ita Thamar depositis viduitatis vestibus assumit theristrum (sese obtegit velo צָעִיף) et ita mutat habitum, ut a Iuda pro meretrice habeatur (Gen. 38,14 ss.); similiter Prov. 7,10 mentio est habitus meretrici שִׁית זוֹנָה; Iudith quoque exuit se vestibus viduitatis et induit se vestibus iucunditatis suae (τὰ ἱμάτια τῆς εὐφροσύνης αὐτῆς).

Vestes sacerdotum, pontificum vide s. v. SACERDOS, PONTIFEX. De penula 2 Tim. 4,13 vide s. v. PENULA. De lepra vestium vide s. v. LEPRA.

VIA. Hebraei Palaestinam occuparunt iam diu cultam, urbibus munitis instructam, a gentibus habitatam quae equis, curribus utebantur. Unde planum est Hebraeis non incubuisse curam faciendi vias, sed factis utendi. Solum monentur, ut viae ad urbes refugii muniantur et integrae serventur Deut. 19, 3. Vias sat multas reperiri conclude ex nominibus מעגל, נתיבה, מסלה, דרך; in dicione Edom mentio fit viae regis Num. 20,17; 21,22 (Vulg. via publica, via regia), quae 20,19 מְסִלָּה dicitur i. e. via aggesta, munita, elevata. Viam parare et impedimenta itineris auferre utique opus erat, si iter per desertum regi erat parandum (Is. 40,3 s.).

Ceterum via sensu translato saepissime adhibetur. Obvium est viam trans-

ferre ad rationem vitae quam sequimur, ad modum agendi, ad mores v. g. dirige in conspectu tuo viam meam Ps. 5,9, dirige me in semitam rectam Ps. 26,11; utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas Ps. 118, 5; dirigite vias vestras et studia vestra Ier. 18,11; vias meas in conspectu eius arguam Iob 13,15; novit Dominus viam iustorum Ps. 1,6 etc.; similiter Act. 9, 2 : si quos invenisset huius viae viros ac mulieres i. e. discipulos Domini, fideles. Viae Domini sunt vel modi, dispositiones, secundum quas Deus agere solet; ita dicuntur investigabiles viae Domini Rom. 11,33, vel etiam semita in qua Deus nos incedere iubet; proin mandata, leges Dei quae normam vitae nobis proponunt; v. g. custodivi vias Domini Ps. 17,22; vias tuas demonstra mihi; docebit mites vias suas Ps. 24,4. 9; ita via mandatorum Ps. 118,32; notas mihi fecisti vias vitae Ps. 15,11 i. e. quomodo ad vitam et felicitatem perveniam; via vitae increpatio disciplinae i. e. increpatio talis aditum pandit ad vitam etc. — Modus loquendi similis habetur in usu vocum ambulare, gressus, pedes etc.

VICTIMA. Vox in Vulg. quandoque adhibetur de animali quod ad convivium parandum mactatur; ita Gen. 43,16. Et Prov. 7,22; 17,1; Ier. 51,40; Ez. 21,10 ponitur pro ipsa mactatione vel pro animali mactato. Ceterum longe frequentius dicitur de sacrificiis et de animali ad sacrificium destinato; ita ponitur pro שֶׂה (ovis vel capra) Gen. 22,7 : ubi est victima holocausti? Saepe ponitur pro זבח, קרבן.

Animalia quae victimae esse poterant i. e. ad sacrificia adhiberi, erant haec : בָּקָר armentum i. e. bovés, vaccae, vituli, iuvenci; צאן pecus i. e. oves et caprae, haedi et arietes; הָעוֹף i. e. turtures, columbae et pro sacrificio leprosi etiam passeres צִפּוֹר Lev. 14,4 ss. Ut autem apta essent ad sacrificia, requirebatur integritas corporis et certa quaedam aetas. Debebant scil. esse sine macula et defectu, non caeca, clauda, fracta, etc. Lev. 22,22 : si caecum, si fractum (membrum habens fractum), si cicatricem habens (חָרוּץ, mutilum), si papulas aut scabiem aut impetiginem (mentagram), non offeretis ea Domino. Item v. 23 : bovem et ovem aure et cauda amputatis (hebr. שָׁרוּעַ membrum habens protensum longius, et קָלוּט nimis parvum) voluntarie offerre potes, votum autem ex eis solvi non potest; v. 24 omne animal quod vel contritis vel tusis vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino et in terra vestra hoc omnino ne faciatis. Quandoque praescribitur, ut animal eligatur quod nondum iugum portaverit; cf. Num. 19,2; Deut. 21,3, uti Philisthaei quoque observant 1 Reg. 6,7. Quod si neglegitur, graviter a Domino reprehenduntur sacerdotes; cf. Mal. 1,8. De aetate haec statuuntur; quae ut primogenita offerenda erant, die octava debebant immolari Ex. 22,30; Lev. 22,27; pecus solebat offerri anniculum; cf. Ex. 12,5; 29, 38; Lev. 9,3; 14,10; 23,12 etc. et Gen. 15,9 vacca triennis a Domino postulatur et Iud. 6,25 taurus annorum septem.

Debebant igitur animalia esse immaculata; optima quaeque enim Deo offerri decuit et eo quod sine macula esse ea oportuit, homines quoque monebantur qua mente Deo esset sacrificium offerendum et necesse esse, ut puro animo se Deo sisterent. Sacrificium ex rebus suis quisque offerre debebat; quare ea solum animalia admittuntur, quae in hominis cura, possessione sunt (non cervi, animalia quae venatione capiuntur) et quae inter munda recensentur.

VIDUA. Uti Deus singulari ratione curam egit legibus datis in commodum pauperum et orphanorum, ita viduis quoque praecipuo quodam modo prospexit, quippe quae ipsa sua condicione solitaria et inope expositae essent oppressioni malevolorum. Ita iam Ex. 22,22 viduae et pupillo non nocebitis et Deut. 24,17 non auferes pignoris loco vestimentum viduae et 27,19 maledictus qui pervertit iudicium advenae, pupilli et viduae; et ipse Deus dicitur facere iudicium pupillo et viduae Deut. 10,18 i. e. eorum iura tueri ac vindicare, unde Ps.

67,6 appellatur pater orphanorum et iudex viduarum et Prov. 15,25 : Dominus firmos faciet terminos viduae; et iniuriam iis illatam cedere in peccatum opprimentis et excitare Dei vindictam docet Sapiens : nonne lacrimae viduae ad maxillam descendunt et exclamatio eius super deducentem eas? a maxilla enim ascendunt usque ad caelum et Dominus exauditor non delectabitur in illis (Eccli. 35,18. 19). Quare propheta monet : iudicate pupillo, defendite viduam (Is. 1,17) et : viduam nolite contristare neque opprimatis inique (Ier. 22,3) et : viduam et pupillum nolite calumniari (i. e. vexare, Zach. 7,10). Porro viduis eo quoque peculiaris cura a Domino impenditur quod praecipit, ut decima anni tertii etiam ad viduas alendas adhibeatur, « ut benedicat tibi Dominus Deus tuus » (Deut. 14,28. 29), ut ex oblationibus die pentecostes et festo tabernaculorum factis et ex conviviis illis viduae quoque pars obveniat (Deut. 16,11-14). Pariter si in messe manipulus in agro ex oblivione relictus est, non reverteris ut tollas illum, sed advenam et pupillum et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus (Deut. 24,19) et idem valet de olivis, racemis ex oblivione non collectis (l. c. v. 20. 21). Eius rei exemplum vide quoque Ruth 2,2. 15.

Nihilominus viduas ab improbis et avaris esse oppressas, spoliatas, nimis clare proditur; cf. Ps. 93,6 viduam et advenam interfecerunt; Sap. 2,10 impii inter se exhortantur : non parcamus viduae; Isaias conqueritur de principibus : causa viduae non ingreditur ad illos (1,23) et Ieremias : causam viduae non iudicaverunt (5,28) et Ezechiel : viduam contristaverunt apud te (22,7) et apud Malachiam minatur Deus se accessurum in iudicio ad eos qui opprimunt viduas (3,5). Eiusmodi iniurias amici etiam Iobo obiecerunt (22,9; 24,3); ipse vero testari de se potest : cor viduae consolatus sum, et potest iurare : oculos viduae non feci exspectare (29,13; 31, 16). Tempore Mach. comperimus viduis quoque partem spoliorum et praedarum obvenisse (2 Mach. 8,28. 30) et pecuniam viduarum, quo securior esset, fuisse depositam in templo (2 Mach. 3, 10). Pharisaeos incusat Christus quod praetendentes longas orationes devorent domos viduarum (Matth. 23,14; Marc. 12,40; Luc. 20,47). Ipse Dominus iuvenem in Naim excitans matrem viduam consolatur, viduae pauperis oblationem laudat, viduae constantis in iure postulando utitur exemplo ad orationis perseverantiam commendandam, viduam esse honoratam Eliae commoratione meminit (cf. Luc. 4,25; 7,12; 18,3; 21, 2); immo tamquam puerulus simul cum Simeone sene Annam viduam ad suam admisit cognitionem, quae etiam loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel (Luc. 2,36-38); ita antiquitus quoque Deus per viduam salutem annuntiavit et concessit suo populo (cf. Iudith).

Ad sacerdotis condicionem sacram haud congruere statuitur, ut viduam ducat uxorem (Lev. 21,14; Ez. 44,22, nisi fuerit vidua a sacerdote). Filia sacerdotis vidua quae absque liberis reversa erat ad domum patris, « sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui » i. e. poterat iterum comedere ex sanctificatis et primitiis (Lev. 22,13).

Coetus Christi fidelium statim ab initio curam viduarum suscepit (Act. 6,1), cui curae quo melius prospiceretur electi sunt septem diaconi v. 5; exemplum eius curae cernitur quoque in Dorcade Act. 9,39. Iacobus apostolus religionem mundam et immaculatam apud Deum esse dicit visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum (1,27). Paulus apostolus viduis suadet alterum matrimonium non inire (1 Cor. 7,8. 40 : beatior erit, si sic permanserit). Officia viduae explicat apostolus 1 Tim. 5,4. 5 et eas honorari ab omnibus vult v. 3. Demum ex 1 Tim. 5,9. 10 apparet quibusdam viduis quae et aetate provecta et eximio vitae genere commendabantur praefecturam quandam ac curam mulierum virginumque fidelium esse demandatam. Est quippe eo loco quasi germen quoddam et vestigium officii illius quod a saeculo secundo obibant πρεσβυτίδες, viduae seniores; quas ceteras consilio et solatio iuvare Tertullianus dicit (de velandis virg. 9) et S. Chrysostomus quoque ait esse choros viduarum, sicut

virginum (in explicatione ad l. c. *M.* 51, 323). — Demum vidua dicitur de populo quasi a Deo repudiato Bar. 4,12; vide s. v. FOEDUS.

VIGILIA. Veteres Hebraei tres noctis vigilias norunt. Prima vocatur principium vigiliarum (Lament. 2,19), altera media (Iud. 7,19 hebr.), tertia matutina (Ex. 14,24; 1 Reg. 11,11). Adhibetur custodia in nocte ad designandum comparatione, quam breve temporis spatium pro Deo existimandi sint mille anni Ps. 89,4. Tritum erat apud Hebraeos : vigilia est tertia pars noctis (cf. *Lightfoot,* Horae hebr. ad Matth. 14,25); verum a tempore occupationis romanae, a tempore Pompeii, etiam mos romanus invaluit numerandi quattuor vigilias, quae habentur Marc. 13,35 : sero, media nocte, galli cantus, mane et a solis occasu usque ad ortum pari intervallo dividuntur. Nominatur secunda et tertia vigilia Luc. 12,38, quarta Matth. 14,25 et Marc. 6,48. Quattuor vigiliae indicantur quoque Act. 12,4, cum Petrus tradatur quattuor quaternionibus militum custodiendus; vide s. v. QUATERNIO.

VINDEMIA v. s. v. VINEA.

VINDEX, VINDICTA. Si ordo rectus laesus est culpa et perversitate hominum, ipsa iustitia exigitur, ut poena congrua expietur facinus et satisfactio praestetur. Ita Deus, summus ordinis recti custos, poenam condignam sceleris infligens, dicitur iram, vindictam exercere; qui loquendi modus utique ex humana consuetudine desumptus est qua fit, ut iustae poenae inflictio cum aliqua animi indignatione vel excandescentia coniungatur. Haec itaque iusta retributio, uti nomine ultionis, ita vindictae quoque designari solet, qua voce simul indicatur Deum summopere aversari malum et sua iustitia omnino impelli ut condignas poenas repetat; cf. Deut. 32,43; Iudith 16,20; Ps. 139,13 ubi hebr. מִשְׁפָּט iudicium in Vulg. redditur vindicta : Deus faciet vindictam pauperum i. e. ius laesum pauperum puniendo restituet; iniurias illatas non sinit manere impunitas; Ps. 149,7; Eccli. 5,1 ss.; 12,4; 35,23 ; Is. 1,24 vindicabor de inimicis meis; Luc. 18,7; Rom. 12,19 : mihi vindicta, ego retribuam etc. Quare si recti ordinis restitutio a Deo efflagitatur vel ab eo petitur, ut poenis iustis petulantiam, furorem, superbiam, oppressionem hostium coërceat, vindictam ut exerceat postulatur; Ps. 17,48 Deus qui das vindictas mihi; Iudith 7, 20 in tuo flagello vindica iniquitates nostras; vel si quis poenam vult deprecari : ne vindictam sumas de peccatis nostris Tob. 3,3 etc.

Ita saepe vindicta ponitur pro iusta poena; Eccli. 7,19 vindicta carnis impii ignis et vermis; 37,31 vindicta sicut leo insidiabitur illi; 39,33; 1 Mach. 7,24 fecit vindictam in viros desertores; 1 Mach. 7,38. Aliquem vindicare est iniuriam ab eo depellere sumpta poena ab adversario; ita 1 Mach. 2,67: vindicate vindictam populi, Luc. 18,3 : vindica me de adversario meo etc.

Sed vindicta etiam adhibetur propria notione ultionis, qua scil. quis iniuriam vel vere acceptam vel existimatam propria auctoritate cum odio, ira, inimicitia in alterum punit et, uti plerumque fit, maiores poenas quam par est et iniurias ei infligit. Eo sensu dicitur Ez. 25,12 : fecit Idumaea ultionem ut se vindicaret de filiis Iuda peccavitque delinquens et vindictam expetivit de eis (Ez. 25,12).

Verum huic vindictae capiendae cupiditati frenum lege iniectum est. Et primo quidem ipsis illis quae de inimicis praecipiuntur; vide s. v. INIMICITIAE, INIMICUS; dein illis quae de urbibus refugii statuuntur; cf. Num. 35, 11 ss.; Deut. 4,41; 19,1-13; item lege talionis statuta, qua cavetur ne iniuria illata vindicetur et puniatur maiore iniuria et poena graviore Ex. 21,24; Lev. 24,20; Deut. 19,21 et iudiciis institutis ita ut iniuriae acceptae ad iudices sint deferendae a quibus secundum normas legis poenae decernantur; cf. Ex. 22, 9 ss.; Deut. 17,6. 8 ss.; 19,15-21; vide s. v. IUDEX, IUDICIUM. Praeterea multis locis prohibetur ultio vel vindicta : non quaeres ultionem nec memor eris iniuriae civium tuorum (Lev. 19,18); mea est ultio, ego retribuam, verba sunt Domini Deut. 32,35; ne dicas : reddam

malum; exspecta Dominum et liberabit te (Prov. 20,22); cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas et in ruina eius ne exsultet cor tuum; ne dicas : quomodo fecit mihi sic faciam (Prov. 24,17. 29) et inter Iobi virtutes recensetur, quod nunquam de ruina eius gavisus sit qui odisset (Iob 31,29); et : omnis iniuriae proximi ne memineris et nihil agas in operibus iniuriae Eccli. 10,6 et etiam uberiore modo omnis vindicandi cupiditas damnatur Eccli. 28,1-8. Item omnis ulciscendi affectus prohibetur a Christo cf. Matth. 5,22. 39-41. 44-48; 18, 15; Luc. 17,3-5 et quam maxime explicite, quando Petro interroganti quoties peccanti sit dimittendum respondit : non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies (Matth. 18,21. 22), quare nos orare docuit et iussit : dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. 6,12), quam petitionem pluribus explicat et inculcat Matth. 6,14. 15; 18,35. Idem apostoli docent; cf. Rom. 12,14-21; suo exemplo idem monet 1 Cor. 4, 12. 13; perstringit Corinthios : quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 1 Cor. 6,7 videte ne quis malum pro malo alicui reddat (1 Thess. 5,15). Et Petrus exemplum Christi in medium affert : qui cum malediceretur, non maledicebat etc. ut ab omni vindicta fideles coerceat (1 Petr. 2,22; 3,9).

Neque ad malae vindictae affectum referenda sunt quae David moriturus Salomoni praecepit neque imprecationes illae quae in quibusdam psalmis leguntur. Nam David id unum vult et praecipit,ut scelera quaedam quae ipse punire ex variis rationibus non potuerat, iusta poena expientur, ne ad malum exemplum videantur homines facinorosi impune abire. In psalmis vero qui est inimicus populi Dei etiam ut ipsius Dei adversarius consideratur, in quem ut Deus pro sua iustitia animadvertat efflagitatur. Ceterum de illis psalmis vide *Cornely*, Introd. *ed.* 2, II. 2 p. 120-123. Eodemque modo explica Neh. 4,4. 5 et quae Iudith precatur 9,2 s. et Eccli. 36,2-12. Cf. *Chr. Pesch*, Prael. dogm. VIII. *ed.* 3, n. 622 : De imprecationibus peccatorum, quae in S. Scriptura occurrunt.

VINEA, VINDEMIA, VINUM (de planta v. VITIS). Laudatur Palaestina tamquam terra frumenti, hordei ac vinearum Deut. 8,8 et generatim describitur abundare vinetis ac vitibus Deut. 6,11 : dabit tibi Dominus vineta et oliveta quae non plantasti; benedicet vindemiae (7,13); appellatur terra vini (33, 28), sicut Iacob patriarcha iam praedixerat : ligans ad vineam pullum suum et ad vitem asinam suam (Gen. 49,10). Qua ratione vinea colatur, exponitur in enumeratione illa quae ad parabolicam doctrinam inferendam affertur Is. 5, 1 ss.; erant vineae praecipue in collibus; sepe cingebantur (cf. Num. 22,24; Prov. 24,31), ne a bestiis, vulpibus laederentur (Ps. 79,14; Cant. 2,15 capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas; Ier. 12,10); lapides ex iis removebantur, sarculo sariebantur (Is. 7,25), optimis vitibus conserebantur v. g. soreq Gen. 49,11 hebr., Is. 5,2 (Vulg. electa), Ier. 2, 21; ad custodiendam vineam aedificabatur turris in medio; ad uvas exprimendas exstruitur torcular. Vineis labor haud modicus erat impendendus; indigebat putatione (Is. 5,6); palmites purgandi erant, quandoque tollendi (Ioan. 15,2); humus sarienda et fodienda, spinae, vepres, urticae eradicandae (Prov. 24,31; Is. 5,6; 27,4). Anno vero sabbatico et anno iubilaei etiam in vinea omnis labor intermittebatur neque fiebat vindemia Ex. 23,11; Lev. 25,3. 4. 11. Quandoque singulae vites aestimabantur pretio unius sicli Is. 7, 23. Vineam altero semine serere non licuit Deut. 22,9; licuit ingredi in vineam alterius et uvas comedere, neque tamen eas foras efferre Deut. 23,24. Vineae quoque colebantur in regionibus circa Palaestinam; celebres describuntur vineae Moab, vinea Sabama, cuius flagella usque ad Iazer pervenerunt, erraverunt in deserto, transierunt mare Is. 16,8; Ier. 48, 32; item in terra Ammonitarum Iud. 11, 33, Philisthiim Iud. 15,5, Edomitarum Num. 20,17, Amorrhaeorum 21, 22, in Aegypto Gen. 40,9; Num. 20,5 (cf. *Ebers*, Aegypten und die B. Mose's, 1868, p. 322 ss.; *H. J. Heyes*, Bibel u. Aegypten I. (1904), p. 179-188).

Ceterum quam frequentes fuerint vineae, ostenditur locutione illa parabolica : habitavit unusquisque sub vite sua et sub ficu sua a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis 3 Reg. 4,25; et sedebit vir subtus vitem suam Mich. 4, 4; Zach. 3,10; ostenditur proverbiis : nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer Iud. 8,2; patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt Ier. 31,29; Ez. 18,2; ostenditur locutionibus translatis; ita populus Dei vineae comparatur Ps. 79,9 : vineam de Aegypto transtulisti et plantasti eam; Is. 5,7 : vinea Domini domus Israel; cf. Ier. 6,9; 12,10; Ez. 15,2; 17, 6; 19,10; Os. 14,8; Ioel 3,13; Ps. 127,3 : uxor tua sicut vitis abundans etc. etc.

Vindemia, qua uvae colligebantur et ad torcular (v. s. v.) deferebantur, mense Septembri medio usque in Octobrem fiebat, in planitie maritima etiam prius. Tempus erat gaudii et laetitiae; cf. Iud. 9, 27 hebr. : vindemiarunt vineas et calcarunt (torcular) et instituerunt festivitates; unde clamor (*hedad*) calcantium ponitur pro maxima exsultatione (cf. Is. 16,10; Ier. 25,10 etc.) et pro magna poena statuitur : plantes vineam et non vindemies eam Deut. 28,30. 39; cf. Am. 5,11; Soph. 1,13. In ipsa vindemia « non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenae, pupilli ac viduae » (Deut. 24,21). Si quis vinea plantata nondum eius fructum percepерit, poterat a castris reverti domum liber ab militia (Deut. 20,6; 1 Mach. 3,56). — In Vulg. legitur vindemiare etiam pro hebr. עוֹלַל : dolore me affecit (Lament. 1,12. 22; 2,10 — ea vox 3,31 redditur : depraedatus est).

Cum de sanguine uvae iam antiquitus sermo fiat (Gen. 49,11; Deut. 32,14), concludendum erit eas uvas potissimum provenisse quibus vinum rubrum conficeretur. Vinum rubrum etiam indicatur Prov. 23,31 ne intuearis vinum quando יִתְאַדֶּם rubescit, rubrum est; item Eccli. 50,16 dicitur Aaron libasse de sanguine uvae et Is. 63,2 vestimentum eius qui calcavit torcular rubrum esse apparet et etiam 1 Mach. 6,34 mentio fit sanguinis uvae et Apoc. 14,20 vindemiata vinea terrae ex lacu calcato exivit sanguis — quare omnino probabile est Christum in vino rubro eucharistiam confecisse. Vinum ad libandum in sacrificiis praescribebatur; ita in sacrificio cotidiano mane et vespere quarta pars hin vini requirebatur (Ex. 29,40); item in sacrificio agni quarta pars hin, in ariete tertia pars hin, per singulos boves dimidia pars hin (Num. 15,4-10; 28,5. 14 : media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum). Sacerdotes quando officio sacro fungebantur iubebantur abstinere a vino et ab omni quod inebriare posset Lev. 10,9; item ea abstinentia pertinebat ad votum nasiraei, de quo Num. 6,2 ss. agitur; et ea iam praecepta est matri Samsonis nasiraei, antequam conciperetur Iud. 13,4; eandem abstinentiam servabant Rechabitae (Ier. 35,2-14). — Ceterum vide s. v. POTUS, EBRIETAS.

VIPERA v. SERPENS.

VIR DEI v. s. v. PROPHETA.

VIRECTUM ponitur semel in Vulgata Gen. 41,18 pro voce אָחוּ, quam S. Hieronymus Gen. 41,2 interpretatur *locis palustribus* (LXX 41,2. 18 ἐν τῷ ἄχει) et Iob 8,11 *carectum* (LXX βούτομον). Sensum vocis iam recte explicavit S. Hieronymus ad Is. 19,7 (*Migne* 24, 252) : « LXX addentes de suo achi viride » (τὸ ἄχι τὸ χλωρόν) « quod in Hebraico non habetur. Cumque ab eruditis quaererem, quid hic sermo significaret, audivi ab Aegyptiis hoc nomine lingua eorum omne, quod in palude virens nascitur, appellari ». Vocem esse aegyptiacam eaque designari locum palustrem carice, arundine, canna, ulva, iuncis abundantem confirmant recentiores; cf. Papyrus Anastasi III. 2,1 apud *H. Brugsch*, Hierogl.-demot. Woerterbuch I. p. 14 (αχαχ = virere, viriditas) et vide p. 111; *H. Brugsch*, Geogr. Inschriften altaeg. Denkmäler I. (1857), p. 20; *G. Ebers*, Aegypten u. d. Bücher Mose's, 1868, p. 338-9; *Franz Delitzsch*, Das Buch Iob, 1864, p. 88; *H. J. Heyes*, Bibel u. Aegypten I. (1904), p. 217.

LXX etiam Eccli. 40,16 : super omnem aquam viriditas (Vulgata) reddunt ἄχει ἐπὶ παντὸς ὕδατος, ubi textus hebraicus fert : sicut calami (קרדמות) super ripam fluminis; de quo textu vide *N Peters*, Der hebr. Text d. B. Ecclesiasticus, 1902, p. 179 s.

VIRGA (baculus). Virga et baculus in Vulgata eodem fere sensu adhibentur; respondent vocibus hebr. שֵׁבֶט (שֵׁבֶט) et מַטֶּה, מִשְׁעֶנֶת.

Celebres sunt virga Moysis (Ex. 4, 2 ss., cuius ope Deo favente Moyses miracula patrat, quare etiam virga Dei vocatur Ex. 4,20; cf. Ex. 7,9 ss.; 8,16; 9,23; 10, 13; 14,16; 17,5. 9; Num. 20,8) et virga Aaron quae ad eius sacerdotium testandum germinavit et ad rei memoriam in tabernaculo est asservata Num. 17,2-10; Hebr. 9,4. Virga etiam quandoque ponitur pro sceptro tamquam insigne dominationis, auctoritatis; cf. Num. 24,17 orietur stella ex Iacob et consurget virga de Israel; Ps. 109,2; Ez. 19,12, etc. Qui usus declaratur ex virga, baculo pastoris; sicut enim pascere saepe idem est ac regere, gubernare, ita baculus seu virga pastoris evadit signum auctoritatis. Proin Ps. 22,4 virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt i. e. regimen Dei atque eius gubernatio mihi sunt consolationi.

Cum hebr. שֵׁבֶט virga etiam adhibeatur de tribu, familia, explicatur Ier. 10,16 : Israel virga hereditatis Domini i. e. tribus seu populus quem Deus sibi quasi in hereditatem et peculium elegit (Ex. 19,5). Demum virga instrumentum est castigationis; unde : reges eos in virga ferrea Ps. 2,9 et Iob precatur : auferat a me virgam suam i. e. plagam qua me affligit (9,34) et Paulus quoque quaerit ex Corinthiis : in virga veniam ad vos? (1 Cor. 4,21) etc., etc.

Alio sensu dicitur baculus panis, virga panis i. e. fulcrum quod homini praebetur pane; est quippe virga, baculus fulcrum debilis senis et inservit itineranti.

Minatur Deus se confracturum baculum panis (Lev. 26, 26; Ez. 4,16; 5,16; 14,13); panis enim cor hominis confirmat (Ps. 103,15). Eodem modo dicitur de auxilio, ope, fulcro quod quis ab alio sperat. Aegyptios nullo modo posse opem ferre Isaias declarat dicens : ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, Aegyptum (36,6) et Ier. 48,17 quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus? Ad inflictionem calamitatum refertur, si Assur vocatur virga furoris mei et baculus (Is. 10,5) et si dicitur : Assur levabit baculum super te (Is. 10,24). Potestas autem inimica conteretur : contrivit dominus baculum impiorum, virgam dominantium (Is. 14,5).

Virgam (מַקֵּל) vigilantem Ier. 1,11 legimus in Vulg., ut lusus verborum hebr. aliqua imitatione exprimatur, cum sequatur : vigilabo ego.

Apud Osee (4, 12) populus de idololatria et vana divinatione arguitur : « Populus meus in ligno suo interrogavit et baculus eius (מִקְלוֹ) annuntiavit ei »; carpit rhabdomantiam, ait Hieronymus ad h. l.; cf. s. v. DIVINATIO in vol. II. col. 101 ss.

VIRGINITAS. Signa virginitatis vocantur Deut. 22,15 guttae sanguinis quibus in primo coitu cum puella virgine linteum lecti maculari solet. Istud linteum a parentibus recenter nuptae asservari solebat, ne gener postea contra filiam posset accusationem movere eam a se non esse inventam virginem. Quam si moveret, prolato linteo coram senioribus urbis debitae poenae Deut. 22,18. 19 subiiceretur. Monetur pater, ut diligenter custodiat filiam nondum nuptam, ne dum virgo esse debeat perdat virginitatem Eccli. 42,9 ss. Vocatur Deus a populo Ier. 3,4 dux virginitatis meae (explica : quia populum regebat et ducebat, antequam foedus sinaiticum tamquam sacrum quoddam connubium iniretur); ita in Vulg.; hebr. appellatur amicus iuventutis meae; iuventus populi est prisca aetas populi.

Filia Iephte plangit virginitatem suam, flet quod connubii non fit particeps. Haec est Veteris Testamenti indoles. Attamen aliqua ratione iam in Vetere Testamento praeluditur ad lau-

dem et commendationem virginitatis quae est propria novi foederis. Nam eius praeludii specimen habes iam in eo quod sacerdotes officio sacro fungentes continentiam servare debebant, habes in promissione eunuchis data Is. 56,4. 5, habes Sap 3,13-4,2. Sed a Christo maxime commendata est virginitas quae servetur propter regnum caelorum, quam designat donum Dei excellens, quod ut tamquam tale cognoscatur, desideretur et revera efflagitetur omnino exoptat dicens : non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; qui potest capere capiat (Matth. 19,10-12). Virginitatis prae matrimonio praestantiam vario modo declarat apostolus 1 Cor. 7,7 : volo enim vos omnes esse sicut meipsum; v. 34. 35 cernit in virginitate opportunitatem sine ulla animi divisione, sine impedimento sese totum Deo devovendi et v. 38 melius facere dicit patrem, qui si potest virginem filiam relinquit innuptam et v. 40 ipsam viduam beatiorem esse ait si permanserit vidua; cf. Apoc. 14,4. Virginitatis propositum firmum ratumque Mariam habuisse clarissime constat ex verbis ad angelum dictis : quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? scit enim de qua re agatur; opponit modo consueto fieri non posse, cum sibi fixum ratumque sit ab omni viri consortio plane abstinere (Luc. 1,34); hunc enim esse sensum verborum « virum non cognosco » ita necesse est, ut quaevis alia explicatio plane sit absurda. Sic sane insulsum est quod aliqui protestantes exponunt : quomodo concipiam, sum adhuc virgo pura? profecto responsum puellae desponsatae putidum, insanum!

VIRGO. Si quis seduxerit virginem necdum desponsatam, ex legis praescripto debebat eam dotare et habere uxorem; « si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis quam virgines accipere consueverunt » (Ex. 22,16. 17); si eam acceperit uxorem, non poterat postea eam dimittere; immo si res ad iudices deferebatur, insuper adstringi poterat ad patri puellae siclos quinquaginta solvendos (Deut. 22, 28. 29). Si virgo iam desponsata permiserit se alteri, tamquam adultera puniebatur (Deut. 22,23. 28); si vi oppressa fuerit invita, ipsa nihil puniebatur, sed qui oppressit reus erat mortis (v. 25-27).

Sensu translato virgo dicitur urbs quatenus consideratur inviolata, non ab hostibus expugnata, in condicione florenti et pulchra consistens. Quae appellatio eo propius adiacebat, quia incolae urbis vel regionis appellari solebant filia urbis; ita filia Sion i. e. incolae Sion; vel etiam filiae Sion i. e. urbes, oppida quae ad Ierusalem metropolin pertinent; cf. Is. 37,22 subsannavit te, virgo filia Sion; 47,3 sede in pulvere, virgo filia Babylon; similiter Ier. 14,17 contrita est virgo filia populi mei; 31,4 aedificaberis virgo Israel.

VIRTUS. Plerumque ea voce significatur in Vulg. robur, potentia, fortitudo, vis; ita virtus Dei i. e. potentia; ita : praecinxisti me virtute ad bellum; exaltare Deus in virtute tua Ps. 17,40; 20,14; vel eduxit te Dominus praecedens in virtute sua magna ex Aegypto Deut. 4,37, etc. Et cum robur et potentia consistat pro rege et populo in exercitu, virtus designat copias, exercitum, in libro Iudith v. g. 2,7 vocavit Holofernes duces et magistratus virtutis Assyriorum; 1 Mach. 5,56 Azarias princeps virtutis; 6,6 abiit Lysias cum virtute forti; 9,43 venit Bacchides in virtute magna, etc. Quod Ruth dicitur mulier virtutis 3,11 hebr. חַיִל, utique ex contextu facile explicatur de probitate, honestate; sed quod 4,11 in Vulg. dicitur, ut sit exemplum virtutis in Ephrata, hebr. habetur : et faciat חַיִל in Ephrata i. e. Dominus faciat robur in Ephrata. — In psalmis virtus etiam ponitur pro hebr. צָבָא; v. g. 32,6 verbo Domini caeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum i. e. stellarum exercitus? ornatus? Dominus virtutum i. e. Iahwe exercituum, Dominus exercituum, uti alias in Vulg. redditur יהוה צְבָאוֹת. Quod 2 Par. 9,6 regina Saba Salomoni dicit : vicisti famam virtutibus tuis, hebr. et graece est προσέθηκας ἐπὶ τὴν ἀκοὴν ἣν ἤκουσα. Virtutes δυνάμεις in Novo Testamento vocantur miracula tamquam do-

cumenta potentiae divinae : operatur Deus virtutes in vobis Gal. 3,5; contestante Deo variis virtutibus Hebr. 2, 4, etc.; appellantur quoque eo nomine angeli, utpote qui sint praediti potestate; cf. 1 Petr. 3,22 Christus profectus in caelum subiectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus; Rom. 8,38. Sed virtutes saeculi venturi in se experiri, gustare Hebr. 6,5 ex contextu est gustare vim illam multiplicem et salutarem regni temporisque messiani, experiri bona messiana. Etiam fructus considerari potest tamquam virtus arboris, quia arbor suam efficientiam demonstrat; unde Ioel 2,22 legitur : ficus et vinea dederunt virtutem suam (cf. Iob 31,39 hebr. robur terrae i. e. fructus).

VISCERA. Affectus teneriores amoris, benevolentiae, miserationis in visceribus residere, viscera commovere Hebraei dicunt. Unde viscera secundum nostrum loquendi modum dicunt cor, animum, interiora, quando eiusmodi affectus vehementiores sunt exprimendi. Ita cum cerneret Ioseph fratrem Beniamin, commota sunt viscera eius super fratre suo Gen. 43,30; ita sermo fit de visceribus misericordiae i. e. de magna, tenera misericordia qua cor vehementer tangitur; apostolus quoque scribit de Onesimo : illum ut mea viscera suscipe i. e. ut a me tenerrime dilectum Philem. 12; refice viscera mea i. e. cor meum, animum meum (v. 20); Philippenses dicit a se cupi in visceribus Christi i. e. eos amari et desiderari a se amore tali qui in corde Iesu suam habeat rationem et vim. Saepius viscera in Vulg. exprimunt קֶרֶב quoque; cf. Ier. 31,33 dabo legem meam in visceribus eorum (in interiora eorum) et in corde eorum scribam eam. Sensu generali de animi vel cordis affectione adhibetur : viscera impiorum crudelia (Prov. 12,10) et claudere viscera ab aliquo (1 Ioan. 3,17) i. e. ei non exhibere misericordiam. Sensu proprio de visceribus corporis dicuntur v. g. 2 Mach. 9,5 apprehendit eum dolor dirus viscerum et Sap. 12,5 comestores viscerum hominum, sed graece σπλαγχνοφάγων ἀνθρωπίνων σαρκῶν et Act. 1,18 diffusa sunt omnia viscera eius (Iudae); at Iob 16,14 « effudit in terra viscera mea » hyperbolice dicitur de morbis et malis quae totum corpus et omnes eius partes etiam intimas afficiunt; modus loquendi prope adiacet, quia morbi veluti lancea et sagittae eo loco exhibentur.

VISIO. Dicitur visio de manifestatione Dei qua sensibus internis vel animo exhibetur praesentia Dei aliquid cum eo communicantis; ita Gen. 15,1 : factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens : noli timere etc., quem modum Deus se servaturum dicit cum prophetis : in visione apparebo ei Num. 12,6. Dein illud ipsum quod menti vel sensibus internis aut externis obiicitur, visio dicitur. Ita Moyses videns rubum ita ardere ut non absumeretur : vadam, inquit, et videbo visionem hanc magnam Ex. 3,3; et eo modo revelatio vel communicatio rerum quae prophetis fit visio dicitur; inde etiam liber in quo propheta res a Deo sibi ostensas consignat, inscribitur visio. Quia pseudoprophetae revelationes praetendebant, ideo eorum figmenta vocantur visiones mendaces, falsae, inanes, visiones cordis sui, quae scil. ab ipsis finguntur (Ier. 14,14; 23,16; Ez. 13,7; Mich. 3,7). Ceterum vide s. v. PROPHETA.

VISIONIS TERRA v. MORIA.

VISIONIS VALLIS (גֵּיא חִזָּיוֹן, φάραγξ Σιών) est titulus symbolicus, quo Is. 22,1. 5 designatur urbs Ierusalem. Ipso nomine *visionis* notio ingeritur Ierusalem esse metropolim et quasi nutricem prophetarum, ibi visiones ac revelationes divinas esse quasi in centro collocatas. Appellatur autem *vallis* visionis, quia vates tamquam speculator in alta Dei specula constitutus urbem, de qua visiones percipit, quasi infra se collocatam et in imum depressam cernit (*Knabenbauer* ad Is. 22,1). — Alii nominis *vallis* rationem inde repetunt, quod urbs Ierusalem instar vallis sit undique montibus cincta vel quod civitas inferior monti Sion fuerit subiecta vel quod urbs tum ab antiqua sanctitate tum a pristino splendore exciderit, vel prophetice, quod conculcanda et in vallem quodammodo redi-

genda sit vel quod visiones prophetarum in eam urbem veluti in vallem confluxerint. Sed haec subtilius excogitata sunt. Longius etiam quaesitum est appellationem vallis visionis connectendam esse cum historia Abraham et monte visionis i. e. Moria vel cum valle Iosaphat seu valle concisionis (Ioel 3[4], 2. 12. 14).

VITA. Deus, auctor et largitor vitae omnium viventium, dicitur vita populi sui, « ipse est enim vita tua » Deut. 30, 20, quatenus ab eo omnia bona, quibus vita redditur beata, stabilis, populo profluunt. Vitam hominis esse brevem, variis subiectam miseriis saepe in s. litteris effertur : dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum; militia est hominis vita super terram, homo brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra (Iob 7,1; 9,25; 14,1. 2); cf. Ps. 38,5 ss.; 102,15 homo sicut faenum dies eius; Eccle. 5,15 ss.; Sap. 5,9-12; 9,5; Is. 40,6-8; Eccli. 14,18-20; 18,8 etc. etc.; 1 Cor. 7,29; Iac. 1,10. 11; 4,13-15; 1 Petr. 1,24. Notio vitae saepe exprimitur voce anima; quare vide s. v. ANIMA.

Praeter vitam istam naturalem nobis exhibetur vita alia sublimior quam Christus indicat se ipsum vocans vitam, panem vitae, se venisse, ut vitam habeant et abundantius habeant (uti praesertim in evangelio Ioan. explicatur), quae est quaedam quasi inchoatio vitae aeternae hisce in terris, per quam Christus, Deus Pater, Spiritus Sanctus in nobis singulari ratione habitant, per quam efficimur nova creatura, filii Dei, heredes vitae aeternae; cf. Ioan. 1,12; 3,5; 6,35 ss.; 8,12; 10,10; 11,25; 14,6. 16 ss. 23; Rom. 8,15-17; 1 Cor. 2,12-16; 2 Cor. 1,22; 5,17; Gal. 1,15 etc. — Quam maxime proprie et cum emphasi dicitur beata immortalitas vita v. g. 2 Cor. 5,4 ut absorbeatur quod mortale est a vita.

VITIS (גֶּפֶן הַיַּיִן vel sine addito גֶּפֶן, ἡ ἄμπελος) a Noe patriarcha post diluvium colebatur Gen. 9,20 : coepitque Noe vir agricola (exercere terram) et plantavit vineam (כֶּרֶם, ἀμπελῶνα). Iuxta opinionem, quam hodie quoque probabilissimam habent rerum naturalium periti (*A. de Candolle, Hehn-Schrader, A. Engler, Leunis-Frank, G. E. Post,* alii), *Vitis vinifera* Linné primitus colebatur in regionibus Ponti orientalis et Armeniae inter mare Caspium et Taurum montem atque inde occidentem versus in Europam australem et mediam propagata est; cui opinioni non obest, quod ante culturam vini, immo iam aetate praehistorica variae species vitis silvestris longe lateque sparsae fuerint, praesertim cum acini per volucres huc illuc facile transferantur. In Aegypto (cf. Gen. 40,9 ss.) testimonia monumentorum pro cultura vitis usque ad dynastiam quartam ascendunt (cf. *Wilkinson-Birch, Fr. Woenig, V. Loret, H. J. Heyes, A. Erman, Fl. Petrie*). In Syria celebrabatur vinum Libani Os. 14,8 et vinum de Helbon (v. s. v.) Ez. 27,18. De cultura vini in Babylonia et Assyria vide *A. H. Layard,* The Monuments of Nineveh, 1849-1853, I.7 4. 81. II. 8. 9. 14. 15. 17. 22-24. 37-39; *E. Bonavia,* Flora of the Assyrian monuments, 1894, p. 10 s. 48-53. 61. — Reliqua vide s. vv. TORCULAR et VINEA.

Cf. generatim de vite *I. Cornarius,* Theologiae vitis viniferae libri tres, Heidelbergae, 1614; *O. Celsius,* Hierobot. II. p. 400-444; *M. Hiller,* Hierophyt. I. p. 270-347; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Altert. IV. 1, p. 211-223; *Henderson,* History of ancient and modern Wines, ed. germ. Weimar, 1833; *A. M. Wilson,* The wines of the Bible; *P. Cultrera,* Flora bibl. 1861, p. 265-322; *J. H. Balfour,* Plants of the Bible, 1885, p. 103-107; *F. Hamilton,* Botanique de la Bible, 1871, p. 110-125; *J. Smith,* Bible plants, 1878, p. 156-158; *A. de Candolle,* Origine des plantes cultivées, 1883, p. 151-154; *Leunis-Frank,* Botanik I. (1883), § 324, n. 3 et II. (1885), § 556; *A. Kinzler,* Bibl. Naturgesch. 1884, p. 257-264; *G. Henslow,* Plants of the Bible, p. 81-83; *P. Schegg,* Bibl. Archaeol. 1887, p. 170-183; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 402-413; *A. E. Knight,* Bible plants and animals 1889, p. 76-83; *Hehn-Schrader,* Kulturpflanzen u. Hausthiere 1894, p. 65-85 et *A. Engler,* ibidem p. 85-90; *W. H. Groser,* Trees and plants mentioned in the Bible, 1895, p. 124-133; *L. Fonck,* Streifzüge durch die bibl. Flora, 1900, p. 116-124.

De cultura vitis in Aegypto cf. *Wilkinson-*

Birch, Manners and Customs of the ancient; Egyptians, 1878, I. p. 379 ss. III. p. 416 s. 419; *A. Erman*, Aegypten u. aegypt. Leben im Altert. 1885, p. 276-279; *Fr. Woenig*, Pflanzen im alten Aegypten, 1886, p. 254-276; *V. Loret*, Flore pharaonique, 1892, num. 167; *W. M. Fl. Petrie*, Medum, 1892, p. 38 et pl. 13.

De hodierna cultura vitis in Palaestina et Syria cf. *E. Boissier*, Flora orientalis I. (1867), p. 955. 956; *O. Fraas*, Drei Monate im Libanon, 1876, p. 26 ss.; *L. Anderlind* Die Rebe in Syrien, insbesondere Palaestina, in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XI. 1888, p. 160-177; *G. E. Post*, Flora of Syria, 1896, p. 203.

VITRUM. Artem vitri conficiendi a Phoenicibus esse repertam traditur. Fama est, scribit Plinius (Nat. hist. XXXVI. 26,191) appulsa nave mercatorum nitri, cum sparsi per litus epulas pararent nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri e nave subdidisse, quibus accensis permixta arena litoris tralucentes novi liquoris fluxisse rivos et hanc fuisse originem vitri. Quidquid est de hac fabula, certum est iam antiquissimo tempore Phoenices, Aegyptios, Assyrios vitrum novisse et vasa vitrea habuisse. In monumentis aegyptiacis Thebis v. g. repertis cernuntur qui vitrum flatu figurant. Quare omnino probabile est Hebraeis quoque vitrum esse cognitum et Iob 28,17 hebr. זָכוֹכִית (זכך esse splendidum, purum) rite verti ὕαλος, vitrum; quod apud veteres rebus ad luxum et cultum delicatiorem pertinentibus accensebatur. Prov. 23,31 in Vulg. quidem legitur : ne intuearis vinum, cum splenduerit in vitro color eius; at hebr. et graece : in calice. Apoc. 21,18. 21 aurum mundum simile vitro mundo, tamquam vitrum perlucidum (ὕαλος διαυγής); ὕαλος antiquitus Graecis dicebatur quivis lapis pellucidus, crystallum, alabastrites, electrum; vitrum apud Herodotum χυτὴ λίθος vocatur (cf. 2,69); verum postea nomen consuetum vitri evasit ὕαλος.

VITTA. Ea voce redditur in Vulg. פְּתִיל linea, funiculus Ex. 28,28. 37; 39, 30; Num. 15,38; etiam חוּט filum Cant. 4,3 : sicut vitta coccinea labia tua; immo גְּדִלָה quoque Eccle. 12,6 : et recurrat vitta aurea, hebr. et frangatur lampas aurea (uti vox Zach. 4,3 de lampade, de vasculo oleario explicatur); cf. *Gietmann*, Comm. in Eccle. p. 323. Ponitur pro hebr. צָנִיף Is. 3,23 cidaris, tiara caput ornans, et pariter pro cidari sacerdotali Ez. 44,18 פְּאֵר, quam vocem alias videmus reddi coronam (Is. 61,3. 10).

VITULUS. Cum Moyses diutius in monte Sinai moraretur (24,18), populus postulavit ab Aarone, ut faceret deum quo duce proficisci possent. Aaron ex inauribus aureis quas attulerunt formavit opere fusorio et fecit vitulum conflatilem (Ex. 32,1 ss.) et erecto altari oblata sunt sacrificia. Moyses autem reversus de monte « arripiensque vitulum combussit et contrivit usque ad pulverem quem sparsit in aquam » 32,20. Vitulus itaque eo modo factus erat, quo idola et statuae deorum confici solebant; imago scil. lignea laminis aureis obtecta vocari solet imago aurea (cf. Is. 40,19. 20; 44,10-17); aureas laminas in partes minutissimas contrivit et comminuit, corpus ligneum combussit et cineres proiecit in aquam, i. e. in torrentem qui de monte descendit (Deut. 9,21). Ea occasione simul cum Moyse levitae honorem Dei vindicarunt (cf. Ex. 32,26 ss. Deut. 33,9).

Inter animalia apta ad sacrificia frequenter commemoratur vitulus; cf. Ex. 24,5; 29,1 ss. in ritu consecrationis sacerdotum; Lev. 1,4 ss. in ritu holocausti; 4,3 ss. in ritu sacrificii pro peccato; 8,2 ss. in ritu consecrationis Aaron et 9,2 ss. in primis sacrificiis Aaron; 16,3 in die expiationis; in aliis sollemnitatibus Lev. 23,18; Num. 28,11-28; 29,2-37. Vide quoque s. vv. VICTIMA et BOS.

VIVENTIS ET VIDENTIS ME scil. puteus (בְּאֵר לַחַי רֹאִי i. e. puteus Viventis qui videt me vel ex aliorum opinione : puteus viventis videndo i. e. puteus, apud quem Agar vita sospite vidit Deum; LXX φρέαρ οὗ ἐνώπιον εἶδον, τὸ φρέαρ τῆς ὁράσεως), prope quem angelus Domini invenit Agar in Aegyptum fugientem in via Sur in deserto (Gen. 16,7), inter Cades et Barad (16,14), prope quem etiam Isaac habitabat in terra australi (24,62; 25,11). Accedit quod S. Hieronymus

mus (Onom. *ed. Lag.* 101,3) s. v. Barad adnotat : « Inter Cades et Barad hodieque Agar puteus demonstratur ». — Cades hodie communiter agnoscitur *ʿAin Qadīs* 80 km a Bersabee austrum versus; ab *ʿAin Qadīs* inter septemtrionem et occidentem invenitur *ʿAin Moilahi* (*ʿAin Muweile*), quem puteum Agar esse recentiores censent (cf. *Ritter*, Erdkunde XIV. 1086; *Riess-Rueckert*, Atlas Script. S. 1906, s. v. Beer Lahiroi; *E. H. Palmer*, Wüstenwanderung Israels, 1876, p. 273). Arabes locum appellant *Moilahi Hadjar* et vocem *Hadjar*, quamvis etiam rupem designare possit, ad Hagar referri asserunt; insuper in vicinia *Moilahi* ostendunt cavernam ex rupe excavatam, quam vocant *Beit Hadjar*, domum Hagar; demum adverte in voce *Moilahi* illud *Moi* (*aqua*) idem esse ac *Bīr* (*puteus*) et in multis nominibus geographicis eius regionis *Moi* substitutum esse pro *Bīr* (cf. *Ritter* l. c.).

VOCATIO, κλῆσις, in Novo Testamento plerumque est Dei Patris ad homines facta invitatio efficax (i. e. effectu secuto) ad fidem amplectendam. Dicitur Rom. 11,29 vocatio Dei esse sine paenitentia i. e. Deum nullatenus unquam paenitere quod homines ad fidem adduxerit vel ad condicionem quandam praeclaram elegerit; 1 Cor. 1,26 videte vocationem vestram i. e. videte (attentis iis qui ad fidem adducti sunt) qualiter Deus vos vocaverit, nulla scil. habita ratione auctoritatis, scientiae etc. Et spes vocationis Eph. 1,18 est spes quae divina illa vocatione ad fidem nobis data est et proposita; similiter Phil. 3,14 bravium supernae vocationis. Eam vocationem Deus largitur et Iudaeis et gentibus Rom. 9,24; sed cum ex Iudaeis haud multi fidem revera amplexi sunt, Christus in parabola de rege qui nuptias fecit, eius sensum pro Iudaeis indicat concludens : multi enim sunt vocati, pauci electi i. e. pauci vocationi seu invitationi factae obsequuntur. Quomodo autem Iudaei quoque vocentur, explicat apostolus Rom. 10,18; vocantur scil. ipsa praedicatione evangelii facta. Hanc a Deo vocationem nobis factam ut reddamus ex nostra parte βεβαίαν, stabilem, firmam, ne scil. excidamus et tandem pereamus, Petrus apostolus monet 2 Petr. 1,10. — Semel dicitur vocatio de condicione, in qua ille versatur qui a Deo vocatur, 1 Cor. 7,20 : unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat; servus vocatus es? etc., cf. v. 24 : unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum.

VOLATILIA, VOLUCRES vide s. v. AVES.

VOLUNTAS. Voluntas Dei dicitur id quod Deus iubet fieri, quod ordinat et dirigit ipse, quod fieri sinit, quod ei placet. Verum in Vulg. saepius ponitur voluntas Dei, ubi in textu hebr. res simpliciter Deo adscribitur v. g. Gen. 27,10 voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi, hebr. Deus mihi fecit occurrere; 45,8 non vestro consilio sed Dei voluntate huc missus sum, hebr. non vos me misistis huc, sed Deus; 4 Reg. 18,25 numquid sine Dei voluntate ascendi? hebr. sine Deo; 2 Par. 10,15 erat enim voluntas Dei, hebr. erat casus ex Deo; 2 Par. 18,7 quaerere voluntatem Dei, hebr. quaerere ex Deo etc. — Bona Dei voluntas, רָצוֹן, εὐδοκία est beneplacitum Dei, gratia, qua ut scuto protegi psalmista orat Ps. 5,13; item Ps. 29,6 vita in voluntate eius i. e. in gratia, favore, beneplacito eius; item v. 8 et 39,8; 50,20 etc. Alias voluntas Dei dicitur consilium עֵצָה Ps. 72,24, etiam facta vel facinora, עֲלִילוֹת Ps. 102,7; item חֵפֶץ complacentiam habere v. g. numquid voluntatis meae est mors impii? Ez. 18,23. In libris novi foederis θέλημα, θέλησις (Hebr. 2,4), εὐδοκία, βουλή reddunt ea quae Deus vult, iubet, quae ipsi placent, quae ordinavit; in Vulg. voluntas, bona voluntas (beneplacitum).

Voluntas hominis simili modo in textu hebr. designatur v. g. Gen. 24,57 quaeramus eius voluntatem, hebr. interrogemus eius os; Deut. 23,24 promisisti propria voluntate, hebr. vovisti spontaneum; similiter Iud. 5,9; et 3 Reg. 5,3 tu scis voluntatem David et quia non potuerit aedificare domum, hebr. tu scis Davidem quia non potuit etc.; 3 Reg. 19,3 Elias abiit quocumque eum ferebat

voluntas, hebr. abiit אֶל נַפְשׁוֹ i. e. secundum desiderium suum; 4 Reg. 16,9 acquievit voluntati eius, hebr. audivit ad eum i. e. ei obsecutus est; cf. 4 Reg. 16, 15; 18,23; 1 Par. 27,7 voluntatis meae fuit, ut aedificarem, hebr. erat in corde meo; similiter 2 Par. 6,7. 8; Prov. 29, 15 puer qui dimittitur voluntati suae, hebr. puer dimissus (sibi) etc. Dein voce voluntatis redduntur in Vulg. haec verba hebr. : חֵפֶץ Ps. 1,2; 15,3; 106,30; 144, 19; Prov. 16,13; Is. 44,28; 58,3. 13; רָצוֹן 2 Par. 15,15; Neh. 9,37; רְעוּת Esd. 5,17; עֵצָה 2 Par. 10,4; Ps. 10,6; מוֹעֵצָה Ier. 7,24; Am. 6,16; דָּבָר Esth. 5,5. 8; אֲרֶשֶׁת Ps. 20,3 et Ps. 27,7 שִׁיר. In libris graecis θέλημα, θέλησις, βούλημα, βουλή.

Hominis voluntatem esse liberam, affirmatur in s. litteris toties, quoties praecepta, admonitiones, reprehensiones, minae proponuntur. Quae scil. essent plane absurda, nisi homo libero uteretur arbitrio. Deus autem salva hominis libertate voluntatem eius quocumque voluerit potest inclinare; cf. Prov. 21,1 : sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocumque voluerit inclinabit illud.

I. KNABENBAUER.

VOMENS. Legitur tamquam nomen symbolicum ex versione S. Hieronymi Prov. 30,1 : verba Congregantis filii Vomentis; sed textus hebr. probabilissime verti debet : Verba Agur, filii Iaqeh (cf. *Cornely*, Introd. *ed.* 2, II. num. 202). Rabbini veteres utrumque nomen de Salomone acceperunt, qui se vocet filium vomentem, qui verba legis Deut. 17,17 in se accepit, at postea exspuit dicens : ego potero (scil. multas mihi copulare mulieres; cf. *Delitzsch* ad Prov. 30,1). Videtur S. Hieronymus similem explicationem a suo magistro Iudaeo hausisse. Ceterum v. AGUR.

VOTUM. Votum generatim est promissio Deo facta, qua quis se Deo obstringere intendit. Eo ipso quod homini persuasum est se precibus a Deo aliquid posse impetrare, fit gressus ad votum faciendum, si quid omnino a Deo obtinere desiderat. Natura enim comparatum est, ut non solum petitione, sed etiam promissionibus et variis officiis eum nobis devincire studeamus, a quo aliquid efflagitare et accipere cupimus. Quare iam ante legem mosaicam vota inveniri plane ad naturam humanam factum est. Ita Iacob profecturus in Mesopotamiam et prosperum exoptans successum votum vovit (Gen. 28,20; 31, 13). Lege mosaica varia de votis statuuntur. Nemo quidem obligatur ad votum faciendum : « si nolueris polliceri, absque peccato eris » Deut. 23,22; at « cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum » l. c. 21; similiter Eccle. 5,4 : multo melius est non vovere quam post votum promissa non reddere; cf. Prov. 20,25.

Deo autem vovere poterat unusquisque se ipsum, uxorem, filios, filias, animalia munda et immunda, domos, agros; excipiuntur ea quae alio titulo iam Domino debebantur vel sacra erant, uti primogenita, decimae; neque licebat Domino vovere vel offerre pretium meretricium (Deut. 23,18). Iam si quis se vel suos voverit, votum ita solvebatur, ut sub aestimatione pretium dandum esset : ita pro masculo ab anno 20. usque ad 60. statuuntur sicli 50 (ad mensuram sanctuarii), pro muliere 30; pro iuvene 20; pro femina annorum 5-20 sicli decem; pro puero ab uno mense usque ad annum 5. sicli quinque; pro femina tres etc.; vide Lev. 27,1-8. Si animal erat ex iis quae licuit offerre, sanctum erat Domino nec poterat mutari, sed debuit offerri (cf. 7,16; 22,18. 21); animal autem immundum, domus, ager pretio aestimabantur a sacerdote et vendebantur in utilitatem sanctuarii; qui voverat, poterat ea redimere addita ad pretium a sacerdote aestimatum parte quinta Lev. 27,11-27. Verum, uti exemplo Samuelis patet, etiam ita votum fieri poterat, ut quis servitio sanctuarii consecraretur (cf. 1 Reg. 1,27. 28); de voto Iephte Iud. 11,30 ss. vide *F. de Hummelauer*, Comment. in l. Iud. 219-227.

Vir, cum sit plene sui iuris, omne quod promisit implebit (Num. 30,3);

pariter vidua et repudiata, cum iam non sint sub dominatione viri, quidquid voverint reddent v. 10. Sed femina quae est in domo patris et adhuc in aetate puellari et uxor, quia sunt sub dominatione, tenentur votum reddere, si pater vel maritus cognito voto non contradixerit extemplo, sed tacuerit; secus ab obligatione solvuntur contradicente patre vel marito (Num. 30,4-17). De filio qui adhuc est sub potestate paterna et de servo nihil explicite statuitur; verum norma colligi videtur ex iis quae de filia et uxore dicta sunt, quia par est ratio scil. condicio sub alterius potestate et dominatione exsistens.

Praeter vota quibus Deo aliquid consecratur, etiam vota fiebant ligaminis (אִסָּר), seu abstinentiae, quibus sese obligabant ad ieiunium vel ad abstinentiam ab aliqua re licita; cf. Num. 30,3. 4. 11; eiusmodi votum appellatur hebr. iuramentum ligaminis l. c. Votum eius generis maxime insigne est votum nasiraeatus, quod vir et mulier suscipere poterant vel pro certo tempore (Talmudistae statuunt ut minimum pro 30 diebus) vel pro tota vita. Ad condicionem eam pro tota vita mater Samsonis filium iussu angeli Domini consecravit (Iud. 13,2 ss.) et Anna vovit: si Dominus dederit sexum virilem, « dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius et novacula non ascendet super caput eius » (1 Reg. 1,11). Quae servanda erant nasiraeo (נָזִיר segregatus, consecratus; Vulg. nazaraeus Num. 6,18 ss.; Iud. 13,5; 16, 17; Lament. 4,7; Am. 2,11. 12; 1 Mach. 3,49), exponuntur Num. 6,2 ss. Debebant abstinere ab omni potu inebriante, ab uvis, ab uva passa; novacula non transibit per caput eius, neque eo tempore ad ullum mortuum ingredietur. Si tempus voti transactum est, in sanctuario sacrificia offerri debebant, iisque oblatis nasiraeus radebatur capillis in ignem sacrificiorum iniectis. Quodsi quis subito coram eo mortuus fuerit, consecratio eius facta est irrita, ita quidem, ut certo ritu debuerit expiari et dies priores censeantur irriti cf. Num. 6,9-12. 13-21. Sacrificia quae pro fine consecrationis offerenda erant etiam ab alio poterant pretio comparari et impendi nasiraeo; id saltem moris erat tempore posteriore, uti patet Act. 21,22. 23 quia Iacobus tale consilium Paulo apostolo dat (quem morem *Iosephus* quoque innuere videtur Ant. XIX. 6,1).

Saepius commendatur et supponitur vota fieri, voveri sacrificia; cf. Lev. 17, 6; Deut. 12,6. 11. 17. 26. Exempla votorum habes praeterea Iud. 17,3; 2 Reg. 15,7; Ps. 21,26; 60,9; 64,2; 65,13; 131, 2; Prov. 7,14; Iudith 16,22; Ier. 44,25; Ion. 1,16; 2,10; Mal. 1,14; Act. 18,18 Paulus ipse votum susceperat. Verum notari debet in Vulg. legi saepius votum, ubi in textu solum sermo est de spontaneis, de rebus ad Dei cultum destinatis, de sacrificiis laudis v. g. 2 Par. 5,1; 15,18; 31,12; 35,8; Ier. 33,11; Am. 5, 22 etc.

I. KNABENBAUER.

VOX. Praeter notionem usitatam adhibetur in Vulg. sicut etiam apud Latinos de sermone, mandato, de sono, de voce animalium. Ita audire vocem alicuius est ei oboedire, vel oboedire voci i. e. obsequi mandato; ita frequenter. Similiter dicitur : Deus exaudivit vocem i. e. orationem, preces alicuius. Vox Domini saepius dicitur tonitru; cf. Ex. 20,18; 1 Reg. 12,18; 2 Reg. 22,14; Ps. 17,14; 28,3 etc.; ita vox fletus, vel flere voce magna Esdr. 3,12. 13; vox tubae Ios. 6,5; 3 Reg. 1,41; vox clamoris Esdr. 3,13; dein generatim de tumultu 1 Reg. 1,45; vox currentium 2 Par. 23, 12; vox gregum 1 Reg. 15,14 etc.

Praeterea notanda locutio erat vocem traducere in omni regno, vel divulgare vocem i. e. iussionem notam facere, mandatum promulgare Esdr. 1,1; Neh. 8,15. Inanimatis quoque tribuitur vox, v. g. vox sanguinis clamat ad me Gen. 4, 10, quia caedes ultionem Dei exigit et provocat etc. — Ponitur Gen. 11,7 vox pro hebr. שָׂפָה (labium); quo sensu quandoque eo loco accipiatur vide apud *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 305 ss. — Ponitur vox Ex. 23,1 pro hebr. שֵׁמַע vox mendacii i. e. rumor falsus.

VULPES (שׁוּעָל, ἀλώπηξ, aram. תַּעלָא, arab. *tha'āl*, assyr. *shēlibu*, *shēlabu*) in

Palaestina communis erat (Neh. 4,3[3, 35]; Lam. 5,18; Ez. 13,4; Matth. 8,20; Luc. 9,58; 13,32); describitur inimicus vinearum Cant. 2,15. Sunt qui Ps. 62 [63],11 de cane aureo (gall. *chacal*) interpretentur, quippe qui animalia morticina devoret; sed vulpes quoque morticinis delectatur (cf. *A. E. Brehm,* Thierleben, 1883, I. p. 658). Vulpes trecentae a Samsone captae (Iud. 15,4) censentur esse canes aurei (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.); etsi enim vox שׁוּעָל nihil commune habeat cum vocibus *chacal, jackal, Schakal, sciacallo* linguarum modernarum (cf. Ztschr. d. D. Morg. Ges. XXX. 1876, p. 769), tamen communiter admittitur voce שׁוּעָל etiam comprehendi canes aureos vulpibus simillimos, sicuti apud Arabes ista duo animalia frequenter confunduntur (cf. *C. Niebuhr,* Beschreibung von Arabien, 1772, p. 166) V. etiam CANIS AUREUS. Hodie vulpes in Syria passim invenitur, in Palaestina australi et centrali vulpes aegyptiaca *Canis niloticus* Geoffroy, in Palaestina aquilonari vulpes syriaca paulo maior. Cf. *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible, 1889, p. 85 s.; *P. Cultrera,* Fauna bibl. 1880, p. 209-213; *J. G. Wood,* Bible animals, 1892, p. 55-62; *F. Hommel,* Namen der Säugetiere bei d. südsem. Voelkern, 1879, p. 310-311.

VULTUR (אַיָּה) recensetur inter aves immundas Lev. 11,14; Deut. 14,13 (LXX τὸν ἰκτῖνον, *Swete* ἰκτῖνα) et ob acerrimum visum laudatur Iob 28,7 oculus vulturis (γυπός). Ut iam s. v. MILVUS dictum est, a nonnullis אַיָּה explicatur *Milvus regalis* Cuvier (germ. *Koenigsweihe*). Alii interpretantur אַיָּה accipitrem vel omne accipitrum genus, alii avem quandam rapacem complures species complectentem, alii cum Vulgata vulturem. Vultures autem videntur simul cum aquilis etiam voce נֶשֶׁר comprehendi, ut dictum est s. v. AQUILA in vol. I. col. 333-6; ibidem vulturum species palaestinenses praecipuae iam enumeratae sunt, ex quibus *Gypaetus barbatus* Cuvier coniicitur esse gryps (v. s. v.) et *Neophron percnopterus* Gray seu vultur aegyptiacus censetur esse porphyrio (v. s. v.).

X

XANTHICUS (Ξανθικός) nomen mensis, fere Aprilis, apud Macedonas (cf. 2 Mach. 11, 30. 33) et Iosephus scribit Νισᾶν ὅς ἐστι Ξανθικός (Ant. I. 3,3); unde nomen apud Hebraeos omnino notum supponit. Vide s. v. MENSIS.

Z

ZABAD (זָבָד, Ζαβέδ, Ζαβάδ, Ζαβέτ).

1. Unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda; enumeratur tertius inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan descendunt, quae Ieraa Aegyptio, servo Sesan, nupserat (1 Par. 2,36. 37 et cf. v. 31).

2. Filius Suthalae filii Ephraim (1 Par. 7,20[21]).

3. Unus ex heroibus davidicis (1 Par. 11,41).

4. Zabad 2 Par. 24,26 v. IOSACHAR.

5. Tres viri, qui Esdra mandante uxores alienigenas dimiserunt (Esdr. 10,27. 33. 43).

ZABADAEI (Ζαβεδαῖοι) Arabes, quos Ionathas Mach. percussit et spoliavit, cum a persecutione Syrorum desistens ab Eleuthero fluvio Damascum pergeret (1 Mach. 12,31). Flav. Iosephus (Ant. XIII. 5,10) loco Zabadaeorum legit Nabataeos (τοὺς Ναβατηνούς *ed. Niese*), quae lectio nullam fidem meretur; etenim Nabataei nunquam alias inter Eleutherum et Damascum inveniuntur et Iudaeis amicitia coniuncti erant (v. NABAIOTH). Zabadaeorum gens aliunde nobis non innotescit. Inter varias de eorum sedibus coniecturas illa maxime probabilis est, quae eorum nomen conservatum esse putat in *Dj. el-Zebedānī* inter septemtrionem et occidentem a Damasco versus Eleutherum fluvium.

ZABADIA, ZABADIAS (זְבַדְיָה, זְבַדְיָהוּ; Ζαβαδία, Ζαβαδίας, Ζαβδίας, Ζαβδία).

1. Beniaminita quidam ex filiis Baria (1 Par. 8,15).

2. Beniaminita quidam ex filiis Elphaal (1 Par. 8,17).

3. Beniaminita, qui Davidi in Siceleg se adiunxit, filius Ieroham de Gedor (1 Par. 12,7).

4. Filius tertius Meselemiae Coritae (1 Par. 26,2).

5. Filius Asael (Asahel) fratris Ioab, princeps turmae quartae 24 000 millium, quae de patris iam ante illud tempus defuncti nomine vocabatur (1 Par. 27,7).

6. Levita tempore Iosaphat regis ad populum in lege Domini erudiendum missus (2 Par. 17,8).

7. Filius Ismahel, dux in domo Iuda regnante Iosaphat, super opera, quae ad regis officium pertinent, constitutus (2 Par. 19,11).

8. et **9.** Idem nomen gerunt duo, qui in Vulg. scribuntur Zebedia, filius Michael, cum 80 viris e captivitate reversus duce Esdra (Esdr. 8,8) et sacerdos de filiis Emmer (Esdr. 10,20).

ZABBAI (זַבַּי, Ζαβού), unus de filiis Bebai, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,28).

ZABDI (זַבְדִּי; Ζαδδί, sed Ios. 7,1. 18 Ζαμβρί). **1.** Filius Zare de tribu Iuda, ex maioribus Achan (Ios. 7,1. 17. 18).

2. Beniaminita quidam de filiis Semei (1 Par. 8,19).

3. Zabdias (Vulg.) cellis vinariis a Davide praepositus (1 Par. 27,27), cognominatus Aphonites i. e. oriundus de Sephamoth (vide s. v.).

4. Vide ZECHRI 5.

ZABDIAS v. ZABDI 3.

ZABDIEL (זַבְדִּיאֵל, Ζαδδιήλ). **1.** Pater Iesboam principis 24 000 militum in exercitu Davidis (1 Par. 27,2).

2. Filius potentium, praepositus 128 sacerdotibus post captivitatem babylonicam (Neh. 11,14; LXX Βαδιήλ).

3. Arabum dynasta, qui caput Alexandri Balae abscidit et Ptolemaeo Philometori transmisit (1 Mach. 11,17). Apud Flav. Iosephum (Ant. XIII. 4,8) vocatur Ζάβειλος (*ed. Niese*). Fortasse idem est ac Diocles apud Diodorum (in *Müller,* Fragm. hist. graec. II. p. 16). Cf. dicta s. vv. ALEXANDER 2 et NABAIOTH.

ZABINA (זַבִינָא, Ζανδινά), unus de filiis Nebo, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,43).

ZABUD (זָבוּד, Ζαβούδ), filius Nathan, sacerdos (sensu latiore; cf. 2 Sam. 8, 18), amicus i. e. consiliarius Salomonis (3 Reg. 4, 5); utrum eius pater fuerit Nathan propheta (2 Reg. 7,2 ss.) an filius David (2 Reg. 5,14), non constat.

ZABULON (זְבוּלֻן, זְבִילֻן et Iud. 1, 30 זְבוּלוּן; Ζαβουλών).

1. Zabulon filius decimus Iacob patriarchae, sextus et ultimus ex Lia genitus (Gen. 30,20; 35,23). Nomen explicatur verbis Liae : Dotavit me (זְבָדָנִי) Deus dote (זֵבֶד) bona; hac vice mecum erit (יִזְבְּלֵנִי *habitabit mecum* vel forte *honorabit me*) maritus meus i. e. Lia exspectat se post tot filios genitos a marito magis quam antea, immo fortasse magis quam Rachelem cultum atque dilectum iri. Nomen Zabulon igitur a radice זבל derivatur, simul autem habetur allusio seu assonantia ad radicem זבד; quare perperam *Dillmann* duas nominis explicationes subodoratus est unam a scriptore B, alteram a C petitam. Cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 30, 20. Tempore quo Iacob cum filiis suis in Aegyptum descendit, tres filii Zabulon recensentur Sared, Elon, Iahelel seu Ialel (Gen. 46,14; cf. Ex. 1,3; Num. 26, 26. 27). In genealogiis filiorum Iacob (1 Par. 2,1-ss.) posteri Zabulon omittuntur sicuti etiam posteri Dan.

2. Zabulon tribus Israel. Sors Zabulon circumscribitur Ios. 19,10-16. Eius terminus meridianus tangebat tribum Issachar, occidentalis tribum Aser, septemtrionalis tribum Aser et Nephthali, orientalis Iordanem, lacum Genesareth et pagum commutatorium Nephthali (de quo v. s. v. NEPHTHALI 2). Ita textum Ios. 19,10-16 explicat *F. de Hummelauer,* Comm. in Ios. p. 421 : « Terminus septemtrionalis Zabulon, et terminus australis primum Aser et postea Nephthali, erat ibi, ubi natura ipsa definivit limitem Galilaeae inferioris et superioris (scil. vallem Iephtahel) : Galilaea superior pertinebat ad Aser et Nephthali, quae his adiacebat Galilaea inferior ad Zabulon. Unde infero, id quod per se perquam probabile apparet, terminum Zabulon ad orientem Corozain pertigisse Iordanem usque : scil. ad Zabulonitas spectabant montes Galilaeae inferioris et, ubi hi prope lacum deficiebant, planities ad occidentem et ad aquilonem lacus. Ab eo puncto ad orientem Corozain usque ad punctum, ubi Iordanis lacum ingreditur, ipse Iordanis erat terminus Zabulon..... Cum terminus inter Aser et Nephthali et inter Zabulon sit idem, qui inter Galilaeam superiorem et inferiorem, ergo litus lacus septemtrionale et occidentale nequaquam Nephthalitarum erat, sed totum Zabulonitarum ». Quam interpretationem confirmare videntur Eusebius et S. Hieronymus : altera Galilaea dicitur circa Tiberiadem et stagnum Genesareth in tribu Zabulon (Onom. *ed. Lag.* 129,27; 247,92) et Flavius Iosephus : Zabulonitae regionem sortiti sunt usque ad lacum Genesareth, contiguam simul Carmelo et mari (Ant. V. 1,22). Cf. *M. Hagen,* Atlas biblicus (1907), Tab. 4 BC 2.

Territorium Zabulon tum situ tum

altitudine medium est inter montem Nephthali et planitiem Esdrelon; complectitur complures planities montanas (Ramae, Asochis, Sepphoris), montem *Tūr'ān*, iuga collium circa Nazareth, montem Thabor (v. GALILAEA inferior in vol. II. col. 359 s.).

Ex Deut. 33,18. 19 colligitur Zabulon mercatura floruisse et ipsis thesauris maritimis abundasse. Ad h. l. scribit *F. de Hummelauer* : « Belle dicuntur abundantiam marium sugere, qui in litore vel haud procul a litore incolentes mercibus mari advectis ditantur. *Maria* aut praeter mare Mediterraneum designat etiam lacum Genesareth aut denotat oceanos magis dissitos, quorum merces per mare Mediterraneum oris Syriae advehuntur ». Ex opinione eiusdem interpretis Gen. 49,13 (hebr.) Zabulon fingi potest inter duo maria consistens, prospiciens meridiem versus, tergum obvertens Phoeniciae. Describitur itaque opulentia e vicino mari et commercio cum accolis orae maritimae procurata. Neque tamen necessario ipsa Zabulon usque ad litus maris Mediterranei pertigisse censenda est. Textibus allatis sufficit propinquitas orae maritimae et facilitas mercaturae inde exorta. Alii insuper notant confinia Zabulon et Aser Ios. 19,10 ss. obscurius determinata esse, immo terminum occidentalem in ea descriptione omnino deficere, ac proinde aliquam saltem partem Zabulon usque ad mare Mediterraneum pertingere potuisse; ceterum fines singularum tribuum non semper iidem firmiter manebant, sed fluctuationem quandam admittebant. — De fertilitate Zabulon valent, quae de Galilaea inferiore diximus.

In historia israelitica Zabulonitae vix unquam prominent nisi tempore Debborae. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Eliab filius Helon (Num. 1,9). Apud montem Sinai de Zabulon numerabantur 57 400 viri bello apti (1,30. 31), qui numerus tempore alterius census in campestribus Moab facti iam usque ad 60 500 excreverat (26,26. 27) et solum a Iuda, Issachar, Dan superabatur. In castris Zabulonitae cum Iuda et Issachar ad orientem tabernaculi erant (2,7); eaedem tribus in ordine itineris primo loco proficiscebantur (10,13-16). Oblationes Eliab principis Zabulon in dedicationem altaris 7,24-29 recensentur. Inter duodecim exploratores terrae Chanaan erat de Zabulonitis Geddiel filius Sodi (13,11), inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos Elisaphan filius Pharnach (34,25). Post ingressum in terram promissam Zabulon cum Ruben, Gad, Aser, Dan, Nephthali maledictionem in monte Hebal pronuntiavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,13). Distributione terrae peracta levitis de stirpe Merari assignatae sunt urbes Zabulon quattuor : Iecnam, Cartha, Damna (seu Remmono?), Naalol (Ios. 21,7. 34; 1 Par. 6,63. 77 hebr. 6,48. 62). Chananaeos ex urbibus Cetron et Naalol Zabulonitae non exstirparunt, sed sub tributum redegerunt (Iud. 1,30). Magnam gloriam una cum Nephthalitis sibi acquisiverunt in bello Debborae et Barac contra Sisaram ducem Asoritarum (Iud. 4,6. 10; 5,14. 18 et cf. *F. de Hummelauer* ad 5,14). Gedeonem quoque una cum Nephthalitis contra Madianitas fortiter adiuverunt (Iud. 6,35). Ahialon Zabulonites, undecimus in ordine Iudicum, decem annis Israel iudicavit et in Aialon, urbe Zabulon ignota, sepultus est (Iud. 12,11. 12); de eius gestis nihil traditur. Cum David in Hebron ab universis tribubus rex agnosceretur, de Zabulon aderant 50 000 bellatorum variis armis bellicis instructorum (1 Par. 12, 33) et cibaria quoque ab iis, qui domi remanserant, ad augendam festivitatem transmittebantur (12,40). Tempore Davidis regis princeps tribus erat Iesmaias filius Abdiae (1 Par. 27,19). Ezechiae regi omnem Israel et Iuda Hierosolyma convocanti pars quoque populi de Zabulon aures praebuit ac sollemnitatem paschalem cum universo populo celebravit (2 Par. 30,10. 11. 18). Incursionibus hostium una cum Nephthali etiam Zabulon affligebatur in foederis violati castigationem; sed quam Deus puniendo vilem reddidit, eadem regio luce messianica illustris erit (Is. 9,1[8,23]; Matth. 4,13. 15). De permixtione incolarum cum gentilibus (Phoenicibus) vide

s. v. GALILAEA. In symbolica descriptione terrae sanctae apud Ezechielem Zabulon locum suum occupat et uni ex portis meridianis novae Ierusalem nomen suum indidit (Ez. 48,26. 27. 33). Praeterea commemoratur Ps. 67[68], 28 et Apoc. 7,8.

ZACHAEUS (Ζακχαῖος). **1.** Dux quidam in exercitu Iudae Mach. (2 Mach. 10,19), ceteroquin ignotus.

2. Princeps ille publicanorum, qui in Iericho aliis portitoribus praeerat et Iesum in domo sua gaudens excepit (Luc. 19,1-10). Erat vir dives, qui si forte vectigalia deficerent, Romanis ex suo solvere poterat, quod pacto stabilitum erat. Eum genere Iudaeum fuisse nomine Zachaei (זַכַּי) indicatur et 19,9 clare enuntiatur. Ex eius verbis v. 8 concludendum est, eum fuisse virum in munere suo probum, qui sciens non admitteret fraudem neque iniustae extorsionis pecuniarum certam memoriam haberet, sed timens, ne in tot negotiis cuiquam iniuriam intulisset, amplissime omnem fraudem compensare vellet. Cf. *Knabenbauer*, Comment. in Luc. 19,1 ss., ubi variae quoque traditiones de ulteriore vita et episcopatu Zachaei breviter recensentur.

ZACHAI (זַכַּי Ζακχού), cuius filii 760 duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,9; Neh. 7,14); idem nomen est ac *Zachaeus* in Novo Test. — Praeterea in Vulg. Neh. 3,20 nominatur Zachai (sed hebr. זַבַּי, LXX Ζαβοῦ), pater Baruch cuiusdam tempore Nehemiae.

ZACHARIAS (זְכַרְיָה, זְכַרְיָהוּ, Ζαχαρίας Ζαχαρία).

1. Princeps in tribu Ruben, unus de filiis Ioel (1 Par. 5,7).

2. Filius Ieroboam II., rex Israel, ultimus rex de domo Iehu; sex mensibus Samariae regnavit, fecit malum coram Domino, spectante populi multitudine palam interfectus est a Sellum (4 Reg. 14,29; 15,8-12).

3. Pater Abi seu Abiae, quae erat uxor Achaz et mater Ezechiae regis Iuda (4 Reg. 18,2; 2 Par. 29,1).

4. Filius Mosollamiae (seu Meselemiae) de filiis Core, ianitor portae septemtrionalis tabernaculi testimonii, vir prudentissimus et eruditus (1 Par. 9,21; 26,2. 14).

5. Unus ex filiis Iehiel patris (possessoris, domini) Gabaon (1 Par. 9,37); idem 1 Par. 8,31 nominatur Zacher (זֶכֶר, in pausa זָכָר, Ζάχουρ).

6. Levita in secundo ordine levitarum arcam comitantium (1 Par. 15,18) et in choro eorum, qui nablis psallebant (15, 20); idem erat unus ex levitis, qui coram arca in tabernaculo foederis constituta ministrarent (16,5).

7. Sacerdos tempore Davidis (1 Par. 15,24).

8. Filius Iesiae filii Oziel de stirpe Caath (1 Par. 24,25).

9. Filius Hosa de stirpe Merari, ianitor tempore Davidis (1 Par. 26,11).

10. Pater Iaddo principis tribus Manasse in Galaad tempore Davidis (1 Par. 27,21; LXX Ζαδδειάς).

11. Unus ex nobilibus (principibus), quos Iosaphat rex misit cum sacerdotibus ac levitis ad docendum populum Iuda (2 Par. 17,7).

12. Pater Iahaziel levitae de genere Asaph et prophetae tempore Iosaphat regis (2 Par. 20,14).

13. Unus ex filiis Iosaphat regis, quos Ioram frater primogenitus interfecit (21,2).

14. Filius Ioiadae pontificis, defuncto patre lapidatus in atrio domus Domini iuxta imperium Ioas regis, cuius impiis moliminibus adversabatur (2 Par. 24, 20; LXX Ἀζαρίας). Hanc caedem apud Iudaeos memorabilem fuisse testantur Talmud et Midrashim. Praeterea v. infra n. 34.

Cf. *Talmud hier.*, tract. Taanith fol. 69; *Talmud bab.*, tract. Sanhedrin fol. 96; *Lightfoot*, Horae hebr. II. p. 361 (ad Matth. 13, 35); *Wünsche*, Der Midrasch Koheleth, 1880, p. 52 (ad 3,16); Midrasch Echa rabbati, 1881, p. 117. 142; *Schönfelder*, Klagelieder nach rabb. Auslegung, 1887, p. 15; *Edersheim*, Life and Times of Jesus, 1890, II. p. 414.

15. Propheta tempore Oziae (Azariae) regis Iuda (2 Par. 26,5), erudiens regem in timendo Deum (ita contra textum mas-

sor. vertendum est cum LXX, Targ. etc.; cf. *I. B. de Rossi*, Var. Lect. Vet. Test. ad h. l.).

16. Unus ex posteris Asaph tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,13).

17. Levita de filiis Caath, Iosiae regis tempore praepositus operariorum in restauratione templi (2 Par. 34,12).

18. Unus ex principibus domus Domini tempore Iosiae regis (2 Par. 35,8), fortasse « sacerdos secundus » (sicuti 4 Reg. 25,18 et Ier. 52,24 Sophonias).

19. Filius Barachiae, ab Isaia propheta velut testis fidelis adhibitus ad gignendam maximam quandam praedictionis certitudinem (Is. 8,2); videtur in ordine civili vir quidam praecipuus fuisse, sicuti alter testis Urias in ordine sacerdotali.

20. Propheta undecimus in ordine duodecim prophetarum minorum, filius Barachiae filii Addo (Zach. 1,1. 7; 7,1. 8), seu praetermisso nomine patris filius Addo (Esdr. 5,1; 6,14). Zachariae nomen legitur quoque in titulo Ps. 111 [112]. Eum fuisse ex genere sacerdotali, licet ipse dignitatem suam sacerdotalem taceat, probabilissimum efficitur ex Neh. 12,4. 16. Inter sacerdotes enim, qui cum Zorobabel et Iosue ex exsilio redierunt, adnumeratur (familia) Addo (Neh. 12,4) et princeps familiae Addo (12,16 Vulg. Adaia) in diebus Ioacim pontificis erat Zacharias. Sunt, qui fere certum habeant hisce locis agi de Zacharia propheta eiusque avo Addo; sed advertendum est nomen Addo 12,4 esse nomen familiae sacerdotalis, non necessario personae et nomen Zachariae valde frequens fuisse. Quodsi revera Addo avus prophetae nostri cum Zorobabel ex captivitate rediit, in aetate iuvenili Zacharias ad munus propheticum electus esse demonstratur. Immerito autem aliqui aetatem iuvenilem deprehendi posse arguebant ex Zach. 2,4: *curre, loquere ad puerum istum*, cum נַעַר *puer* saepe solum ministerium, servitium, non aetatem significet; neque felicius idem ex ipsis visionibus probare tentabant, quippe quae sint iuvenilis ac luxuriantis ingenii foetus (*Ewald*, Die Propheten des A. B. III. p. 127) vel saltem indicia ac testimonia (*Haevernick*, Einleitung II. 2, p. 406).

Munere prophetico fungi coepit mense 8. anni 2. Darii regis (1,1) i. e. duobus mensibus post primum Aggaei oraculum; ultimus vero annus, quo eum vaticinatum esse constat (7,1), est annus quartus Darii. Eum vidisse templum finitum ex Esdr. 6,14. 15 coniectare licet. Erat igitur coaevus Aggaei prophetae (v. AGGAEUS) et eius quoque munus erat principes ac populum ad templum aedificandum stimulare et exhortari. Agit igitur de theocratiae restitutione ac de regno messianico, cuius symbolum vel etiam typus erat illud templum hierosolymitanum, et viam ostendit, qua sublimiorum illarum promissionum participes fieri possint. Altius ac sublimius igitur est eius dicendi genus, quam Aggaei, qui proxime et directe de templi restitutione loquitur. Tota Zachariae prophetia merito dicitur messianica.

21. Dux filiorum Pharos 150, qui cum Esdra ex captivitate redierunt (Esdr. 8,3).

22. Filius Bebai, qui cum 28 viris duce Esdra rediit (Esdr. 8,11; B Ἀζαριά, A Ζαχαρίας).

23. Princeps, quem Esdras misit ad Eddo (Esdr. 8,16).

24. Unus de filiis Aelam, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,26).

25. Unus e viris, qui Esdrae legem recitanti a latere steterunt (Neh. 8,4).

26. Unus ex posteris Phares et ex maioribus Athaiae (Neh. 11,4).

27. Unus ex posteris Phares et maioribus Maasiae (Neh. 11,5; B Θηζειά, ℵ Θηδειά, A Ζαχαρίας).

28. Sacerdos ex posteris Melchiae et maioribus Adaia incolae Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,12; B Ζαχαρειά).

29. Princeps familiae sacerdotalis Adaia tempore Ioacim pontificis (Neh. 12,16; LXX omitt. excepto ℵ); v. supra n. 20.

30. Filius Ionathan, praefectus musicorum leviticorum tempore Nehemiae (Neh. 12,34 [35]).

31. Sacerdos tuba canens in dedicatione muri Ierusalem (Neh. 12,40[41]; LXX omitt. excepto ℵ).

32. Pater Iosephi ducis cuiusdam in exercitu Iudae Mach. (1 Mach. 5,18. 56); v. IOSEPH 7.

33. Pater Ioannis Baptistae, sacerdos de vice Abia (1,5 ss.; 3,2). Non erat summus sacerdos, ut aliqui suspicati sunt, sed sacerdos *quidam*. Erat de vice Abia, quae inter 24 classes sacerdotales a Davide designatas octavum locum obtinebat (cf. 1 Par. 24,10). Illam divisionem in 24 familias, quarum singulae in templo ministrarent per dies octo a sabbato usque ad sabbatum, *Flav. Iosephus* (Ant. VII. 14,7) usque ad suum tempus permansisse affirmat. Ex eo quod Zacharias officio fungebatur in classe octava et quod Talmudici tradunt templum destructum esse die 9. mensis Ab, cum prima classis Ioiarib ministerio fungi incepisset, aliqui tempus nativitatis Ioannis et proinde Iesu determinare conabantur et computatione facta statuerunt classem Abia ministerio functam esse anno u. c. 748 a die 3.-9. mensis Octobris (cf. *Myszkowski*, Chronologico-historica Introductio in Nov. Test., Leopoli in Galicia, 1894, p. 161 s.). Sed computatio est inefficax, quia neque de ordine classium stricte observato neque de veritate illius traditionis talmudicae constat. Zacharias uti nobilitate generis sacerdotalis, ita iustitia et sanctitate eminebat, laudandus etiam ob matrimonium cum filia Aaron contractum, quamquam sacerdotibus virgines ex qualibet stirpe Israel uxores ducere licebat. Reliqua vide s. v. IOANNES 6 et in commentariis.

34. Zacharias, filius Barachiae, inter templum et altare occisus a Iudaeis (Matth. 23,35; Luc. 11,51) commemoratur in comminatione Christi contra scribas et Pharisaeos. Ex opinione bene fundata et satis communi veterum et recentiorum hic est Zacharias filius Ioiadae pontificis (v. supra n. 14). Obstat quidem, quod additur Matth. 23,35 filius Barachiae. Sed aliqui saltem testes hoc additum omittunt et S. Hieronymus (ad h. l.) testatur : « In evangelio, quo utuntur Nazaraeni, pro *filio Barachiae filium Ioiadae* reperimus scriptum »; probabile igitur est in isto evangelio, quod ex primitivo evangelio S. Matthaei aramaice scripto originem duxit, veram lectionem esse servatam. Dubitari etiam potest, utrum S. Matthaeus ipse an interpres graecus nomen patris apposuerit. Difficilius autem admitti poterit patrem fuisse binominem, cum nomina Barachiae et Ioiadae adeo diversa sint.

Aliam opinionem scil. designari Zachariam patrem Ioannis Baptistae S. Hieronymus (ad Matth. 23,35) dicit ex apocryphorum somniis ortam esse. Neque probabile est agi de Zacharia filio Barachiae, undecimo inter prophetas minores; etenim tale crimen, quod a Christo velut crimen populi traducitur, reduces ex exsilio commisisse non censendi sunt neque in libris Esdr. Neh. Mal. talis criminis accusatio fit, cum tamen alia peccata eaque minoris momenti non taceantur. Alii denique verba Christi explicanda esse opinantur de Zacharia filio Baruchi, quem *Flav. Iosephus* (Bell. iud. IV. 5,4) refert in Zelotarum crimina acriter invectum et a duobus audacissimis Zelotis in medio templo esse occisum (ita ex recentioribus *Hug, Credner, Baur, Keim, Weiss,* alii). Sed sermo Christi ad eventum futurum trahi nequit; insuper vero iste Zacharias vocatur filius Bareis (*ed. Niese* Βάρεις, al. Βαρισαίου, al. Βαρούχου) et sine dubio erat Iudaeus quidam etiam post praedicationem apostolorum in Iudaismo perseverans, cum omne indicium desit eum religionem christianam professum esse, homo obscurus, quem a Christo iustis et sanctis adnumeratum esse absonum est.

Probabilissimum igitur est praeter caedem Abel omnibus notissimam a Christo commemorari illam caedem Zachariae filii Ioiadae, quae utpote culpa *nationalis* apud Iudaeos adeo memorabilis fuisse ex Talmude et Midrashim comprobatur (v. supra n. 14).

ZACHER v. ZACHARIAS 5.

ZACHUR (זַכּוּר, Ζαχχούρ, Ζαχχώρ).

1. Rubenita, pater Sammua exploratoris (Num. 13,4; Vulg. Zechur, LXX Ζαχούρ).

2. Simeonita de stirpe Masma (1 Par. 2,26).

3. Levita de stirpe Merari (1 Par. 24,27).

4. Filius Asaph cantoris et praefectus tertiae divisionis cantorum in templo (1 Par. 25,2. 10); idem in Vulg. Neh. 12,34 scribitur Zechur (hebr. 12,35).

5. Unus de filiis Begui, qui duce Esdra ex captivitate redierunt (Esdr. 8,14; sed hebr. זַבּוּד, *Qeri* זבור, cod. A Ζαβούδ).

6. Filius Amri, adiutor Nehemiae in muris Ierusalem reaedificandis (Neh. 3,2).

7. Nomen levitae vel familiae leviticae inter signatores foederis (Neh. 10, 12).

8. Pater Hanan a Nehemia super horrea constituti (Neh. 13,13); v. HANAN 9.

ZAMBRI (זִמְרִי, Ζαμβρεί). **1.** Filius Salu, dux de tribu Simeonis, qui simul cum scorto Madianitide Cozbi in genitalibus percussus est a Phinees filio Eleazari (Num. 25,14); idem 1 Mach. 2,26 scribitur Zamri filius Salomi.

2. Quintus rex Israel. Cum esset dux mediae partis equitum in exercitu Ela quarti regis Israel, Thersae regem et omnes propinquos eius occidit ac semetipsum regem fecit; sed ab Amri principe militiae obsidione cinctus est et post regnum septem dierum palatium ingressus se suosque incendio perdidit (3 Reg. 16,9-20). Ad mortem Zambri alludens Iezabel alloquitur Iehu velut occisorem regis 4 Reg. 9,31 : Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?

3. et **4.** Idem nomen hebr. gerunt duo, qui in Vulg. scribuntur Zamri (vide s. v.).

5. Zambri (זִמְרִי, LXX omittunt) regio seu populus recensetur Ier. 25,25 inter gentes, quibus calix vini furoris Domini porrigitur i. e. iugum chaldaicum per Nabuchodonosor ipsis imponendum. De Zambri nihil certi notum est; ex eo solum, quod reges Zambri una cum regibus Elam et regibus Medorum a propheta enumerantur, coniicere licet Zambri iuxta Elam et Mediam fuisse. *Delitzsch* (Paradies, p. 237) putat regionem in annalibus Salmanasar II. saepius nominatam et a plerisque assyriologis *Namri* lectam iure pronuntiari posse *Zimri;* assentiunt *H. Rawlinson, Smith, Sayce,* contradicit *Schrader-Whitehouse* (Cuneif. Inscript. and Old Test. ad Ier. 25, 25); haec autem regio *Namri* vel *Zimri* ex inscriptionibus cuneiformibus sita erat inter Mediam et Tigridem et septemtrionem versus ab Elam atque hinc ordini enumerationis Ier. 25,25 plene satisfacit. Cf. *Riess-Rueckert,* Atlas Script. S. 1906, Tab. IV. Ce.

Ab aliis pro comparatione afferebatur Zamran (vide s. v.), gens Arabum ceturaeorum, ab aliis *Zabram* urbs regia Kinaidokolpitarum (*Ptol.* VI. 7,5) ad mare Rubrum prope *Mekkam,* ab aliis gens arabica Zamarenorum (*Plin.* VI. 28,158), ab aliis *Zimara* in Armenia minore ad Euphraten superiorem (*Plin.* V. 24,84; *Ptol.* V. 7,2 [*ed. Müller-Fischer* 6,19]), ab aliis *Zimyra* in Aria (*Ptol.* VI. 17,8).

ZAMIRA (זְמִירָה, B Ἀμαρίας, A Ζαμαρίας), unus de filiis Bechor filii Beniamin (1 Par. 7,8).

ZAMMA (זַמָּה), levita de stirpe Gersom, filius Iahath (1 Par. 6,20[5]; B Ζεμμά, A Ζαμμά); idem videtur esse, qui 6,42[27] recensetur filius Semei de stirpe Gersom (B Ζαμμάμ, A Ζαμμά).

ZAMRAN (זַמְרָן dictus a זֶמֶר quod est animal e dorcadum genere; Ζομβράν, Ζεμβράμ), filius Abraham et Keturae (Gen. 25,2; 1 Par. 1,32). Quaenam gens arabica ab eo originem duxerit, non liquet. Sunt qui putent, eum non fuisse gentis progenitorem (*W. A. Wright* apud *Smith,* Dictionary of the Bible s. v. Zimran). Alii conferunt Ζαβράμ urbem regiam Kinaidokolpitarum (Κιναιδοκολπιτῶν) occidentem versus a *Mekka* in litore maris Rubri (*Ptolem.* VI. 7,5), de quo populo variae opiniones discutiuntur in Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XXII. 1868, p. 663. Alii Zamran componunt cum gente arabica Zamarenorum apud Plinium (VI. 28,158), alii cum regione aethiopica Zmiri apud Plinium (XXXVI. 16,129). Quidquid est de his coniecturis, certe gens arabica Zam-

ran confundi nequit cum populo Zambri Ier. 25,25.

ZAMRI (זִמְרִי, Ζαμβρεί). **1.** Unus ex quinque filiis Zara filii Iuda (1 Par. 2,6).

2. Filius Ioada e stirpe Ionathae filii Saul (1 Par. 8,36; 9,42).

3. Zamri (1 Mach. 2,26) idem ac ZAMBRI 1.

ZANOA (Neh. 11,30) v. ZANOE 1.

ZANOE (זָנוֹחַ). **1.** Zanoe (Ios. 15,34 Ταvώ, Neh. 3,13 Ζανώ, 11,30 א Ζανωε), urbs tribus Iuda in superiore parte Sephelae sita (Ios. 15,34), post exsilium a filiis Iuda habitata (Neh. 11,30 Vulg. Zanoa), cuius habitatores duce Hanun portam vallis et murum Ierusalem usque ad portam sterquilinii instaurarunt (Neh. 3,13). Apud Eusebium (Onom. *ed. Lag.* 258, 38) dicitur Ζανάουσα in finibus Eleutheropoleos et S. Hieronymus s. v. Zannohua addit : pergentibus Aeliam. Hodie *Zānūʿa* paulo meridiem versus à Saraa et Esthaol, quae Ios. 15,33 ante Zanoe nominantur. Cf. *M. Hagen,* Atlas biblicus (1907), Tab. 4 B 4; 13 D 2.

2. Zanoe (Ios. 15,56 Ζαχαναῖμ quo nomine in unum confunduntur Zanoe et Accain; 1 Par. 4,18 Ζαμών), urbs tribus Iuda in tertia provincia montis (Ios. 15, 56) cum Maon, Carmel, Ziph etc. enumerata. Probabilius haec est illa Zanoe urbs, cuius pater 1 Par. 4,18 dicitur Icuthiel filius Mered et Iudaiae (cf. s. v. BETHIA); aliae enim urbes Esthamo, Gedor, Socho 1 Par. 4,17. 18 commemoratae etiam sunt in montanis Iuda, unde quarta, quae in eodem contextu occurrit, minus apte diceretur Zanoe in Sephela sita. Zanoe montis Iuda merito agnoscitur esse *Khirbet Zānūtā* inter meridiem et occidentem ab *el-Semūʿa* (Esthemo). Cf. *V. Guérin,* Judée III. 200; *Survey of West. Pal.* Mem. III. p. 404. 410 s.

ZAPHATIA (Neh. 11,4) v. SAPHATHIA 8.

ZARA, ZARE (זֶרַח, propter pausam interdum זֶרָח; Ζέρα, Ζάρα, sed etiam Ζάρες 1 Par. 1,37; 4,24 et Ἰαάρα 6,21 et Ζαραί 6,41).

1. Filius Rahuel filii Esau (Gen. 36, 13; 1 Par. 1,37), unus ex ducibus filiorum Esau (Gen. 36,17).

2. Pater Iobab regis secundi Edom, antequam Israelitae regem haberent (Gen. 36,33; 1 Par. 1,44); fortasse a Zara 1 descendit.

3. Filius Iuda patriarchae ex Thamar genitus (Gen. 38,30; 46,12; 1 Par. 2,4; Matth. 1,3), progenitor Zareitarum (Num. 26,20; cf. 1 Par. 2,6), qui etiam vocantur Iezeritae (1 Par. 27,8), stirps Zarahi (27,11 LXX Ζαριά), stirps Zarai (27,13 LXX Ζαρεί), Ezrahitae (3 Reg. 4,31 hebr. 5,11; Ps. 87 [88],1; 88[89], 1); aliqui eorum recensentur inter incolas Ierusalem 1 Par. 9,6 et Neh. 11,24. De Zara ipso nihil notum est praeter circumstantias nativitatis Gen. 38,27-30 narratas.

4. Filius Simeon patriarchae et progenitor Zareitarum (Num. 26,13; 1 Par. 4,24), qui Gen. 46,10 et Ex. 6,15 vocatur Sohar, Soar (זֹחַר, Σάαρ).

5. Zare, unus ex maioribus Achan de stirpe Iuda (Ios. 7,1. 17. 18. 24; 22,20); fortasse idem ac Zara filius Iuda.

6. Zara, levita de stirpe Gerson (1 Par. 6,21. 41 hebr. 6,6. 26).

7. Zara Aethiops (Ζάρε ὁ Αἰθίωψ), qui cum decies centenis millibus virorum et curribus trecentis Maresam usque in campestribus Iuda sitam progressus est, sed ab Asa rege Iuda in valle Sephata non procul a Maresa fusus fugatusque est (2 Par. 14,9-15 hebr. 8-14; cf. 16,8). Fuerunt qui totum hunc eventum inter mythos referrent (*J. Wellhausen,* Proleg. zur Gesch. Israels, 1886, p. 214; *B. Stade,* Gesch. des Volkes Israel, 1887, I. 355, nota 2). Sed ab aliis permultis Zara rex agnoscebatur idem ac Osorchon I., apud Manethonem Osorthon, secundus rex dynastiae XXII. Bubastidarum, quorum primus fuerat Sesac, atque ipsum nomen hebr. in aegyptiaco *O-serek-on* latere putabatur (ita sentiunt *Des Vignoles, Champollion, Lepsius, Unger, Ebers,* alii).

Recentius vero praevalere coepit alia opinio, Zara esse principem (regem, ducem) quendam Sabaeorum cushiticorum, qui ex Arabia contra regem Asa Mare-

sam usque progressi sint. Rationes huius opinionis exponit *Er. Nagl*, Die nachdavid. Koenigsgesch. Israels, 1905, p. 200-204. Eidem opinioni favent *I. Benzinger*, Die Bücher der Chronik, 1901, p. 101; *R. Kittel*, Die Bücher der Chronik, 1902, p. 132; alii.

ZARAHI, ZARAI v. ZARA 3.

ZARAHIAS, ZARAIA (זְרַחְיָה, Ζαραιά), sacerdos, filius Ozi, ex maioribus Esdrae (1 Par. 6,6. 51[5,32; 6,36]; Esdr. 7,4).

ZARE v. ZARA 1-5.

ZARED torrens (נַחַל זֶרֶד, in pausa זָרֶד; ἡ φάραγξ Ζαρέδ), quem Israelitae transgressi sunt, cum ex deserto Moab i. e. ad orientem Moabitidis sito versus fines Amorrhaeorum progrederentur (Deut. 2,13. 14); erat inter stationem Ieabarim et Arnonem fluvium (Num. 21, 12). A multis quidem Zared agnoscebatur *Wādi el-Ḥaṣā*, qui Edom a Moab separat et in posteriore cursu *Wādi el-Qurāḥī* nuncupatus in *Ghōr* infra mare Mortuum desinit (*Robinson*, Palaestina, 1842, III. p. 107; *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel, *ed.* 3, II. p. 282 s.; *Ritter*, Erdkunde XV. p. 689. 1207; *Wetzstein* apud *Delitzsch*, Comm. in Gen. *ed.* 4, p. 567 s.). Attamen hoc admitti nequit; praecedens enim statio Ieabarim iam in deserto ad orientem Moab i. e. aquilonem versus a *Wādi el-Ḥaṣā* ponenda est; unde torrens Zared erit aut *Wādi el-Kerak* in cursu inferiore *Wādi el-Derā'a* dictus (ut censent *Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 75; *Gesenius*, Thesaurus s. v.; *Keil* ad Num. 21,12; *Riess-Rueckert*, Atlas Script. S. 1906 s. v.) aut principalis ramus Arnonis.

De *Wādi el-Ḥaṣā* cf. s. v. SALICUM TORRENS.

ZAREHE (זַרְחִיָּה, Ζαρειά), pater Elioenai (Esdr. 8,4).

ZARES (זַרֶשׁ, Ζωσάρα), uxor Aman Agagitae, quae ei consilium dedit, quomodo Mardochaeum perderet, sed ruinam quoque praedixit, ubi Mardochaeum de semine Iudaeorum esse comperit (Esth. 5,10. 14; 6,13).

ZATHAN v. ZETHAN 2.

ZAVAN (זַעֲוָן, Ζουκάμ), dux Horraeorum, filius Eser filii Seir (Gen. 36,27; 1 Par. 1,42).

ZEB (זְאֵב i. e. Lupus; ὁ Ζήβ), princeps Madianitarum, qui ab Ephraimitis caesus est in torculari Zeb, loco quodam cisiordanico prope Iordanem, sicut alter princeps Oreb (i. e. Corvus) in Petra Oreb (Iud. 7,25; 8,3; cf. Ps. 82, 12). His duobus locis nomina indita sunt a proeliis, quibus principes illi Madianitarum devicti obierunt. Vox יֶקֶב proprie non torcular, sed cupam torcularis significat, in quam mustum torculari expressum defluit; unde campus aliquis planus et collibus cinctus optime ea voce designatur.

ZEBEDAEUS (Ζεβεδαῖος, forma graeca nominis זַבְדִּי, Vulg. Zabdi in Vet. Test.), piscator Galilaeus, pater Ioannis et Iacobi maioris apostolorum (Matth. 4,21; 10,3; 20,20; 26,37; Marc. 1,19; 3,17; 10,35; Luc. 5,10; Io. 21,2), cuius uxor erat Salome (Matth. 27,56; cf. Marc. 15,40). Familiam Zebedaei satis opulentam et nobilem fuisse eo comprobari videtur, quod mercenarios habebat (Marc. 1,20) et quod Ioannes notus erat pontifici (Io. 18,15).

ZEBEDEI (זַבְדִּי, LXX omitt.), unus ex maioribus Mathaniae de stirpe Asaph (Neh. 11,17).

ZEBEDIA vide s. v. ZABADIA 8 et 9.

ZEBEE (זֶבַח, Ζεβεέ), rex Madianitarum, qui cum altero rege Salmana a Gedeone in regione transiordanica devictus et captus est; ambo homicidii convincuntur, quod fratres Gedeonis in Thabor iniuste occiderint et cum Iether filius Gedeonis eos gladio percutere non auderet, a Gedeone ipso interficiuntur (Iud. 8,5-51; Ps. 82[83],12).

ZEBIDA (זְבִידָה, *Qeri* זְבוּדָה; B Ἰελλά, A Εἰελδάφ), filia Phadaia de Ruma, uxor Iosiae, mater Ioakim (4 Reg. 23,36).

ZEBUL (זְבֻל, Ζεβούλ), civis Sichimita, origine Hebraeus, ab Abimelech

praefectus Sichem constitutus (Iud. 9,28 ss.). Ex interpretatione, quam *F. de Hummelauer* ad Iud. 9,31 exponit, ipse Zebul partes rebellium susceperat et urbi dominari cupiebat. Ubi vero advertit Gaal hominem vagum etiam principatum affectare, dolo Abimelechum advocavit sperans eum nonnisi multis militibus amissis victoriam de Gaal reportaturum esse ideoque imparem futurum expugnandae urbi. Sed spem fefellit eventus. Gaal quidem ab Abimelech ante portas urbis devictus et a Zebul urbe exclusus est omnesque asseclae Gaal eiecti sunt. At proximo die Sichimitae duce Zebul (quod s. textus non explicite dicit) in aciem progressi ab Abimelech devicti sunt.

ZECHRI (זִכְרִי, Ζεχρεί, Ζαχρί, Ζεχρί).

1. Filius Isaar filii Caath (Ex. 6,21).

2. Beniaminita de filiis Semei (1 Par. 8,19).

3. Beniaminita de filiis Sesac (1 Par. 8,23).

4. Beniaminita de filiis Ieroham (1 Par. 8,27).

5. Unus de filiis Asaph (1 Par. 9,15); idem Neh. 11,17 vocatur Zebedei (זַבְדִּי, LXX omittunt), quod nomen alias in Vulg. Zabdi redditur.

6. Unus ex posteris Eliezer filii Moysis (1 Par. 26,25).

7. Pater Eliezer principis Rubenitarum tempore Davidis (1 Par. 27,16).

8. Pater Amasiae ducis in exercitu Iosaphat regis (2 Par. 17,16; LXX Ζαρί).

9. Pater Elisaphat centurionis (2 Par. 23,1; LXX Ζαχαρίας).

10. Vir potens ex Ephraim in exercitu Phacee (2 Par. 28,7); is in illa pugna, qua 120 000 Iudaeorum occubuerunt, interfecit Maasiam filium regis Achaz, Ezricam praefectum palatii et Elcanam ministrum primarium Achaz.

11. Beniaminita, pater Ioel praepositi 928 patrumfamilias post instaurationem (Neh. 11,9).

12. Sacerdos de familia Abiae in diebus Ioacim filii Iosue pontificis (Neh. 12,17).

ZECHUR v. ZACHUR 1 et 4.

ZELOTES, cognomen Simonis apostoli; v. SIMON 6. De secta Zelotarum v. IUDAS 9.

ZELOTYPIAE LEX (Num. 5,14-30) Moyse fortasse antiquior a Deo approbata et per Moysen promulgata est ad inculcandam coniugum fidelitatem et ad sopiendas maritorum in uxores suspiciones. Maritus suspicans adulterium coniugis, quod certo demonstrare nequit, uxorem adducet ad sacerdotem et pro ea minkham zelotypiae offeret, decimam partem epha farinae hordeaceae sine oleo et thure. Sacerdos autem statuet mulierem in conspectu Domini, discooperiet caput eius et ponet super manus illius minkham zelotypiae. Adiuratione mulieris facta et responso *Amen*, *amen* accepto sacerdos maledicta adulterae denuntiata scribet in schedula et scripturam nondum siccatam deterget in aquam sanctam (sanctis usibus deputatam vel forte e labro aeneo haustam); deinde minkham zelotypiae de manibus mulieris sumptam Deo iudici offeret; demum aquam sanctam mulieri bibendam porriget. Causam in manu supremi iudicis relinquentes maritus et uxor interim amice convivebant. « Exstinguebatur zelotypia, condonabatur re, si non verbis, iniuria quae forte esset commissa. Porro verba v. 20-22 non sunt effectus infallibiliter secuturi praenuntiatio, sed legis sententia, cuius exsecutionem legislator iustis de causis suspendere poterat aut condonare. Condonandae poenae iusta omnino causa erat subsecuta amica coniugum cohabitatio et reconciliatio. Coniicio equidem perraro Deum poenam v. 20-22 facto esse exsecutum, legem vero zelotypiae ad coniugum hebraeorum concordiam haud parum contulisse » (*F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 50).

ZELPHA (זִלְפָּה, Ζέλφα), ancilla Liae, concubina Iacob patriarchae, mater Gad et Aser (Gen. 29,24; 30,9.12; 35,26; 37,2; 46,18).

ZELZACH (צֶלְצַח; Vulg. et LXX reddunt nomen appellativum), locus prope sepulcrum Rachel (1 Sam. 10,2). Coniecturam de situ vide in Ztschr. d. D.

Pal.-Ver. IV. 1881, p. 249. Sed dubium est, num sit nomen proprium.

ZEMMA (זִמָּה, Ζεμμά0), pater Ioah levitae de stirpe Gersom, tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12).

ZENAS (Ζηνᾶς, forma contracta ex Ζηνόδωρος, sicut Ἀρτεμᾶς ex Ἀρτεμίδωρος), discipulus S. Pauli (Tit. 3,13), quem S. Paulus appellat legisperitum (τὸν νομικόν).

ZEPHRONA (זִפְרֹנָה, Δεφρωνά) assignatur in termino septemtrionali terrae promissae (Num. 34,9) immediate ante villam Enan, apud quam terminum septemtrionalem et orientalem convenire diximus s. v. ENAN 3. Varii situs pro Zephrona propositi sunt : ruinae *Zifran* 14 horis a Damasco inter septemtrionem et orientem prope viam Palmyrenam (*Wetzstein*, Reisebericht über Hauran, 1860, p. 88, qui ruinas *Zifran* ibi esse fando tantum audivit), ruinae *Za'ferāne* inter *Ḥōms* (Emesa) et *Ḥamā* (Hamath, Emath) in valle Orontis sitae (*Baedeker-Benzinger*, Pal. und Syrien, *ed.* 5, p. 410). Quae S. Hieronymus ad Ez. 47,15 adnotat : « Zephrona quam hodie Zephyrium oppidum Ciliciae vocant » (apud *M.* 25,477), terminum septemtrionalem terrae promissae ultra iustos limites removent. — Recentiore tempore terminus septemtrionalis terrae promissae ad meridiem Libani et Hermonis maioris fuisse defenditur ab *J. P. van Kasteren* in Revue biblique IV. 1895, p. 23-36; ibidem p. 30-31 coniecturae quaedam proponuntur de situ Zephronae, immo innuitur Zephronam fortasse non differre a Sabarim (vide s. v.).

ZETHAN. **1**. Zethan (זֵיתָן, B Ζαιθάν, A Ἠθάν), unus de filiis Balan ex tribu Beniamin (1 Par. 7,10).

2. Zethan (זֵתָם, B Ζεθόμ, A Ζαιθόμ), levita, filius Leedan filii Gerson (1 Par. 23,8). Idem scribitur 1 Par. 26, 22 Zathan (B Ζεθόμ, Ζοθόμ), filius Iehieli (v. IAHIEL 2) ex posteris Ledan (Leedan).

ZETHAR (זֵתַר, Ἀβαταζά), unus ex septem eunuchis Assueri (Esth. 1,10).

ZETHU (זַתּוּא, Ζαθουά), princeps populi inter signatores foederis (Neh. 10,14[15]).

ZETHUA (זַתּוּא, Ζαθουά, Ζαθουιά) princeps familiae, cuius filii 945 (Esdr. 2,8) vel 845 (Neh. 7,13) duce Zorobabel ex captivitate redierunt. Alia pars eiusdem familiae duce Esdra rediit, si Esdr. 8,5 cum *Cod. Alex.* legendum est : De filiis Zathoe (Ζαθοης) Sechenias filius Ezechiel (v. EZECHIEL 2). Complures de filiis Zethua uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,27).

ZIE (זִיעַ, Ζοῦε), princeps cuiusdam cognationis Gad in Basan (1 Par. 5,13).

ZIO (זִיו, LXX 3 Reg. 6,37 ἐν μηνὶ Νεισῷ), mensis secundus (3 Reg. 6,1. 37); v. MENSIS.

ZIPH (זִיף, Ζίφ). **1**. Urbs in Negeb seu tractu australi tribus Iuda (Ios. 15, 24; LXX eius loco legunt Μαινάμ). Situs ignoratur.

2. Urbs in tertia provincia montis Iuda enumerata (Ios. 15,55; LXX Ὀζίβ), cuius pater seu possessor nominatur Mesa primogenitus Caleb filii Hesron 1 Par. 2,42 (si quidem Ziph h. l. est nomen urbis, non viri), postmodum a Roboam munita (2 Par. 11,8). Ab urbe nomen habet desertum Ziph, in quo David delitescebat et a Ziphaeis bis proditus tamen insidias Saulis feliciter elusit (1 Reg. 23,14 ss.; 26,1 ss.; cf. Ps. 53[54],2); desertum hoc est inter urbem Ziph et mare Mortuum, ut diximus s. v. HACHILA. Urbs agnoscitur in *Tell Zīf* inter Hebron et Carmel seu a Hebron meridiem et nonnihil orientem versus (*Guérin*, Judée III. 159-162; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 315). Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 258,40 s. 159,14 s.) collocant vicum Ziph 8 mil. pass. orientem versus a Hebron, sed montem seu collem Ziph vico vicinum iuxta Carmel oppidum; verum haec minus accurate dicta sunt, cum *Tell Zīf* a Hebron magis meridiem versus et solummodo circiter 1 $\frac{1}{2}$ hora (4 vel 5 mil. pass.) distet; illud quoque, quod S. Hieronymus de suo ad textum Eusebii addi-

dit, vicum Ziph esse in Daroma in finibus Eleutheropoleos, ad situm determinandum minus aptum est.

3. Ziph (זִיף, Ἀμηαχεί?), unus de filiis Ialeleel ex posteris Iuda (1 Par. 4,16).

ZIPHA (זִיפָה, Ζαφά), unus de filiis Ialeleel ex posteris Iuda (1 Par. 4,16).

ZIZA. 1. Ziza (זִזָא, B Ὀζάμ, A Ὀζαζα), filius Ionathan ex posteris Ierameel primogeniti Hesron (1 Par. 2,33).

2. Ziza (זִוָּא, A Ζουζά), unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui in diebus Ezechiae regis Iuda pascua terrae Gador occuparunt (1 Par. 4,37).

3. Ziza (זִידָה, Ζιζά), levita de stirpe Gerson, secundus filius Semei (1 Par. 23,10. 11; sed in v. 10 scribitur זִינָא).

4. Ziza (זִידָא, Ζειζά), filius Roboam ex Maacha filia seu potius nepti Absalom (2 Par. 11,20).

ZIZANIA (ζιζάνια) Matth. 13,25 ss. explicanda sunt de lolio. In agris tritico consitis Palaestinae, sicuti in Europa aquilonari et australi, crescit *Lolium temulentum* Linné. Inter triticum autem et lolium, quamdiu culmus nondum venit ad spicam, maxima est similitudo, ut vix distingui possint. At ubi seges efflorui, in formatione demum granorum deprehenduntur zizania tritico intermixta. Ante messem lolium eradicari nequit sine detrimento tritici, cuius radicibus sese innectit. Tempore autem messis, cum omnia falcibus demetantur, facile ab aristis tritici secernuntur illae herbae et comburuntur. Lolium, praesertim lolium temulentum, ab Arabibus hodie vocatur *zuwān*, quam vocem nonnulli cum nomine biblico cohaerere arbitrantur. Cf. *L. Fonck*, Streifzüge durch d. bibl. Flora, 1900, p. 129-131.

ZOHELETH (הַזֹּחֶלֶת, Ζωέλεθ) lapis fonti Rogel vicinus, iuxta quem Adonias filius David immolatis arietibus et vitulis et universis pinguibus regnum usurpare conabatur (3 Reg. 1,9). Secundum *Clermont-Ganneau* (cf. *Survey of West. Pal.* Jerusalem, 1884, p. 293. 294) lapis Zoheleth est rupes *el-Zaḥweile* prope vicum *Silwān* iuxta fontem Mariae Virginis. Quo admisso utique fons Rogel non cum puteo *ʿEiyūb* componendus est, sed cum *ʿAin Sitti Maryam*. Plura de hac quaestione v. s. v. ROGEL.

ZOHETH (זֹחֵת, Ζωάν, A Ζωχάθ), filius Iesi de stirpe Iuda (1 Par. 4,20).

ZOMZOMMIM v. ZUZIM.

ZOOM (זֹהַם, B Ῥοολλάμ, A Ζαλάμ), filius Roboam regis Iuda ex Abihail (2 Par. 11,19 et vide ABIHAIL 4).

ZOROBABEL (זְרֻבָּבֶל, Ζοροβαβέλ). Nomen Zorobabel iam inter alia plura S. Hieronymus recte explicavit: ortus, vel satus, genitus in Babel; nomen tale in cuneatis quoque occurrit (cf. *Strassmaier*, in lexico assyriaco n. 2987), scil. *zer-Babili*, semen, soboles Babel (*Strassmaier*, Inschriften von Nabonid n. 113), nomen satis idoneum Iudaei in exsilio nati. Dicitur Zorobabel filius Salathiel Agg. 1,1. 12. 14; 2,3. 24; Esdr. 3,2. 8; 5,2 (item Matth. 1,12; Luc. 3,27); solum 1 Par. 3,19 dicitur filius Phadaiae fratris Salathiel. Cf. quae dicta sunt s. v. SALATHIEL 1 et etiam *F. de Hummelauer*, Comm. in 1 Par. p. 90. 92.

Legimus Nehemiam narrare: inveni librum census eorum qui ascenderant primum (בָּרִאשֹׁנָה), et tum refertur idem ille catalogus qui etiam legitur Esdr. 2 (Neh. 7,5 ss.). Primo loco nominatur Zorobabel. Si itaque, uti Nehemias explicite dicit, isti sunt qui *primum* ascenderant, deinde illa quae Esdr. 1,8-11 referuntur, pertinent ad hunc reditum et ad Zorobabel. Proinde Sassabasar princeps Iuda, cui vasa templi a Cyro tradita sunt, erit idem Zorobabel, quod hoc loco paucis exponendum videtur, postquam s. v. SASSABASAR diversae opiniones indicatae sunt. Sermo recurrit de Sassabasar in epistula quam Thathanai misit ad Darium regem, et in qua idem narratur de vasis a Cyro datis, uti Esdr. 1,8; vocatur Sassabasar princeps פַּחָה, quo titulo Zorobabel quoque nominatur (Agg. 1,1. 14; 2,2. 21); in eadem epistula legitur:

tunc itaque Sassabasar ille venit et posuit fundamenta templi in Ierusalem (Esdr. 5,16); iam fundamenta posita sunt sub Zorobabele, uti narratur Esdr. 3,10. Quare sententia multorum, Sassabasar esse Zorobabel, firmum habere fundamentum videtur. Designatio persica pro פַּחַת est Athersata (v. s. v.); quare quod Esdr. 3,63 narratur, pariter de Zorobabele dicitur : et dixit eis, qui scriptura genealogiae non inventa eiecti sunt ex sacerdotio, ut non comederent de sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos pro Urim et Thummim. Censet *Nikel* obstare quod in illa epistula (Esdr. 5,16) praesente Zorobabele sermo fit de Sassabasar; at probe notandum est, de quanam re ibi agatur. Thathanai, dux regionis trans flumen, interrogat : quis dedit vobis consilium, ut domum hanc aedificaretis? et secundum eorum responsa scribit Thathanai epistulam, in cuius fine legitur : « nunc ergo, si videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca regis, quae est in Babylone, utrumnam a Cyro rege iussum fuerit, ut aedificaretur domus Dei in Ierusalem » (Esdr. 5,17). In edicto Cyri autem, uti Esdr. 1,8 apparet, nominatus erat Sassabasar; qui igitur interrogabantur, quo iure aedificarent, debebant nomen proferre ex decreto Cyri, et pariter Thathanai, qui monet ut hoc decretum requiratur in bibliotheca, debuit idem nomen ponere quod in decreto Cyri legebatur. Quomodo in hac rerum condicione illi interrogati potuissent nomen aliud, Zorobabel, inferre, aut monere, ut decretum Zorobabeli datum exquireretur? Ergo, si id quod Neh. 7,5 dicit, admittitur, Sassabasar (Esdr. 1,8 et 5,16) est Zorobabel. Cuius rei aliquod indicium habetur in lectione graeca primi libri Esdrae 6,17 (cf. vers. lat. 3 Esdr. 6,18) vasa esse tradita Σαβανασσάρῳ Ζοροβαβὲλ τῷ ἐπάρχῳ, cui altera lectio utique opponitur Ζοροβαβὲλ καὶ Σαβανασσάρῳ τῷ ἐπάρχῳ; at in ipsa mentione Zorobabel, cum vasa a Cyro tradita essent, vera quaedam memoria rei olim factae appareret, et frustra videtur *Nikel* haec parvi ducere (cf. Biblische Studien V. p. 213).

Zorobabel acceptis vasis sacris cum iis de transmigratione ascendit Ierusalem, iam constitutus a Cyro פַּחַת princeps (Esdr. 5,15), quare etiam in enumeratione nobilium primum occupat locum ante Iosue sacerdotem magnum (Esdr. 2,2; Neh. 7,7). Eius dignitas statim commemoratur Esdr. 2,63. Mox post reditum erigitur altare ad holocautomata offerenda (Esdr. 3,2); anno sequente opus Domini i. e. opus templi aedificandi, coeptum est urgeri; in quo opere Zorobabel primo loco nominatur (Esdr. 3,8) et templi fundamentum ponitur (3, 10; 5,16). At mox difficultates exortae sunt. Volebant enim incolae regionis alienigenae cum Iudaeis aedificare templum, qui cum a Zorobabel non admitterentur, impediebant manus populi Iudae et turbabant eos in aedificando; insuper conduxerunt contra eos consiliarios, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis usque ad regnum Darii (Esdr. 4,1-5) i. e. usque ad annum secundum eius. Eo tempore a prophetis Aggaeo et Zacharia opus templi urgebatur et per Aggaeum Dominus admonendum curavit Zorobabel et Dominus suscitavit spiritum Zorobabel et repetitis monitionibus Aggaeus et principes et populum allocutus est; Zorobabel autem praeclarum accipit oraculum : Zorobabel, serve meus, ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum (Agg. 1,1. 12. 14; 2,3. 22. 24). Quo oraculo Zorobabel divinitus dux et princeps constituitur. Nam in symbolo signaculi cernitur quaedam restitutio stirpis davidicae; Iechonias quippe, avus Zorobabel, abiectus erat a Domino : vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias signaculum (חוֹתָם eadem vox Ier. 22,24 et Agg. 2,24) in dextera mea, inde evellam eum (Ier. 22,24); assumitur itaque Zorobabel, et in nepote Iechoniae domus David iterum aliquatenus erigitur. Unde Eccli. 49,13 : « quomodo amplificemus Zorobabel? et ipse quasi signum in dextera manu ». Edocetur Zorobabel de spiritu theocratico, confortatur ne impedimenta timeat; etsi quasi mons magnus ei opponeretur, fore ut quasi in planum redigatur; ipsum,

uti fundaverat templum, ita illud perfecturum esse, Zacharias propheta Dei nomine annuntiat (Zach. 4,6-10). Et domus Dei completa est usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis (Esdr. 6,15) i. e. anno 516 ante Chr.

In libro apocrypho 3 Esdr. 4,13 Zorobabel in disputatione coram Dario palmam fert disserens de argumento : fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas. Et placuit magnopere regi et impetrat a rege ut munera magnifica ad templi aedificationem concedantur (3 Esdr. 3,12; 4,13-63).

In duabus quoque genealogiis (Matth. 1; Luc. 3) Zorobabel inter progenitores Christi recensetur.

Cf. *J. Nikel*, Die Wiederherstellung des jüdischen Gemeinwesens nach dem babylonischen Exil, Freiburg, 1900, p. 88-159; *A. van Hoonacker*, Zorobabel et le second temple, Gand et Leipzig, 1892, p. 29-114; Nouvelles Études sur la Restauration Juive après l'exil de Babylone, Paris, Louvain, 1896, p. 5-150; Notes sur l'histoire de la restauration juive après l'exil de Babylone, in Revue bibl. X. 1901, p. 5-26. 175-199; *J. Fischer*, Die chronol. Fragen in den B. Ezra u. Nehemia, 1903 [Bibl. Stud. VIII. 3].

I. KNABENBAUER.

ZUZIM (זוּזִים, LXX ἔθνη ἰσχυρά) populus quem Chodorlahomor in sua expeditione subegit (Gen. 14,5). Nominantur medii inter Raphaim in Astarothcarnaim et Emim in planitie Cariathaim. Eorum urbs praecipua erat Ham (הָם Vulg. cum eis, LXX ἅμα αὐτοῖς scil. legentes בְּהָם pro בְּהֵם). Probabilius iidem sunt illi gigantes in terra Ammon quos Ammonitae exterminarunt et Zomzommim (זַמְזֻמִּים, Ζομμείν) vocarunt : populus magnus et multus et procerae longitudinis (Deut. 2,20. 21). Nominis Zuzim similitudinem prae se fert Ζίζα (*Ptolem.* V. 17,6 [*ed. Müller-Fischer* 16,4]), statio quam aetate romana obtinebant Equites Dalmatae Illyriciani (Notitia Dignitatum, *ed. Boecking*, I. p. 81. 82. 363), austrum versus ab *ʿAmmān* seu Rabbath Ammon (*Abulfeda*, Tab. Syr. *ed. Koehler*, p. 91), qui locus hodie quoque vocatur *Qalʿat Zīzā*, orientem versus a *Mādebā* situs; cf. *Robinson*, Palaestina III. p. 923; *Tristram*, Land of Moab, p. 163.

Ham urbs est ignota; coniiciunt aliqui illud fuisse nomen antiquum urbis Rabbath Ammon. Sed notatu dignum est in montanis *ʿAdjlūn* repertum esse locum quendam *Ham* (cf. Mitt. u. Nachr. d. D. Pal.-Ver., 1897, p. 66) ; situs certe satisfacit contextui Gen. 14,5, quo Zuzim medii collocantur inter Astarothcarnaim et Cariathaim. Sed praeter situm in montanis *ʿAdjlūn* loc. cit. nihil de *Ham* traditur.

A. M. D. G.

SUPPLEMENTUM

LANA (צֶמֶר, ἔριον, ἔρια) ovium, quibus color albus maxime vulgaris est (Deut. 30,32 ss.; Ps. 147,16; Cant. 4,2; 6,6; Is. 1,18; Dan. 7,9; Apoc. 1,14), praecipue ad vestimenta conficienda inserviebat; cf. Iob 31,20; Prov. 27,26; 31,13; Ez. 34,3; Os. 2,5. 9. Primitiae lanae Deo solvebantur Deut. 15,19; 18, 4. Lana partem constituebat tributi annui a Mesa, rege Moab, solvendi 4 Reg. 3,4. Ex Ez. 27,18 colligitur Damascenos lanam praecipuam ad nundinas Tyri detulisse atque S. Hieronymus (ad h. l.) idem usque ad sua tempora cerni affirmat. Lege prohibita erant Israelitis vestimenta ex lana linoque contexta (Lev. 19,19; Deut. 22,11), cuius legis rationem in s. litteris non indicatam inde explicant, quod abominanda coniugia cum nationibus a Deo proscriptis apte repraesententur lana et lino in unum pannum contextis (*F. de Hummelauer* ad Lev. 19,19). Quoad Ez. 44, 17 : « non ascendet super eos (sacerdotes) quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris et intrinsecus » advertit *Knabenbauer :* lana prohiberi videtur non tam propter Lev. 19,19, sed ne sudore sordescant sacerdotes. Lanae coccineae frequentior usus erat in sacris (Hebr. 9,19 et v. COCCUM). Lanae corruptio adscribitur Is. 51,8 tineae (v. s. v.) et Lev. 23,47 leprae (v. s. v.) seu putrefactioni ex animalibus aegrotis ortae. — Ex lana seu pilis caprarum et camelorum conficiebantur tegumenta et vestimenta rudiora; cf. Ex. 35,23. 26; Cant. 1,4 [5]; Matth. 3,4; Marc. 1,6 et v. CILICIUM. — De lana ovium, eius colore, tonsione, usu, corruptione copiosius egit *Sam. Bochartus*, Hieroz. P. I. lib. 2, cap. 45; *ed. Rosenmüller* I. p. 528-555.

MESA, regis Moab, inscriptio :

1. Ego sum Mesa, filius Kamosmelech, rex Moab,

2. Dibonita. | Pater meus rexit Moab triginta annos atque ego regnavi

3. post patrem meum; | fecique excelsum hoc Kamos in Qorkha | pro salute Mesa,

4. quoniam salvavit me ab omnibus regibus et quia delectavit me in omnibus inimicis meis. | Omri erat

5. rex Israel, qui oppressit Moab diebus multis, cum iratus esset Kamos

6. terrae suae. | Et secutus est eum filius eius, qui et ipse dixit : opprimamus Moab! | Mea aetate locutus est verba huiuscemodi.

7. Sed vidi gaudium in illo et domo eius; | nam Israel misere periit in aeternum! Occupavit ergo Omri totam terram

8. Medeba | et praesidium erat ibi diebus eius et dimidio dierum filii eius, quadraginta annis. Sed

9. reddidit illam Kamos tempore meo. | Etenim exstruxi Baalmeon fecique illic lacum (?), atque exstruxi

10. Qiryatain. | Viri autem Gaditae habitabant in terra Atarot antiquitus, construxitque in ea rex

11. Israel arcem Atarot. | Igitur pugnavi contra civitatem atque expugnavi eam. | Occidi autem omnem gentem

12. civitatis, spectaculum Kamos et Moab. | Reduxi porro inde altaria Dodo et

13. dedicavi ea Kamos in Qeriyot. | Deinde iussi habitare in illa viros Sern et viros

14. Makharot. | Tunc dixit mihi Kamos : Vade cape Nebo ex Israel! Et

15. profectus sum noctu pugnavique

contra illam a primo diluculo usque ad meridiem | cepique eam;

16. occidi autem universos, septem millia virorum puerorumque | ac mulieres puellasque

17. et servas (?). | Enimvero Astar Kamos voveram illam! | Denique rapui illinc altaria

18. Iahwe et dedicavi illa coram Kamos. | Rex vero Israel exstruxit

19. Iahas praesidiumque posuit illic, ut me debellaret. | Sed reppulit eum Kamos coram me et

20. sumpsi ex Moab ducentos viros, universos principes eius; | quos duxi (?) contra Iahas cepique eam,

21. ut iungerem Dibon. | Ego aedificavi Qorkha, moenia ad silvam (?) et moenia

22. callis. | Ipse quoque ego construxi portas eius et idem exstruxi turres eius. | Atque

23. ego aedificavi arcem regiam et feci receptaculum lacus aquarum (?) in media

24. civitate. | Neque tamen cisterna erat intra civitatem in Qorkha; dixi itaque omni populo : Facite

25. vobis cisternam unusquisque in domo sua! | Denique ego excidi (?) incisiones (?) in Qorkha per captivos

26. ex Israel. | Ego exstruxi Aroer ac feci viam super Arnon; et

27. ego exstruxi Bet Bamot, cum esset illa destructa. | Ego refeci Beser, nam erat ruina.

28...... Dibon quinquaginta; tota enim Dibon subiecta est. | Itaque regno (?)

29..... centum in civitatibus, quas addidi ad terram. | Denique condidi

30. [Medeba] et Bet Diblatain | et Bet Baalmeon tulique (?) illuc greges ovium (?),

31..... peccora terrae. | Khoronain vero, habitabat in ea filius Dedan. Dedan autem dixit (?).....

32..... Dixit vero mihi Kamos : Descende, pugna contra Khoronain! Et descendi [ac pugnavi].

33..... Reddidit ergo illam Kamos meis diebus..... inde

34..... | et ego

De genuinitate inscriptionis Mesa.

Non defuerunt, qui, ut fit, monumenti huius fidem in dubium vocarent. Mirum illi quidem videri dixerunt, quod eius regis Moab, quem maxime et unicum fere sacrae litterae nominent, casu inventum credatur tantum documentum. Dictione vero ac verborum electione prodi virum hebraicae Scripturae peritum et, quamquam non constantem, ingeniosum tamen imitatorem, ergo ficta narratione deceptorem. Puncta denique singulis vocibus et lineae sententiarum partibus interpositae, si phoenicias inscriptiones comparaveris, recentiorem originem accusant. Accedit, quod Arabs ille institor, qui primus *Carolo Clermont Ganneau* nuntium inventi ac descriptionem attulit, ipso *C. Ganneau* teste ad antiquitates illas « moabiticas » fraude conficiendas et vendendas consilia communicavit. Quamquam hoc post inventam inscriptionem Mesa factum est. Gravius est illud, quod descriptio illa manu delineata monumenti et paucarum linearum scripturae, quas ille *Selim el-Kari* a se factas affirmavit, forsitan alium habere auctorem videntur. Etenim litterarum ductus, numeris additis figurae lapideae accuratissima adumbratio doctum potius quam indoctum, occidentalem magis quam orientalem prae se fert. Quodsi addideris internas quoque dictionis atque eas minutissimas difficultates, ut nomina, quae nescias explicare, formas lexicographicas alienas forte ab indole linguae hebraicae vel semiticae, habes, quae contra huius steles fidem dici possunt.

At peritorum auctoritas fere omnium tuetur documenti veritatem, fidem, antiquitatem. Cuilibet enim vel rerum semiticarum imperito patebit fieri non potuisse, ut homines inculti, rerum ac linguae semiticae antiquae inscii, tam sollerter historiae antiquissimae fingerent speciem veritatis, tantaque arte signorum, quae nemo, nisi doctissimi pauci, interpretari possunt, in lapide exciderent ordinatam coniunctionem, ut doctissimus quisque, cum viderit, legeret, lecta comprobaret, nil inveniret, quod reprobaret. Deinde constat in monumenti inventione, inventi oblatione

et emptione nil factum esse, quod suspicionem moveret. Puncta vero vocabulis interposita inveniuntur in aramaicis quoque eiusdem fere aetatis inscriptionibus et hebraica illa Siloa, quae non multo plus quam saeculo distat. Quid vero, quod ipsius lapidis adesi nigra vetustas corruptaeque caeli ac temporis iniquitate formae litterarum clamant, quae sit fraudis impossibilitas, quae suae antiquitatis veritas, narrationis sinceritas, scripturae aetas, documenti auctoritas? Quibus rebus consideratis tanti testis fidem recusare non possumus.

L. KOCH.

CHRONOLOGICA QUAEDAM

REGES AEGYPTIORUM

Circa ann.	
3315-2895	**Dynastia I et II.** Thinitae.
	Dynastia I. Menes; Athothis; Kenkenes; Uenephes; Usaphais; Miebis; Semempses; Ubienthis.
	Dynastia II. Boethos; Kechoys; Binothris; Tlas; Sethenes; Chaires; Nephercheres; Sesochris; Cheneres.
2895-2840	**Dynastia III.** Memphitae.
	Necherophes; Tosorthos; Tyreis; Mesochris; Souphis; Tosertasis; Aches; Sephuris; Kerpheres.
2840-2680	**Dynastia IV.** Memphitae.
	Soris; Suphis; Suphis; Mencheres; Ratoises; Bicheris; Sebercheres; Thamphthis.
2680-2540	**Dynastia V.** Elephantini.
	Usercheres; Sephres; Nephercheres; Sisires; Cheres; Rathures; Mencheres; Tancheres; Onnos.
2540-2360	**Dynastia VI, VII, VIII.** Memphitae.
	Dynastia VI. Othoes; Phios; Methusuphis; Phiops; Menthesuphis; Nitokris.
	Dynastia VII. Reges 70 spatio 70 dierum.
	Dynastia VIII.
2360-2160	**Dynastia IX et X.** Heracleopolitae.

Circa ann.	
2160-2000	**Dynastia XI.** Thebani.
2000-1785	**Dynastia XII.** Diospolitae.
2000-1981	Ammenemes, Amenemhet I.
1980-1939	Sesonchosis, Sesostris I.
1938-1907	Ammanemes, Amenemhet II.
1906-1888	Sesostris II.
1887-1850	Sesostris III.
1849-1801	Lamares, Ameres, Amenemhet III.
1800-1792	Ammenemes, Amenemhet IV.
1791-1788	Skemiophris regina.
1785-1680	**Dynastia XIII.** Thebani. **Dynastia XIV.** Choitae.
1680-1580	**Dynastia XV et XVI.** Hyksos.
	Dynastia XV. Salitis; Bnon; Apachnan; Aphophis; Iannas; Aseth.
	Dynastia XVI. Apepi I.; Apepi II.; Nubti.
? -1580	**Dynastia XVII.** Thebani (eodem tempore quo ultimi Hyksos regnarunt).
1580-1320	**Dynastia XVIII.** Diospolitae.
1580-1555	Thetmosis, Amosis I. expellit Hyksos.
	Chebron.
1555-1535	Amenophis I.
1535-1501	Thutmosis I.
	Thutmosis II.
1501-1447	Thutmosis III. (probabiliter Pharao oppressionis).

Circa ann.	
1449-1423	Amenophis II.
1423-1414	Thutmosis IV.
1414-1380	Amenophis III.
1379-1362	Amenophis IV. Ehen-Aton.
1362-1345	Horos; eius filia Acherres s. Akencheres I.; huius frater Rathos (Rathotis); Akencheres II.: Akencheres III.
1345-1320	Armais, Horemheb.
1320-1200	**Dynastia XIX**. Diospolitae.
1320-1318	Ramses I.
1318-1308	Sethos I.
1307-1240	Ramses II. (Pharao oppressionis?).
1240-1230	Amenephthes, Merneptah.
1230-1200	Sethos II.; Ammenemnes. Thuoris-Polybos. Setnecht fundator dynastiae XX.
1200-1090	**Dynastia XX**. Diospolitae. Setnecht.
1200-1179	Ramses III. Ramses IV-XIII.
1090-960	**Dynastia XXI**. Tanitae. Smendes; Psusennes; Nephelcheres; Amenophthis; Osochor; Psinaches; Psusennes.
960-810	**Dynastia XXII**. Bubastidae. Sesonchis, Sheshenk I., Sesac 3 Reg. 14,25 ss. 2 Par. 12, 1 ss., suppar aetati Roboam regis Iuda. Osorthon, Osorkon I., qui coniiciebatur esse Zara 2 Par. 14,9. Takelot I.; Osorkon II.; Sheshenk II.; Takelothis, Takelot II.; Sheshenk III.; Pimai; Sheshenk IV.
810- ?	**Dynastia XXIII**. Tanitae. Petubates, Petubastis. Osorcho, Osorthon, Osorkon III. Psammus.

Circa ann.	
730	Tefnacht, princeps Sais et Memphis, vincitur a Pianchi rege Aethiopum.
? -712	**Dynastia XXIV**. Saitae. Bokchoris, Bekenranf, filius Tefnacht.
712-663	**Dynastia XXV**. Aethiopes et Saitae.
712-700	Sabakon, Shabaka (quem cum Sua 4 Reg. 17,4 componere chronologia permittere non videtur).
700-689	Sebichos, Shabataka.
689-663	Tarkos, Tarakos, Taharka, Tharaca 4 Reg. 19,9; Is. 37,9.
663	Tanutamon, filius Sabakonis.
663-525	**Dynastia XXVI**. Saitae. [Apud Manethonem : Stephinates; Nechepsos; Nechao I.].
663-609	Psammetichos I.
609-593	Nechao II., filius Psammetichi I. (4 Reg. 23, 29 ss. 2 Par. 35, 28 ss. Ier. 46,2).
593-588	Psammetichos II.
588-569	Uaphris, Apries, Ephree (Ier. 44, 30 hebr. Hophra).
569-564	Amasis (Amosis) et Apries una regnant.
564-526	Amasis solus.
526-525	Psammetichos III.
525-404	**Dynastia XXVII**. Persae.
525-522	Cambyses.
521-485	Darius I. Hystaspis.
485-465	Xerxes I.
465-424	Artaxerxes I. Longimanus.
424	Xerxes II.; Sogdianus.
424-404	Darius II. Ochus (Nothus).
	Dynastia XXVIII. Saita unus.
404	Amyrtaeus.

Circa ann.	
398-379	**Dynastia XXIX.** Mendesii.
	Nepherites I.; Achoris; Psammuthis; Nepherites II.
378-341	**Dynastia XXX.** Sebennytae.
378-361	Nektanebes.
360-359	Teos (Tachos).
358-341	Nektanebos.
	Dynastia XXXI. Persae.
404-359 (358)	Artaxerxes II. Mnemon.
359 (358)-338	Artaxerxes III. Ochus.
338-336	Arses.
336-332	Darius III. Codomannus.
332-30 a. Chr.	**Alexander Magnus et Ptolemaei.**
332-323	Alexander Magnus.
323-285 (284)	Ptolemaeus I. Soter I.
285 (284)-246	Ptolemaeus II. Philadelphus.
246-221	Ptolemaeus III. Euergetes I.

Circa ann.	
221-205 (204)	Ptolemaeus IV. Philopator.
205-181 (204-180)	Ptolemaeus V. Epiphanes.
181 (180)-145	Ptolemaeus VI. Philometor.
145	Ptolemaeus VII. Eupator.
170-163	Ptolemaeus VIII. Euergetes II. una cum Ptolemaeo VI.
163-145	Ptolemaeus VIII. Euergetes II. rex Cyrenes.
145-116	Ptolemaeus VIII. Euergetes II. rex Aegypti et Cyrenes.
115-108 (107)	Ptolemaeus X. Soter II.
108 (107)-88	Ptolemaeus XI. Alexander I.
88-81 (80)	Ptolemaeus X. Soter II.
80	Ptolemaeus XII. Alexander II.
80-58	Ptolemaeus XIII. Neos Dionysos.
58-55	Berenice IV.
55-51	Ptolemaeus XIII. Neos Dionysos.
51-47	Ptolemaeus XIV.
47-44	Ptolemaeus XV.
44-30	Ptolemaeus XVI. Caesarion.

REGES AEGYPTIORUM

secundum *G. Maspero*, Hist. ancienne des peuples de l'Orient classique.

Circa ann.	
5000-4750	Dynastia I. Thinitae.
4750-4450	Dynastia II. Thinitae.
4450-4240	Dynastia III. Memphitae.
4240-3950	Dynastia IV. Memphitae.
3950-3700	Dynastia V. Elephantini.
3700-3500	Dynastia VI. Memphitae.
3500	Dynastia VII. Memphitae (70 reges 70 dies).
3500-3350	Dynastia VIII. Memphitae.
3350-3200	Dynastia IX. Heracleopolitae.
3200-3100	Dynastia X. Heracleopolitae.
3100-3050	Dynastia XI. Thebani.
3050-2840	Dynastia XII. Diospolitae.
2840-2400	Dynastia XIII. Thebani.
2400-2200	Dynastia XIV. Choitae.
2200-2000	Dynastia XV. Hyksos (et Thebani).
2000-1750	Dynastia XVI. Hyksos.

Circa ann.	
1750-1600	Dynastia XVII. Thebani (et Hyksos).
1600-1380	Dynastia XVIII. Diospolitae.
1380-1220	Dynastia XIX. Diospolitae.
1220-1080	Dynastia XX. Diospolitae.
1080-950	Dynastia XXI Tanitae.
950-800	Dynastia XXII. Bubastidae.
800-721	Dynastia XXIII. Tanitae.
721-715	Dynastia XXIV. Saitae.
715-666	Dynastia XXV. Aethiopes et Saitae.
666-525	Dynastia XXVI. Saitae.
525-408	Dynastia XXVII. Persae.
408-399	Dynastia XXVIII. Saitae.
399-378	Dynastia XXIX. Mendesii.
378-340	Dynastia XXX. Sebennytae.
340-332	Dynastia XXXI. Persae.

REGES ASSYRIORUM

Circa ann.	
	Kikia princeps, conditor moenium Asir (Assur).
	Auspia s. Uspia, conditor templi Asir (Assur).
	Kate-asir.
	Salim-ahum, filius Kate-asir.
2060	Ilusuma, filius Salim-ahum.
2040	Irisum, filius Ilusuma.
2010	Ikunum, filius Irisum.
1970	Belkapkapu s. Belkâbi.
1950	Samsiadad I., filius Belkapkapu.
	Sar-ken-kate-asir.
	Ismedagan.
1820	Samsiadad II., filius Ismedagan.
	Asirnirari I., filius (eiusdem?) Ismedagan.
	Sulilu.
	Samsiadad III.
1600	Asirrabi I.
	Asirnirari II., filius Asirrabi I.
1560	Asirrimnisesu I.
1520	Puzur-Asir.
	Asirrimnisesu II.
1478	Asurnadinahe.
	Erba-Adad.
1418-1370	Asurballit II., filius Asurnadinahe.
1370-1345	Ellilnirari, filius Asurballit II.
1345-1320	Arikdenili, filius Ellilnirari.
1320-1290	Adadnirari I., filius Arikdenili.
1290-1260	Salmanasar I., filius Adadnirari I.
1260-1240	Tukulti-Ninib I., filius Salmanasar I.
1240-1235	Asurnasirpal I.
1230	Asurnârara.
	Nabudan.
1220	Ninib-Tukultiasur.
1210-1198	Asursumlisir.
1198-1192	Ellilkudurusur.
1192-1182	Ninib-apal-esar (ekur).
1182-1145	Asurdan I., filius Ninib-apal-esar.

Circa ann.	
1145-1135	Mutakkil-Nusku, filius Asurdan I.
1135-1115	Asurresisi I., filius Mutakkil-Nusku.
1115-1100	Theglathphalasar I., filius Asurresisi I.
1100	Samsi-Adad III., filius Theglathphalasar I.
1080	Asurbelkala, frater Samsi-Adad III.
1000	Asurrabi II.
	Asurresisi II.
950	Theglathphalasar II.
	Asurdan II., filius Theglathphalasar II.
900-890	Adadnirari II., filius Asurdan II.
889-885	Tukulti-Ninib II.
884-860	Asurnasirpal II., filius Tukulti-Ninib II.
859-825	Salmanasar II., filius Asurnasirpal II.
824-812	Samsi-Adad IV., filius Salmanasar II.
811-783	Adadnirari III., filius Samsi-Adad IV.
782-773	Salmanasar III.
772-764	Asurdan III.
763-755	Adadnirari IV.
754-746	Asurnirari III.
745-727	Theglathphalasar III.
726-722	Salmanasar IV.
721-705	Sargon, Sarruken.
704-681	Sennacherib, filius Sargon.
680-668	Asarhaddon, filius Sennacherib.
667-626	Asurbanipal (= Asenaphar Esdr. 4,10), filius Asarhaddon.
625	Sinsumlisir.
625-620	Asuretililani, filius Asurbanipal.
620-610	Sinsariskun, frater Asuretililani.
607 (606)	Ninive destruitur.

REGES BABYLONIORUM

Circa ann.	
	Dynastia I. Amoritae.
2060-2047	Sumuabu.
2046-2011	Sumulailu.
2010-1997	Sabu.
1996-1979	Apilsin.
1978-1959	Sinmuballit.
1958-1916	Hammurabi.
1915-1878	Samsuiluna.
1877-1850	Abeshu.
1849-1813	Ammiditana.
1812-1792	Ammisaduqa.
1791-1761	Samsuditana.
	Dynastia II. Reges terrae maritimae.
1910(?)- ?	Ilumailu (60 annos).
	Itti-ili-nibi (56 annos).
1820	Damiq-ilishu II. (26 annos).
	Ishkibal (15 annos).
	Shushshi (24 annos), frater Ishkibal.
1780	Gulkishar (55 annos).
	Peshgaldaramash (50 annos).
	Aidarakalama (28 annos).
	Ekur-ul-ana (26 annos).
	Melamakurkura (8 annos).
? -1720(?)	Eagamil (20 annos).
	Ulamburiash, frater Kashtiliashu I.
	Agum, filius Kashtiliashu I.
	Dynastia III. Kossaei.
1760-1745	Gandash.
1744-1723	Agum I., filius Gandash.
1722-1701	Kashtiliashu I.
1700-1693	Ush(?)shi, filius Kashtiliashu I.
	Abirattash.
	Tazzigurumash.

Circa ann.	
1650	Agum II. (— kakri
1560	Karaindash I.
	Kadashman-Harbe I
1520	Burnaburiash I.
1500	Kurigalzu I.
vel (?) 1570	Meli-Shipak I.
1425-1408	Karaindash II.
1408-1388	Kadashman-Harbe II.
1388	Nazi-Bugash.
1388-1382	Kurigalzu II.
1381-1352	Burnaburiash II.
1351-1327	Kurigalzu III.
1326-1301	Nazimaruttash.
1300-1284	Kadashman-Turgu.
1283-1278	Kadashman-Harbe III.
1277-1270	Kudurri-Ellil.
1269-1257	Shagarakti-Shuriash.
1256-1249	Kashtiliashu II.
1248-1247	Ellilnadinshum.
1247-1246	Kadashman-Harbe IV.
1245-1240	Adadshumiddin.
1239-1210	Adadshumnasir.
1209-1195	Meli-Shipak II.
1194-1182	Mardukapaliddin (I.) *.
1181	Zamamashumiddin.
1180-1178	Belnadinahe.
	Dynastia IV. Reges de Pashe (Isin).
1177-1159	Marduk [aherba?].
1158-1153	*x*
1152-1124	Nabukudurriusur I., Nebukadnezar.
1123-1117	Ellilnadinapli.
1116-1105	Marduknadinahe.
1105-1095	Itti-Marduk-balatu.
1095-1091	Mardukshapikzermati.
1090-1069	Adadapaliddin, filius Itti-Marduk-balatu.

* Pro Mardukapaliddin (I.) iuxta textum publicatum legi oportere Mardukapilizkura (i. e. Marduk filium vocavit scil. ad imperium) censet *F. X. Kugler*, Zwei Kassitenkönige der Liste A, in Ztschr. f. Assyr. XXIV. 1910, p. 173-178.

Circa ann 1068	Marduk.
	Marduk.
	Nabushumilibur.
Circa ann	
	Dynastia V. Reges terrae maritimae.
1045-1027	Simbar-Shipak.
1027	Eamukinzer (5 menses).
1027-1025	Kashshunadinahe.
	Dynastia VI. Reges de Bazi.
1024-1008	Eulmashshakinshum.
1007-1005	Ninibkudurriusur.
1005	Shilanum-Shuqamuna.
	Dynastia VII. Rex unus Elamita.
1004-999	Aeapalusur.
	Dynastia VIII.
998-963	Nabumukinapli.
962	*x*
	x
	-ahe-iddin.
900	Shamashmudammiq.
	Nabushumishkun I.
900-890	Nabushumukin I.
890-854	Nabupaliddin.
853-825	Mardukzakirshum I.
820	Mardukbalatsuiqbi.
800	Bauahiddin.
	Interregnum.
770	Erba-Marduk.
	Dynastia IX.
	Marduk (?).
	Nabushumishkun II.
747-434	Nabunasir, Nabonassar.

Circa ann.	
733-732	Nabunadinzer, Nadios.
732	Nabushumukin II.
	Dynastia X.
731-729	Ukinzir.
728-727	Pulu, Phul = Theglathphalasar III. rex Assyriae.
726-722	Ululai = Salmanasar IV., rex Assyriae.
721-710	Mardukapaliddin (II.), Merodach Baladan.
709-705	Sarruken, Sargon, rex Assyriae.
704-703	Sinaherba, Sennacherib, rex Assyriae.
703	Mardukzakirshum II.
703	Mardukapaliddin (II.) iterum.
702-700	Belibni.
699-694	Asurnadinsum, filius Sennacherib.
693	Nergalushezib.
692-689	Mushezib-Marduk.
688-681	Sinaherba, Sennacherib iterum.
680-668	Asurahiddin, Asarhaddon.
667-648	Shamashshumukin, Sammuges.
647-626	Kandalanu, Sardanapal.
625	Sinshumlishir.
625-620	Asuretililani.
620-610	Sinsharishkun.
625-605	Nabupalusur, Nabopolassar.
604-562	Nabukudurriusur II., Nabuchodonosor, Nebukadnezar.
561-560	Avel-Marduk, Evilmerodach.
559-556	Nergalsarusur, Neriglissor.
556	Labashi-Marduk.
555-539	Nabuna'id, Nabonidus.
538	Baltassar.

REGES MEDORUM ET PERSARUM

REGES MEDORUM

Circa ann.		Circa ann.	
699-647	Deioces (Dadjaukku?);	607 vel 606	Ninive destruitur
647-625	Phraortes;	584-550	Astyages.
624-584	Cyaxares, Uvakshatara;		

GENEALOGIA ACHAEMENIDARUM.



GENEALOGIA PTOLEMAEORUM

secundum *M. L. Strack*, Die Dynastie der Ptolemaeer (Berlin 1897). In parenthesi [ ] indicantur coniuges.



CORRIGENDA

Vol. I. col. 544 lin. 9 ab infra lege : quaerenda est.

Vol. II. col. 421 lin. 10 lege : altitudo sex cubitorum et dimidii seu palmi maioris (2,925 m; cf. s. v. MENSURAE).

Vol. II. col. 504 lin. 12 lege : Pharsalum.

Vol. II. col. 508 lege : Azizus rex Emesae.

Vol. II. col. 758 lin. 22 lege : INDIA.

Vol. III. col. 215 lin. 12 ab infra lege : עִפְרָת.

CURSUS SCRIPTURÆ SACRÆ, Lexicon biblicum - s. v. Tabernaculum.

TABERNACULUM MOSAICUM (Ex. 25-27; 36-38; 40)



A. Tielitz S I *del*

P. LETHIELLEUX, Editor - *Paris*

TEMPLUM SALOMONIS

AA = atrium inferius 3 Reg. 6.36 seu sacerdotum 2 Par. 4,9 seu superius Ier. 36.10.

A'A' = pars atrii interioris solis sacerdotibus reservata (cf. Ioel 2,17).

cc = conclavia trium contignationum 3 Reg. 6.5 ss.

Gr = gradus 12 ad Khel (aream templi superiorem seu antemurale).

S = sanctum.

SS = sanctum sanctorum.

V = vestibulum.

1 = porta atrii exterioris.

2 = porta atrii interioris (fortasse porta excelsa 2 Par. 27,13 seu sublimissima 4 Reg. 15,35 vel porta nova Ier. 36.10 .

3 = portae laterales atrii exterioris.

4 = portae laterales atrii interioris.

5 = cubicula atrii exterioris.

6 = cubicula atrii interioris.

Ttemplum Salomonis



A.Tielitz S.I. *del.*

P. LETHIELLEUX, Editor-*Paris*

TEMPLUM EZECHIELIS

A = altare holocaustorum Ez. 40,47; 43,13 ss.
a = ambulacrum ante gazophylacia 42,4 (LXX). 11.
C = culinae pro sacerdotibus 46,19.20.
c = culinae pro populo 46,21 ss.
d = domus postica separata 41,12.13 (hebr.). 15.
G = gizrah, spatium separatum 41,10.12.13.14; 42,1.10.13.
g = gazophylacia 42,1 ss.
g¹ = gazophylacia 40,44 (LXX). 45.46.
gr = gradus ex atrio exteriore ad interius 42,9.
m = murus 40,5.
P = portae atrii exterioris.
P¹ = portae atrii interioris.
S = sanctuarium.
st = stratum 40,17.18.
1-30 = cellae iuxta portas 40,17.
500² = 500 in quadrum cubita maiora (100 cubita maiora = 52,5 metra).



A. Tielitz S.I. *del.*



P. LETHIELLEUX, Editor – *Paris*

SANCTUARIUM IN TEMPLO EZECHIELIS (Ez. 40,48 - 41,26)



A. Tielitz S. I. del.

P. LETHIELLEUX, Editor - Paris

PORTA ATRI EXTERIORIS

in templo Ezechielis

c = cancelli (margo) ante thalmos Ez. 40,12.
f = frontes vestibuli 40,9.
gr = gradus septem 40,6 (LXX). 22.26.
i = ianuae 40,13.
Li = limen prius 40.6.11.
Lu = limen alterum 40,8.
t = thalami 40,7.10.
V = vestibulum 40.9.

PORTA ATRII EXTERIORIS
in templo Ezechielis.



A. Tielitz S.I. *del.* P. LETHIELLEUX, Editor–*Paris*

PORTA ATRII INTERIORIS

in templo Ezechielis

c = cancelli (margo) ante thalamos.
f = frontes vestibuli.
g = gazophylacia ad lavandas victimas Ez. 40,38.
gr = gradus octo 40,31.34.37.
i = ianuae.
L^{I} = limen prius.
L^{II} = limen alterum.
m = mensae.
t = thalami 40,29.
V = vestibulum 40,31.34.37.

PORTA ATRII INTERIORIS
in templo Ezechielis.



A. Tielitz S. I. *del.* P. LETHIELLEUX, Editor.-*Paris.*

TEMPLUM HERODIS

AA = atrium Israelitarum.
A^1A^1 = atrium sacerdotum.
A^2A^2 = atrium mulierum.
A^3A^3 = atrium gentium.
a = altare holocaustorum.
C = canalis subterraneus.
Gr = gradus 12 (vel 14) ad Khel (aream templi superiorem seu antemurale)
gr = gradus 15, in quibus levitae psalmos graduum 119-133 [120-134] decantasse traduntur.
L = labrum aeneum.
M = mactationis area.
PP = podia in atrio mulierum.
S = sanctum.
SS = sanctum sanctorum.
s = saeptum lapideum gentilibus aditum prohibens.
V = vestibulum.
1 = porta orientalis seu corinthia (porta speciosa).
2 = porta superior (porta Nicanoris).
3 = portae laterales atrii mulierum.
4 = portae laterales atrii interioris.
5 = cubicula pro leprosis sanatis, nasiraeis, asservando oleo sacro et ligno holocaustorum.
6 = cubicula variis usibus destinata.
7 = porticus occidentalis.
8 = porticus aquilonaris.
9 = porticus orientalis (porticus Salomonis?).
10 = porticus regia.
11 = porta et pons ad urbem superiorem ducens.
12 = descensus ad portam graduum et vallem Tyropoeon.
13 = porta Coponius et pons ad Xystum et palatium Hasmonaeorum in urbe superiore ducens.
14 = portae occidentales ad suburbia ducentes.
15 = arx Antonia.
16 = porta Tadi seu Teri.
17 = porta aurea.
18 = substructiones (quae dicuntur stabula Salomonis); in angulo austro-orientali pinnaculum templi (?).
19 = descensus ad portam tripartitam.
20 = descensus ad portam bipartitam.

Nota : Quae col. 1132 s. de saepto lapideo dicta sunt, ita emendentur oportet, ut saeptum lapideum et Khel discernantur, prout ex delineatione apparet.

Ttemplum Herodis.



A. Tielitz S. I. del

P. LETHIELLEUX, Editor - Paris.